


NAZIONALE
13
16 E
25



THEORIA, ET PRAXIS
IN QVA
IVRA, OBLIGATIONES,
& Priuilegia eorum, qui in periculo
aut articulo mortis conſtituuntur,

Atque alia plura dubia ad vtrumque forum pertinentia ex Theologicis principijs, atque ſacris, & ciuilibus legibus breuiter, & dilucidè explicantur.

OPVS POSTHVMVM
ZACHARIAE
PASQVALIGI VERONENSIS
CLER. REG. THEATINI.
Sacræ Theologiæ Profeſſoris.

Cum ſuis Indicibus.









ROMÆ, Ex Typographia Ignatij de Lazaris. M. DC. LXXII.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

D. D. LVDOVICO
EMMANVELI FERNANDEZ,

PORTOCARRERO, VOCANEGRAE, MENDOZAE, ET LVNAE,

S. R. E. Cardinali Amplissimo &c.

CLERICI REGVLARES D. ANDREAE A VALLE.

RODIT in lucem Opus hoc, perutile quidem, & quod præclarum Auctoris nomen, ac notum, commendatumque literatorum Academijs ingenium satis profectò probant. Verùm, quæ fuit præmaturi fati acerbitas, sublato ante puerperium è viuis Parente, perfici ad vnguem minimè potuit; atquè adeò nescio quid illi deesse à secundis curis supremæ manus videri potest. Quapropter quærendus nobis fuit, qui destitutam Patre sobolem peramanter complexus,

ità sibi adoptaret, vt & beneuolentia foueret sua, & splendore nominis cultum illum adderet, atque vmbilicum, quem addere superstes Auctor opera, ac peracri quodam studio contendisset. Tibi, igitur, Ludouice Emmanuel, Princeps Eminentissime, hoc patrocinium destinauimus: Te alterum litterarij huiusce fœtus Patrem, Te Patronum Romana hæc nostra Domus poscit. Si auitũ, si tuum inspicimus decus, nulla enim verò splendidior asserenda, optandaquè erudito operi tutela fuit. Miramur quidem quicquid fuere Maiores tui; sed magis quicquid ijs tu addis eximia animi moderatione, grauitate morum, religionis cultu, litterarum studijs, vi mentis, candore indolis, atque omnigena planè virtute, qua potentissimorum tuorum Regum studia, & quà priuata, quà publica Hispanicæ Aulæ iudicia perindè visus promeruisse, vt suos per gradus longè speciosissimos ad amplissimæ fastigium Purpuræ perueneris. Agis nunc sanè Romæ, atque in hac luce Quiritium partes tuas roscié: sed ijs non vno munere insigni cum laude, assensuque mortalium, tuam

sci-

ſcilicet expertus indolem, ac ſpirituum celſitudinem; proluſiſti. Generoſis aquilarum pullis id proprium, vt antequam libero ſeſe Cælo permittant, ad radios probentur Solis: cecinitque de ijs elegantiſsimè Claudianus.

Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Suſtinuitque acie nobiliore diem,
Nutritur; volucrumque potens, & fulminis hæres,
Geſturus ſummo tela triſulca Ioui.

Rudimenta fuere fortunæ tuæ inclytus vetuſtiſſimæ Toletanæ Eccleſiæ Canonicorum Ordo, & quam in eo ſplendidè ſuſtinuiſti, Decani dignitas. Et quod prænobili eidem Eccleſiæ tua par eſſet prudentia, ac ſingularis in agendo ſolertia, illius ſubindè habenas ſapientiſſimus Gubernator adminiſtraſti. Acceſſit & alius hiſce honorum appellationibus honor à præſigni Granatenſi Infula, cui mox deſtinatus: vt quando ampliſsimæ virtuti cohoneſtandæ non vna ſufficeret dignitas, illas congeminares: cum interim auctus titulis, titulos ipſos luce tua adaugeres, exornareſque. Allegaſſe te ve-

rò excelsi nominis, immortalisque memoriæ Philippum Quartum extra ordinem Oratorem ad S.Iacobum, quantum tibi id muneris laudum conciliauit; quantum Tu muneri existimationis, rè bene gesta? Quid illud, Generalibus Hieronymiani Ordinis Comitijs regio nutu, auctoritateque præfuisse? Planè, Te auspice, nihil desiderari in eo grauissimorum Patrum Conuentu potuit, aut in deliberando de re communi maturioris consilij, aut in expediendis negotijs dexteritatis, aut in tuenda, amplificandaque disciplinæ obseruantia ardoris, ac studij; addita insuper dicendi, agendique grátia, ac quadam etiam facilitate, comitateque ingenij, qua omniũ Tibi animos deuinxisti. Curis hisce, atque assiduo vsu rerum expolitum, excitata præsertim præclara de te gentium opinione, Roma ita te vidit, vt nemo Romanæ Aulæ nouum Te hospitẽ dixerit. Veteranam iam virtutem tuam tyrocinium ponere publicæ lucis minimè oportuit: in recenti Purpura prisca morum maiestas eluxit; atque in ipso penè æui flore mentis senium, & quædam Consiliorum sese cani-

cies

cies prodidit. Ipſa potiſſimùm Pontificia Comitia, quid Romam attuleris elimati iudicij; ſtatim commonſtrarunt. Difficillimus hic ſummi Capitis delectus; perardua hæc Auguſti Senatus meditamenta, hæ Conſultationes, hi Cœtus prima fuere magnæ tuæ mentis argumenta, ac facilè docent, qualis deindè in reliquis Aulæ officijs, negotijs, Conſilijs fueris. Atque hæc quidem animi decora Domum hanc noſtram à Valle, nosque addictiſſimos Clientes tuos impulere; vt haſce Tibi Zachariæ Paſqualigi ex noſtris poſthumas Lucubrationes addiceremus, ad doctiorum videlicet hominum opinionem exaugendam, ad munimentum, ad decus. Quamquam eo etiam hæc Operis dedicatio collimauerit, vt apud Hiſpanum Principem, quantum Auſtriaco Nomini, quantum inclytę Mariannę Reginę Theatinus noſter Ordo debeat, verbis conceptiſſimis teſtaremur. Pleraque poſt regię Munificentię argumenta nupera Diui Caietani Thienęi, Conditoris noſtri Conſecratio, mirum profectò eſt, quam luculenter Auguſtę Heroinę auguſtam verè

indolem declarauerit. Nam post repetita apud summum Sacrorum Principem postulata, ac vota, ornandis deinde Apotheosis ipsius solemnijs, erogata non exigua quidem auri copia, simul pietatem, simul magnificentiam; virtutes nempè Austriacis insitas, aut collactaneas, adprobauit. Rependet hęc Caietanus ipse, quando nos soluendo non sumus: illumquè enixè precabimur, vt Regum Maximi, & infantiam curet, & impetret senium: Mariannę verò, & curas iuuet, & excubet sospitati. Tibi itidem, Princeps Eminentissime, vt adsit, tuique magni pectoris impetus fortunet, etiam, atque etiam vouemus: Cui vigilias hasce, ac disceptationes de ijs, quę in suprema vitę linea accidere moribundis solent, ideò nuncupamus, vt sint à tuo nomine immortales.

CAN-

CANDIDE LECTOR.

INter plurima eruditissimi ingenij opera, quæ doctissimus noster Zacharias Pasqualigus lamentabili fato præuentus inabsolutam reliquit, hoc quod tibi damus, gratas obsequentissimi Auditoris peruenit ad manus, qui apprimè callens, quantum valeat Moralis Theologiæ studio, & praxi, vtilitatis afferre, expolitum, & hiantibus lacunis repletis, additoque, qui deerat ad rem, de Sacramento Matrimonij per breui tractatu, typis tradere curauit. Omnia in hoc, facili, subtilique methodo aptè discutiuntur, qua rationibus, quà Doctorum auctoritatibus confirmata reperies, & accuratissimam Auctoris tam de de litteraria Republica, tot editis voluminibus benemeriti, in scribendo solertiam, admirabundo supercilio dignosces. Nonnulla assueta Typographorum incuria irrepserunt errata, quæ sequens pagella prodet. Fruere igitur præclaro hoc opere posthumo & pyssimis Auctoris Manibus cordatas preces in Tributum repende, & si quæ alia eiusdem perficienda supererunt, expecta ad nostri Pasqualigi memoriam meritò peremnandam. Si quis autem Critico genio ad mordendum hisce laboribus titillatur, animaduertat, quod sæuire in Mortuum summæ genus crudelitatis est. Vale.

Errata Corrigenda.

Quæstioni 33. deest numerus 33.
Quæstioni 51. deest numerus 51.
Quæstioni 172. deest numerus 172.
Replicatur numerus Quæstionibus 39. 50. 51. 100. 198. & 211. vsque ad 215. inclusiuè.
In numeris paginalibus pro 399. lege 388. & 381.
Cætera quæ leuioris momenti sunt, legentium iudicio facilè emendanda remittuntur.

§ 5 D.PE-

D. PETRVS PAVLVS NOBILIONVS.
Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

HOc opus posthumum P.D.Zachariæ Pasqualigi nostri Ordinis Theologi, cui Titulus est: Theoria, & Praxis, in qua Iura, Obligationes, & Priuilegia eorum, qui in articulo, vel periculo mortis constituuntur &c. cum duo, ex nostris Patribus, quibus id commissum fuit, genuinum tanti Auctoris partum, ab aliis adhuc ab eodem in lucem editis, non degenerem, recognouerint, atque vltrò probauerint: Vt typis mandari possit, quoad nos attinet facultatem facimus, & indulgemus. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Aedibus nostris S.Siluestri Montis Quirinalis Sextodecimo Kalendas Octobris Anni 1668.

D.Petrus Paulus Nobilionus Præp.Gen.Cler.Reg.

D. Hieronymus Vitalis Secretarius.

IVssu Adm.R.Patris nostræ Congregationis Præpositi Generalis attentè examinauimus Opus Posthumum Zachariæ Pasqualigi C.R. S.T. P. cui titulus Theoria, & Praxis &c. & cum in eo nihil fidei, Ortodoxæ Sacris sanctionibus, bonisque moribus contrarium à nobis notatum fuerit, immo totum de puro vtriusque Theologiæ fonte libatum, vtpotè publicæ vtilitati & litterariæ Reipublicæ bono summopere profusurum Typis dignissimum censemus ex S.Andreæ de Valle Almæ Vrbis die 4. Septemb.1671.

D.Franciscus Biscia Cl. Reg. S.T.P.
D.Placidus Vicecomes Cl.Reg.S.T.P.

LEgi volumen Reu.Patris Zachariæ Pasqualigi de Priuilegijs eorum, qui sunt in articulo mortis, prout mihi mandauerat Reuerendissimus Pater Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister; & quamuis dolendum Valde sit quod Author morte præuentus supremam operi manum admouere non potuerit; illud tamen tam multiplici eruditione ac doctrina refertum videtur, vt publicæ vtilitati non modicè profuturum, & coronidem tanto Authori impositurum iudicem, si prodeat in lucem.

Ex Collegio Romano Nonis Augusti 1671.

Ioseph Masseius Societatis Iesu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal.Apost.

Io. de Angelis Archiepisc., Vrb.Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Magister Sac. Palat. Apost.

INDEX QVAESTIONVM.

De constitutis in periculo, aut articulo mortis in ordine ad sacramentum Baptismi.

De subiecto Baptismi constituto in periculo, aut articulo mortis.

An

De ministro Baptismi in tempore necessitatis.

De Baptismi repetione, quando ministratur in periculo mortis.

De Patrino pro Baptismo priuato in mortis periculo.

An

De solemnitate Baptismi, seu Cœremonijs in ordine ad eos, qui sunt in periculo mortis.

De Sacramento Confirmationis quo ad constitutos in periculo, aut articulo mortis.

De constitutis in periculo aut articulo mortis quoad Sacramentum Pœnitentiæ.

De subiecto capaci sacramenti Pœnitētiæ in ordine ad periculū mortis.

De materia Proxima sacramenti Pœnitentiæ, quoad constitutos in periculo, vel articulo mortis.

De

De Modo confitendi quoad constitutos in periculo mortis.

De Constitutis in periculo mortis quoad Absolutionem sacramentalem.

De Satisfactione imponenda pœnitentibus constitutis in periculo, seu articulo mortis.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ quoad constitutos in periculo, & articulo mortis.

casu-

De Absolutione in articulo mortis quoad reseruata.

De Afolutione à Censuris quoad constitutos in periculo mortis.

An

De modo, quo imponenda est obligatio absolutionis à Censuris reseruatis in periculo mortis.

De obligatione comparendi coram superiore ratione casuum Reseruatorum.

De constitutis in articulo, aut periculo mortis quoad Viaticum.

De Tempore, & modo ministrandi Viaticum.

An

De Præcepto sumendi Viaticum.

De ministro Viatici.

De Iis, quibus Viaticum est ministrandum.

De essentia Sacramenti extreme Vnctionis.

De materia remota Sacramenti extremæ Vnctionis.

De materia proxima Sacramenti Extremæ Vnctionis.

De forma Sacramenti Extremæ Vnctionis.

De subiecto sacramenti Extremæ Vnctionis.

An

De dispositione Animæ requisita in suscipiente Extremam Vnctionem.

De ministro Sacramenti Extremæ Vnctionis.

An

De Effectibus Extremæ Vnctionis.


De Iterabilitate Sacramenti Extremæ Vnctionis.

De necessitate Sacramenti Extremæ Vnctionis.

De Ritu Seruando in ministranda Extrema Vnctione.

De Sacramento Matrimonij.

FINIS.



THEORIA, ET PRAXIS

IN QVA

IVRA, OBLIGATIONES, & Priuilegia eorum, qui in periculo, aut articulo mortis constituuntur,

Atque alia plura dubia ad vtrumque forum pertinentia ex Theologicis principijs, atque sacris, & ciuilibus legibus breuiter, & dilucidè explicantur.

ZACHARIAE
PASQVALIGI
VERONENSIS
CLER. REG.

An periculum, & articulus mortis sint idem. Quaest. 1.

SVMMA

1 *Articulus mortis, & periculum mortis an sint idem & num. 3 & 4.*
2 *In iure canonico articulus mortis dicitur periculum mortis, & e contra.*
2 *Motiuum Concilij Tridentini tollendi reseruationem pro articulo mortis.*
4 *Quid sit articulus mortis.*
5 *Quid sit periculum mortis.*
6 *Constitutus in articulo mortis dicitur moriens.*
5 *Aequiparatur mortuis.*
6 *Articulus mortis nedum dicit verum articulum mortis, sed etiam presumptum.*
7 *Articulus mortis non cognoscitur, nisi ex signis, & effectibus.*
8 *In ijs, quae sunt difficilis probationis sufficiunt praesumptiones.*
9 *Cur in iure articulus, & periculum mortis confundantur.*
10 *An sit diuersa ratio in articulo, & periculo mortis.*
10 *Vbi diuersa ratio, ibi diuersa iuris dispositio.*
11 *Periculum mortis aliud verum, aliud presumptum.*
12 *An quod mors immineat inuitis, aut volentibus distinguat articulum à periculo mortis.*

1 RTICVLVS mortis, & periculū mortis solet confundi apud Doctores. An autem sint idem loquendo in iure affirmant Gomez *in Bullā Cruciata* *clau-*

clausula 10. *n.* 14. Molina *tom.* 4. *De iust. & iure disp.* 63. *n.* 5. Suarez *in* 3. *par. disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 2. Ludouicus à Cruce *in Bullam Cruciata disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. *n.* 1. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 219. Corduba *lib.* 5. *De indulg. qu.* 39. *punc.* 1. *dist.* 1. Syluester *verbo*, Interdictum. 5. *quæst.* 7. *excep.* 4. D. Anton. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 19. §. 2. Nauar. *cap.* 27. *Manual. n.* 271. Angles *in Florib. par.* 1. *quæst.* 3. *De confes. art.* 3. *difficul.* 1. *conclus.* 3. *in fin.* Palud. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 3. Angel. *verbo.* Interdictum. *num.* 24. Adrian. *in* 4. *quæst.* De *confess.* 3. *ar.* 3. Medina *tract.* 2. *De confess. cap. Quo tempore fieri deb. confes.* Facundez *in* 1. *pracep. Decal. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 11. *num.* 3. Zambron. *in Casib. accurrent. temp. mort. Prælud.* 1. *num.* 7. Citari solent etiam Glos. *in cap. Pastoralis* verbo. *Prœterquam. De offic. ordinar.* Geminian. *in cap. Eos, qui. De sent. excommunicat. in* 6. & alij ex Canonistis. Sed hi ideo confundunt articulum cum periculo mortis, quia considerant in ordine ad eos effectus, qui communes sunt periculo, & articulo mortis.

2 Probant. Quod Cap. *Si quis suadente.* 17. *quæst.* 4. dicitur *Mortis vrgente periculo*, in Cap. *Non dubium.* & in Cap. *Ea noscitur.* & in Cap. *Quod de his.* & in Cap. *Quamuis. De senten. excommunicat.* & in Cap. *Eos, qui. eodem tit. in* 6. dicitur Mortis articulus. Ergo in iure mortis periculum, & mortis articulus sunt vnum, & idem. Secundo Motiuum Tridentini *sess.* 14. *cap.* 7. *De sacram. pœnit.* ad tollendam casuum reseruationem in articulo mortis fuit vitare periculum damnationis æternæ animarum, quod incurreretur, si non posset quilibet in tali articulo absoluere; hoc autem inconueniens militat etiam in periculo mortis, quia etiam in ipso fieri posset, quod non adesset potens à reseruatis absoluere, nec posset recurri ad habentem facultatem, ergo periculum mortis æquipollet articulo mortis.

3 Secunda sententia distinguit articulum mortis à periculo. Ita Panorm. *in Cap. Quod de his. in fine. De sent. excom.* Burrat. *Consil.* 40. *n.* 65. *lib.* 1. Bald. *in Cap.* 1. *circa fin. De pact.* Costa *in Memorabil. ver. Extremo.* Sebastian. Medic. *tract. Mors omnia soluit. par.* 1. *num.* 16. Thomas Actius *tract. de infir. par.* 1. *cap.* 15. *num.* 2. & 3. Sotus. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 4. *ar.* 4. ver. *Quæris autem.* Trullench. *in Bullam Cruciata. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Duardus *in Bullam Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 2. *num.* 3. Coriolan. *De casib. reser. par.* 1. *sect.* 2. *ar.* 16. *num.* 2. Ghetius *in Thesau. verbo.* Absolutio. *vers. Concludit.* Canus *Relect. De pænit. par.* 5. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 10. *punc.* 2. *ver. primo cum pænitens.* Zerola *in Praxi pænit. cap.* 15. *quæst.* 7. Sebastianus à Costa *in Bullam Cruciata qu.* 71. *ver. At Soto.* Candidus *tom.* 1. *disquisit.* 3. *ar.* 7. *dub.* 1. Mandos. *in praxi signat. Tit. Confessionale num.* 1. Couarru. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 11. *num.* 8. *in fine.* Bardus *in Bullam Cruciata par.* 2. *tract.* 6. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 10. Mancinus *in Praxi visitan. infir. pract.* 4. *dub.* 2.

4 Statuendum est ergo. Periculum mortis, & articulum mortis differre inter se ita, vt quamuis articulus mortis contineat periculum non tamen è contra omne periculum sit articulus mortis. Ratio autem est, quia periculum dicit, quod mors ita immineat, vt tamen possit vitari, cum communis ratio periculi hoc de se dicat, & proinde periculum respicit contingentiam vtriusque partis. Articulus verò mortis dicit, quod mors ita immineat, vt moraliter sit ineuitabilis, & proinde respicit ineuitabilitatem, quia communiter loquendo constituti in tali statu non solent euadere; vnde dicuntur tendere ad mortem, quia plus morti vicini sunt, quam vitæ, à qua censentur recedere. Et hoc pacto explicant articulum mortis Gabr. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. *artic.* 1. D. Antonin. 1. *par. tit.* 10. *cap.* 3. Syluester *verbo.* Indulgentia *num.* 25. Sanchez. *lib.* 2. *Sum. cap.* 13. *num.* 1. Duard. *in Bullam Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. *num.* 3. Rodriquez *in Bullam Cruciata.* §. 9. *num.* 38. Trullench. *in eamdem Bul. Cruc. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2.

Fun-

5 E contra verò, quod mortis periculum sit illud, ex quo frequenter solet contingere mors, notant Couarru. *Cap. Alma mater. par. 1. §. 11. n. 7.* Io. Medina C. *De pænit. tract. 2. De confess. q. De temp. quo cōfit. opor. casu 1.* Armilla *verbo*, Cōfessio *n. 6.* Syluester *ver.* Cōfessio 1. *quæst.* 2. Angel. *n. 30.* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 9. num. 1.* Molina *tom. 4. De iust. & iure disp. 63. num. 5.* Victoria *in sum. quæst. 113.* Nugnus *in addit. ad 3. par. D. Th. quæst. 8. art. 6. dub. 6.* Alcozer. *Cap. 2. sum.* Torreblan. *lib. 14. Pract. iur. spirit. cap. 6 num. 25.* & alij *n. praced. citati*. Hinc constituti in articulo mortis dicuntur morientes, vt cum Glosa notat Actius *De infirmit. part. 1. cap. 15. num. 10.* & æquiparantur mortuis, vt notat Medices *tract. Mors omnia soluit. part. 1. num. 114.* adducens varia iura: Quod tamen limitat Marsil. *in pract. crimin. §. sed quia, num. 37. & sequen.* quò ad fauorabilia, non autem quò ad odiosa.

6 Secundò statuendum est, quod nomine articuli mortis nedum venit verus articulus mortis: sed etiam præsumptus. Est enim articulus mortis duplex verus, & præsumptus; Verus articulus mortis est, quando mors habet veras, & reales causas, ex quibus ineuitabiliter consequutura sit. Præsumptus vero est, quando prudentum iudicio censentur adesse tales causæ, ita vt mortem imminere validis coniecturis affirmari possit, quamuis reuera tales causæ non adessent. Ita Gerson. *De absolut. sacramen. Alphab. 33.* D. Antonin. 1. *par. tit. 10. §. 3.* Gabriel *in 4. dist. 45. quæst. 4. ar. 3. dub. 1.* A Costa *in Bullam Cruciata. quæst. 71. ver. Hispositis.* Bardus *in Bullam Cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. 6. sect. 2. num. 15.* Trullench. *in eandem Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. num. 1. in fin.* Gomez *ibid. clauf. 10. num. 13.* Suarez *de pænit. disp. 26. sect. 4. nu. 3.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 25. disp. vn. punc. 8. §. 1. num. 9.*

7 Ratio autem est, quia causæ, ex quibus mors ineuitabiliter est sequutura, non sunt nobis notæ, sed solum ex signis, & effectibus innotescunt, & ideo mortis articulus non potest cognosci, nisi ex his signis, & effectibus: vnde ipsius existentia non venit in considerationem, nisi quatenus ex ipsis apprehendi potest. Dum ergo adsunt signa, & effectus, ex quibus prudenti iudicio apprehenditur, siuè sit realis, siue præsumptus, debet haberi pro verò mortis articolo, cum non possimus inter verum, & præsumptum discernere, aliàs nunquam possemus iudicare, quod aliquis esset in mortis articulo.

8 Et sicuti in iudicio in ijs præsertim, quæ sunt difficilis probationis præsumptiones habentur pro liquidis probationibus, vt tradunt Ias. *in l. licet Imperator. ff. de leg. 1.* vbi & cæteri auctores communiter. Paris *Consil. 80. num. 15. & consil. 97. num. 6. lib. 1.* Craucta *consil. 6. num. 42.* Tiraquel. *in l. si vnquam, verbo.* Donationes. *num. 158. C. de reuoc. donat.* Roland. *De lucro dot. quæst. 75. num 22. & 23.* Quos sequitur Menoc. *consil. 226. num. 122.* Ita etiam quando ex signis, & effectibus prudenti iudicio colligitur articulus mortis, quamuis sit præsumptus, debet haberi pro vero, & liquido articulo mortis.

9 Ad 1. in oppositū resp. quod in allatis text. b. cōfunduntur periculū mortis, & articulus mortis, quia accipiuntur in ordine ad absolutionem à reseruatis, quæ cum habeat locum tam pro constitutis in articulo, quàm in periculo mortis, ideo quod vno loco dicitur articulus mortis, in alio dicitur periculum, vt declaretur, quod dicta concessio non est solum pro articulo mortis in sua proprietate accepto, sed etiam longè accepto pro quocunque periculo, vnde mors immineat.

10 Ad 2. Non adesse identitatem rationis, in mortis articulo, & periculo, ob quam Tridentinum motum est ad declarandum, quod in mortis articulo nulla sit reseruatio, nam in mortis articulo adest maius periculum damnationis æternæ, sicut etiam adest grauius periculum mortis; cum mors sit in fieri, etiam damnatio æterna est in fieri, nisi homo reconcilietur Deo. In mortis verò periculo etiam periculum damnationis æternæ est minus, & magis remotum, & potest facilius haberi remedium. Quam differentiam etiam praxis declarauit, si

quidem non omnis sacerdos, sed tantum approbatus in periculo mortis absoluit, vt suo loco cum communi sententia dicetur. Vnde cum sit diuersa ratio in articulo, & periculo mortis debet etiam esse diuersa dispositio. *l. Si ita ff De manumis. test. & l. si seru. ff. de stat. lib. & l. Inter stipulantem. §. Sacram. ff. de verbor. obligat. & l. fin. ff. de ritu nupt.* & ideo ampliori fauore impertiendi erant constituti in articulo mortis, quàm constituti in solo periculo.

11 Ex dictis colligitur. Periculum quoque mortis aliud esse verum, & reale; aliud verò præsumptum; militat enim ratio eadem in ipso cum proportione, quæ militat in articulo mortis. Vnde verum periculum erit illud, quando re vera adsunt causæ, quæ mortem causare possunt. Præsumptum verò, quandò pensatis circumstantijs, prudenter iudicatur adesse tale periculum, quamuis fortasse non adsit. Et quia præsumptum à vero nō potest discerni, cum vtrumque secundum prudentem æstimationem attendendum sit, ideo præsumptum habebitur pro vero, vt dictum est etiam de articulo mortis.

12 Colligitur secundo contra Graf. *lib. 1. decis. cas. conscient. cap. 13. num.* 84. periculum mortis non esse distinguendum ab articulo mortis, quasi periculum solum sit illud, quando mors imminet ex nostro consilio, quia nullo cogente nos illi exponimus, vt cum prælium ingredimur, articulus verò mortis sit, quando mors imminet nobis inuitis. Quia siue mors immineat nobis inuitis, siuè ex nostro consilio, siuè ab intrinseco, ratione nempe infirmitatis; siue ab extrinseco, vt dum quis est damnatus per sententiam iudicis, aut ita vulneratus, vt breui censeatur esse moriturus, erit articulus mortis, si habeatur pro ineuitabili, vt notat etiam Bardus *in Bullam Cruciatæ par. 2. tract. 6. cap. 6. sect. 2. num.* 10. Periculum verò erit, quando mors non ita de propinquo imminet, nec ineuitabiliter, sed tantum probabiliter, siue ex causis naturalibus, siue extrinsecis, & violentis; siuè ex proprio consilio, siue nobis inuitis.

Quomodo iudicandum sit de periculo, & articulo mortis. quæst. 2.

S V M M A.

1 *Articulus, & periculum mortis habent latitudinem, & moraliter accipiuntur.*
2 *In dubio iudicandum adesse periculum, vel articulus mortis.*
3 *Quid agendum, si quis asserat se esse in periculo, vel articulo mortis, & adstantes oppositum iudicent?*

1 Tam mortis articulus, quàm periculum habet suam latitudinem; nam periculum potest esse maius, aut minus, prout magis, vel minus timetur imminere habita ratione causarum vnde sequi potest, & circumstantiarum; vnde maius periculum est quò ad eos, qui peste infecti sunt, quàm qui laborant febri, quantumuis graui, & maius quò ad eos, qui congrediuntur in bello cum hostibus, quàm qui se committunt periculosæ nauigationi. Sic etiam articulus mortis habet suam latitudinem, nam pensatis omnibus circumstantijs potest mors censeri magis, vel minus ineuitabilis, vnde magis ineuitabilis est in iis, qui in extremis laborant, & sunt destituti viribus, aut ob senectutem, aut ob diuturnam infirmitatem, quàm in iis, qui pollent viribus, si quidem vires faciunt, quod adhuc non desperetur omnino salus. Hinc articulus, atque periculum mortis debent considerari morali modo, & secundum latam quamdam æstimationem, dummodo prudenti modo fiat, vt inter alios notant Sà. *verbo*. Mortis *articulus num.* 1. Mancinus *in prax. visitan. infir. pract. 4. dub.* 3. Bard. *in Bullam Cruciatæ, par. 2. tract. 6. cap. 6. sect. 2. num.* 12. Lublinus *part. 2. sum. verbo*. Mors. *num.* 4. neque in hoc est aliqua difficultas.

2 Solùm dubitatur, quid agendum, quan-

quando pensatis omnibus circumstantijs non constat de articulo, aut periculo mortis, sed res adhuc dubia manet. Resp. quod tunc resoluendum est in fauorem articuli, seu periculi mortis. Ita Nauar. *in Manuali pralud.* 9. *num.* 9. & *cap.* 27. *num.* 280. Syluester *Verbo. Confessio*. 1. *num.* 6. *In verbo.* Mortis articulus, *num.* 1. Mancinus *in prax. visitan. infir. pract.* 4. *dub.* 3. Quod tamen limitandum est ad fauorabilia. Instans enim periculum reddit causam fauorabilem, & facit, quod multa concedantur, vt notat Roman. *in Repet. l. si verò. §. De viro num.* 71. *ff.* Soluto *matrimonio*. Vnde cum fauores ampliandi sint, extendendi sunt etiam ad articulum, vel periculum mortis dubium. Secus autem in odiosis, cum hæc debeant restringi, & afflictis non sit addenda afflictio. *l. Dinus. ff. de offic. præsid.* Adderetur autem afflictis afflictio, si odiosa extenderentur ad constitutos in articulo, vel periculo mortis etiam dubio.

3 Rursus si adstantes non iudicent adesse, articulum, vel periculum mortis, & qui laborat infirmitate asserat, se esse in articulo, vel periculo mortis quia sentiat se virtute destitui, credendum est ipsi. Ita Nauar. *Pralud.* 9. *Manual. num.* 9. Mancinus *in Pract. visitandi infirmos pract.* 4. *dub.* 3. *ver. Notandum*. Potest enim quisque melius, quàm ceteri iudicare de proprio statu, & multoties contingit, quod ex signis externis non appareat morbus, & interim intus consumat: vnde posset contingere, quod infirmus cum magno sui præiudicio destitueretur congruis remedijs, si ipsi fides non adhiberetur.

An periculum, & articulus mortis sint idem quò ad effectum absolutionis sacramentalis. quæst. 3.

S V M M A.

1 *An articulus, & periculum mortis sint idem in ordine ad absolutionem sacramentalem, & num.* 2.

2 *An in articulo, & periculo mortis militet eadem ratio in ordine ad absolutionem sacramentalem, & num.* 4.

3 *In articulo mortis, non autem in periculo quilibet sacerdos absoluit.*

4 *An ratio impulsiua priuilegiandi articulum, & periculum mortis sit eadem.*

4 *Ad limitationem causæ sequitur limitatio effectus.*

5 *Periculum, & articulus mortis an idem in iure quo ad omnia priuilegia.*

---

1 PRima opinio asserit, esse idem. Ita. Gomez *in Bullam Cruciatæ. Claus.* 16. *num.* 14. Molina *tom.* 4 *de iust. & iure disp.* 63. *num.* 15. Sanchez *lib.* 2. *Sum. cap.* 13. *num.* 1. Adrian. *in* 4. *quæst. de confes.* Ludouicus à Cruce *in Bullam Cruciatæ disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. *num.* 1 Suarez *in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 2. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 210. Trullench. *in Bullam Cruciatæ lib.* 1. §. 7 *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Bard. *in eandem Bullam par.* 2. *tract.* 6. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 14. Nauar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 272. Syluester *verbo* Confessio 1 *num.* 6. Armilla *verbo* Mors... Tolet. *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 2. Angelus *verbo*. Interdictum. *num.* 14. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 11. *num.* 3. Angles. *in Florib. par.* 1. *quæst.* 3. *de confess. ar.* 3. *difficul.* 1. *conclus.* 3. *in fine*. Paludan. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 2. *conclus.* 3. Zambran. *de Casib. occurrentib. temp. mor. pralud* 1. *num.* 7. Benzonus *in Speculo Episcop. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6. *conclus.* 2. Bellet. *in Disquisition. Cler. par.* 1. *tit. De disciplina cler.* §. 1. *num.* 52. Vasquez *de pænit. quæst.* 63. *ar.* 1. *dub.* 5. *num.* 2. Siluius 3. *par. quæst.* 8. *suppl. art.* 6. *ver. Porro.* Coriolan. *de casib. res. par.* 1. *sect.* 2. *ar.* 16. *num.* 3. Torrecillan. *lib.* 14. *prac. iur. spirit cap.* 6. *num.* 24. Bartholom. à S. Fausto *tract. de Pænit. quæst.* 37. ver. *Hæc verò sententia* Thomas del. Bene *de parlamen. sect.* 19. *subsect.* 35. *n.* 3. Duard. *in Bullam Cœnæ lib.* 3 §. 2. *quæst.* 2. Mancin. *in Pract. visit. infir. pract.* 4. *dub.* 2. ver. *Attamen.* Et alii plures quorum fundamentum est, quia in iure pro

vnc,

vno, & eodem sumuntur articulus, & periculum, vt præsertim in cap. *Eos, qui. De sentent. excommunicationis*; & quia militat eadem causa, nempe periculum damnationis æternæ, tàm in articulo, quàm in periculo mortis.

2 Secunda tamen sententia tenet, neque in ordine ad absolutionem sacramentalem esse idem periculum, & articulus mortis. Ita specialiter Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. ver. *Quæres autem*. Canus *Relect. de pænit. par.* 5. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *num.* 2. Zerola *in Praxi de Pænit cap.* 15. *quæsito* 7. Graf. *lib.* 1. *decis. cap.* 13. *num.* 64. Mandos. *in Praxi signat.* Tit. *Confessionale*. Couaruu. *in cap. Alma mater par.* 1. §. 11. *num.* 8. *in fine*.

3 Dicendum est. Quamuis aliqua priuilegia concernentia absolutionem sacramentalem sint communia tàm articulo, quàm periculo mortis, non tamen periculum, & articulus sunt omnino idem in ordine ad absolutionem sacramentalem. Prob. In articulo mortis quilibet sacerdos, etiam non approbatus est legitimus minister iuxta declarationem Concilii Tridentini. *sess.* 14. *cap.* 7. *de pænit.* absolutionis sacramentalis: non autem in periculo mortis, sed aduocandus est approbatus, etiam si sit absens. Sic mulier, quæ primo partitura est non potest à non approbato absolui, quamuis communiter censeatur esse in periculo mortis; sic etiam qui periculosam nauigationem est suscepturus, & idem de cæteris dicendum est, vt praxis testatur, ergo non sunt omnino idem in ordine ad absolutionem sacramentalem.

4 Ratio autem est, quia ratio impulsiua priuilegiandi articulum, & periculum mortis non est eadem in vtroque, sed maior in vno, quam in alio, si quidem periculum damnationis æternæ vrgentius se habet in articulo mortis, quàm in periculo. Rursus periculum mortis non est tale, quod ex natura sua excludat omne remedium ordinarium; sed si aliquando excludit, per accidens est, at articulus mortis ex natura sua aptum est excludere omne remedium ordinarium, & ideo debuit magis priuilegiari, ita vt prouideretur de omni remedio extraordinario possibili. Periculum autem solum exigit prouideri de illo remedio extraordinario, quod suppleret ordinarium, quod ab ipso ex natura sua excluditur. Prouisio namque fit secundum exigentiam causæ: & ideo cum causa impulsiua habeat in vtroque diuersam mensuram, & limitationem, debet etiam prouisio habere diuersam mensuram, & limitationem; siquidem ad limitationem causæ sequitur proportionata limitatio effectus. *l. ex facto*, §. *Item quaro. ff. de vulg. & pupil. substit. & l. In agris. ff. de acquir. rer. domin. & l.* 2. *ff. de seru, exper.* vbi Bald. & cap. *Ea noscitur. De sent. excommu.*

5 Et ex his soluitur quod pro opposita sententia allatum est. Non enim in iure sumuntur pro vno, & eodem periculum, & articulus mortis, vt constat ex dictis quò ad omnia priuilegia concernentia absolutionem sacramentalem, sed tantum quò ad aliqua, vt est cessatio reseruationis, de qua in illo textu, & in aliis. Nec militat eadem causa cum eodem modo, & eadem mensura, sed cum diuersa mensura, vt constat ex dictis *nu. præcedenti*, & ideo etiam priuilegia debent conuenire cum eadem mensura.

Quinam censeantur constituti in articulo, & periculo mortis. quæst. 4.

S V M M A.

1 *Qui nam sint constituti in articulo mortis ratione infirmitatis.*
2 *Qui nam ratione extrinsecarum causarum.*
3 *Duplex consideratio periculi mortis.*
3 *Periculum imminens licet nondum præsens, sufficit vt quis gaudeat priuilegijs &c.*
4 *An suscipientes nauigationem sint in periculo mortis.*
5 *An suscepturi periculosum iter.*
6 *An mulieres pregnantes, & proximè pariturae.*
7 *An quæ non patiuntur difficultatem in pariendo.*

An

8 *An damnati ad triremes.*
9 *An ij, de quibus dubitatur, quod incidant in amentiam, aut phrenesim.*
10 *An proximè inituri prælium.*
11 *An obsessi, & obsidentes, an milites quibus presto esse potest occasio pugnæ.*
12 *An banniti qui impunè possunt occidi. Et quid si habeant saluum conductum.*
13 *An qui habet inimicitias capitales.*
14 *Quæ nam sit capitalis inimicitia.*
15 *Inimicitia potentiorum dat iustam causam timendi.*
16 *An ij, de quibus probabiliter dubitatur, quod non sint amplius habituri occasionem fruendi priuilegijs censendi sint in articulo mortis.*
17 *An constituti in ætate decrepita.*
18 *Qui nam ratione infirmitatis censendi sint in periculo mortis.*
19 *An, qui se offerunt castrandos sint in periculo mortis.*

---

1 QVod spectat ad articulum mortis ij censendi sunt in ipso constituti, qui sunt morti propinqui, ita vt adsint causæ siue extrinsecæ, siue intrinsecæ, ex quibus breu mors inferenda expectetur. Ita docent Gabr. *num* 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. *ar.* 1. Sotus *dist.* 17. *quæst.* 4. *ar.* 4. ver. *Quares autem* Couarru. *cap. Alma mater. par.* 1. §. 11. *nu.* 8. ver. *Quod si mortuus* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ*. §. 9. *num*, 3. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 13. *num.* 1. D. Antonin. *par.* 1. *sum. tit.* 10. *de indulgen. cap.* 3. §. 5. Acosta *in Bullam Cruciatæ quæst* 71. Ludouicus à Cruce *in eamdi Bullam disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. *num.* 11. Trullench. *ibid. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Duard. *in Bullam Cœnæ lib*, 3. §. 2. *quæst.* 2. *num.* 3. & alii. Vnde pro infirmis hæc regula tenenda est, quod quando medicus incipit desperare de salute, incipiant esse in articulo mortis. Tunc enim incipiunt appropinquare morti, & proinde mors in ipsis est in fieri, cum iam appareant dispositiones, quibus homo disponitur ad dissolutionem inter animam, & corpus.

2 Quod autem spectat ad causas extrinsecas, ij censendi sunt constituti in articulo mortis, qui vel damnati sunt ad mortem per sententiam iudicis, vt notant Sotus. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 4. *num.* 4. Couarru. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 11. *num.* 8. ver. *Quod si mortuus.* Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 12. *num.* 1. Rodriquez *in Bullam Cruciatæ.* §. 9. *num.* 38. Trullench. *in eandem Bullam. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Floron. *de casib. reser. par.* 1. *cap.* 4. §. 20. *num.* 3. Rinal. *de casib. reser. cap.* 8. *num.* 7. Petrus Hurtad. *disp.* 84. *de Fide sect.* 8. *num.* 125. Bard. *in Bullam Cruciatæ part.* 2. *ar.* 6. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 10. Vel qui ita subiiciuntur externæ violentiæ, vt inde expectetur mors. Vnde necesse est, quod causæ extrinsecæ illatiuæ mortis sint circa ipsos specialiter, & determinatè applicatæ, & ordinatæ ad ipsorum vitam tollendam. Vnde non erit in articulo mortis quis ex eo, quod in prælio dimicat, quia causæ illatiuæ mortis non sunt circa ipsum specialiter applicatæ. *Ratio* autem est, quia dum causæ non sunt circa ipsum specialiter applicatæ, mors ipsius non est in fieri, & ideo licèt probabile sit, quod occidatur, non est in articulo mortis, sed solum in periculo.

3 Mortis autem periculum dupliciter considerari potest, vel vt præsens: vel solum vt imminens. Tunc est præsens, quando de præsenti adsunt causæ, quæ possunt inferre mortem, vt cum quis iactatur tempestate, aut graui morbo laborat. Tunc autem solum est imminens, quando de præsenti non adest, probaliter tamen potest adesse vt est tempestas, & naufragium respectu longæ periculosæ nauigationis. In iure autem sufficit periculum imminens, quamuis non sit præsens, vt quis fruatur priuilegiis eorum, qui constituuntur in periculo mortis, vt desumitur ex cap. *Ea noscitur*, & cap. *Quamuis*. *De sententia excommunicationis*. & notant communiter Doctores præsertim infracitandi.

4 *Primò ergo dubitatur*, an qui suscipiunt nauigationem censendi sint in periculo mortis. Et affirmatiuè respondetur cum communi sententia, si tamen nauigatio sit talis, vt probabiliter timeatur superuentura aliqua grauis tempestas

ſtas, quæ afferat præſens periculum mortis. Ita Io. de Medina *C. de pænit. tract.* 2. *de confeſ. quaſt. de temp. quo confiteri opor. caſu* 1. Gabr. *in* 4. *diſt.* 17. *quaſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. Armilla *verbo* Confeſſio. *num.* 6. Graſſis *de effect. clericat. effec.* 9. *num.* 153. Zambran. *de caſib. occurren. semp. mor. pralud.* 1. *num.* 2. Lublin. *in ſum. par.* 2. *verbo. Mors. num.* 4. Bellochius *de caſib. reſeruat. par.* 1. *quaſt.* 2. *num.* 130. Candid. *tom.* 1. *diſquiſit.* 3. *ar.* 4. *dub.* 1. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 7. Torreblan. *in pract. iur. ſpir. lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 26. Thomas del Bene *de parlam. dub.* 4. *ſubſect.* 35. *num.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. Facundez *in Decal. Pracep.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. Sanchez *li.* 2. *ſum. cap.* 13. *num.* 3. Mancinus *in pract. viſit. inſtr. pract.* 4. *num.* 4. Bellet. *in diſquſit. Cler. Tit. de diſp. cler.* §. 1. *num* 52. & alii, & habetur ex *l. Mortis cauſa ff. de donat. cau. mor.* Cum ergo debeat probabi iter imminere periculum mortis, ſequitur, quod non quæcunque nauigatio ſit ſufficiens, vt conſtituat in periculo mortis, ſed illa ſolum, quæ regulariter eſt obnoxia tempeſtatibus. Vnde nauigantes in triremibus non ſunt in tali periculo, quia frequenter portus intrant, & tutò nauigant, ita vt non ſe committant nauigationi, vbi adeſt periculum. Sic nec etiam, qui nauigant in magnis nauibus, tum quia rarò ſubmerguntur, tum quia ſolent obſeruare tempus congruum nauigationi, tum quia ſi immineat periculum ſubmerſionis ſolet in huiuſmodi nauibus adeſſe confeſſarius, à quo poſſint abſolui. Quare tunc ſolum nauigaturi videntur ſe exponere periculo mortis, quando ſe committunt mari procelloſo, ita vt probabiliter timeatur mors, aut longam nauigationem ſuſcipiunt, in qua non ſint habituri copiam confeſſari, quia tunc, ne inſurgente periculo mortis careant beneficio ſacramentalis confeſſionis, fruentur priuilegio eorum, qui ſunt in periculo mortis.

5 Secundò dubitatur, an qui ſuſcepturi ſunt periculoſum iter, cenſendi ſint in periculo mortis. Et affirmatiuè reſpond. vt deſumitur ex. *l. Aut per inſidioſa ff. de donat. cau. mor.* dummodo tamen mors probabiliter timeatur, vt ſi iter ſit obſeſſum à predonibus, hoſtibus, & in mari à pyratis. Ita Gloſ. *in cap. Paſtoralibus*, §. *praterea*, verbo. *Præterquam. de offic. ordinar.* Couaruu. *cap. Alma mater. par.* 1. § 11. *num.* 8. Graſsis *de effect. Cler, eff.* 9. *num.* 153. Molina, *tom.* 4. *de iuſt. & iure, diſp.* 63. *num.* 5. Syluester *verbo*. Abſolutio 1. *num.* 10. Sayr. *lib.* 2. *Theſauri, cap.* 20. *num.* 28. Vgolin. *de cenſur. Papa reſer. par.* 3. *cap.* 2. Belloch. *de caſil. reſer. par.* 1. *quaſt.* 2. *num.* 138. Trullench. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 2. Lublin. *par.* 2. *ſum. verbo*, Mors. *num.* 4. Zambran. *de caſib. occurrent. temp. mor. praLud.* 1. *num.* 3. & alii. Cum enim in tali itinere probabiliter timeatur inuaſio, immineat aggredienti periculum mortis, vt habetur ex *l. Hac enim ff. de donat. cau. mor.*

6 Tertiò dubitatur de prægnantibus. Et communiter conueniunt, quod prægnans, quando eſt primò proximè paritura, ſit in periculo mortis, quia meritò timeri poteſt mors cum plures in primo partu pereant. Aut ſi aliàs peperit, experta eſt ſe cum periculo parere, quia iam experientia comprobat periculum. Ita Panorm. *in cap. Paſtoralis*, §. *Praterea*, *num.* 3. *de offic. ordin.* Ioan. Andr. *ibid.* Couaruu. *cap. Alma mater. par.* 1. §. 11. *num.* 8. ver. *Tertiò in hac controuer.* Syluester *verbo* Abſolutio 1. *num.* 10. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 13. *num.* 4. Bellet. *de diſquiſ. cler.* §. 1. *num.* 53 Sayr. *lib.* 2. *Theſau. cap.* 20. *num.* 18. Molina *tom.* 4. *de iuſt. & iure diſp.* 63. *num.* 5 Lublinus *in ſum. verbo*, Mors. *num.* 4. Alterius *de cenſur. lib.* 1. *diſp.* 6. *cap.* 6. Duard. *in Bullam Cana lib.* 2. §. 2. *quaſt.* 2. *num.* 7. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. Rodriquez *in Bullam Cruciata*, §. 9 *dub.* 3. Zambran. *de caſib. occurren. temp. mor. Pralud.* 1. *num.* 2. Benzonus *in ſpeculo Epiſcop. lib.* 1. *diſp.* 1. *quaſt.* 6. *concluſ.* 2. Facundez *in* 1. *pracep. Decal. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. Mancin. *in pract. viſitan. inſtr. pract.* 4. *dub.* 3. ver. *Item parturientes*, Bonac. *de cenſur. in Bullam Cana diſput.*

spes. quæst. 22. punc. 2. num. 6.

7 Sed difficultas est, an omnes prægnantes proximè parituræ censendæ sint in periculo mortis. Affirmant Panormitan. Molina. num. præced. citati Syluester verbo. Confessio. 1. quæst. 10. Belloch. De casib. reser. par. 1. quæst. 2. num. 129. Hurtad. Disp. 84. de fide sect. 8. §. 126. & alii Recentiores. Quia quælibet prægnans licèt assueta fæliciter parere, adhuc potest poni in periculo, vel quia habeat gemellos in ventre, aut partum maiorem solito, aut quia in partu potest aliquid euenire, vnde causetur mors. Verum nimis ampliant mortis periculum, quia prædicta accidentia raró admodum habent locum in ijs, quæ assuetæ sunt fæliciter parere, quando autem rarò sequitur mors, non censetur imminens periculum mortis, vt constat ex supradictis. Et ideo oppositum docent Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 4. Facundez in Præcep. Decal. lib. 1. cap. 16. num. 5. in fine. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. ar. 5. Graf. par. 1. decis. lib. 1. cap. 11. num. 7. Laiman lib. 5. Theol. mor. tr. 6. cap. 12. num. 13. Tanner. tom. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 3. num. 74. Finel. de casib. reser. cap. 8. num. 8. Floron. de casib. reser. par. 1. cap. 4. §. 20. num. 4. Benzonus, & Bonac. num. præcedent. citati Duard. in Bullam Cana lib. 3. §. 2. quæst. 2. num. 7. Posseuin. de offic. cur. cap. 7. num. 87. Gaspar. Hurtad. de sacram. pænit. disp. 10. difficul. 9. Trullench. lib. 1. in Bul. Cruc. §. 7. cap. 2. dub. 4. num. 5. Diana par. 3. num. 4. resol. 72. in fine; Limitanda tamen est hæc doctrina, vt non habeat locum in ea, quæ licet assueta sit fæliciter parere; de præsenti tamen subest talibus circumstantiis, vt rationabiliter timeatur mors.

8 Quartò dubitatur, an damnati ad triremes sint in periculo mortis. Affirmat Sà verba. Absolutio. num. 4. Sed hanc opinionem reiiciunt Sanchez. lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 4. Facundez in 1. præcep. Decal. lib. 1. cap. 16. num. 5. Trullench. in Bul. Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 8. num. 5. Barthol. à S. Fausto lib. 6. de pænit. quæst. 37. ver. Ex quo Quia periculum est valde remotum, & triremes sæpe accedunt ad portum; imò in ipsis solet adesse Sacerdos, qui, quando opus est, confessiones excipiat. Si tamen damnatus ad triremes esset debilis complexionis, aut egritudine aliqua habituali teneretur, vnde addita pœna, quam substinet, timeretur mors, censendus esset in periculo mortis. Item si esset instituenda longa, aut periculosa nauigatio nam tunc ratione talis occasionis censeretur in periculo mortis, vt notat Duar. lib. 3. in Bul. Cenæ §. 2. quæst. 2. num. 5. ver. Nihilominus. Hurtad. disp. 84. de fide. sect. 8. §. 126.

9 Quintò dubitatur de iis, de quibus suspicio est, quod incidant in amentiam. Et censendos esse constitutos in periculo mortis, docent Medina C. de pænit. tract. 2. quæst. de tempor. quo constit. oper. Zambran. de casib. occur. tempor. mor. prælud. 1. num. 9. ver. Quod dicitur. Lucian. lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 12. num. 13. ver. His adde. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 2. Trullench. lib. 1. in Decal. capit. 3. dub. 7. num. 2. Quod profectò verum est, quia amentia est mors hominis quò ad partem rationalem, ita vt priuet ipsum vita rationali, & humano modo operandi, & solum relinquat vitam animalem. Et ideò in hoc casu valde timendum est, & pars tuta eligenda, quia si semel superuenit amentia, iacta est alea. Et hoc habet locum, etiam si non timeatur amentia perpetua, sed tantum quò ad tempus, vt notant Doctores citati, quia fieri potest, quod contingat mors tempore amentiæ, aut quod perpetua fiat, quamuis aliàs soleat esse ad tempus. Et proinde, quando dubitatur, quod infirmi incidant in phrenesim, quamuis ratione morbi non sint nisi in periculo mortis, censendi tamen sunt in articulo mortis, quia phrenesis est mors quò ad vitam rationalem, vt dictum est.

10 Sextò dubitatur de iis, qui de proximo inituri sunt prælium cum hostibus. Et hos quoque censendos esse in periculo mortis, docent communiter.

Pasqual. B Ita

Ita Glos. *in cap. Pastoralis*. *verbo*. Præterquam. *De offic. ordin.* vbi & cæteri Doctores Couarru. *cap. Alma mater.par.* 1. §. 11. *num.* 8. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure disp.* 63. *num.* 5. Ripa *de actis in ar. mor. cap.* 35. *num.* 1. Belloch. *de casib. reser. par.* 1. *quæst.* 2. *num.* 126. Candid. *tom.* 1. *disquisit.* 3. *art.* 9. *dub.* 1. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 2. Grassis *de effect. cler. cap.* 9. *num.* 153. Sayr. *lib.* 2. *thesauri*. *cap.* 20. *num.* 28. Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 1. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 3. Duar. *in Bullam Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. Alterius *de censur. lib.* 1. *disp.* 6. *cap.* 6. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 13. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. Bellet. *in Disquisit. Cler. tit. de discipl. cler.* §. 1. *nu.* 52. Mancin. *in pract. visit. infir. pract.* 4. *dub.* 3. ver. *Item qui*. Zambran. *de casib. occurren. semp. mor. prælud.* 1. *nu.* 3. Contra Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 8. qui vult non esse in periculo mortis, sed si incepto prælio adsit periculum, verti in mortis articulum. Sed cum in quolibet prælio plures moriantur, & vnusquisque timere possit de seipso rationabiliter, omnes censentur in periculo mortis.

11 Et hoc locum habet etiam in obsidionibus, tàm quò ad obsidentes, quàm quò ad obsessos, vt notant iidem Doctores, quia in his quoque debent vtrinquè esse parati ad prælium, cum ex improuiso possint obsidentes duci ad aggressionem, aut possint ab obsessis impeti, & vtrinque plures occasiones præliandi oriri possint. Et hoc extendendum est etiam ad obsessos, quamuis non sint destinati ad præliandum, nam adhuc obnoxii sunt periculo mortis cum possint interire ex improuiso, aut ictu bombardarum, aut iactu bombarum, aut ab hostibus capta vrbe occidi. Imo in eodem periculo censendi sunt milites, quãdo præsto habent occasionem ineundi velitationes cum hostibus vicinis, nam fieri potest, quod ex improuiso congredi cum ipsis oporteat, & proinde parati esse debent. Atque idem dicendum est etiam de nauigantibus, quando fieri potest, quod in nauigatione obuios habeant hostes, cum quibus congrediendum sit, nam tunc occasione pugnæ omnes, qui sunt in naui, obnoxii sunt mortis periculo.

15 Septimò dubitatur de bannitis, qui impunè occidi possunt. Et hos quoque esse in periculo mortis, censendum est, vt docent Vgolinus *de potest. Episcopi*. *cap.* 15. §. 8. *num.* 9. ver. *Imo à quocumque* Nauar. *consil.* 24. *de sent. excom.* Bartholom. à S. Fausto *tr. de pœnit. lib.* 6. *quæst.* 37. ver. *Ex quo*. Floron. *de casib. reser. par.* 1. *cap.* 4. §. 8. *num.* 9. Belloch. *de casib. reser. par.* 1. *quæst.* 2. *num.* 133. Naldus *verbo*. Absolutio *num.* 4. Margarita *verbo*. Absoluere. *ver.* Absolui *à quocumque* Homobon. *par.* 1. *Examin. Ecclesias. cap.* 3. *quæst.* 27. Sunt enim cædi destinati, & habent promotores occisionis, & proinde sunt in continuo periculo mortis. Limitant tamen hanc dotrinam citati Doctores, vt non habeat locum, quando bannitus habet saluum conductum, quia tunc censetur liberatus à periculo mortis. Verum hæc limitatio non potest absolutè subsistere, quia contingit occidi etiam ex iis, qui habent saluum conductum. Et ideo, si sciat, quod habeat insidiatores vitæ, & quod Princeps, à quo fuit bannitus, quærat caput ipsius, non obstante saluo conducto censendus erit in periculo mortis. Odium namque hominis potentis sufficit ad constituendum in periculo mortis. *l. Aut mortis causa*. *ff. de donat. mort. cau.*

13 Octauò dubitatur de eo, qui habet inimicitias capitales, an sit in periculo mortis. Et affirmatiuè respondendum est, vt desumitur ex cap. *de catero*. & cap. *Quamuis*. *De sentent. excommunicat.* & tradit Abbas *in dict. cap. de catero*. *num.* 3. Beller. *in disquisit. cler. Tit. de fauor. cler.* §. 3. *num.* 13. Inimicitia namque capitalis inducit probabile periculum mortis, quia possunt timeri insidiæ.

14 Quæ autem sit inimicitia capitalis, concludunt communiter Doctores,

re-

remittendum id esse arbitrio iudicis. Ita Granat. *consil.* 57. *num.* 9. Menoch. *de arbitr. casu* 112. *num.* 3. Paris. *de resignat. lib.* 5. *quæst.* 3. *num.* 298. Plures autem causæ, ex quibus præsumuntur oriri capitales inimicitiæ, recensentur à Menochio *lib.* 3. *præsumpt.* 37. *num.* 26. *& sequent.* Farinac. *in Praxi crimin. quæst.* 49. *num.* 2. *& sequent.* Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 16. *ar.* 3. Gigan. *de crimine læsæ maiest. lib.* 2. Tit. *Qu mo do, & per quos crim. læ. maiest. prob. quæst.* 2. apud quos plenè hoc declaratur. Quod autem spectat ad casum præsentem, generaliter illa censenda est inimicitia capitalis, quando prudenter iudicatur, quod inimicus sit insidiaturus vitæ, quod ex inimici qualitate, & aliis circumstantiis decernendum est.

15 Quia autem inimicitia potentiorum, & factiones dant causam iustam timoris, vt docent Bart. *in l. sciendum.* §. *si accusatio. ff. De legation.* Afflict. *decis.* 29. *per totum.* Felin. *in cap. Accedens.* 2. *num.* 4. *Vt lite non contest.* Francis. March. *decis.* 883. *num.* 4. Sfortia Oddus *de rest. in integr. par.* 1. *quæst.* 7. *num.* 90. *&* 91. Ideo in casu, quod quis haberet talem inimicitiam, censendus esset habere inimicitiam capitalem, atque adeo esse in periculo mortis.

16 Nonò dubitatur de ijs, de quibus probabiliter iudicatur, quod in tempore sequenti non sint habituri facultatem fruendi priuilegijs concessis constitutis in periculo mortis, præsertim quò ad absolutionem sacramentalem. Et hos quoque censendos esse constitutos in periculo mortis quò ad huiusmodi beneficia docet Duard. *in Bul. Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. *num.* 18. vt sunt ij, qui procedunt ad loca infedelium, aut quando probabiliter timetur captiuitas apud eosdem infedeles. Quia enim tunc moraliter censetur adesse vltimum tempus, in quo hi frui possint huiusmodi priuilegijs, ideo per æquipollentiam habetur pro periculo mortis, siquidem probabile est, quod his mors superueniat absque vlteriori possibilitate ad percipiendum fauorem horum priuilegiorum.

17 Decimò dubitatur de constitutis in ætate decrepita. Quos constitutos esse in periculo mortis, tenendum est, vt docent Rebuf. *in Praxi benef. in explicat. Bul. cænæ.* verbo, *Mortis* Lublin. *par.* 2. *sum. verbo. Mors num.* 4. Didacus de Narbona *in annalib. iur. an.* 80. *quæst.* 6. *num.* 3. plura allegans, & deciditur in *l. Aut ætate.* & *l. sequenti ff.* de *donat. mort. causa*, & desumitur etiam ex cap. *Quod de his.* & cap. *Quamuis. De senient. excommunicat.* vbi senilis ætas decrepita priuilegiatur, sicuti mortis periculum imminens. Ratio autem est, quia decrepiti non solum ratione ætatis, sed etiam ratione virium paulatim deficientium tendunt præcipites in mortem, vnde censentur parum abesse, & proinde constituti in periculo breui moriendi.

18 Denique ratione infirmitatis ii omnes censendi sunt esse in periculo mortis, qui tali morbo premuntur, ex quo plures solent interire, siue morbus sit ex naturalibus causis, siue ex violentis, vt est vulnus, percussio &c. Ita Panorm. *in cap. Pastoralis.* §. *præterea. nu.* 3. De *offic. ordin.* Nauar. *in Manual. cap.* 26. *num.* 9. Syluester *verbo*, Confessio 1. *num.* 8. Couaruu. *cap. Alma mater. par.* 1. §. 11. *num.* 8. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure disp.* 63. *num.* 5. Sayr. *lib.* 2. *thesauri. cap.* 20. *num.* 28. Vgolin. *de censur. Papæ reser. par.* 3. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 1. Alterius *de censur. lib.* 1. *disp.* 6. *cap.* 6. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 1. Bonac. *de censur. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 3. Duard. *in Bullam Cænæ. lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. *num.* 4. Facundez *in* 1. *præcep. decal. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. Coriolan. *de casib. reser. par.* 1. *sect.* 2. *ar.* 16. *num.* 2. Sà *verbo*. Mortis articulus *num.* 1. Mancin. *in prac. visit. infin. pract.* 4. *dub.* 3. ver. *Nonnullos.* Io. Medina C. *de pænit. ar.* 2. *quæst. de temp. quo consit. opor.* Gabr. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. *ar.* 3. *dub.* 1. *casu* 1. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 19. §. 2. Angel. *verbo* Confessio. 1. *num.* 30. Armilla *ibid. num.* 6. Zambran. *de casib. occurren. temp. mor. prælud.* 1. *num.* 4. Alcozer. *in sum. cap.* 9. Henriquez *lib.*

6. *cap.* 9. *num.* 1. Torreblan. *in pract. iur. spirit. lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 27. Cum enim plerunque ex tali infirmitate, seu frequenter mors sequatur, habetur sufficiens fundamentum statuendi, quod infirmitas contineat periculum mortis. Hinc etiam, si quis debeat subijci alicui periculosæ incisioni, quamuis morbus non contineat periculum, censendus est constitutus in periculo mortis, cum ratione incisionis sit periclitaturus.

19 An autem, qui se offerunt castrandos, censendi sint exponi periculo mortis. Partem affirmantem videtur tenere Sayr. *lib.* 2. *Thesauri. cap.* 20. *num.* 28. qui tamen subdit, non gaudere priuilegiis in ordine ad absolutionem sacramentalem, quando voluntariè se offerunt pro conseruanda voce. Secus autem, si coactè, & ex necessitate. Sed quicquid de hoc sit, existimo non exponi periculo mortis, quia his temporibus castratio tàm facilis est, vt nullum contineat periculum, vnde ex hoc capite non poterunt frui priuilegiis eorum, qui constituuntur in periculo mortis.

An qui sunt in loco infecto pestilentia censendi sint constituti in periculo mortis. Quæst. 5.

S V M M A.

1 *Peste correptus est in periculo mortis.*
2 *An sit propriè infirmus.*
3 *Quid sit infirmitas.*
3 *An existens in loco pestilentia infecto, sit in periculo mortis antequam peste corripiatur.*
3 *In loco peste infecto non possunt non approbati absoluere nondum peste correptos.*
4 *Qui asserunt esse in periculo mortis.*
5 *Peste grassante quale sit periculum.*
6 *Iurans accedere ad aliquem locum, excusatur, si ibi pestis superueniat.*
7 *An posse absolui à non approbato conueniat omnibus constitutis in periculo mortis.*

1 QVod ij, qui iam pestilentia correpti sunt, sint in periculo mortis, concordant communiter Doctores. Ita specialiter Laiman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 15. Capeauil. *de administr. Sacram: temp. pest. cap.* 1. *quæst.* 1. §. 8. *& quæst.* 14. Bartholom de Pisis. *tract. de pestil. init.* Doctores Bononiens. *tract. de peste par.* 1. *quæst.* 10. apud Gomez *in Reg. cancellar. de infir. resign. quæst.* 9. Homobon. *par.* 3. *exam. eccles. tract.* 15. *cap.* 8. *quæst.* 25. *quæsito.* 2. Ripa *tract. de peste. Tit. de priuil. vlt. volun. cau. pes. num.* 8. circa med. Corneus *consil.* 131. *num.* 5. *lib.* 2. Actius. *de infirm. par.* 1. *cap.* 23. *num.* 2. & alij, Pestilentia namque est morbus natura sua lethalis, itaut plures sint, qui ex ipso intereant, quam qui euadant.

2 Nec rectè, Gomez, & Actius *citati* asserunt esse quidem in periculo mortis peste correptum, non tamen esse proprie infirmum, sed solum per fictionem habito respectu ad periculum imminens mortis. Nam cum infirmitas sit illa, qua elementorum, seu humorum concordia, & temperamentum turbatur, & caro afficitur, & dissoluitur. Cap. *Illud*. §. *Sed carnis*. 15. *quæst.* 1. *& l.* 1. §. *sed sciendum. ff. de ædilit. edic. & l. Quæsitum. ff. de re iudic.* et notant Menoch. *de arbitr. casu* 60. *num.* 16. Medices. *tract. Mors om. sol. par.* 1. *num.* 133. Actius *de infirmit. par.* 1. *cap.* 1. *nu.* 5. Sequitur, quod pestis sit infirmitas propriè dicta, quia licet procedat ex aeris, aut nutrimentorum infectione; adhuc tamen ex his causis alteratur temperamentum corporis, et concordia humorum, ita vt paulatim tendant ad dissolutionem, vt apertissimè constat non solum ex febri, sed etiam ex transmissione humorum, quæ fit in extremas partes corporis per tubera, et pustulas.

3 Dubium autem est, an qui nondum peste correpti sunt, sed sunt in loco pestilentia infecto, censendi sint in periculo mortis. Et negatiuam sententiam tradit. Benzon. *de fuga. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6. *conclus.* 1. ver. *Syluester tamen in fi.* Cuius fundamentum est, quia, vt praxis declarat, non possunt Sacerdotes

tes non approbati ab Ordinario tempore pestis absoluere eos, qui nondum sunt peste correpti, nisi in defectum omnium approbatorum. Si autem essent in periculo mortis, possent absolui, quia periculum mortis, et articulus mortis in iure æquiparantur.

4 Affirmatiuam verò sententiam, nempe esse in periculo mortis, quando nimirum pestilentia grassatur, tradunt Corneus *consil.* 131. *num.* 5. *lib.* 4. Ripa *tract. de peste*. Tit. *de priuileg. vlt. volun. cau. pest. num.* 8. Homobon. *par.* 3. *Examin. eccles. tract.* 15. *quæst.* 21. *& Respons. moral.* 201. *de sacram. vol.* 2. Marchin. *de Bello diuino*, *par.* 3. *cap.* 3. *num.* 4.

5 Et hanc posteriorem sententiam existimo probabiliorem, quando pestis grassatur, ita vt notabilis numerus pereat. Tunc enim quis censetur esse in periculo mortis, quando est in eo statu, in quo plures perire solent, si quidem facile est, quod ipse quoque pereat. Ex iis autem, qui sunt in loco infecto pestilentia, quamuis nondum peste correpti sint, plures, et plures perire solent, quia stante contagione morbi facilè corripiuntur, et pereunt, vt experientia patet, cum videamus plures sanos, et in quibus nullum vestig'um morbi repetitur, de repente correptos peste breui interire.

6 Hinc fit, quod ob periculum vitæ, quod subeunt habitantes in loco peste infecto, cesset obligatio iuramenti, quo quis iurault se iturum ad talem locum, si ibi superueniat pestis, vt notant Salicet. *in l. fin. C. de pactis*. Seraphin. *de priuileg. iuram. priuileg.* 74. *num.* 6. Et quod sola suspicio pestis operetur, vt pestis, notant Riminal. iun. *consil.* 404. *num.* 52. *lib.* 4. Actius. *De infir. cap.* 23. *num.* 15. vbi autem est pestis, etiam nondum infectis est suspicio pestis, atque adeo facit, quod censeantur tanquam peste infecti.

7 Nec obstat ratio in oppositum, nam non sequitur, quod eo ipso, quod quis est in periculo mortis, possit absolui à quocunque sacerdote non approbato, nam hoc tantum iis conceditur, qui sunt in tali periculo, vt mors iam vrgere credatur, et ineuitabiliter imminere: nón autem constitutis in quocunque periculo, nam prægnantes prima vice parituræ vrgente tempore partus sunt in periculo vitæ, sicut etiam iter facturi per loca periculosa; qui habent inimicitias capitales. et alii plures, de quibus dictum est, etiam cum communi sententia, in præcedentibus, et tamen non possunt absolui, nisi ab approbato.

An si quis sponte se ponat in periculo mortis, censendus sit constitutus in periculo ad effectum fruendi priuilegijs &c. Quæst. 6.

SVMMA.

1 *Sponte se constituens in periculo mortis, quando est iam constitutus & periculum præsens est, fruitur priuilegijs &c.*

2 *Quid antequam præsens sit periculum, & numero 3.*

3 *Priuilegia concessa constitutis in periculo mortis, non requirunt, quod ex necessitate constituantur in ipso periculo.*

4 *Ratio finalis priuilegiorum militat, tam in iis, qui ex necessitate, quàm qui sponte constituuntur in periculo mortis, atque adeo etiam eadem iuris dispositio.*

5 *Sponte constituendus in periculo mortis an habeatur pro constituto.*

---

1 Conueniunt ferè communiter, quod etiam si quis sponte, et absque causa se exponat periculo mortis, quando iam periculum præsens est, ita vt iam in ipso versetur, possit frui priuilegiis eorum, qui in tali periculo constituuntur. Ita præsertim. Duard. Trullench. et alii ex infra *citandis*. Vnde solum remanet dubium, an si quis absque necessitate, et sponte se exponat periculo mortis, vt si absque necessitate ingrediatur prælium, censendus sit in periculo

riculo mortis ad effectum fruendi priuilegiis,

2 Et negatiuè respondent Corduba *in sum. quæst.* 18. *par.* 2. *dist.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 13. *num.* 3. Trullench. *in decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 3, *& in Bullam Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 6. Duard. *in Bullam Cænæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. *num.* 16. Palaus *par.* 1. *oper. mor. tract.* 4. *disp.* 4. *punc.* 3. §. 5. *num.* 2. *in fine*. Bardus *in Bullam Cruciatæ par.* 2. *tract.* 6. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 16. *in fine*. Quorum fundamentum est, quia qui se sponte, et absque necessitate exponit periculo, non est constitutus in periculo, sed ipse se constituit, et est in sua potestate non subiici tali periculo.

3 Oppositum autem, nempe censendos esse constitutos in periculo mortis quò ad effectum fruendi priuilegiis, etiam si sponte, et sine necessitate se exponant periculo, tenet Laiman *lib.* 5. *Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 6. *capit.* 12. *num.* 13, ver. *His adde in fine*. Bartholom. à S. Fausto *tract. de pænit. lib.* 6. *quæst*: 37. ver. *Tum quia hoc priuilegium* Thomas del Bene *de parlam. dub.* 4. *subsect.* 35. *num.* 5. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, quia in priuilegiis, quæ conceduntur pro constitutis in periculo mortis, non requiritur, quod vrgente necessitate sint constituti in ipso, sed absolutè conceduntur sine vlla conditione, et limitatione. Vnde cum habeant locum etiam antequam periculum præsens sit, dummodo tamen rationabiliter timeatur super venturum, quando non aderit commoditas fruendi dictis priuilegijs, habebunt locum siue quis coactè, siue sponte, et sine necessitate se exponat, quia cum simus in fauorabilibus, priuilegia amplianda sunt, non autem restringenda, præcipuè quando concessa sunt à Principe.

4 Quod amplius confir. Etiam qui sponte subit periculũ mortis, continetur sub verborum significatione ipsorum priuilegiorum, cum priuilegia sint concessa pro ipsis absolutè, et indistinctè, nec distinguant inter eos, qui ex necessitate, aut sponte subeunt pericula, et ratio finalis priuilegij militat æquè in omnibus siue sponte, siue ex necessitate se exponant. Ergo etiam in vtrisque habebit locum priuilegium, quia vbi est eadem ratio, est etiam eadem iuris dispositio. §. *si igitur*. Instit. *quod cum eo*. *& l. Illud. ff. Ad leg. Aquiliam. & l. Si postulauerit*. §. 2. *ff. Ad leg. Tul. de adulter*. Quod autem militet eadem ratio ex eo constat, quia priuilegia sortiuntur eumdem finem in vtrisque, in quibus etiam adest eadem ratio impulsiua, si quidem periculum, cui subijciuntur, ponit in vtrisque eamdem indigentiam.

5 Nec obstat quod in oppositum allatum est, quia priuilegia concessa intuitu periculi mortis tàm communia sunt constitutis in ipso periculo, quàm proximè constituendis, si tamen, quando erunt iam constituti in periculo, erunt in tali statu, vt nequeant frui priuilegiis. Quod autem ex necessitate, vel sponte constituendi sint, non sunt rationes trahentes, vel impedientes participationem priuilegii. Et si coactè constituendus moraliter habetur pro constituto, habebitur etiam sponte constituendus, quia ideo ille habetur pro constituto, quia quando erit constitutus non poterit frui priuilegiis, quod æquè militat et in isto.

An articulus mortis constituat hominem in extrema, seu graui necessitate spirituali. Quæst. 7.

S V M M A.

1 *Articulus mortis non constituit de se in extrema, aut graui necessitate.*
2 *In articulo mortis quisque potest saluari mediante contritione.*
3 *An possit dici quod constitutus in articulo mortis habeat gratiam solum pro attritione, non autem pro contritione.*
3 *Deus impossibilia non iubet.*
4 *Quid, si Deus in pœnam peccati denegaret gratiam*

4 *tiam in articulo mortis.*
5 *Quomodo articulus mortis per accidens inducat extremam necessitatem.*

1 Dicendum est Articulum mortis non constituere de se hominem in extrema, aut graui necessitate spirituali in ordine ad auxilium humanum sed tantum posse constituere per accidens. Ita Benzonus *de fuga lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. ver. *Articulus enim mortis*. Actius *de infirmitate par.* 1. *cap.* 15. *num.* 16. Facundez *in præcep. Decal. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 5. et alii in sequent. citandi.

2 Ratio autem est, quia licet sit constitutus in articulo mortis, potest sine sacramentis per solam contritionem saluari, est autem in potestate ipsius habere contritionem cum gratia Dei; et proinde non est in extrema necessitate, quia nemo constituitur in extrema graui necessitate, quando medium se subtrahendi ab ipsa est in manu ipsius.

3 Dices posse fieri, quod non habeat gratiam, sed tantum pro attritione, quæ cum non sufficiat, nisi cum sacramento, erit in extrema necessitate in ordine ad administrationem sacramenti. Resp. Hoc dici non posse, quia si non habeat, qui sacramenta administret, vrget præceptum contritionis, quia tunc est medium simpliciter necessarium ad salutem, tenemur autem ponere media, quæ sunt absolutè necessaria ad salutem. Cum autem adsit præceptum contritionis, Deus dat gratiam sufficientem pro ipsa, quia, vt definit Tridentinum sess. 6. cap. 11. ibi. Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere, quod non possis, et adiuuat, vt possis.

4 Dices 2. Fieri posse, quod Deus deneget hanc gratiam in pœnam peccatorum præcedentium, et proinde tunc adesse extremam necessitatem. Resp. neque hoc dici posse. Quia, si Deus deserit in pœnam peccatorum relinquens hominem tamquam obstinatum in peccato, neque etiam dabit gratiam pro illis actibus, qui cum solo sacramento sufficiunt; vnde erit in necessitate, à quà neque per auxilium humanum mediante administratione sacramentorum poterit subleuari. Deinde neque ex hoc arguitur, quod articulus mortis afferat secum extremam necessitatem de se, sed tantum per accidens.

5 Solum ergo per accidens potest extrema necessitas coniungi cum mortis articulo; vt si infans, nondum baptizatus sit in articulo mortis; cum enim non sit in potestate ipsius actus contritionis, solum mediante baptismo potest saluari, qui cum non sit in potestate ipsius, habebit extremam necessitatem ministerij alieni. Sic etiam sic adultus sit in peccato mortali, et dum dormit accedat quis eum occisurus, erit in extrema necessitate, quia cum non aduertat periculum mortis, nec etiam potest sibi prouidere de medio necessario contritionis, et alij huiusmodi casus accidere possunt, in quibus articulus mortis habeat per accidens annexam extremam necessitatem.

An quando articulus mortis habet annexam grauem difficultatem pro vitanda damnatione æterna inducat extremam necessitatem. Quæst. 8.

S V M M A.

1 *An quando quis non potest saluari, nisi cum graui difficultate sine auxilio alieno, sit in extrema necessitate.*
2 *Magna difficultas comparatur impossibilitati.*
2 *Quæ necessitas obligat sub præcepto ad subueniendum.*
3 *Quando quis censendus in extrema necessitate.*
4 *Quænam sit extrema necessitas.*
5 *Quando grauis difficultas comparetur impossibilitati.*
6 *Adultus rudis in articulo mortis nesciens elicere actum contritionis an sit in extrema necessitate alieni auxilij.*

Gra-

9 *Gratia agit voluntates humanas, & docendo facit elici quoscunque actus.*

---

1 QVod sit extrema necessitas, quando non potest quis, nisi cum graui difficultate vitare damnationem æternam tenent Suarez *De fide, spe, & charit. disp.9. sect. 2.num.* 3. Azor. *par. 2. lib. 12. cap. 4. ver. Tertio loco.* Tolet. *lib. 4. cap. 10. num. 2.* Bannes *in 2. 2. quæst. 26. ar. 5.* Lorca *disp.* 28. *num. 32.* Valent. *tom. 3. disp. 3. quæst. 4. punc. 3. ver. Primus casus* Filliuc. *tom. 2. tract. 28. num. 32.* Palaus *par. 1. Oper. mor. tract. 6. disp. 1. punct. 9. num. 1. ver. Secundo præmitto.* Baldel. *tom. 2. Theol. moral. lib. 2. disp. 19. nu. 9.* Quorum fundamentum esse potest, quia magna difficultas comparatur impossibilitati, et ideo, si media ad salutem essent alicui valde difficilia absque alterius ministerio, censerentur impossibilia.

2 Alii tamen tenent, quod ad inducendam extremam necessitatem non sufficiat grauis difficultas, cum qua possit quis se saluare, sed requiratur absoluta impossibilitas, qua illi absolutè media necessaria ad salutem fiant impossibilia. Ita Sotus *Relect. de teg. secr. memb. 2. quæst. 2. conclus. 6.* Corduba *lib. 1. quæst. 26. init.* Pertus Hurtad. *de Fide, Spe, & Charit. disp. 153. sect. 3. subsect. 2. §. 28.* Benzonus *de fuga lib. 1. disp. 1. quæst. 1. post. 5. conclus. ver. Secundum non est.* Et desumitur etiam ex *D. Th. 2. 2. quæst. 32. ar. 1. in corpore*, vbi explicat extremam necessitatem corporalem esse illam, quæ constituit pauperem in tali statu, vt non possit substentari, non autem, vt non possit sine difficultate substentari, ait enim. *Non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, substentari non potest. In illo enim casu locum habet, quod Ambrosius dicit. Pasce fame morientem, si non paueris occidisti.*

3 Hæc secunda opinio probabilior est, & meliori fulcitur ratione, et ideo sequenda. Neque enim quis est censendus in extrema necessitate, quando potest sibi quocumque modo consulere, et se ab illa eripere, nam tunc ipse, si non se eripit, voluntariè patitur illam necessitatem, nec absolutè est ipsi necessarium extrinsecum auxilium, vt euadat. Vnde pauper non esset in extrema necessitate fame perenndi, si posset habere panem, etiam si cum graui difficultate posset ipsum obtinere. Quando autem quis potest absolutè habere media salutis, licet cum graui difficultate, non excluditur, quin possit sibi aliquo modo consulere, et se subtrahere illi necessitati, et ideo non est necessitas extrema, sed solum grauis. Confir. Vel qui est constitutus in tali necessitate potest superare illam grauem difficultatem; vel non. Si primum ergo sibi imputare debet, quod non superet, et proinde non erit extrema necessitas, cum possit ex se ab ipsa subtrahi. Si secundum, ergo non est sola difficultas, sed impossibilitas.

4 Quod etiam ex eo deducitur, quia illa est extrema necessitas, quæ est illa vltima, vltra quam non est dari alia maior necessitas. Si enim vltra ipsam esset maior necessitas, ad quam quis deuenire posset, non esset illa vltima, in qua reperiri posset, atque adeo non esset extrema. Quando autem quis potest habere remedium salutis, licet cum graui difficultate, non est illa vltima necessitas, ad quam potest deuenire; si quidem potest adhuc necessitas crescere, si nimirum, neque possit cum graui difficultate tale medium habere.

5 Nec obstat, quod in oppositum allatum est, quia licet grauis difficultas æquiparetur impossibilitati *l. 2. §. Ex quo. & l. Continuus §. Cum quis. ff. De verbor. obligat.* hoc tamen non valet semper, sed solum, quando attenditur æquitas, et secundum ipsam, proceditur, non autem quando attenditur rigor. Quando autem attendirur extrema necessitas præsertim spiritualis in ordine ad externa auxilia, debet attendi rigor, quia agitur de inducenda obligatione, quæ non debet alteri imponi, nisi de rigore im-

imponenda sit, præsertim, quia comprehendit etiam obligationem exponendi propriam vitam pro subleuando aliquo à spirituali necessitate, vnde etiam extrema necessitas debet solum considerari secundùm finem, non autem secundum æquitatem.

6 Ex dictis colligitur contra Facundez *in 1. præcep. Decal. lib. 1. cap. 28. num. 5.* Adultum rudem, de quo moraliter loquendo iudicatur, quod nesciat elicere actum contritionis, sed, si dolet de peccatis, dolere ob metum inferni, aut ex amore propriæ beatitudinis, si sit constitutus in articulo mortis, non esse censendum in extrema necessitate spirituali. Cum enim in illo tempore vrgeat præceptum penitentiæ, si non potest habere sacramentum, tenebitur elicere actum contritionis, debet autem præsumi, quod habeat gratiam pro eliciendo contritione. Si autem habet, non obstante ruditate illam eliciet; quia gratia illuminabitur, & edocebitur ad illam eliciendam; cum hoc sit effectus ipsius gratiæ, vt docet D. August. *De peccator. merit. lib. 2. cap. 29.* ibi. *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, proficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam vt aperiat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat? & De gratia Christi. cap. 13. & 14.* addit, gratiam esse doctrinam, quæ facit discere, et orare ad Deum ibi. *De isto docendi modo etiam Dominus ait. Omnis, qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me &c.* Et si semel concedimus gratiam, hæc sola faciet, contritionem elici, quia agit indeclinabiliter voluntatem, vnde August. *De correp. & gratia cap. 7. habet Subuentum est infirmitati humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*, quia nimirum est adiutorium, quò operamur, vt tradit idem D. August. *De correp. & gratia cap. 11. & 12.* Quod si dicatur fieri posse, quod habeat solum gratiam sufficientem, non autem hanc efficacem, de qua loquitur D. August. Resp. tunc ipsum se constituere voluntariè in extrema necessitate, quia respuit gratiam, et ideo sibi imputare debere. Erit tamen in graui necessitate constitutus, quia stante prædicta difficultate remedium salutis est ipsi valde difficile.

De constitutis in periculo, aut articulo mortis in Ordine ad Sacramentum Baptismi.

An baptismus ministrari possit cum materia dubia in periculo, aut articulo mortis. Quæst. 9.

S V M M A.

1 *Materia remota Baptismi est aqua.*
1 *An vrgente necessitate possit adhiberi materia dubia.*
2 *Quod sit sub conditione, non fit non existente conditione.*
2 *Paria sunt non fieri, & fieri sub conditione non purificata.*
2 *Intentio alligata conditioni æquiualet oppositæ intentioni non existente conditione.*
2 *Defectus conditionis resoluit actum.*
3 *An non solum materia probabilis, sed etiam dubia possit adhiberi in baptismo vrgente necessitate.*
4 *An peccet adhibens pro baptismo materiam, quam suspicatur posse esse sufficientem, si omnes contrarium sentiant, quando vrget necessitas.*

---

1 Materiam remotam baptismi esse aquam veram naturalem, statuitur in Concilio Florent. *in Decreto Eugen. §. De Baptismo*, et in Concil. Trident. *sess. 7. can. 2. De baptis.* Dubitatur modo, an possit adhiberi aqua, de qua dubitatur, an sit vera aqua naturalis, quando quis est in articulo mortis. Et affirmatiuè respond. est, vt dixi etiam in *Decis. Moral. lib. Decis. 81. num. 1.* si tamen mors ita immineat, vt non possit expectari, quod ve-

vera, et certa aqua reperiatur; adhibendo tamen conditionem, ita vt minister intendat baptizare, si aqua illa est materia sufficiens. Ita docent communiter. Henriquez *lib.* 2. *Sum. cap.* 6. *nu.* 27. Sà *verbo* Baptismus. *num.* 27. Viual. *in Candel. cap.* 5. *de Baptismo. num.* 25. Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori pœnit. num.* 13. Posseuin. *De offic. curat i cap.* 6. *num.* 5. Coninch. *De sacram. quæst.* 70. *ar.* 8. *num.* 50. 80. *&* 91. Granad. 3. *par. Controuer.* 4. *De sacram. tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 2. Chellison. *quæst.* 66. *art.* 4. Cabrera *ibid.* Marchant. *in Resol. pastor. tract.* 1. *De sacram. cap.* 1. *quæst.* 3. Mercerus *De sacram. quæst.* 66. *ar.* 4. Gaspar Hurtad. *disp.* 1. *De baptis. difficul.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 3. *punc.* 3. *num.* 9. Ludouicus à S. Io. *part.* 1. *Sum. De sacram. baptis. quæst.* 1. *art.* 2. *difficul.* 2. *conclus.* 1. Zambran. *De casib. ocurrent. temp. mor. cap.* 1. *de Baptismo num.* 4. Basseus *in Florib. Theol. prac. verbo*. Baptismus 2. *num.* 3. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *Resol.* 1. Lezana *in Sum. verbo.* Baptismus. *num.* 11. Valentia. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 2. ver. *Quarta regula*.

2 Ratio autem est, quia conditio non ponit aliquid in esse, ita vt quod fit sub conditione, non fiat non existente conditione. *l. Si quis sub conditione, ff. Si quis omis. cau. & l. Cedere diem. ff. De verbor. significat; & l. Si quis fundum ff. De contrahen. empt.* et notant Rolan. à Valle *Consil.* 58. *num.* 14. *lib.* 3. asserens paria esse, nihil fieri, & fieri sub conditione, quæ non purificetur. Bald. *Consil.* 478. *lib.* 1. asserens, quod deficiente conditione deficit conditionatum. Flamin. *De resignat. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 9. docens quod non purificata conditione actus habetur pro non facto. Afflict. *Decis.* 355. *num.* 4. Roman. *Consil.* 421. *num.* 2. Alexan. *Consil.* 145. *lib.* 2. Surd. *De alimen. Tit.* 9. *quæst.* 29. *num.* 13. Et ideo, quando intentio operantis est alligata conditioni, non existente conditione est virtualis intentio non ponendi actum. Cum ergo ministratur baptimus sub conditione, quod materia sit apta, et sufficiens, si non est apta, et sufficiens, minister non intendit ministrare, et ideo non fit iniuria sacramento, quia nulla ei irrogatur irreuerentia. In tantum enim irrogaretur, in quantum adhiberetur materia dubia pro ipso conficiendo. Non adhibetur autem, quia intentio restringitur ad materiam aptam, et sufficientem, et conditio fuit, quod si non est apta non censeatur adhiberi, quia defectus ipsius resoluit actum, et facit, quod non fiat. *l. Necessario. §.* 1. *ff. De per. & com. rei vend. & l. Pecuniam ff. Si cert. pet.* vbi Alexan. *num.* 4. Tiraquel *in l. Si vnquam verbo*. Reuertatur. *num.* 277. C. *De reuocan. donat.* Surd. *De alimen. Tit.* 9. *quæst.* 4. *num.* 23. Menoch. *Consil.* 134. *num.* 30. *&* 31. Vnde cum nulla fiat iniuria sacramento, et alias fieri possit, quod sit sufficiens materia, et prouideatur saluti infantis, poterit cum tali materia ministrari baptismus.

3 Ex quibus colligitur. Quod non solum, quando controuertitur, an aliqua sit materia sufficiens pro baptismo; et ad sunt hinc inde opiniones, potest in ipsa in casu necessitatis, & sub conditione ministrari baptismus; sed etiam, quando non adest probabilis opinio, sed solum dubitatur, an aliqua sit materia sufficiens. Quia quando adest probabilis opinio, materia non solum est dubia, sed etiam probabilis. Vt autem possit tanquam dubia adhiberi, sufficit, quod non appareat certitudo insufficentiæ, nam eo ipso, quod receditur à certitudine, sumus in dubio.

4 Secundò colligitur, quod si quis ex opinione propria suspicaretur, aliquem liquorem posse esse materiam baptismi, et ipsum adhiberet in casu necessitatis, non peccaret, etiam si doctores communiter contrarium sentirent. Desumitur ex responsione Stephani Papæ II. qui interrogatus, an sacerdos, qui batizauerat in vino infantem periclitantem, cum non suppeteret aqua, peccauerit, et an esset puniendus, respondit negatiuè, vt habetur in responsis ipsius ad quasdam interrogationes *tom.* 2. *Concil.*

cil. Galliæ cap. 12. ibi. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inueniebat, periclitantem infantem baptizauit, nulla ei proinde adscribitur culpa*. Ratio autem est, quia cum aliquid solet aliquando adhiberi ad ablutionem, vt est vinum, potest quis censere, quod in casu necessitatis sit materia sufficiens, siquidem est determinabile per materiam proximam, nempe ablutionem, et proinde cum conscientia recta ministrare baptismum cum tali materia sub conditione. Nunc tamen, quia per Concilium Tridentinum determinatum est, vt dictum est *sess.* 7. *can.* 2. *De baptismo*, quod aqua naturalis sit de necessitate baptismi, non potest aliquid haberi pro materia dubia, nisi saltem dubium sit, an sit aqua naturalis.

An liquor expressus per stillicidium ex herbis, aut floribus possit adhiberi pro baptismo periclitante infante. Quæst. 10.

S V M M A.

1 *Liquor dupliciter extrahitur ex herbis & floribus.*
2 *Liquores stillicidio extracti est oribus, et herbis an differant specie ab aqua.*
3 *An possint adhiberi pro materia baptismi, quando non suppetit materia magis certa.*
4 *Liquores ex lambicco extracti ab herbis, & floribus assimilantur aquæ.*
4 *Probabile est, quod in maiori parte sint vera aqua.*
5 *An aqua ex sale resoluto, sit sufficient materia baptismi.*
6 *An aqua permixta alteri liquori.*
7 *Quę nam eligenda ex pluribus materijs dubijs vrgente necessitate.*
8 *An vrgente necessitate possit quis baptizari cū salina, sudore, lacrymis &c.*

1 Liquor potest extrahi ex herbis, aut floribus, vel per stillicidium, vel per contusionem. Primo modo quò ad externa accidentia, et apparentiam imitatur aquam naturalem, ita vt aliquando contingat aliquos ex his liquoribus vix sensu distingui posse ab aqua naturali. Secundo modo ita est permixtus substantiæ crassæ materiæ, ex qua extrahitur, vt nedum physicè, sed etiam moraliter, et quò ad externam sensibilitatem manifestè constet, continere substantiam suæ materiæ. Et quò ad liquores posterioris modi, cum certum sit, non esse aquam, non possunt rationabiliter haberi pro aqua dubia.

2 Quod autem spectat ad liquores stillicidio extractos, quamuis communiter doceant differre specie ab aqua naturali vt. D. Tho. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. *ad* 5. Cabrera, Syluius, Pesantius, Nugnus, Mercerus, Chellison. *ibid.* Putean. *dub.* 1. Præposit. *not.* 2. Granad. *Controuer.* 4. *tract.* 1. *disp.* 3. *num.* 2. Gammach. *Quæst.* 66. *cap.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 4. Etius. §. 7. Victoria *in sum. De sacram. quæst.* 12. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 2. Pitigian. *in* 4. *tom.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. *ar.* 3. *Conclus.* 2. Tribarne *disp.* 10. *sect. vn.* §. *Quarto dico*. Viual. *in Candelab. tit. De baptis.* §. *De materia num.* 2. Vasquez 3. *par. tom.* 2. *disp.* 141. *cap.* 1. *num.* 9. Summa Corona *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Anton. De Litterat. *par.* 1. *Sum. cap.* 6. *num.* 2. Tabiena. *verbo.* Baptismus 4. *un* 8. Angelus. *verbo.* Baptismus. 3. *num.* 3. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 2. Laiman. *lib.* 4. *theol. moral. tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori poenit. num.* 11. Suarez 3. *par. disp.* 10. *de sacram. sect.* 1. Moscosus *tract.* 2. *sum. cap.* 1. *num.* 3. Ledesma *par.* 1. *Sum. tract. De baptis. cap.* 3. *conclus.* 1. Molfes. *tom.* 1. *Sum. tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 33. Villalob. *par.* 1. *Sum. tract.* 4. *difficult.* 3. *num.* 2. Ludouicus à S. Io. *in sum. tract. de baptis. quæst.* 1. *ar.* 2. *dub.* 1. *conclus.* 2. Ochagauia. *De sacram. q.* 3. *de baptis. num.* 5. Gaspar Hurtad. *De sacram. tract. de baptis. difficul.* 2. *in fine*. Zechius. *De sacram. cap.* 2. *de baptis.* Fernandez de Hered. *De sa-*

sacram. cap. 1. *De consecr. dist.* 4. *par.* 3. *dub.* 1. *num.* 13. Vallens. *lib.* 3. *Decret. tit.* 92. *num.* 3. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 25. *num.* 1. Archangel. Rub. *De sacram. disp.* 3. §. *Aqua duplex*. Conrad. *in Respons. cas. conscien. par.* 2. *quæst.* 78. Petrus Milhard. *De curat. par.* 1. *De sacram. baptis. cap.* 8. *num.* 4. Caril. *in Itinerar. ordinan. sect.* 3. *cap.* 2. *num.* 12. Becan. *De sacram. cap.* 8. *quæst.* 2. *conclus.* 2. Bizozer. *in Sum. De sacram. par.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. Vega *in Speculo Curat. par.* 1. *cap.* 8. §. 4. *num.* 14. To. à Cruce *par.* 2. *Direct. Conscient. quæst.* 1. *de baptis. dub.* 1. *conclus.* 2. Zanar. *par.* 1. *Direct. theol. De sacram. baptis. cap.* 3. Lorichius *in Thesauro. verbo* Sacramentum baptismi. §. 4. *in fine*. Mutin. *in Theol. mor. quæst.* 3. *de baptis. conclus.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de Sacram. quæst.* 2: *punc.* 3. *num.* 2. Fernandez *in Exam. theol. mor. par.* 3. *cap.* 2. §. 2. *num.* 3. Bartholom. ab Angel. *in Exam. confes. Dial.* 2. §. 82. Zambran. *De casib. occurren. temp. mor. cap.* 1. *num.* 2. Raguccius *in Lucerna Paroch. quæst.* 11. *De baptis.* Binsfeld. *par.* 1. *Enchir. cap.* 4. §. 2. Petrus à S. Ioseph. *par.* 2. *De sacram. disp.* 1. *sect.* 2. §. *Hinc collige primo.* Homobon. *tom.* 2. *Consult. resp.* 3. Posseuin. *De offic. Cur. cap.* 6. *quæst.* 2. Marchant. *in Candel. Sacramen. tract.* 2. *Resol. Pastoral. cap.* 1. *quæst.* 1. *casu.* 3. Barbosa *de Offic. Paroch. cap.* 18. *num* 43. Angles *in florib. par.* 1. *quæst.* 1. *de Baptis. ar.* 2. *conclus.* 3. Funes *par.* 2. *speculi mor. cap.* 2. *num.* 1. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 2. Bassens *in Florib. Theol. pract. verbo* Baptismus. 2. *num.* 1. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *Addit verò*. Atque adeo non esse materiam sufficentem pro baptismo, quia liquores extracti per Elambiecũ ex herbis, & floribus important succum ipsorum quò ad partes tenuissimas, & puriores, & ideo sunt eiusdem substantiæ cum materia, à qua extrahuntur, nec moraliter ordinantur ad abluendum.

3 Hoc tamen non obstante in articulo mortis, quando non posset haberi materia certa, possent adhiberi huiusmodi liquores, & conferri bapismus sub conditione. Ita Chamerota. *De sacram. tract.* 2. *de Baptis. cap.* 2. *dub.* 2. Tanner. *tom.* 4. *Sum. disp.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 41. Putean. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 2. *num.* 5. Præposit. *ibid. num.* 22. Bauny. *tom.* 1. *Theol. mor. tr.* 2. *de baptis. q.* 4. ver. *Hac sententia*.

4 Ratio autem est. Quia huiusmodi liquores valde assimilantur aquæ in accidentibus sensibilibus, vnde non absque fundamento iudicari potest, quod licet habeant admixtas plurimas particulas substantiæ diuersæ à substantia aquæ, ratione quarum retineant specialem, odorem, saporem, & etiam specialem virtutem, adhuc tamen habent admixtam plurimam aquam, quæ prius præextiterit in herbis, aut floribus, vt conniicitur, quia plus humoris aquei extrahitur ex herbis, & floribus ortis in terra humidiori, & etiam ex eo, quod si calore solis tabescant, infusa aqua ita breui tempore redintegrantur, vt non potuerit aqua conuerti præsertim actione vitali vegetatiua in substantiam herbæ, aut floris. Vel quæ vi caloris resoluentis humorem in sua principia elementaria producatur. Sic etiam aqua marina, & mineralis habent admixtas plurimas particulas extraneæ substantiæ, ratione cuius habent suas speciales qualitates non secus, ac istæ aquæ per elambiecum expressæ, & tamen iuxta communem opinionem sunt materia sufficiens pro baptismo. Vnde cum adsit fundamentum iudicandi, quod hi liquores habeant admixtam plurimam aquam, poterunt sub condicione adhiberi vrgente necessitate, si quidem non est certum, quod non sint materia sufficiens, si quidem non est certum, quod non sint aqua saltem quò ad maiorem partem, & ideo possunt reponi inter materiam dubiam. Cum autem in *Decis. moralib. Decis.* 77. *num.* 3. dixi, non posse cõferri baptismum cum his liquoribus, id dixi ex suppositione physica, quod certum sit, hos liquores non esse substantialiter aquam, vt constat *ex numer.* 4. *eiusdem decis.*

Ex

5 Ex dictis colligitur à fortiori, quod possit ministrari baptismus in aqua collecta ex sale resoluto, quando non suppeteret materia magis certa, vt dixi etiam *in Moralib. Decis. 76. numer.* 1. quia licet secundum aliquos non sit materia sufficiens, vt inter alios tradunt Laiman. *lib. 5. Theol. moral. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. ver. *corollarium*. Lublinus *in Sum. verbo.* Baptismus. *num.* 2. Angelus. *verbo*. Baptismus. 3. *num.* 2. Coninch. *de sacramen. quæst.* 66. *ar.* 4. *dub.* 1. *num.* 22. Syluester *verbo*. Baptismus 2. *in fine.* Auersa 3. *par. q.* 65. *sect.* 4. ver. *De aqua tamen* & alij. Quia tamen plures etiam affirmant, quod sit materia sufficiens, ideo vrgente necessitate poterit adhiberi, vt docent. Tabiena *verbo*. Baptismus 4. *num.* 8. Armilla *verbo*. Baptismus *num.* 23. Fernandez *par.* 3. *examin. Theol. mor. cap.* 2. §. 3. *num.* 5. Præposit. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. ver. *Deducitur secundo*. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 6. *num.* 1. Ochagauia *De sacram. tract. de baptis. q.* 3. *n.* 4. Gaspar Hurtad. *De sacram. tr. de Bapt. disp.* 1. *difficul.* 2. Marchant. *in Resol. pastoralib. de sacram. tr.* 1. *De baptis. cap.* 1. *quæsito* 1. *casu.* 5. Cum enim sal conficiatur ex aqua maris condensata, & congelata, dum resoluitur in eamdem aquã resoluitur, atque adeo in aquam elementarem, non secus ac quando gelu resoluitur in aquam. An autem idem dicendum sit de aqua ex sale minerali resoluto puto affirmatiuè respondendum: quia licet huiusmodi sal non conficiatur ex aqua maris condensata, est tamen eiusdem speciei, & proinde constat ex aqua elementari salsedine affecta. Nec obstat, quod sal sit mixtum, siquidem est mixtum imperfectum, in quo præualet elementum aquæ; & ideo quando resoluitur, remanet aqua in sua naturali sensibilitate.

6 Colligitur 2. Aquam permixtam alteri liquori posse adhiberi in casu necessitatis, si tamen ita permixta sit, vt retineat suam naturam, aut probabile sit, quod retineat, vt notat etiam Putean. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. *dub.* 1. ver. *Indubitatam tamen in fine*. Si enim conseruatur natura aquæ, conseruatur etiam materia baptismi certa. Imo si non obstante tali permixtione aqua retineat suã quoque apparentem sensibilitatem, ita vt moraliter censeatur aqua erit censenda materia indubitata, non secus ac sunt cœteræ aquæ minerales, ac sulphureæ, quibus sunt permixtæ partes plurimæ extraneæ substantiæ. At si non retineat amplius apparentem sensibilitatem aquæ, nec moraliter censeatur aqua, nulla alia suppetente meliori materia, & vrgente necessitate poterit adhiberi sub conditione, cum melius sit applicare remedium omnino dubium, quam prorsus relinquere in damnatione æterna. Erit autem iste baptismus omnino dubius, quia etiamsi aqua in illa mixtione conseruet suam substantiam, non conseruat tamen suam externam sensibilitatem, atque adeo non habetur moraliter pro aqua. Materia autem sacramentorum non solum debet esse talis in sua natura, sed etiam debet esse talis secundum sensibilitatem, & extrinsecam apparentiam, vt in communi æstimatione habeatur pro tali.

7 Colligitur 3. Quod si vrgente necessitate præsto sint plures materiæ pro conferendo baptismo, sed omnes dubiæ, eligenda est illa, quæ minus dubia est, alias peccaretur mortaliter. Cum enim concurrente materia certa, & dubia, eligenda sit certa ita exigente recta administratione sacramenti; concurrente vna dubia cum alia minus dubia, ob eamdem exigentiam sacramenti minus dubia est eligenda, vt quantum fieri potest certior sit effectus sacramenti. Et in casu nostro adest etiam obligatio ex charitate eligendi materiam minus dubiam, quia tenemur succurrere periclitanti, quoad æternam salutem de remedio magis certo, quod est in nostra potestate. Est tamen aduertendum, quod in huiusmodi electione non est scrupulizandum, ne dum attendimus consultationi, expiret baptizandus, sed quantocius resoluendum est, quam expediat eligere. Quod si postea deprehendatur nos malè elegisse, non debemus esse an-



anxii, quia sufficit, quod electio sit facta prout tunc censebatur esse congrua.

8 Colligitur 4. Non posse vrgente necessitate adhiberi saliuam in baptismo, cum certum sit hanc non esse materiam, & proinde non possit haberi pro materia dubia, vt declaratut in capit. Non vt apponeres. De baptis. Nec item flegma, vt similiter declaratur in cap. In quadam nostra. De celebrat. missar. Quod etiam censendum de cæteris liquoribus, quos constat non esse substantialiter aquam, vt sanguis, sudor, lacrimæ, & huiusmodi. Quamuis enim in ipsis, vt pote in mixtis fluidis prædominetur aqua, & dato etiam, quod elementa conseruarentur in mixto secundum propriam substantiam, quia tamen mixtum stat sub alia forma substantiali, ideo certum est, non esse humores huiusmodi substantialiter aquam, & proinde non posse adhiberi pro materia baptismi, vt cum D. Th. 3. par. quæst. 66. ar. 4. notant communiter Vasquez *ibid. disp.* 141. *cap.* 1. *circa fin.* Conninch. *eodem art.* 1. Præposit. Putean. *ibid.* Suarez *disp.* 20. *de sacram. sect.* 1. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *Tertio, constat pariter* Marchant. *in resolut. pastoralib. de sacram. tr.* 1. *de baptis. cap.* 1. *quæsito* 1. *casu* 6.

An vrgente periculo mortis cum glacie, niue, grandine ministrari possit baptismus. Quæst. 11.

SVMMA.

1 *Glacies, nix, grando non sunt materia apta pro baptismo.*
2 *An vrgente necessitate possint adhiberi sub conditione.*
3 *Materia proxima baptismi est ablutio.*
4 *Forma sacramentorum debet verificari, vt sortiatur effectum.*
4 *Forma baptismi non verificatur cum glacie. &c.*
5 *Glacies nix, grando, moraliter est impossibile, quod non liquefiant aliquo modo, dum adhibentur in baptismo.*

1 Glaciem, niuem, grandinem, quamuis sint substantialiter aqua, vt communiter sentiunt contra Fernãdez de Heredia. *de sacram. par.* 3. *de Baptis. dub.* 1. *num.* 13. non esse materiam aptam pro baptismo, nisi liquefiant, docent communiter, & proinde neque vrgente necessitate posse adhiberi, quia non sunt materia apta ad abluendum, qualis debet esse materia baptismi. Ita specialiter Sotus *in* 4. *dist.* 3. *ar.* 3. Laiman. *lib.* 5. *Theolog. mor. tract.* 2. *cap.* 3. *conclus.* 2. *Corol.* 1. Suarez *disp.* 20. *de sacram. sect.* 2. ver. *Atque hinc obiter.* Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. *num.* 6. Coninch. *de sacram. quæst.* 69. *artic.* 4. *num.* 2. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 3. *num.* 3. Petrus à S. Ioseph. *de sacramen. par.* 2. *disp.* 1. *sect.* 2. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. ver. *Secundo hinc certum* Lublinus *par.* 1. *sum. verbo* Baptismus. *num.* 2. Angles *in florib. par.* 1. *quæst.* 1. *de baptis. &* 1. *conclus.* 3. ver. *Hinc in gelu*, & alij, quos citaui *in decis. moralib. decis.* 72. *num.* 2.

2 Alij tamen, tenent quod vrgente necessitate adhiberi possit sub conditione, quia aliqui tenent, quod ad validitatem baptismi sufficiat, quod aqua tangat corpus, nec requiritur, quod abluat. Ita Putean. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. *dub.* 1. ver. *Indubitatum tamen*. in fine Præposit. *eodem ar. num.* 22. Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de Baptis. difficul.* 2.

3 Verum hæc doctrina nullo pacto admitti potest, vt dixi etiam citata *decis. moral.* Ratio autem, est, quia aqua est tantum materia remota baptismi, & requiritur ablutio tanquam materia proxima, vt desumitur ex institutione Christi. Matth. vlt. *Ita, docete omnes gentes baptizantes eos &c.* hoc est. *Abluentes* Et Apo-

Apostolus *Epist. ad Titum cap.* 3. baptismum vocat *Lauacrum*, & desumitur etiam ex cap. 1. *de consecrat. dist.* 4. ibi. *Necessarium est visibile sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis corporis*. Si ergo glacies tangat tantum corpus, & non liquefiat, non aderit ablutio cum non possit fieri, nisi per aliquid, quod fluat, nec materia proxima baptismi, atque adeo non poterit confici sacramentum, cum materia proxima sit ipsi essentialis. Sic etiam in sacramentali confessione non sufficit materia remora, quæ sunt peccata, sed necessario requiritur materia proxima, nempe dolor factus sensibilis in signo externo.

4 Confir. Vt sacramenta sortiantur suum effectum, debent verba, in quibus consistit forma, verificari, quia sunt sacramenta signa practica, quæ efficiunt, quod significant, & ideo, si non verificatur significatio, non poterunt sortiri suum effectum, quia significatio tanquam falsa, non significabit effectum sacramenti, cum in tantum significet, in quantum est vera. Verba autem formæ baptismi significant ablutionem, nam, *Ego te Baptizo*, idem est, ac *Ego te abluo*. Si ergo non interuenit ablutio, non verificabitur forma, atque adeo sacramentum erit nullum. Vnde quando certum est per materias prædictas non posse fieri ablutionem, certum etiam debet esse, quod neque vrgente necessitate possint adhiberi.

5 Quia tamen moraliter loquendo impossibile est, quod prædictæ materiæ, dum assumuntur ad baptismum, non liquefiant aliquantulum, tàm calore manus assumentis, quàm calore corporis, cui applicantur, ideirco poterunt vrgente periculo adhiberi, quia saltem fiet aliqualis liquefactio, quæ, licet non sit certum, quod sufficiat, erit tamen probabile, præsertim si dictæ materiæ aliquantulum ducantur per corpus baptizandi, ita vt calor agere possit in ipsas, antequam pronuncientur verba formæ.

6 Dices adest opinio aliquorum, quod vrgente necessitate possit baptismus hoc pacto ministrari, vt modo visum est; ergo stante hac opinione saltem poterit haberi pro materia dubia. Resp. neg. conseq. quia hæc opinio fundatur in eo, quod sufficiat, quod aqua tangat corpus, licet non abluat, quod est certè, & manifestè falsum, nam ex institutione Christi, & definitionibus Conciliorum, & communi sensu Ecclesiæ certum omnino est requiri ablutionem, vt materiam proximam baptismi. Item certum, & euidens est, quod glacies non potest abluere, nisi liquefiat, vnde etiam certa remanet falsitas opinionis, & certum sit, quod non adsit materia sufficiens, quo stante non potest tali pacti ministrari baptismus.

An si glacies, nix, grando &c. liquefiant tantum in corpore baptizandi, possit adhiberi vrgente necessitate. Quæsto 12.

SVMMA

1 *An glacies, &c. si liquefiat solum in corpore baptizandi, & non in manibus baptizantis, sit sufficiens materia pro baptismo & num.* 2.
3 *Quid sufficiat, vt quis dicatur ablui.*
4 *Ablutio passiua est ex vi actionis applicantis materiam etiam si in sola applicatione fiat proximè apta ad abluendum.*
5 *Ablutio in baptismo non excludit efficientiam causæ extrinsecæ adiuuantis.*

---

1 NOn esse materiam sufficientem, si resoluantur solum in corpore baptizandi, affirmat Tannerus *tom.* 4 *Sum. disp.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 44. sed requiri, quod resoluantur etiam in manibus baptizantis, & antequam tangant corpus baptizandi, alias baptizans verè non ablueret, quia non applicaret materiam aptam ablutioni. Vnde secundum ipsum non poterunt adhiberi vrgente necessitate, nisi adsit tempus expectandi, quod

in manibus ministri liquefiant.

2 At plures oppositam sententiam tenent, nimirum quod sufficiat, si liquefiant in corpore baptizandi, dum docent, quod baptismus consistit in ablutione passiua. Ita Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 1. ver. *Cum verò* Sotus *in* 4. *dist.* 3. *ar.* 1. §. *Ex quo fit.* Suarez 3. *par. tom.* 3. *disp.* 20. *sect.* 2. Villalobus *par.* 1. *sum. tract.* 5. *de Baptis. difficul.* 1. *num.* 2.

3 Et hæc opinio mihi videtur probabilior. Quia ablutio passiua sufficit, vt verè corpus abluatur, & saluat, quod efficientia ablutionis sit à baptizante; siquidem baptizans applicat materiam aptam abluere, & quamuis non sit proximè apta, sit tamen apta in ipso actu applicationis, & proinde illa applicatio habet pro termino ablutionem, quod sufficit, vt ipsa ablutio passiua sit effectus baptizantis. Sic etiam, si quis inijceret in aliquam domum materiam, quæ statuto tempore conciperet ignem, & combureret domum, diceretur combussisse domum; aut si quis propinaret alicui venenum, quod à calore naturali fieret in actu, diceretur veneno occidisse; vt passim hoc alijs exemplis posset declarari, ergo pro baptismo sufficit, quod materia liquefiat in corpore baptizandi, & ita ipsum abluat.

4 Confir. ablutioni passiuæ debet correspondere aliqua actio, quia passio, atque actio, aut sunt vnum, & idem realiter, aut ita connexæ essentialiter, ut vna non possit esse sine alia, sed actio necessario inferat passionem, & passio essentialiter supponat actionem; ergo si quando glacies applicata à baptizante liquefit in corpore baptizandi, habetur ablutio passiua, debet necessariò concedi aliqua actio, vnde inferatur, quæ non potest esse alia, nisi actio ministri applicantis materiam; & proinde talis ablutio ipsi tribuetur, & verificabitur, quod abluat, si quidem actus ipsius infert illam ablutionem passiuam.

5 Nec obstat, quod concurrat calor corporis, quod abluitur, liquefaciendo, quia per hoc non tollitur, quod illa ablutio non tribuatur applicanti glaciem, sicut adhuc tribueretur, si dum applicat materiam corpori, applicaretur ab alio ignis liquefaciens glaciem; nam ablutio tribuitur applicanti materiam ablutiuam, & calor liquefaciens concurrit solum, vt causa disponens materiam; & aliquo pacto coadiuuans abluentem. Sic etiam applicans materiam igni dicitur illam comburere, quamuis actio combustiua sit ab igne. Quod autem hoc sufficiat ex eo constat, quia sufficit, quod illa ablutio, vt passiua possit tribui ministro eo modo, qui sufficiat, vt verificentur verba, *Ego te baptizo*, vt autem, verificentur, sufficit, si inferatur ex aliqua actione ipsius.

An vrgente necessitate possit ministrari baptismus cum parua guttula aquæ Quæst. 13.

S V M M A.

1 *An sola gutta aquæ sit materia sufficiens pro baptismo, & num.* 2.
3 *Parua gutta aquæ sufficit pro ablutione.*
3. *Cur parua quantitas panis sufficiat pro sacramento Eucharistiæ.*
4. *Materia Eucharistiæ non solum est panis substantialiter, sed etiam qui sit moraliter cibus.*
5 *Pro sacramentis sufficit illa materia, in qua moraliter saluatur significatio.*
6 *Gutta aquæ sufficit pro ablutione significatiua sacramentaliter, licet non pro lotione spirituali.*
7 *Vrgente necessitate an possit ministrari baptismus cum sola gutta aquæ.*

---

1 GVttulam aquæ non esse materiam sufficientem prò baptismo, sed requiri certam quantitatem, quæ sufficiat ad moralem ablutionem, tradunt quam plures, præsertim Alens. 4. *par. quæst.* 8. *ar.* 2. *memb.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica ar.* 7. Ledesma 1. *par. sum. cap.* 2. *de Baptismo.* con-

conclus. 3. *dub.* 1. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 2. ver. *Itaque sequitur.* Suarez 3. *par. tom.* 3. *de sacram. disp.* 25. *sect.* 2. ver. *Quare.* Gammach. *tom.* 3. *theol. moral. quæst.* 66. *ar.* 7. Granad. 3. *part. Controuer.* 4. *de sacram. tract.* 1. *disp.* 4. *num.* 12. Isambert. *ibid. quæst.* 66. *disp.* 3. *ar.* 5. Bauny *tom.* 1. *Theol. moral. tract.* 2. *de Baptismo quæst.* 4. ver. *Hinc est*; qui tamen etiam probabile putat oppositum. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vn. pun.* 4. *num.* 5. ver. *deinde.* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Zoch. *de sacram. tract. de baptis. cap.* 3. ver. *Quò verò admodum in fine.* Ludouicus à S. Ioan. *par.* 1. *sum. tract. de Baptis. quæst.* 1. *ar.* 3. *difficul.* 1. Pitigian. *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 3. *ar.* 5. ver. *obseruat tamen.* Cabrera 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. Ioan. à Cruce. *par.* 2. *direct. conscien. trac. de baptis. quæst.* 1. *dub.* 2. Coninch. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 7. *dub.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. *num.* 24. & alij, quos citaui *in decis. moralib. decis.* 73. *num.* 1. Quorum fundamentum est, quia guttula aquæ non sufficit ad veram, & propriam ablutionem, neque enim quis dicitur ablui vnica gutta aquæ. Ad baptismum autem requiritur vera ablutio.

2 Alij verò tenent, quod sufficiat parua gutta aquæ. Ita Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *num.* 4. Victoria *in sum. de sacram. quæst.* 19. Martin. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 7. *ar.* 8. *dub.* 1. qui citat Gabrielem, & Holchot, qui tamen non loquuntur de sola gutta, sed dicunt, non referre, quod multum, vel parum aquæ infundatur. Vasquez 3. *par. tom.* 2. *disp.* 245. *cap.* 4. *num.* 3. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 2. *de sacram. baptis. sect.* 4. ver. *quo ad posteriorem* Ochagauia *de sacrament. quæst.* 4. *de baptis. num.* 8. qui alios citat. Fernandez *par.* 3. *Examin. theol. moral. cap.* 2. *de baptis.* §. 3. *num.* 6. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *de sacram. Resol.* 5. *init.* Chelison. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 8. *dub.* 3. Auersa. *sect.* 4. ver. *Hinc colligendum.* Heredia *de sacram. par.* 3 *de baptis. dub.* 1. *num.* 8.

3 Hæc posterior sententia probabilissima est, siquidem adhibita sola parua gutta aquæ habetur non solum materia remota sacramenti, sed etiam proxima, nempe ablutio, nam parua gutta potest non solum tangere corpus, sed etiam per ipsum aliqualiter fluere, ablutio autem saluatur per id, quod aqua fluat per corpus. Confir. parua quantitas panis est materia sufficiens pro sacramento Eucharistiæ, quia in ipsa saluatur physica ratio cibi, ergo etiam parua gutta aquæ infusa corpori, cùm in ipsa saluetur physica ratio ablutionis, erit materia sufficiens pro baptismo.

4 Nec dici potest, esse diuersam rationem, si quidem ad materiam pro Eucharistia sufficit panis, qui sit substantialiter panis; & pro materia baptismi non sufficit aqua, quæ sit substantialiter aqua, sed insuper requiritur, quod interueniat ablutio, quæ sit moraliter ablutio. Nam adhuc instatur. pro Eucharistia namque panis ita debet esse substantialiter panis, vt tamen sit etiam moraliter cibus, quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi, & tamen sufficit minima quantitas, quamuis non sit moraliter cibus. in ordine ad cibandum hominem; nam minima quantitas in ordine ad cibationem, & nutritionem non habetur in consideratione, sed pro nihilo reputatur, ergo etiam sufficiet minima quantitas aquæ pro baptismo, in qua habeatur physica ablutio, licet moraliter in ordine ad abluendum corpus materiali modo non habeatur in consideratione, sed pro nihilo reputetur.

5 Ratio autem est, quia sufficit illa materia, in qua saluetur significatio sacramenti, nam tunc illa materia non solum est physicè talis, sed etiam moraliter in ordine sacramentali, & quo ad significationem quando autem saluatur materia secundum esse physicum, saluatur etiam quoad significationem, quia sufficiens est, vt recipiat significationem sacramenti; Vnde quia bapismus est per modum ablutionis, quæcunque ablutio physica, quæ fiat in corpore, quamuis exigua, poterit significare ablutionem sacramentalem, quia significat qua ab-

utio eſt, non autem quà tanta, aut tanta, aut quà ſufficiens ad abluendum materiali modo.

6 Ex quibus ſolutum manet fundamentum oppoſitæ ſentent. Cum enim dicitur, quod gutta aquæ non ſufficit ad veram, & propriam ablutionem: reſp. id eſse verum, ſi agamus de vera, & propria ablutione, quæ ordinatur ad lauandum corpus materiali modo: non autem de vera, et propria ablutione ordinata ad ſignificandum, quia pro hac ſufficit vera, et propria natura ablutionis, non autem requiritur certa quantitas, quia ſignificatio non fundatur in quantitate, ſed in natura ablutionis; parua autem gutta ſufficit pro ſaluanda natura, et ſubſtantia ablutionis. Et hæc ſola ablutio ſufficit pro baptiſmo, quia ſufficit illa ablutio, quæ poteſt habere ſacramentalem ſignificationem.

7 Ex quibus fit, quod ſine vllo ſcrupulo vrgente neceſsitate, poſsit miniſtrari baptiſmus cum ſola gutta aquæ, vt docent etiam Hurtad. *de ſacram. diſp.* 1. *de baptiſ. difficul.* 6. Præpoſit. *in* 3. *part. quæſt.* 66. *ar.* 8. *dub.* 3. *num.* 93. Quia etiam ſi baptizans teneat, talem baptiſmum non fore validum, poteſt tamen in praxi ſe conformare cum probabiliſsima opinione aſſerente, eſse validum, et hoc pacto ſuccurrere periclitanti.

An quando timetur, quod modus conſuetus baptizandi noceat baptizando, aut acceleret mortem, poſſit conferri baptiſmus digitis aqua intinctis. Quæſt. 14.

SVMMA.

1 *Ablutio facta digitis aqua intinctis ſufficit pro baptiſmo.*
2 *Quando hæc ablutio poſſit adhiberi.*
2 *Ablutio baptiſmi non requirit ex vi ſacramenti certum modum.*
2 *Baptiſmus priuatus quomodo regulandus.*
3 *An in baptiſmo ablutio fieri poſſit per ſpongiam, vel quid ſimile.*
4 *An talis modus abluendi digitis aqua intinctis, vel ſpongia adhiberi poſſit ad libitum in baptiſmo priuato.*

1 Eſſe verum baptiſmum, quando quis digitis aqua intinctis baptizat, dixi *in deciſ. moralib. deciſ.* 75. cum Comitolo *lib.* 1. *Reſponſ. moral. quæſt.* 12. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 34. Diana 3. *par. tract.* 4. *de ſacram. Reſol.* 5. ver. *Dicendum eſt*. Quia nimirum in tali baptiſmo ſaluatur vera ablutio, per quam notabilis pars corporis ablui poteſt, ita vt certum ſit, talem ablutionem eſſe ſufficientem pro validitate ſacramenti.

2 Quo ſtante, quando dubitatur, quod baptiſmus conſueto modo collatus acceleret mortem, aut inferat notabile damnum, poterit prædicto modo conferri. Quod enim hoc, vel illo modo conferatur, non eſt de ratione baptiſmi, cuius eſſentia ſaluatur in ſola ablutione quantum eſt ex parte materiæ; quocunque modo fiat, ſed eſt tantum de iure eccleſiaſtico ſaltem ratione conſuetudinis. Ius autem eccleſiaſticum cedit neceſſitati, & etiam notabili incommodo, & ideo cedit obligatio conferendi baptiſmum conſueto modo, quando inde ſequitur acceleratio mortis, aut notabile damnum. Quod præſertim habet locum in caſu noſtro, quia tali ſpecialis modus conferendi baptiſmum eſt introductus in miniſtratione baptiſmi ſolemnis. baptiſmus autem priuatus, cum ſit baptiſmus neceſsitatis, non eſt neceſſario regulandus ſecundum menſuram baptiſmi ſolemnis, ſed poteſt miniſtrari quocunque modo honeſto, qui magis expediat etiam ſaluti corporali baptizandi.

3 Ex quibus colligitur, quid dicendum de baptiſmo, in quo fieret ablutio per ſpongiam, vel per pannos aqua intinctos. Eſſet enim verus baptiſmus, quia interueniret tam materia remota, quàm

quàm proxima, quæ esset vera ablutio secundum moralem æstimationem, et etiam communem vsum, cum frequentissime soleat fieri ablutio, vel per spongiã, vel per aliquid simile præsertim ad detergendas sordes. Nec obstat quod minister vtatur instrumento ad abluendum; quia baptismus non exigit, quod aqua immediatè per manus ministri applicetur, sed potest applicari per instrumentum, vt fit etiam in baptismo solemni, quando è vase effunditur aqua super caput baptizandi. Vnde si talis modus baptizandi esset magis congruus, posset in priuato baptismo adhiberi sine vllo peccato.

4 An autem possit ad hiberi sine peccato ad beneplacitum in baptismo priuato? Videtur affirmatiuè respondendum, loquendo saltem de peccato graui. Quia priuatus baptismus non est adstrictus solemnitatibus, & ritibus, cum quibus solet ministrari ab Ecclesia, sed solum exigit substantialia sacramenti, vnde modus ministrandi quò ad ablutionem videtur relictus in beneplacito baptizantis. Addo tamen, quod vix fieri potest, quod non interueniat semper aliqua causa honestans talem modum abluendi; præsertim si conferatur baptismus intuitu infirmitatis, nam tunc hic modus abluendi minus nocebit. Nolo tamen aliquid determinare, sed hoc aliis indicandum relinquo.

An vrgente necessitate possit ministrari baptismus per aspersionem. Quæsto 15.

S V M M A.

1 *An ablutio per aspersionem sufficeret pro baptismo, fuit olim controuersum.*
2 *Modo certum est, sufficere.*
3 *Aspersio est propriè ablutio.*
4 *Scriptura sacra ipsi tribuit effectum mundationis.*
4 *Vrgente necessitate potest licitè baptismus ministrari cum aspersione.*
5 *Potest à longe aspergi baptizandus.*
6 *Non solum ad vitandum periculum contagionis, sed etiam ex quacunque rationabili causa.*
7 *An hic modus possit adhiberi in publico baptismo, quando non est in vsu.*
7 *An modus baptizandi pro priuato baptismo præscriptus in Dioecesi obliget sub mortali.*
7 *An consuetudo abluendi tali modo obliget ad mortale.*

1 Tempore S. Cypriani dubitatum fuit, an posset validè conferri baptismus per aspersionem. Et quamuis ipse. *Epist.76.ad Magnum*, pluribus probet validitatem ipsius, attamen relinquit vnicuique liberum sentire, quod libuerit, nam in fine 2. *par. dictæ Epist.* concludit. *Qua in parte nemini verecundia, & modestia nostra præiudicat, quominus vnusquisque, quod putat, sentiat, & quod senserit, faciat.* Imo etiam permittit rebaptizari sub con ditione baptizatos per aspersionem.

2 Modo tamen apud Catholicos certum omnino est, sufficere aspersionem pro baptismi validitate; ita docent Scholastici cum D. Th. *3. par. quæst. 66. ar. 7.* Præposit, Syluius *ibid.* Putean. *ar. 4. dub. 3.* Isambert. *disp. 3. ar. 1.* Estius *in 4. dist. 3. §. 10.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 4.* Valent. *tom. 4. disp. 4. quæst. 1. punc. 2. ver. secundo sequitur.* Auersa *3. per. quæst. 66. sect. 4. ver. quintò, quia ablutio.* Ochagauia *de sacram. tr. de baptis. q. 5. num. 6.* Fernandez *par. 3. examin. Theol. mor. cap. 2. §. 3. num. 6.* Lezana *verbo* Baptismus. *num. 12.*

3 Ratio autem est. Quia aspersio est vera, & propria ablutio, si fiat cum liquore ordinato ad abluendam; & habet effectum ablutionis, nempe mundationem: vnde sæpe in scriptura sacra mundatio tribuitur aspersioni tanquam effectus ipsius, vt Leuit. 14. ver. 51. *Et asperget domum septies, purificabitque eam*, & cap. 16. ver. 16. *Vt aspergat è regione oraculi, & expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel.* & Num. cap.

19. ver. 12. *Aspergetur ex hac aqua die tertio, & septimo, & sic mundabitur*, & Psal. 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* Vnde cum sit vera ablutio ordinata ad mundandum, erit etiam validus baptismus hoc modo ministratus.

4 Ex his resoluendum est, quod vrgente necessitate nedum validè, sed etiam licitè poterit administrari baptismus per aspersionem, etiam si alio modo iuxta consuetudinem Ecclesię soleat ministrari, quia hic modus administrandi tutissimus est, & aliàs necessitas facit, quod sit licitus, quamuis non sit in vsu. Imo creditur adhibitum fuisse ab Apostolis, quando, vt habetur *Actor.* 4. vna die quinque millia baptizarunt; ita enim sentiunt communiter Patres, & Doctores, quamuis aliqui dissentiant, & velint baptizatos fuisse per effusionem aquæ, aut immersionem. Imo si quis ita baptizetur, non erit iterandus baptismus, cum ex hoc modo baptizandi non remaneat dubius, sed certus.

5 Ex dictis colligitur. Posse validè baptismum administrari à longè aspergendo baptizandum. In quo tamen debebit baptizans aduertere, quod per aspersionem aqua super infundatur illi parti, in qua subsistere possit ablutio sufficiens pro baptismo, ita vt de ipsa dubitari non possit, vt notat etiam Capeauilla *de administr. sacram. tract. de baptis. quæst.* 19. qui tamen addit, hunc modum baptizandi non esse vsurpandum, nisi vrgente necessitate. Quæ tamen limitatio non est necessaria, quando adhibeatur debita diligentia, vt nimirum aqua verè abluat baptizandum, quia sufficit moralis præsentia ministri; quæ tunc saluatur, quando ipse minister, potest applicare materiam ad abluendum. Vndeetiam ipse Capeauilla *in finè dictæ quæst.* notat, quod licebit tali modo baptizare ad vitandum periculum contagii, si sibi persuadeat, caput baptizandi aqua aspergi posse.

6 Colligitur 2. Hunc modum baptizandi posse vsurpari non solum ad vitandum periculum contagionis, vt docet Capeauilla *num. præced. citat.* sed etiam ex quacunque alia rationabili causa. Quia cum in ipso saluentur omnia essentialia baptismi, non potest dubitari de ipsius validitate, si fiat sufficiens ablutio. Nec potest obstare illa distantia ministri, quia cum adhuc actio physica ipsius applicatiua lotionis possit ad baptizandum pertingere, pertinget etiam actio moralis, quia actio moralis fundatur in physica, atque adeo baptizandus erit intra debitam spheram.

7 Colligitur tertiò. An liceat vti aspersione, aut alio modo apud illas Ecclesias, apud quas talis modus non est in vsu. Resp. enim Ochageuia. *de sacram. tract. de baptis. quæst.* 5. *num.* 8. non licere, sed esse peccatum mortale. Alijvero volunt non esse peccatum mortale secluso contemptu. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica ar.* 7. ver. *Ex his igitur.* Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 7. *num.* 2. *in fine.* Posseuin. *de offic. Curati cap.* 6. *num.* 7. & alii. Et quidem si loquamur de baptismo priuato, cum semper fiat ob vrgentem necessitatem, non apparet, quod adsit obligatio eligendi potius vnum modum, quàm alium; sed posse eligi commodiorem, quia sufficit, quod in ipso seruentur essentialia baptismi. Et quamuis apud quasdam Dioceses præscribatur modus etiam pro baptismo priuato, censetur tamen præscribi non cum obligatione ad mortale, sed ad bene esse. In publico autem baptismo non est sine rationabili causa immutanda consuetudo Ecclesiæ; quę si ad sit, nullum erit peccatum adhibere modum congruentiorem. Si verò nulla concurrat rationabilis causa, quantum est de se non erit peccatum mortale hoc, vel illo modo abluere, quia omnes ex natura rei sunt liciti, nec consuetudo censetur ita coarctare administrationem ad vnum modum, vt excludat, & prohibeat alterum, quia cum apud diuersas Ecclesias sint in vsu diuersi modi abluendi, non censetur particularis Ecclesia prohibere alios modos, ex eo, quod vnum amplectatur. Vt autem induceretur peccatum mortale, deberet esse prohibi-

tus

tus quicunque alius modus. Solum ergo per accidens poterit esse mortale, si nimirum ratione circumstantiarum sequatur graue inconueniens.

An quando periculum mortis vrget, possit infans in qualibet minima parte corporis baptizari. Quæst. 16.

S V M M A.

1 *Qui teneant caput ad minus esse abluendum in baptismo.*
2 *An sufficiat ablui quamlibet principalem partem corporis.*
3 *Qualis ablutio requiratur in baptismo.*
4 *An sufficiat in baptismo ablui minimam partem corporis.*
5 *Minima pars corporis abluta verificat formam baptismi.*
5 *Ablutio in baptismo ordinatur ad significandum, non ad abluendum materialiter.*
7 *Materia in sacramentis debet coniungi cum forma ad significandum.*
8 *Materia sacramenti saluatur, si in ipsa saluatur ratio signi sacramentalis.*
9 *Quę quantitas in Eucharistia sufficiat ad cibationem spiritualem.*
10 *Quæ lotio sufficiat, vt quis dicatur sacramentaliter ablutus.*
10 *Pro quo supponat pronomen, Te, in forma baptismi.*
11 *Vrgente necessitate potest conferri baptismus abluendo minimam partem corporis.*

---

1 AD validitatem baptismi requiri, quod ablutio fiat in aliqua parte principali corporis, docent communiter, nempe in capite, vt pote in quo omnes sensus vigent. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 11. *ad* 4. *&* *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. *ar.* 1. *quæst.* 1. *ar.* 3. Scot. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 3. §. *Ad quæstionem dico.* Gabr. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. Syluester *verbo.* Baptismus. 4. *quæst.* 1. Tabiena *verbo.* Baptismus. 5. *num.* 4. Armilla *verbo.* Baptismus. 16. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *dub.* 3. Victoria *de sacram. baptismi num.* 31. Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tr.* 2. *cap.* 3. *conclus.* 3. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 3. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 4. *num.* 2. Ricear. *in* 4. *dist.* 3. *ar.* 4. *quæst.* 3. Summa Baptis. *Tit. de baptis.* §. 31. Summa confessor. *lib.* 3. *tit.* 24. *quæst.* 32. Nugn. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 8. *&* 9. Graf. 2. *par. decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 26. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. *num.* 23. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 13. §. 1. Torreblan. *lib.* 2. *Pract. iur. spirit. capit.* 4. *num.* 33. Conich. 3. *par.* Marcus Serra. *in* 3. *par. quæst.* 66. *art.* 7. ver. *An verò. quæst.* 66. *art.* 7. *dub.* 2. *num.* 80. Paludan. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. *ar.* 1. *conclus.* 2. Licet non omnes ita requirant ablutionem capitis, vt excludant ablutionem alterius partis principalis, volunt tamen in hoc casu reddi dubium baptismum. Ita etiam docent Canonistæ Archidiacon. *in. cap. Baptizari. dist.* 5. Dominic. Cardinal. Alex. *ibid.* vbi & alij Hostiens. *in sum. tit. de baptis.* ver. *Licet autem.* Henr. *in cap. Maiores. de baptismo.* Penna *in l. Cum scimus. C. de agricol. & censib. lib.* 11. *& alij.*

2 Alij verò non requirunt, quod ad validitatem baptismi ablutio fiat in capite, sed sufficere, si fiat in quacunque parte principali corporis, vt in pectore, in scapulis &c. Ita Petrus Soto *lect.* 1. *de baptis.* Suarez *disp.* 20. *de sacram. sect.* 2. Vasquez 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 11. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 2. ver. *Sequitur. quartò* Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 7. ver. *sed arguis.* Angles, *in Florib. par.* 1. *quæst.* 1. *de baptis. ar.* 5. *difficul.* 1. Tabiena *verbo.* Baptismus. 6. *num.* 3. cum Landul. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 1. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 32. Basseus *in Florib. Theol. pract. verbo.* Baptismus. 2. *num.* 5. Bauui *tom.* 1. *theol. moral. tract.* 2. *quæst.* 4. ver. *contraria tamen.* Isambart. 3. *par. quæst.* 66. *disp.* 3. *ar. vlt.* ver. *quæres, an sufficiat.* Palaus. *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 4. *num.* 5.

3 Fundamentum vtriusque sententiæ est, quia ablutio debet esse talis, vt possit homo dici ablutus, vt significant ver-

verba ipsa formæ sacramenti, *Ego te baptizo*, non potest autem dici ablutus, nisi in aliqua parte principali abluatur, ita vt ratione ipsius totus homo censeatur ablutus, & proinde debet esse aliqua pars, in qua representur totus homo: neque enim dicitur homo ablutus, si abluantur manus, aut pes.

4. Plures tamen censent, sufficere ad validitatem sacramenti, si in quacunque parte, etiam minima, fiat ablutio. Ita Glos. *in cap. Propriè.* verbo, *Trium millium. de consecrat. dist.* 4. Panorm. *in cap. debitum. de baptismo.* Innocent. *ibid.* Goffred. *in sum.* tit. *de baptismo.* §. *Item queritur. quid si.* Nauar *cap.* 22. *Manual. num.* 7. Candelabrum aureum. *Tit. de baptis. num.* 57. ver. *contrarium tamen.* Viguerius *cap.* 16. *Instit. Theolog. de baptismo.* §. 1. *ver.* 8. Durand. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. Vasquez 3. *par. disp.* 145. *de sacram. cap.* 4. Ochagauia. *de sacram. tract. de baptis. quæst.* 4. *num.* 3. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 7. *num.* 2. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. tract. de baptis. quæst.* 1. *ar.* 3. *difficul.* 3. Cabrera 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 7. ver. *Vtraque sententia.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de baptis. difficul.* 6. ver. *Durandus verò.* Putean. 3. *par. quæst.* 66. *art.* 4. *dubit.* 4. *conclus.* 3. Ledesma *par.* 1. *sum. tract. de baptis. cap.* 3. *dub.* 3. *post* 3. *conclus.* Pontius *lib.* 4. *de matrim. capit.* 25. *num.* 7. Præposit. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 8. *dub.* 3. *num.* 90. Chelisson. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 8. *dub.* 2. ver. *dicendum tamen.* Fernandez de Hered. *de sacram. par.* 3. *de baptis. dub.* 1. *num.* 8. Et Auersa 3. *par. quæst.* 66. *tract.* 4. ver. *septima in modo* ait speculatiuè loquendo, sufficere ablutionem in quacunque minima parte.

5 Hæc vltima sententia mihi valde probatur, quia certum est, validum esse sacramentum, quando interuenit materia sufficiens pro verificanda forma; facta autem ablutione in quacunque minima parte corporis, sufficit ad verificandam formam, *Ego te baptizo*, hoc est abluo, ergo, nisi aliud desit, baptismus erit validus, quantum est ex parte materiæ. Min. prob. quia quando subiectum est aptum secundum quamlibet sui partem ad recipiendum integrum effectum formæ, & secundum alias partes non dicit aliquid, quod opponatur tali effectui, recepta forma, atque adeo effectu formali in quacunque parte, recipit etiam denominationem ab illa forma, quia tunc non requiritur, nisi quod actio agentis introducat formam, quia statim consequitur denominatio, cum non sit necesse, quod agens aliquid operetur circa alias partes. At in casu nostro quælibet pars corporis etiam minima est sufficiens ad recipiendam formam ablutionis, nec aliquid in cæteris partibus reperitur, quod resistat effectui formali, & denominationi, ergo facta ablutione in quacunque minima parte homo dicetur ablutus, & vera erit forma, *Ego te abluo*. Et hoc videtur significasse D. Cyprian. *Epist.* 76. *ad Magnum.* dum hæc habet. *Non enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali, & sæculari sordes cutis, & corporis abluuntur aphibitris, & cæteris quoque adiumentis; & solio & piscina opus sit, quibus ablui, & mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur; aliter mens hominis per fidei merita mundatur in sacramentis salutaribus. Necessitate vrgente, et Deo indulgentiam suam largiente totum credentibus conferunt diuina compendia.*

6 Ratio autem est. Quia licet in hoc sacramento debeat saluari vera, & physica ablutio corporis, non tamen est necessaria, vt verificetur forma, quod corpus materialiter dicatur ablutum, quia non ordinatur ad effectum materialem ablutionis, vnde nec est necesse, quod sordes tergantur, sed ordinatur ad effectum spiritualem, & ad significandam interiorem ablutionem animæ, ergo sufficit ablutio in quacumque exigua parte corporis, quia adhuc in illa parte potest habere integram, & totalem significationem spiritualis effectus interioris ablutionis, quia pro fundanda hac significatione sufficit vera forma ablutionis quantumuis minima sit.

7 Constat materia in sacramentis ita-

cor-

correſpondet formæ, vt ſimul cum ipſa ordinetur mediante ſignificatione ad cauſandum effectum Sacramenti; & ideo ſufficit, ſi materia ſit talis, vt poſſit coniungi cum forma ad ſignificandum; nam eo ipſo, quod coniungitur, conſurgit integrum ſacramentum. In baptiſmo autem quælibet ablutio in quacumque minima parte corporis poteſt coniungi cum forma ad ſignificandum, quia forma ſignificat ſolum ablutionem ſpiritualem factam mediante ablutione externa ſenſibili; & ideo eo ipſo, quod interuenit vera ablutio externa ſenſibilis, habetur totum quod eſt neceſſarium, vt fiat coniunctio cum forma in ordine ad ſignificandam internam ablutionem. Sic etiam in confeſſione ſufficit ad ſacramentum, ſi quodlibet minimum peccatum etiam aliàs remiſſum coniungatur cum forma, ſiquidem verificatur forma abſolutionis poſito quocumque minimo vinculo peccati.

8 Confir. ſecundo ſacramenta ſunt ſigna ſenſibilia ordinata ad cauſandam gratiam; & proinde ad ipſorum validitatem ſufficit, quod interueniat illud ſignum ſenſibile, in quo ſacramentum inſtitutum eſt, ergo cum Sacramentum baptiſmi ſit inſtitutum in ſigno ſenſibili ablutionis, ſufficit, ſi interueniat ablutio per modum ſigni ſenſibilis. Interuenit autem, etiam ſi fiat in minima parte corporis, quia adhuc eſt vera ablutio ſenſibilis facta in tali corpore.

9 Confir. tertiò. In Euchariſtia non ſolum conficitur ſacramentum in exigua quantitate panis, ſed etiam ſumitur verum ſacramentum, etiam ſi ſe habeat per modum cibi, & ſigni ſenſibilis ordinati ad cibandum, & nutriendum: vnde illa quantitas, quæ in ordine ad cibationem, & nutritionem corporalem non haberetur ob modicitatem in conſideratione, ſed pro nihilo reputaretur, ſufficit in ordine ad cibationem, & nutritionem ſpiritualem, quia ſatis eſt, quod in ipſa ſaluetur ratio ſigni ſenſibilis cibatiui, ergo etiam in ſacramento baptiſmi illa ablutio, quæ ob modicitatem non habetur in conſideratione in ordine ad lauationem corporalem, erit ſufficiens in ordine ad lotionem ſpiritualem, cum in ipſa ſaluetur ratio ſigni ablutiui.

10 Neque obſtat, quod pro oppoſitis ſententiis *num. 3.* allatum eſt; Nam quando dicitur, quod ablutio debet eſſe talis, & tanta, vt dicatur homo verè ablutus reſp. id eſſe verum, ſi intelligatur in ordine ad effectum lotionis ſpiritualis & ſacramentalis, & in ordine ad recipiendum ſignificationem ſacramentalem; non verò in ordine ad effectum lotionis corporalis, quia talis lotio non adhibetur, vt corporaliter lauetur corpus, ſed vt ſignificetur ſpiritualis mundatio. Non eſt autem neceſſe, vt lauetur principalis pars corporis, vt habeatur huiuſmodi ſignificatio, quia quæcunque minima ablutio in quacunque parte ſufficiens eſt, vt ſignum ſit in genere ablutionis, ſed ſolum deberet lauari principalis pars, vt homo cenſeretur ablutus corporali, & materiali modo. Neque vrget pronomen *Te* poſitum in forma baptiſmi, quia non ſupponit pro ſubiecto ablutionis corporalis, ſed ſpiritualis, ita vt ſenſus ſit. Per hoc ſignum ſenſibile ablutionis tibi applicatum, te abluo ſpiritualiter, nam in ſua ſignificatione determinatur à cæteris verbis *In nomine Patris &c.* vt ſupponat ſpiritualiter, & ſacramentali modo.

11 Quare concludendum eſt. Quod vrgente neceſſitate debet miniſtrari baptiſmus, etiam ſi in ſola minima parte corporis poſſit fieri ablutio, quia talis baptiſmus non ſolum non eſt dubius; ſed etiam ſecundum omnes eſt probabiliter validus, & ita docent D. Thom. 3. *par. quæſt.* 68. *art.* 11. *ad* 4. Scot. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. §. *Ad quæſtionem*. Tribarnes *ibid.* Gabr. *quæſt.* 2. *ar.* 3. *dub.* 2. Sotus *diſt.* 5. *quæſt. vn. art.* 11. ver. *In quarto argum.* Landulph. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. Riccar. *diſt.* 3. *art.* 4. *quæſt.* 3. Cardinal. *in Clement. Fidei de ſum. Trinit.* Marquard. de Suſan. *tract. de Iudæis par.* 3. *cap.* 20. *num.* 5. Nugn. 3. *par. quæſt.* 68. *ar.* 8. *&* 9. Coninch. *art.* 7. *dub.* 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 4. *art.* 1. *concluſ.*

2.

2. Abbas *in cap. debitum. de baptis.* Innocen. *ibid.* Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *Attamen.* Bresserus *lib.* 4. *de conscient. cap.* 10. *num.* 105. Marchant. *in quæst. Pastoralib. trac.* 2. *de Bapt. cap.* 1. *quæst.* 2. *Casu* 2. Lezana *in sum. verbo.* Baptismus. *num.* 5. & communiter præsertim citati pro prima, & secunda opinione. Si quidem etiam per ipsos huiusmodi baptismus adminus est dubius, melius autem est baptismum, & remedium salutis dubium, quam nullum adhibere.

An baptismus conferri possit vrgente necessitate abluendo solos capillos. Quæst. 17.

S V M M A.

1 *Doctores negantes valere baptismum nisi abluantur soli capilli.*
2 *Doctores affirmantes.*
3 *Baptismus valet ablutis tantum capillis.*
3 *Capilli sunt pars hominis integralis.*
3 *Ex quibus excrementis fiant.*
3 *Ablutus in capillis dicitur verè ablutus.*
4 *Qualis ablutio requiratur, & sufficiat pro baptismo.*
5 *Vrgente necessitate possunt in baptismo ablui soli capilli.*
6 *An sufficiat ablutio in solis vnguibus pro baptismo.*

1 Baptismum collatum abluendo tantum capillos, non esse verum baptismum, quia capilli sunt excrementa corporis, tenent non solum, qui volunt debere ablui caput, sed etiam, qui volunt abluendam esse aliquam partem principalem, quos in præced. *qu. num.* 1, & 2. citaui & specialiter Lajman. *lib.* 5. *theol mor. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. ver. *Eademque ratio est.* Zambran. *de casib. occurent. temp. mor. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 7. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. *num.* 26. testans de communi Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscien. dub.* 2. *conclus.* 1. Baunt *par.* 1. *theol. mor. tr.* 2. *de Baptis. quæst.* 4. *in fine.* Isambert. 3. *par. quæst.* 66. *disp.* 3. *ar. vlt. in fine* Angles *in Florib. quæst.* 1. *de baptis. ar.* 5. *difficul.* 1. ver. *si capilli.* Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 4. *numer.* 3. Ludouic. à S. Ioan. *par.* 1. *sum. tract. de baptis. quæst.* 1. *artic.* 6. *difficul.* 3.

2 Alij tamen, & est secunda opinio, volunt, sufficere ad validitatem baptismi, si abluantur soli capilli. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. art.* 7. ver. *Ecquid. autem.* Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 7. *num.* 2. Graf. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 29. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 5. *punc.* 2. ver. *sexto sequitur.* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 10. Bartholom. ab Angelis *Dialogo* 2. *de sacram. Baptis.* §. 101. Vasquez 3. *part. tom.* 2. *disp.* 145. *numer.* 31. Coninch. *quæst.* 66. *ar.* 7. *dub.* 2. *num.* 78. Chelliton. *ar.* 8. *dub.* 2. ver. *Confirmatur.* Putean. *ar.* 4. *dub.* 4. ver. *Ex istis colligitur.* Præposit. *ar.* 8. *dub.* 3. *nu.* 90. ver. *Idem dico.* Posseuin. *de offic. cur. cap.* 6. *num.* 7. ver. *Communiter baptismus.* Molfesius *par.* 1. *sum. tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 36. Filliut. *tract.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 6. Ochagauia de sacram. *tract. de baptis. quæst.* 4. *num.* 3. Ledesma *par.* 1. *sum. tract. de Baptis. cap.* 3. *dub.* 3. *post* 3. *conclus.* ver. *Tiene difficultad.* Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *dum verò.* Lezana *in summa. verbo.* Baptismus *num.* 5. Fernandez de Heredia *de sacram. ad cap.* 1. *de consecrat. post.* 4. *par.* 3. *de baptis. dub.* 1. *numer.* 8. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 4. *num.* 7.

3 Hanc secundam sententiam existimo amplectendam esse, quia capilli verè sunt pars ipsius hominis pertinens ad integritatem, & ornatum ipsius quamuis fiant ex excrementis, quia non fiunt ex illis excrementis, quæ natura eijciat tanquam omnino superflua, & noxia corpori, sed ex illo genere excrementorum, quæ solum dicuntur excrementa; quia superfluunt alicui parti, non autem absolutè superfluunt, & eijciuntur

tur, sed sunt ordinata ab ipsa natura ad aliquem finem, & ipsi inseruiunt pro effectu concernente prefectionem corporis. Quod autem ablutis capillis dicatur quis verè ablutus ex eo constat, quia si aues abluantur in pennis, etiam si aqua non pertingat ad carnes dicuntur verè ablui; sicut etiam, si oui super infundatur aqua, licet non pertingat ad cutem, sed tantum sistat in vellere, dicitur ablui.

4 Nec obstat, quod per ablutionem capillorum non dicatur quis simpliciter ablui, quia ablutio sacramentalis baptismi non est mensuranda secundum regulas ablutionis corporalis; quia etiam si quis lauet sibi faciem, non dicitur ablutus absolutè, aut etiam si lauet sibi caput, sed solum dicitur ablutus caput, ablutus faciem, & tamen tàm ablutio capitis, quàm faciei sufficeret ad validitatem baptismi. Quare sufficit, si ablutio sit talis, per quam dicatur sacramentaliter ablutus: vt autem quis dicatur sacramentaliter ablutus, sufficit, si sensibiliter abluatur, quia tunc habetur sensibile signum sacramenti.

5 Stante ergo hac probabilitate validitatis baptismi per ablutionem in solis capillis, absque vllo scrupulo vrgente necessitate ministrari poterit baptismus abluendo solos capillos, quod etiam admittunt Doctores prioris opinionis. Quia habetur, quantum est ex parte materiæ, sensibile signum sacramenti baptismi, et sufficienter applicatur, si quidem applicatur notabili parti ipsius hominis, et quæ sufficit, vt homo denominetur lotus. Ita enim se habent capilli ad hominem, sicuti frondes ad arborem; vt autem arbor dicatur lota, sufficit, si aqua effundatur supra frondes. Quia tamen adest opinio plurium, et grauium Doctorum, quod huiusmodi baptismus non sit validus, ideo non debet adhiberi, nisi vrgente necessitate, quia non est relinquendus ille modus administrandi sacramenta, qui secundum omnes certus est, quando non vrget necessitas.

6 Quod autem aliqui quærunt, an sufficiat ablutio in solis vnguibus pro validitate baptismi, omnino frustratoria est quæstio, quia non potest contingere, quod ablutio possit fieri in vnguibus, et non possit fieri etiam in digitis: vnde nunquam aderit talis casus necessitatis. Si tamen in solis vnguibus fieret ablutio, probabilissimum est, quod baptismus teneret, vt notant etiam Bauni *tom. 1. theol. moral. tract. de baptis. quæst. 4. in fine* Ochagauia *de sacram. tract. de baptis. quæst. 4. num. 3.* Chellison. *3. par. q. 66. ar. 8. dub. 2. ver. confir.* Lezana *in sum. verbo* Baptismus *num. 5.* nam vngues sunt pars hominis pertinens ad ipsius integritatem, et naturali vnione adhærent corpori; ita vt se habeant, sicut se habet cortex in arboribus: vnde sicuti diceretur ablui arbor, si ablueretur in cortice, ita etiam dicetur ablui homo, si abluatur in vnguibus.

An vrgente periculo mortis possit infans baptizari adhuc inuolutus in pelle secundina. Quæst. 18.

SVMMA.

1 *An infans baptizari possit adhuc inuolutus in secundina & num. 2.*
3 *Quid sit secundina, & an pars infantis.*
3 *Infans in secundina non est perfectè natus.*
4 *Vrgente periculo potest infans baptizari obuolutus in secundina.*
5 *Infans inclusus in arca, vtre &c. non potest validè baptizari.*
5 *Nec etiam si aspergantur sola vestimenta.*
5 *Quale signum ablutionis sensibile requiratur in baptismo.*

1 POsse infantem validè baptizari obuolutum in pelle, quam vocant secundinam, docent Aureol. *in 4. dist. 4. quæst. 1. ar. vn.* Sylnester *verbo.* Baptismus. *4. quæst. 1.* Angelus *verbo* Baptismus *6. quæst. 4.* Vasquez *3. par. tom. 2. disp. 145. cap. 4. num. 31.*

Coninch. *quæst.* 66. *art.* 7. *dub.* 2. *num.* 77. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 4. *num.* 8. Ochagauia *de sacram. tract. de baptis. quæst.* 4. *num.* 3. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo.* Baptismus. *num.* 4. Chellison. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 8. *dub.* 2. *ver. confirmatur*, Præposit. *num.* 91. Fundantur autem in eo, quod huiusmodi pellis secundina pertineat ad infantem tanquam pars ipsius.

2 Alij tamen tenent huiusmodi baptismum non esse validum. Ita Laiman, *lib.* 5. *theol. moralis tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. *ver. Idemque sentiendum*, Bauni *part.* 1. *theol. mor. tract.* 2. *de baptismo*, *quæst.* 4. *in fine. ver. Sequitur ex dictis.* Zambran. *in suis decis. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 8. Isambert. 3. *par. q.* 66. *disp.* 3. *ar. vlt.* Ver. *quæres secundo.* Basseus *in Florib. theol. pract. verbo.* Baptismus. 2. *num.* 4. Marchant. *in Resol. Pastoral. de sacram. tract.* 2. *cap.* 1. *quæsito* 3. *casu* 3. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *Quartò deinde.* Raynaud. *de ortu infan. contra nat. cap.* 6. *num.* 14 ver. *scio.*

3 Hæc posterior sententia certa mihi videtur, quia pellis secundina, vt notant Anatomici, præsertim Riolanus *lib.* 5. *Antropographiæ cap.* 3. est inuolucrum quoddam ordinatum à natura ad conseruationem foetus existentis in vtero, ne lædatur præsertim ab vrina, quam emittit foetus, & asseruatur inter ipsam secundinam, & aliud inuolucrum, quod dicitur Chorion, vnde ex vi natiuitatis debet à foetu abijci hæc secundina; & quando non potest abiicere, nascitur cum ipsa, vel etiam aliqando partem abiicit, & partem non potest abiicere, vnde infans nascitur galeatus, vt notat idem Riolanus *cit.* Cum igitur tanquam inuolucrum quoddam vteri debeat abijci in natiuitate, dum non est abiecta. infans non erit perfectè natus, cum adhuc sit in aliqua parte inuolucri vteri, & dum aqua non potest corpus tangere, nec etiam poterit ablui, & baptizari; quia si abluatur inclusus in secundina, non abluetur infans, sed abluetur inuolucrum vterale abijciendum. Ex quibus constat, quod non potest pertinere ad infantem tanquam pars ipsius, cum sit quid abijciendum ex vi natiuitatis; sed potius pertinebit ad vterum, vt inuolucrum, in quo contineat foetum.

4 Hoc tamen non obstante, si periculum sit in mora poterit infans baptizari adhuc inclusus in secundina, quia plures Doctores asserunt huiusmodi baptismum esse validum, quod saltem per locum extrinsecum facit opinionem probabilem, & melius est adhibere remedium dubium, quando non potest haberi certum. Et ita docent communiter Doctores etiam pro secunda sententia citati, & specialiter Syluester *verbo* Baptismus 6. *num.* 2. Armilla *verbo.* Baptismus. *num.* 38. Angelus *verbo.* Baptismus 6. *num.* 4.

5 Ex dictis colligitur à fortiori non posse validè confici baptismum, si baptizandus sit inclusus in arca, in vase, aut in aliquo simili, ita vt aqua non possit pertingere corpus. Sicut nec etiam si aspergantur tantum vestimenta. Quamuis enim Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 7. ver. *Reuera res est* dubitare videatur quò ad aspersionem vestimentorum, concludit tamen pro inualiditate, & ita etiam communiter docent. Scot. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 3. §. *ad quæstionem*. Syluester *verbo.* Baptismus. 4. *num.* 2. Angles *in floreb. par.* 1. *quæst.* 1. *de baptis. ar.* 5. *difficul.* 1. ver. *si aqua* Bartholom. ab Angel. *Dial.* 2. *de baptis.* §. 102. Viual. *in candelab. tit. de baptis. cap.* 2. *num.* 6. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 2. ver. *Itaque sequitur.* Suarez *de sacram. disp.* 20. *sect.* 2. Reginal. *lib.* 27. *prax. in fori poenit. num.* 15. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 5. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 6. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. *num.* 21. Isambert. 3. *part. quæst.* 66. *disp.* 3. *ar. vlt.* ver. *quæres secundo.* Putean. *ar.* 4. *dub.* 4. *num.* 3. Præposit. *ar.* 8. *dub.* 3. *init.* Syluius *art.* 7. ver. *sequitur secundo.* Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. ver. *corollarium* 2. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 4. *num.* 6. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo.* Baptismus 2. *num.* 4. Coninch. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 4. *dub.* 2.

num.

num. 25. Bauni *par.* 1. *theol. mor. tr.* 2. *de baptis. quæst.* 4. ver. *sequitur ex dictis*. Quia cum ablutio sit sensibile signum per cuius applicationem mundatur anima, debet applicari ipsi mundando; non applicatur autem, si applicetur vestibus solum, & non ipsi corpori. Et ratio est, quia licet ablutio ista sacramentalis non debeat detergere sordes corporis, debet tamen esse signum in genere detersiui sordium, cum debeat significare detersionem sordium animæ. Non potest autem esse signum in actu practico, & exercito, nisi applicetur corpori. Vnde D. August. *tract.* 80. *in Io. Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat.* Et ideo quamuis quis dicatur ablui, quando in vestibus abluitur, non dicitur tamen ablui ea ablutione, qua sufficienter applicetur signum sensibile sacramenti. Si tamen vestes essent talis conditionis, aut tanta esset ablutio, quod statim penetraret vestes, & perueniret ad corpus, dum fit ipsa ablutio, proculdubio sufficeret, quia tunc corpus verè ablueretur.

An possit infans vrgente periculo mortis baptizari in vmbilico si non potest in alia parte ablui.

Quæstio 19.

S V M M A.

1 *An valeat baptismus si abluatur solus vmbilicus infantis.*
2 *Vrgente necessitate potest baptismus ministrari cum ablutione dubia.*
2 *An vmbilicus sit pars hominis.*
3 *An baptizatus in solo vmbilico sit sepeliendus in loco sacro.*
4 *In dubio fauendum mortuis pro ecclesiastica sepultura.*

1 Casum contigisse refert Marchant. *in Resolut. pastoralib. de sacram. tract.* 2. *cap.* 1. *quæsito* 2. *casu* 2. Et difficultas procedit de vmbilico, quo fugit alimentum à matre, & illi coniungitur, & asserit in casus contingentia fuisse baptizatum quemdam infantem ab obstetrice. Docet autem non posse baptizari, quia vmbilicus non est pars hominis, & proinde præciditur. Subdit tamen, posse forte cum aliqua probabilitate asseri, quod baptismus teneat, cum possit dici, quod vmbilicus sit pars hominis non secus, ac sunt capilli, & quia forte per ipsum posset aqua ad corpus infantis pertingere. Auersa autem 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *quarto deinde* absolutè negat esse validum.

2 Verum cum iuxta communem sententiam, vt superius visum est, possit infans baptizari sub conditione cum materia dubia vrgente necessitate, non video, vt etiam non possit baptizari sub conditione cum ablutione dubia, quæ est materia proxima sacramenti. Tunc autem ablutio est dubia, quando fit in aliqua parte, aut in qua dubitatur, an sufficiat, aut de qua est dubium, an sit vera pars hominis. Quod autem spectat ad vmbilicum, quamuis dubitetur, an sit vera pars hominis; probabiliter tamen censeri potest, esse veram partem, quia generatur ex eadem materia, ex qua fit fœtus, vt Anatomici obseruant, & est organum, seu naturale instrumentum ipsius fœtus, quo mediante accipit à matre nutrimentum, & inseruit loco oris ad assumendum alimentum. Nec obstat, quod præcidatur, quia tunc solum præciditur, quando amplius non inseruit. Sic etiam capilli, & vngues præciduntur, quando amplius non inseruiunt, & tamen non per hoc fit, quod non sint partes integrantes hominis. Solum obijci posset, quod in tali casu infans non dum est natus, & proinde non potest per baptismum renasci. Sed de hoc dicetur in sequenti.

3 Ex his resoluitur aliud dubium, an infans baptizatus solum in vmbilico sit sepeliendus, si moriatur, in loco sacro. Resp. enim Marca nt. *loco citato*, non esse condemnandos, qui in loco sacro

cro ipsum sepelirent, quia habet ad id saltem aliquod ius apparens ratione talis bapismi; nec debet priuari, nisi manifestè, & irrefragabiliter constet esse priuandum. Verum cum ex dictis, probabile sit, quod vmbilicus sit pars hominis, & proinde quod etiamtalis baptismus teneat, habet non solum apparens, sed probabile ius ad sepulturam in loco sacro, vnde non erit priuandus. Et ideo non esse baptizatum baptismo dubio priuandum sepultura in loco sacro, docent Syluester *verbo.*Baptismus. *quæst.* 1. Nald. *eodem tit. num.* 18.

4 Dices. Ecclesia habet ius certum arcendi à sepultura in loco sacro omnes, qui non sunt baptizati, & sic batizatus habet solum ius dubium, quia baptismus, ratione cuius acquirit ius, remanet dubius; ergo cum concurrat ius certum Ecclesiæ cum iure dubio infantis, debet præualere ius certum, & excludi infans. Resp. Ecclesiam habere ius certum arcēdi à sepultura in loco sacro, stante certitudine, quod quis non sit baptizatus, cum in hac certitudine fundetur certitudo iuris. Cum ergo in casu nostro non adsit talis certitudo, imo probabilitas baptismi, corruit certitudo iuris Ecclesiæ, quia tale ius non habet fundamentum certum, sed dubium, nempe dubietatem baptismi: vnde ex vtraque parte concurrit ius dubium & in dubio fauendum est infanti, quia sumus in fauorabilibus ipsius infantis, quæ proinde extendenda sunt.

An infans in vtero existens, & periclitans possit baptizari. Quæstio 20.

S V M M A.

1 *Infans non potest baptizari in vtero abluendo vterum matris.*
1 *Qualiter partus sit pars ventris.*
1 *Baptismus est personalissimus.*
2 *Infans in ventre an possit baptizari, si aqua ad ipsum pertingere possit.*
2 *Qui natus non est, non potest renasci.*
3 *Qui sentiant posse baptizari.*
4 *Infans in vtero quomodo capax baptismi.*
5 *Duplex natiuitas Ex vtero, & in vtero.*
5 *An ratione duplicis huius natiuitatis homo bis nascatur.*

1 NOn posse batizari abluendo ipsam matrem, pro certo ab omnibus supponitur, & habetur ex D. Isidoro *lib. 1. de sum. bono cap.* 24. relato in cap. *qui in maternis. de consecret. dist.* 4. ibi. *qui in maternis vteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.* Nec sufficit, quod partus sit pars ventris. *l. 1. ff. de vent. inspic.* quia est pars ventris in ordine ad effectus ciuiles, non autem in ordine ad ea, quæ personalissima sunt, qualis est baptismus cap. *Si qua. De consecrat. dist.* 4. & notat Glos. *in cap. Si ad matris. in secunda figurat. casus.* eodem *tit.* Solum difficultas est, an posit baptizari, quando periclitatur, et potest aqua ad ipsum aliquo modo pertingere.

2 Partem negatiuam tradunt *Maior in 4. dist. 3. quæst. 1. §. Quartò arguitur in fine.* Mayron. *dis.* 4. *quæst.* 1. §. *Sed occurrit.* Richar. *dist.* 6. *ar.* 2. *qu.* 1. Astens. *par.* 1. *sum. lib.* 4. *tit.* 6. *ar.* 2. *quæst.* 5. Angles *in Florib. quæst.* 2. *de baptis. ar.* 3. *conclus.* 1. Graf. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 31. Comit. *lib.* 1. *Respons. moral. quæst.* 13. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 33. Ochagauia *de sacrament. tract. de baptis. quæst.* 4. *num.* 5. Suarez 3. *par. quæst.* 68. *art.* 11. *in com.* Raynaund. *de ortu infant. con. nat. cap.* 6. *num.* 13. Marchant, *in Resol. pastoral. de sacram. tract.* 2. *cap.* 1. *quæsito* 2. *casu* 4. Et fundantur in ratione allata, quia qui natus non est, non potest renasci per baptismum, qui est regeneratio hominis.

3 Communiter tamen partem affirmatiuam tenent. Ita Valent. *tom.* 4. *dist.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 2. ver. *Tertio sequitur.* Philiar. *par.* 2. *de offic. sacer. lib.* 1. *cap.* 8.

8. Gabr. *in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3. dub. 2.* Bonac. *disp. 2. de sacram. quæst. 2. punc. 3. num. 23.* Victor. *in sum. de sacram. num. 31.* Viual. *in candelab. de modo baptis. num. 16. ver. Si autem puer*, Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 2. cap. 3. num. 2. ver. Ad auctoritatem*. Capeauil. *de administr. sacram. cap. 2. de baptis. quæst. 1.* Naldus *in sum. verbo*. Baptismus. *num. 3. ver. de puero*. Præposit. *3. part. quæst. 66. ar. 8. dub. 3. num. 91.* Zambert. *quæst. 68. disp. 1. ar. 5. ver. Notandum tamen*. Lezana *verbo*. Baptismus. *num. 5.*

4 Hæc posterior sententia absolute tenenda est, quæ desumitur etiam ex D. Th. *3. par. quæst. 68. art. 11. in corpore*, vbi in tantum docet, aliquem adhuc existentem in vtero nō posse baptizari, quia non potest ablui: vnde à contrario sensu per ipsum poterit baptizari, si ablutio ad ipsum pertingere possit. Et ratio est, quia si aqua pertingat ad infantem adhuc in vtero existentem, verè abluitur corpus ipsius non secus, ac si esset extra vterum, ergo si cœtera concurrant, erit verus baptismus quantum est ex parte materiæ. Rursus valet etiam, quantum est ex parte subiecti, quia subiectum est homo viuus eodem modo se habens, ac si esset extra vterum, et proinde est capax talis sacramenti, quia in tantum requiritur, quod sit extra vterum, in quantum possit subijci actioni ablutiuæ ministri, vnde si in vtero potest subijci, non desinet per hoc esse verus baptismus.

5 Nec obstat ratio in oppositum, nam quando dicitur, quod qui non est natus, non potest renasci, intelligitur de eo, qui nullo modo natus est. Est enim natiuitas duplex. Alia ex vtero quando infans egreditur ex vtero; et alia, in vtero, quando nimirum concipitur, quæ quidem est propriè natiuitas, quia tunc homo incipit viuere, & contrahit peccatum originale, et proinde est filius iræ secundum Apostolum ..... ita vt si moriatur, damnetur. Vnde etiam Matth. 1. de Christo concepto à B. Virgine dicitur. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Neque sequitur, quod homo bis nascatur, quia natiuitas ex vtero, non est distincta à natinitate in vtero, sed est complementum illius.

An liceat ministrare baptismum vrgente necessitate cum forma dubia. Quæstio 21.

SVMMA

1 *Forma baptismi dupliciter dubia.*
2 *Vrgente periculo licet ministrare baptismum cum forma dubia secundum se.*
3 *Et etiam cum forma dubia apud baptizaturum.*
4 *Conscientia dubia circa operationem non infert peccatum, sed solum dubia circa exercitium operationis.*
5 *An stante dubietate formæ ministrandus baptismus sub conditione.*
5 *An conditio debeat verbis exprimi.*
5 *Voluntas exterius non manifestata quando nihil operetur.*

1 CAsus potest contingere, si baptizandus sit in mortis periculo, & nemo adsit, qui sciat veram formam baptismi. Potest autem forma baptismi esse dubia, vel secundum se, si nimirum ita varietà consueta Ecclesiæ, vt dubitetur, an in ipsa saluentur substantialia formæ. Vel quò ad baptizaturum, si nimirum ipse dubitet, an ea, quam memoriter tenet, sit vera forma.

2 Dico primo. Licet baptizare constitutum in mortis periculo cum forma dubia, quæ sit talis secundum se. Ita specialiter Ochagauia. *De sacrament. tract. 1. de sacram. in genere. quæst. 5. num. 17.* Diana *part. 5. tract. 17. resol. 4. in fine*. Lezana *verbo*. Baptismus *num. 6.* Et ita sentire debent omnes, qui docent, posse confici baptismum vrgente necessitate cum materia dubia; est enim eadem ratio, cū baptismus non minus

nus dependeat à materia tanquam à parte essentiali, quam dependeat à forma. Ratio etiam est eadem, quia est adhibendum illud remedium salutis, quod potest adhiberi, cum sit melius dubium, quàm nullum omnino adhibere.

3 Dico secundò. *Est* etiam licitum ministrare baptismum cum forma dubia apud baptizaturum. Ratio est, quia quamuis baptizaturus dubitet de veritate, fieri tamen potest, quod sit vera, & sufficiens forma, & consequenter verum sacramentum, ergo non debet constitutus in periculo priuari hoc beneficio.

4 Dices baptizans cum dubio de veritate formæ operatur cum conscientia dubia, ergo non licitè baptizat, quia non licet operari cum conscientia dubia. *Resp.* operaretur cum conscientia dubia circa validitatem baptismi, non autem dubia circa honestatem operationis, nam sciret se rectè operari, quia sciret, esse licitum ministrare baptismum in tali casu cum forma dubia. Solum peccaret, si dubitaret, an esset licitum cum tali forma baptizare, & non deponeret dubium, antequam baptizaret. Et hoc est operari cum conscientia dubia, minimum dubitare, an liceat ipsa operatio.

5 Quæres, an stante vtroque dubio circa formam debeat ministrari baptismus sub conditione. *Resp.* affirmatiuè, quia minister debet tractare sacramenta cum omni reuerentia debita; & ideo cum non possit adhibere nisi materiam, & formam institutam à Christo, quando dubitat, an quod adhibet, sit secundum institutionem Christi, debet remouere suam intentionem contrauentioni institutionis, quod fit, si conditionaliter adhibeatur. Non est tamen necesse, conditionem verbis exprimi, sed sufficit, quod mente concipiatur, quia operatio regulatur ab interna intentione. Nec obstat, quod voluntas exterius non explicata nihil operetur *l. Si repetendi. ff. de condit. ob cau.* quia intelligitur, quò ad ea, quæ pertinent ad forum externum.

An baptizatus vrgente periculo cum verbis explicantibus diuerso modo, ac fit, actionem ministri, sit verè baptizatus. Quæstio 22.

SVMMA.

1 *Actus ministri explicandus in baptismo.*
1 *Abulens si solum dicat* In nomine Patris &c. *non baptizat, etiam si intendat baptizare.*
2 *Verba formæ debent correspondere in baptismo actioni ministri.*
3 *Explicare actum diuerso modo, ac fit, non officit validitati baptismi.*
4 *Alia substantia ablutionis, alius modus.*
4 *Modus ablutionis se tenet ex parte ablutionis actiuæ.*
4 *Forma baptismi quomodo significet actum baptizantis.*
5 *Verba accipiuntur secundum intentionem proferentis.*
5 *Sunt instituta ad declarandum mentem.*
5 *Debent menti accomodari.*
6 *Verba significant secundum subiectam materiam, & naturam actus, etiam cum impropriatione.*
6 *Verbum* Emit *accipitur pro* Conduxit.
7 *Verba sequentia declarant antecedentia.*
7 *Baptizatus cum forma explicante actum aliter, ac fit, an re baptizandus.*
7 *In quocunque idiomate expedit vti verbo* Baptizo.

1 Esse necessarium explicare in forma baptismi actum ministri, certum omnino est apud omnes; & habetur in Decreto Eugenij *in Concil. Florent.* vbi Pontifex explicans, quæ nam sint essentialia baptismi, inquit. *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctissima Trinitatis innocatione, perficitur sacramentum.* Vnde si quis ablueret baptizandum, & solum diceret, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non conficeret sacramantum, vt declarat Alexan. III in cap. *Si quis. De baptismo.* Et ratio est,

est, quia, cum actus exterius ablutionis possit ordinari ad diuersos fines, debet ex intentione baptizantis ordinari ad mundandam animam; & quia sacramentum est signum sensibile significans, quod causat, debet etiam in esse sensibili determinari ab intentione ministri, quod in baptismo fit per illa verba. *Ego te baptizo.* quæ exprimunt intentionem mundandi. Difficultas ergo est, an si quis baptizans vrgente necessitate, nec percipiens propriam significationem verborum abluendo diceret *Ego te asperge*, aut asperge immergendo, aut immergo aspergendo, validè baptizaret.

2 Quod baptismus non sit validus tenent Angles *in Florib. par. 1. quæst. 1. de essential. Baptis. ar. 5.* ver. *Si verbum*, Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. quæst. 1. de baptis. ar. 6. dub. 1. difficul. 2. appen. 2.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 5. difficul. 4. num.* 8. & alij Recentiores, quia verba formæ debent correspondere actioni ministri, ita vt ipsam exprimant; vnde si non correspondeant in significatione falsa erit significatio, quia vnum fiet, & aliud exprimetur, quando autem forma est falsa non conficitur sacramentum, quia tunc mutatio est essentialis.

3 Alij tamen docent futurum validum sacramentum. Ita Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vn. ar. 5.* ver. *At verò.* Isamber. *3. par. quæst. 66. disp. 1. ar. 3. init.* & alij. Quia ista verba in forma baptismi ex accommodatione idem significant, quod baptizo.

4 Et hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Et ratio est quia in ablutione baptismi duo considerari possunt, & substantia ablutionis, & modus, quo fit. Substantia ablutionis consistit in eo, quod aqua tangat corpus, & fluat aliquo modo per ipsum; & semper eadem est, siue fiat per aspersionem, siue per effusionem, siue per immersionem. Modus autem importat mensuram, & determinationem, qua fit ablutio, et proinde se tenet ex parte applicationis aquæ, quę applicatur ad abluendum. Ex quo fit, quod diuersitas modi, quo applicatur aqua, se teneat ex parte actionis, seu ablutionis actiuæ; non autem ex parte ablutionis passiuæ, quia hæc solum dicit contactum aquæ ad corpus, et fluxum per ipsum. Quia ergo forma baptismi significat actum baptizantis nō quomodocunque sed ordinatum ad baptizandum, et ad effectum, ad quem tendit, ideo significat non quomodocunque, sed vt stat sub determinatione talis effectus, non autem, vt stat sub determinatione modi, quo fit. Et ideo ad veritatem ipsius sufficit, si significet actionem, vt stat sub tali determinatione, nec est necesse, quod significet determinationem modi ipsius actionis, quia talis modus non per se concurrit ad effectum baptismi. Confir. Si quis baptizans dicat, *Ego te abluo*, conficit sacramentum, quamuis non explicet modum ablutionis, cum ablutio possit fieri diuersis modis, ergo sufficit si forma explicet ablutionem secundum substantiam, vt habeat veram significationem. Dices sufficere si significet substantiam ablutionis, dummodo tamen non significet modum diuersum ab eo, quo fit. Verum neque hoc officit, nam ad summum sequitur, quod forma esset tantum falsa respectu alicuius accidentalis efficientis actionis: vnde solum esset falsa secundum aliquam significationem accidentalem; non autem secundum substantialem. Quādo autem in forma saluatur substantialis significatio, saluatur validitas sacramenti. Absolutè tamen non esset falsa.

5 Ratio autem huius rei est, quia verba accipiuntur secundum intentionem proferentis *l. Non omnis init. ff. si cer. pet. & l. Scire oportet. §. Aliud. ff. de excusat. tut.* et cap. *Intelligentia*, et cap. *Propterea de verbor. significat.* Cum enim ex natura sua sint instituta ad declarandam mentem, et intentionem *l. Scire ff. de tract. & curat.* et *l. 1. §. diuus. ff. Ad leg. Cornel. de sicar.* sequitur, quod debeant inseruire menti proferentis, et ipsi accommodari *l. Non aliter. ff. de legat. 3.* et cap. *Secundò requiris de appellat.* Vnde cum baptizans proferat talia ver-

verba in ordine ad effectum baptismi, et ex intentione ipsius, quamuis diuerso modo significent actionem ipsius, ac tis, accommodantur tamen intentioni proferentis, atque adeo determinantur ad significandum effectum baptismi.

6 Præsertim quia verba significant secundum subiectam materiam, et naturam actus, qui fit *l. Si nuo. ff. Locati*. et cap. *Constitutus de religiosis damib.* et cap. *solita. de maior. & obedient.* ita vt, si opus sit debeant etiam impropriari, vt significent actum, qui fit §. *Nunc autem. Instit. quib. alien. lic vel non*. Vbi Glos. *verbo. dederint*, et notant Paris. *Consil.* 78. *num.* 20. *lib.* 3. Corn. *Consil.* 138. *num.* 3. *lib.* 3. Vnde Ripa *tract. de peste*. Tit. *de priuileg. contr. num.* 57. notat quod verbum, *Emit*, accipitur pro, *Conduxit*, quando natura actus hoc exigit. Cum ergo natura actus, qui exercetur, exigat, quod exprimatur tanquam ablutio, verba significabunt ablutionem sacramentalem, quamuis aliàs significent hunc, vel illum modum ablutionis, quocunque modo fiat. Nam à subsequentibus verbis *In nomine Patris &c.* determinantur ad significandam ablutionem sacramentalem, seu vt signum sensibile sanctificatiuum, verba nanque sequentia declarant præcedentia *l. Si seruum. §. fin. ff. de leg. 1. & l. Verum. ff. de petit. hared.*

7 Quia tamen aliqui tenent, quod huiusmodi baptismus non sit validus, ideo si contingeret aliquem hoc modo baptizari, esset sub conditione rebaptizandus, quod monet etiam Isambert. 3. *par. quæst. 66. disp. 1. art. 3. init.* Quia agitur de remedio omnino necessario ad salutem, et quod est fundamentum aliorum sacramentorum, et ideo debemus de ipso securi esse, quantum fieri potest. Vt autem vitetur omnis difficultas expedit in baptizando vel in quacunque lingua verbo, *Baptizo*, quia hoc semper idem significat, et est verbum proprium pro forma huius sacramenti.

An, si quis vrgente necessitate baptizaret solum in nomine Christi, teneret baptismus. Quæst. 23.

SVMMA.

1 *An Apostoli baptizauerint in nomine Christi, & num. 10.*
1 *Patres, qui videntur sentire, quod baptismus in nomine Christi collatus valeat.*
1 *Definitio Nicolai Papæ.*
2 *Qui sentiant, valere baptismum collatum in Nomine Christi.*
3 *Baptismus collatus in nomini Christi non valet.*
4 *Definitur à summis Pontificibus.*
5 *Inualiditas baptismi, si omittatur in forma aliqua persona Trinitatis.*
6 *Patres requirentes expressam inuocationem Trinitatis, vt baptismus valeat.*
7 *Forma baptismi præfixa à Christo seruanda, vt baptismus valeat.*
8 *Apostolus miratur, quod aliqui sint baptizati, & non audierint esse Spiritum sanctum.*
9 *Cur Apostolus dixerit*, In quo baptizati estis.
10 *Ritus baptizandi primitiuæ Ecclesiæ.*
11 *Cur Apostoli dicantur baptizasse in nomine Domini Iesu.*
11 *Quid importet nomen.*
11 *Fieri in virtute, & fieri in nomine alicuius idem sunt.*
12 *An Stephanus Papa senserit, valere baptismum in nomine Christi.*
13 *An D. Ambrosius.*
13 *Quando Baptismus dicatur plenum sacramentum.*
14 *Explicatur D. Athanasius circa baptismum in nomine Christi.*
15 *Quid definierit Nicolaus Papa in cap. A quodam Iudæo.*
16 *An baptismus in nomine Dei, & sanctæ, & veræ Crucis valeat.*

1 Fieri potest, quod baptizans constitutum in extremis, dubitet, quod prius moriatur, quàm proferat totam formam, & proinde breuitatis causa solum dicat. *Ego te baptizo*

...is in nomine Christi. Quæritur, an talis baptismus habendus sit pro valido. Et pro parte affirmatiua facit primo, quod in Actibus Apostolorum cap. 8. legimus Apostolos baptizasse in nomine Christi. ibi: *In nomine Iesu Christi baptizabantur viri, & mulieres*. Et rursus. *Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu*. Et cap. 19. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu*. Et cap. 2. Petrus dixit. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Secundo quia etiam SS. Patres videntur agnoscere hunc baptismum esse validum, vt S. Stephanus Papa & Martyr apud S. Cyprianum Epist. 73. *ad Iubaianum*. quod colligere ex dicta Epist. putat Baronius *in Annalib. Ecclesias: anno Christi 34* S. Ambros. *lib. 1. de Spiritu Sancto cap.3*. dum docet, in solo Christi nomine totam significationem baptismi contineri; quia Christus sonat vnctum, & vna persona infert aliam: & proinde totum fidei sacramentum, nempe baptismum, haberi, si vna tantum persona in sermone comprehendatur, & aliæ à fide non abnegentur. Idem etiam videtur sentire D. Athanasius *lib. de Trinit.* dum ait. *Numquid præuaricatores mandati saluatoris Apostoli effecti, & contra traditionem eius baptizarunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est baptizasse eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed tantum in nomine Domini Iesu. Numquid ergo præuaricati sunt? Absit. Nam licet Filij nomen tantummodo dicatur, habet tamen, & Patrem, & Spiritum Sanctum secum pronunciatum*. Tertio quia videtur Nicolaus Papa hoc definisse in *Respons. ad Bulgaros*, vt refertur in cap. *A quodam Iudæo. de consecrat. dist.* 4. nam interrogatus, an baptismus collatus à Iudæo esset validus, an vero ab eo baptizati essent rebaptizandi, respondit. *Si hi in nomine S. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (vnumque quippe, idemque est, vt S. Ambrosius exponit) constat, eos non esse denuo baptizandos*. Cum ergo doceat, non esse rebaptizandum baptizatum in nomine Christi, iam declarat, talem baptismum valere, Pontifex autem in suis declarationibus non potest errare in ijs, quæ pertinent ad instructionem vniuersalis Ecclesiæ.

2 Propter hæc, nonnulli putauerunt, huiusmodi baptismum esse validum. Ita Beda *in cap. 10. Actor.* Magister *in 4. dist. 3.* Adrianus. *quæst. 2. de Baptis. ver. ad rationes.* Caiet. 2. 2. *quæst. 66. ar. 5. & 6.* Hugo Victorin. *lib. 2. de sacram. par. 6. cap. 2.* & probabile putat Maior *in 4. dist. 2. quæst. 2.* & Glos. & nonnulli Canonistæ in dict. cap. *à quodam de consecr. dist.* 4.

3 Alij tamen, & communiter absolutè tenent, baptismum sic collatum non esse validum. Ita D. Th. *3. part. quæst. 66. ar. 6.* D. Bonauen. *in 4. dist. 3. ar. 2. quæst. 2.* Durand. *quæst. 1. num. 8. & 9.* Gabr. *quæst. vn. art. 3. conclus. 2.* Scot. *quæst. 3. §. Tertiò de forma.* Palud. *qu. 1.* Richar. *ar. 2. quæst. 10. ad. 3.* Marsil. *quæst. 3.* Sotus. *quæst. vn. art. 6.* Estius *ibid. §. 3.* Tribarne *disp. 9. sect. vn.* ver. *dicendum est.* Palat. *disp. 1.* ver. *quod verò secundum.* Altisiodorens. *lib. 3. tract. 3. cap. 4. quæst. 2.* Alens. *par. 4. quæst. 3. memb. 3. art. 2.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 10.* Armacan. *lib. 8. de quæst. Armenor. cap. 3. & sequent.* Canus *de locis theol. lib. 6. cap. 8. ad. 7.* Tabiena *verbo Baptismus. 3. num. 6.* Angelus *verbo. Baptismus. 2. num. 8.* Syluester *verbo. Baptismus. 1. num. 4.* Armilla *num. 6.* Basseus *in florib. theol. pract. verbo. Baptismus. 2. num. 15.* Filliuc. *tract. 2, cap. 3. quæst. 6. & 8.* Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 2. cap. 4. num. 3.* ver. *sed contrarium.* Lorin. *in cap. 2. Actor.* Bellarmin. *lib. 1. de Baptismo cap. 3.* Suarez *3. par. tom. 2. de sacram. disp. 21. sect. 3.* Vasquez *disp. 143. cap. 2.* Isambert. *quæst. 66. disp. 4. ar. 8. & 9.* Syluius *ar. 6.* Chedisson. *ibid. in dub. circa articulum.* Putean. *dub. vlt.* Zechius *de sacram. Tit. de baptismo cap. 3.* Angles *in florib. par. 1. qu. 1. de Baptis. ar. 4. conclus. 3.* Ochagauia. *de sacram. tract. de baptis. quæst. 9. num. 3.*

3. Palaus *par. 4. oper. mor. tract. 19. disp. vn. punc. 5. num.* 11. Gaspar. Hurtad. *de sacram. tract. disp.* 1. *de baptis. difficul.* 9. ver. *S. Thomas verò.* Coninch. 3. *par. quæst. 66. ar. 6. num.* 62. Nugnus *ver. sit ergo conclusio* Cabrera *num.* 8. Merer. *ver. tertia est.* Præposit. *dub.* 4. *num.* 47. Gammach. *cap.* 3. ver. *Quarto notandum.* Auersa *sect.* 5. ver. *quinto necesse est.* Mærol. *tom. 3. sum. tract. de baptis. disp.* 3. *sect.* 2. Valen. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 3. ver. *in hac re.* Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 5. *num.* 8. Ioan. à Cruce *par. 2. direct. conscien. quæst. 1. de baptis. dub.* 1. *num.* 4. Baunij *tom. 1. theol. moral. tract. 2. de baptismo. quæst.* 7. Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. q. 1. de baptis. ar. 4. difficul.* 3.

4 Cum his igitur Doctoribus tenendum tanquam omnino certum. Baptismum collatum in nomine Christi, aut in nomine Domini Iesu non esse verum baptismum. Hoc habetur definitum à Pelagio Papa, vt refertur in cap. *Multi. de consecrat. dist.* 4. ibi *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi, vna etiam mersione se asserunt baptizare. Euangelicum verò præceptum ipso Deo, & Domino Saluatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere dicente Domino discipulis suis. Ite, baptizate omnes gentes In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Nec dici potest, quod sicuti trina immersio non est necessaria ad valorem baptismi, & tamen Pontifex æqualiter illam requirit ex præcepto Domini, ac inuocationem Trinitatis, ita nec inuocatio Trinitatis. Nam resp. quod Pontifex non declarat, quod trina immersio fit ex institutione Christi, necessaria, sicut declarat de inuocatione Trinitatis, nam præceptum Christi, quod Pontifex affert ad confirmandam suam definitionem, continet inuocationem Trinitatis; non autem trinam immersionem.

5 Similiter est etiam definitum à Zacharia Papa *Epist. 11. ad Bonifacium,* & refertur in cap. *in synodo. de consecrat. dist.* 4. vbi ita habetur. *In synodo Anglorum decretum, & iudicium firmissimè præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, vt quicunque sine inuocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia, si lotus in fonte baptismatis quis fuerit sine inuocatione Trinitatis perfectus Christianus non est, nisi in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque obseruari in prædicto Synodo sacerdotes voluerunt, vt qui, vel vnam de Trinitate personam in baptismo non nominaret; illud baptisma esse verum non posset. Quod pro certo verum est; quia qui vnam ex sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem, & Filium, si confessus non fuerit & Spiritum sanctum, neque Patrem habet, neque* Filium. *Et qui confessus fuerit Patrem, & Spiritum sanctum, & Filium non fuerit confessus, neque Patrem habit, neque Spiritum sanctum, sed vacuus est à diuina gratia.* Neque dici potest, quod istæ definitiones habeant locum, quando propter aliquam hæresim omittitur aliqua persona, quia Pontifices non inferunt inualiditatem baptismi ex errore baptizantium, sed ex præcepto, & institutione Christi, cum in ipso non seruetur, quod à Christo institutum est; & quia sine inuocatione Trinitatis non potest quis esse perfectus christianus: vnde volunt, quod ex necessitate sacramenti talis inuocatio sit necessaria. Et hoc ipsum etiam definiuit. Gelasius Papa scribens *Gaudentio Episcopo,* vt in cap. *Si reuera. de consecrat. dist.* 4. ibi. *Si reuera hi de hæreticis, qui in locis tuæ ditioni vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo, eòs ad catholicam fidem venientes in* Sanctæ *Trinitatis nomine baptizabis.*

6 Desumitur etiam ex Patribus, Didymo *lib. de Spiritu sancto,* vbi habet. *Licet existere quis possit ita mentis aliena, vt baptizare conetur, vt vnum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet aduersarius legis Christi, tamen sine perfectio-*

ne baptizabit. D. Basilio *lib. de Spiritu sancto cap.* 12. vbi inquit. *Non ideo quis dicat perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen inuocatum est; oportet enim inuiolabilem manere traditionem, quæ in viuifica gratia data est. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sic baptizamur in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*. D. Damasceno *lib.* 4. *de fide cap.* 10. hæc habente. *Atqui in sanctam Trinitatem minimè baptizati sunt, hi denuo baptizentur, necesse est*. Et subdit. *Nam & si Apostolus his verbis vtitur, in Christum, & in mortem ipsius baptizati sumus, non tamen hoc vult, baptismi formulam his verbis constare debere, verum hoc demum, baptismum mortis Christi figuram præferre*. D. Cypriano *Epist.* 73. *versus finem*, vbi negat, *In nomine Iesu Christi vbicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, cum Christus iubeat gentes batizare in plena, & adunata Trinitate*. D. Isidoro *lib.* 1. *de eccles. officiis cap.* 24. asserente *Manifestè in regenerationis aqua nihil agi, si omissa qualibet Trinnitatis persona baptismus detur, et nisi tota Trinitas inuocetur*. Gregor Magno *lib.* 9. *Epist.* 61. vbi definit, repetendum baptismum collatum ab hæreticis non in nomine Trinitatis. Beda *lib.* 1. *Variar. quæst.* 14. *post. init.* sic habente. *Notandum, si quis baptizans dicat, baptizo te in Christo Iesu, & non dicat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sicut Dominus instituit, non est verus baptismus*. D. Augustino *lib.* 6. *de baptismo contra Donatistas cap.* 25. sic docente. *Cæterum quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* & *lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 17. vbi inquit. *Ideo putas, Dei spiritum non esse creatorem, proculdubio nec in eius nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus, Agite poenitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi, quia non ait, Et Spiritus sancti, nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu sancto in nomine Iesu Christi iussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti &c.* Quibus respondet etiam obiectioni desumptæ ex actibus Apostolorum, de qua supra *num.* 1. D. Ambrosio *lib. de Initian. cap.* 4. qui pro contraria parte citatur, vbi hæc habet. *Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritaliter gratiæ munus haurire*. D. Athanas. *Epist. ad Serapionem*; cuius est titulus. *Quod Spiritus sanctus non sit creat.* circa finem. *Vt qui aliquid adimit de Trinitate, & in solo nomine Patris baptizatur, aut in solo nomine Filij, aut absque Spiritu sancto in Patre, & Filio, nihil accipit, sed inanis manet non consumatus, non initiatus tum ipse, tum ille, qui videtur hoc baptisma tribuere, cum in Trinitate consistat perfecta initiatio; ita quoque, qui diuidit Filium à Patre, aut Spiritum sanctum ad creaturas detrahit, neque Filium habet, neque Patrem, sed impius est sine Deo, & infideli deterior, & quiduis potius quam Christianus. Et lib.* 2. *de vnita deitate*. circa finem. *Nunquid potest contra regulam traditionis euangelicæ censuræ de hoc vnito Trinitatis nomine Sancti Spiritus sublata, vel tacita persona, baptismus in Ecclesia celebrari? Absit*. Vbi nota particulam *vel tacita*, quia nimirum, si non exprimatur, non conficitur sacramentum baptismi.

7 Ratio autem est. Quia Christus instituendo baptismum tradidit etiam formam, cum qua ministraretur, in qua continetur expressa inuocatio trium Diuinarum personarum. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Non licet autem mutare formam institutam à Christo, quia nullus habet potestatem supra ipsius institutionem. Et sicut si conficiatur baptismus cum alia aqua, quàm naturali, non est validus, quia non adhibetur materia instituta à Christo, ita etiam nec conficietur, si adhibeatur alia forma ab ea, quæ tradita est à Christo. Vnde in Canonib. Apostol. can. 49. dicitur, esse

præceptum Domini baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & declaratur Baptismum collatum in morte Domini non esse validum, quia Christus non dixit Baptizate in morte mea, sed Baptizate in nomine Patris, & Filij, et Spiritus sancti. Et in Concilio Florentino *in Decreto fidei post vlt. sess.* §. 1. decernitur validum esse baptismum, si fit cum inuocatione Trinitatis, quæ autem sit ista inuocatio Trinitatis explicat tradens formam, nempe *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quod etiam declarauit Innocent. III. *in Concilio Lateranensi*, et refertur in cap. *Firmiter. §. Vna verò. de sum. Trinit.* ibi. *Sacramentum verò baptismi, quod ad Dei inuocationem, & indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti, consecratur in aqua &c.*

8 Confir. Ex actibus Apostolorum *cap. 19.* Apostolus interrogauit nonnullos, an accepissent Spiritum sanctum, et cum respondissent. *Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus.* De quo Apostolus miratus est, quia sciebat baptizatos esse, cuius admiratio locum non habuisset, nisi necesse fuisset, quod si ritè baptizati erant, debuerant baptizari etiam in nomine Spiritus sancti, atque adeo debuerant habuisse cognitionem ipsius. Vnde subiunxit, *In quo ergo baptizati estis.* Quasi diceret, quo baptismo baptizati estis, si nescitis Spiritum sanctum, cum baptismus in nomine etiam ipsius conferatur? Ipsi autem replicauerunt, se baptizatos fuisse *in Ioannis baptismate.* Quidquid autem intelligatur nomine Spiritus sancti, de quo eos interrogauit Apostolus, an accepissent, an nimirum sacramentum confirmationis, an dona linguarum, aut alias gratias gratis datas, aut aliquid aliud; sufficit, quod Apostolus audito, quòd nescirent, an esset Spiritus sanctus, mentem statim conuerterit ad baptismum, quem audierat, eos recepisse, et inquisierit, *In quo baptizati essent,* per hoc declarans, quod non posset stare, quod baptizati essent, & nescirent Spiritum sanctum, nam in ipso, seu in nomine ipsius debuerunt baptizari.

9 Nec etiam dici potest, quod debuissent scire Spiritum sanctum, quia quando baptizabantur, erudiebantur de mysterio Trinitatis. Nam Apostolus non dixit, *An non estis eruditi de Spiritu sancto, & mysterio Trinitatis, si baptizati estis;* sed dixit, *in quo baptizati estis,* significans, quod debuerant baptizari etiam in nomine Spiritus sancti iuxta formam baptizandi præscriptam à Christo.

10 Neque obstant, quæ in oppositum allata sunt. Ad primum namque desumptum ex actibus Apostolorum, quamuis plures velint cum D. Th. num. 3. citato, quod Apostoli ex speciali dispensatione baptizauerint in nomine Christi, vt redderent nomen ipsius gratum, et gloriosum. Nihilominus quam plurimi docent, Apostolos baptizasse in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ita Origen. *in cap. 6. Epist. ad Roman.* Theophilac. *in cap. vlt. Lucæ*, Fulgent. *de incarnat. & grat. Chr. f. cap. 11.* Cyprian. *Epist. ad Iubaian.* D. August. *lib. 3. contra Maximin. cap. 17. num. 6. allatus.* D. Basil. *lib. de Spiritu sancto cap.* 12. vbi ait. *Neminem ad errorem impellat illud Apostoli, quod nomen Patris, & Spiritus sancti in baptismatis mentione sæpe omittit, neque ob id putet nominum nomenclaturam non esse necesse obseruari.* Et rursus. *Oportet enim immobilem manere traditionem in viuifica gratia datam. Quare addere quid, aut detrahere palam est elapsus à vita æterna.* Idem testatur Innocentius I. *in Epist. ad Episcop. Macedon.* et quam plurimi Scholastici idem sentiunt. Armacan. *lib. 8. de quæstionib. Armenor. cap. 3.* Canus *lib. 3. de Locis theologicis cap. 8. ad 7.* Vasquez *in 3. par. tom. 2. disp. 143. cap. 2.* Suarez *3. par. quæst. 66. ar. 6.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. quæst. 1. de baptis. art. 9. dub. 3.* Sotus *quæst. vn. ar. 6.* ver. *vbi ante responsum.* Estius §. 4. Mærat. Isambert. Putean. et alii *Iuris. num. 3. citati.* Quod confirmatur ex D. Dionysio *de Hierarchia Ecclesias cap. 2.* qui tradens ritum baptizandi primitiuæ Ecclesiæ, atque adeo

deo

deo etiam Apostolorũ, quibus fuit coetaneus, ait, Pontifex mergit, et hac trina illius mersione, et emersione tres beatitudinis diuinæ personas inclamans etc. Et colligitur etiam ex dictis supra *num.* 8. si enim Apostoli baptizassent, in nomine Christi, Paulus non dixisset iis, qui nondum audierant Spiritum sanctum, *In quo baptizati estis*. declarans, quod debuerant baptizari in nomine Spiritus sancti, vt baptizarentur vero baptismo.

11 Dicuntur autem Apostoli baptizasse in nomine Domini Iesu, non quia dicerent Ego te baptizo in nomine Domini Iesu; sed primò, quia baptizabant baptismo instituto ab ipso, atque adeo in auctoritate ipsius; facere enim aliquid in nomine alterius, est facere auctoritate ipsius, vt desumitur ex Ioan. 5. et 10. vbi Christus dicit, se operari in nomine Patris sui, hoc est auctoritate ipsius, et Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 5. nomine Christi intimat excommunicationem, hoc est auctoritate ipsius Christi. Secundo quia baptismus vim habebat ex meritis Christi, vnde baptizabant in nomine Christi, hoc est in virtute meritorum Christi. Nomen enim in scriptura aliquando importat meritum: Io. 14. & 15. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*. & Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*. hoc est, per meritum ipsius. Tertiò, quia cum Christus sit principalis minister sacramentorum, & institutor, ab ipso habent vim, et ideo operantur in virtute ipsius. Quod autem fit in virtute alicuius, dicitur fieri in nomine ipsius, iuxta illud Actor. 3. *In nomine Iesu Christi surge, & ambula*, & cap. 4. inquirentibus, *In qua virtute, aut quo nomine fecistis hoc vos?* respondit Petrus. *In nomine Iesu Christi*. Vnde baptizare in nomine Iesu Christi erit baptizare in virtute ipsius.

12 Ad secundum negatur, quod assumitur. Et quod spectat ad auctoritatem Stephani Papæ apud D. Cyprianum. Resp. non colligi, quod Stephanus Papa fuerit in illa opinione, sed vt colligitur ex contextu, ibi D. Cyprian. mouet sibi obiectionem occasione eorum, quæ leguntur in Actis Apostolorum, & supra dissoluta sunt, non autem id affert tanquam assertum à Stephano Papa, vt consideranti patebit.

13 Quod spectat ad D. Ambrosium, si locus ille *lib. de Spiritu sancto cap.* 3. diligenter consideretur, reperietur, quod non vult, quod valeat baptismus collatus tantum in nomine vnius personæ, sed solum intendit declarare, eamdem esse omnium trium auctoritatem, maiestatem, virtutem, & operationem; ita vt quicquid per vnam nobis confertur, per omnes accipiamus, & benedictionem factam nomine vnius sit facta nomine omnium. Item quod nominata vna persona aliæ inferantur, quod fit ob connexionem, quam inuicem habent ratione originis. Item cum sacramentum baptismi sit quædam spiritualis vnctio, in solo Christi nomine, quod est idem, ac *Vnctus*, reperiri totam significationem baptismi, nempe implicitè, vt ex ipso contextu constat. Vnde quando concludit. *Plenum esse fidei sacramentum*, (nempe Baptismum) *si vnam tantum personam in sermone comprehendas & alias fide non abneges, plenum autem non esse, si quis sermone proferat Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, erret tamen fide interiori credendo, non tantam inesse virtutem Spiritui sancto, quàm insit Patri, & Filio*, Non potest ibi sumere sacramentum propriè pro signo sensibili sanctificatiuo per modum ablutionis, alioquin per ipsum Baptismus dependeret ab interiori fide ministri, siquidem ex defectu ipsius deficeret, contra id, quod docet *lib. de initian. cap.* 5. nimirum, in ministro baptismi non attendi merita, sed tantum officium. Quare sumit ibi sacramentum pro signo rei sacræ, & occultæ, quatenus nimirum stante fide agnoscimus sacramentum baptismi sanctificare eo modo, quo sanctificat, etiam si dicamus sanctificare in nomine vnius personæ non expressis alijs, sublata verò fide, non agnoscimus sancti-

ctificare in virtute omnium personarum, etiam si omnes exprimantur; & sic primo modo est plenum sacramentum, quia non solum habet suas partes substantiales, sed etiam secundum suam veram virtutem agnoscitur, nempe vt operatiuum sanctitatis in nomine totius Trinitatis. Secundo modo non est plenum sacramentum, quia non cognoscitur, nec admittitur secundum hanc habitudinem ad totam Trinitatem.

14 Neque obstat auctoritas D. Athanasii; imo si attentè consideretur, contrarium probat. ibi enim mouet dubium ex eo, quod legitur in Actis Apostolor. quod Apostoli baptizabant in nomine Domini Iesu, an præuaricatores fuerint mandati Christi, qui iussit baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et respondet non fuisse; ita enim habet, *Nunquid ergo præuaricati sunt? Absit.* Verbum enim absit dicit negationem præuaricationis tanquam alicuius rei, quam abhorreat admittere. Si ergo non præuaricati sunt mandatum Christi, baptizauerunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quia non dicit, quod fuerint dispensati ad aliter baptizandum. Quod etiam patet ex ratione, ob quàm adiungit, non fuisse præuaricatos, nempe *Nam licet Filii nomen tantummodo legatur* (nempe in Actis Apostolorum) *habet tamen & Patrem, & Spiritum sanctum secum pronunciatum.* Hoc est; quàmuis legamus baptizasse tantum in nomine Filii, hoc tamen nomen in baptismo, quem contulerunt est pronunciatum simul cum Patre, & Spiritu sancto.

15 Ad 3. resp. Nicolaum Pontificem non fuisse requisitum circa formam baptismi, sed solum circa ministrum, an nimirum valeret baptismus à Iudeo collatus & respondit, quod validus esset talis baptismus, si seruata fuisset forma debita. Et in hoc consistit ipsius definitio. Dixit autem validum fuisse, si erat ministratum in nomine Trinitatis, aut etiam Christi tantum, non vt decerneret aliquid circa formam, sed vt illam exemplificaret; & ideo posuit formam certam, quæ continet inuocationem Trinitatis, & formam, quæ erat in opinione, quod sufficeret; quæ continet inuocationem solius Christi, quia fortasse nesciẽs definitiones suorum prædecessorum, quos *num. 5. supra* recensui, erat & ipse talis opinionis & ideo affert auctoritatem D. Ambrosii, quod idem sit inuocare vnam personam, ac inuocare omnes, quæ tamen *supra num. 13.* explicata est. Vnde ex hoc nihil certi deducitur, quia obiter dictum est ad definitionem; sic nec etiam quando Concilia definiunt, et aliquid obiter dicunt, non habetur pro certo; imo nec etiam rationes, quas afferunt pro suis definitionibus, quia assistentia Spiritus sancti, vnde habetur infallibilitas, est solum pro ipsis definitionibus.

16 Ex dictis colligitur, quid dicendum de baptismo collato cum hac forma, *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ & veræ Crucis*, cum qua confici verum baptismum, videtur sentire D. Bernard. Epist. 340. *Quia sonus vocis non potest praiudicare veritati fidei, & pietati intentionis*; Et quia præceptum baptizandi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non est aliud, quàm baptizare in confessione Trinitatis, quod fit, quando exprimitur Deus, & passio Christi Domini per Crucem. Proculdubio namque huiusmodi baptismus non potest esse validus, quia pro validitate sacramenti non sufficit intentio, fides, et pietas ministri, et suscipientis, sed requiruntur etiam sensibilia signa instituta à Christo, nempe materia, et forma tanquam partes essentiales. Prædicta autem forma non est illa, quæ est instituta à Christo, cum non contineat inuocationem Trinitatis, nisi valde implicitè. quia potest inuocari Deus, et sancta Crux absque eo, quod inuocetur Trinitas. Vnde etiam D. Bernard. ibi non admittit talem formã absolutè, et assertiuè, sed solum opinatiuè: ait enim, *De proposita quæstione respondemus sine præiudicio tamen sanius, et melius sapientis.*

An

An teneat baptismus collatus urgente necessitate in nomine Trinitatis non expressis singulis personis. *Quæst.* 24.

S V M M A.

1 *Baptismus in solo nomine Trinitatis secundum aliquos valet.*
2 *Non valet.*
3 *Explicita inuocatio trium personarum diuinarum est necessaria in baptismo.*
4 *Præcipitur talis inuocatio à Christo.*
4 *Baptismus sacramentum fidei.*
4 *Per baptismum incorporamur Ecclesiæ, et constituimur membra Christi.*
5 *Quàm inuocationem Trinitatis requirat Concil. Florent. in baptismo.*
6 *Baptismus an valeat in nomine Dei. an in nomine Trium Personarum, an in nomine Trium Personarum vnius Dei.*

1 QVod in Baptismo non sit necessaria inuocatio Trinitatis sub expressis nominibus Personarum, quantum spectat ad validitatem, et proinde validum esse si in forma dicatur, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, docent Magister *in* 4. *dist.* 3. Adrianus *quæst.* 2. *de baptismo.* §. *Ad rationes.* Caiet. 3. *part. quæst.* 66. *ar.* 5. §. *Ad euidentiam.* Quia nimirum sufficit, quod implicitè inuocetur Trinitas. Vnde etiam Concilium Florentinum *in Decreto fidei.* vbi de Baptismo, requiritur solum ad validitatem, quod exprimatur actio ministri, et fiat inuocatio Trinitatis, non autem dicitur, quod debeant personæ explicitè inuocari.

2 Tenendum tamen est tanquam certum, quod baptismus non sit validus, si fiat in nomine Trinitatis, sed necessariò debere conferri *In nomine Patris, & Filii, et Spiritus sancti* Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 6. *& in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. *ar.* 2. *quæstion.* 2. Albert. *ar.* 2. *quæstion.* 1. Palud. *quæst.* 1. *art.* 3. Scot. *quæst.* 2. *ar.* 3. D. Bonau. *art.* 1. *quæst.* 2. Sotus *quæst. vnica ar.* 5. *ad* 3. *argum.* Caiet. *& ar.* 6. *conclus.* 1. Tabiena *verbo.* Baptismus 2. *num.* 9. Armilla *num.* 6. Zechius *de sacram. tract. de baptis. cap.* 3. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. ver. *sed contrariam* Syluius 3. *par. quæst.* 66. *art.* 5. *conclus.* 5. ver. *Ex his patet.* Chellison. *ar.* 6. ver. *Quæres tertio* Putean. *dub.* 2. ver. *ex his colliges.* Isambert. *disp.* 4. *ar.* 9. Palaus *par.* 4. *tr.* 19. *disp. vn. pun.* 5. *num.* 11. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 3. ver. *ad quàm expressam.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de Baptis. difficul.* 9. Palat. *in* 4. *dist.* 3. *disp.* 1. §. *& sicut.* Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. tract. de baptis. quæst.* 1. *ar.* 3. *difficul.* 3. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 5. ver. *Quinto.* Nugnus *ar.* 5. *difficul.* 5. Crabrera *ar.* 6. *num.* 2. Villalob. *par.* 1. *tract.* 5. *difficul.* 5. *num.* 7. Coninch. *num.* 62. Vasquez *disp.* 143. *cap.* 3. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 6. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. q.* 2. *punc.* 4. *num.* 6. Bauny *tom.* 1. *theol. moral. tract.* 2. *de baptis. quæst.* 13. Fernandez de Heredia *de sacram. par.* 3. *de baptis. dub. poster. num.* 12. Ledesma *par.* 4. *quæst.* 7. *art.* 6. *dub.* 1. & alii in præcedenti *quæst. num.* 5. citati.

3 Desumitur autem ex allatis auctoritatibus Patrum, & Conciliorum *quæst. præced. allatis*, ex quibus constat, necessaria mess explicitam inuocationem trium personarum, & rursus ex Clemente Romano *lib.* 7. *Constit. Apostolicar. cap.* 23. ibi *De Baptismo autem &c. cap. iam constituimus, et nunc rursum dicimus, sic baptizandum esse, vt Dominus constituit, cum dixit, Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* & ex Concilio Lateranensi *sub Innocentio III.* relato in cap. *firmiter. de sum. Trinit.* vbi definitur, Baptismum deberi ministrari cum inuocatione Trinitatis, et statim declarat, qualis sit ista inuocatio, dum dicit, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sācti.

Ra-

4 Ratio autem est, quia Christus instituens baptismum Matth. vltimo tradidit, et præcepit expressam inuocationem omnium personarum, dum dixit *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti*. Congruentia verò est, quia baptismus est sacramentum fidei cap. 1. *de baptis.* et continet primam professionem fidei, qua mediante incorporamur Ecclesiæ, atque visceribus ipsius adiungimur, vt inquit Gregorius Papa I. *in Epist. decret. ad Quirinum cap.* 1. et per quam constituimur membra Christi cap. *ad hoc. de consecrat. dist.* 4. ergo debet in baptismo explicitè exprimi fides, quam profitemur, & ideo cum profiteamur vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, debet baptismus ministrari expressis nominibus trium personarum, ita vt sicut ad ipsas accedimus per fidem, & per ipsas mundamur à peccato, ita etiam in nomine expresso ipsarum abluamur.

5 Neque obstat ratio Caietani *num.* 1. allata, nam vt constat ex dictis, non sufficit implicita inuocatio Trinitatis. Quando autem in Concilio Florentino in Decreto fidei dicitur, quod sufficit ad validitatem, quantum est ex parte formæ, quod explicetur actus ministri cum inuocatione Trinitatis, non intelligitur de inuocatione Trinitatis sub nomine Trinitatis, sed de illa, quæ antea præmissa fuerat, dum fuit assignata forma sacramenti baptismi, quæ est expressa inuocatio omnium personarum sub proprijs nominibus.

6 Ex his colligitur, quod non teneret baptismus; si ministraretur in nomine Dei, vt notant plures ex Doctoribus *num. 2. citati*, quia licet Deus dicat implicitè Trinitatem, quando tamen inuocatur sub nomine Dei, non inuocatur Trinitas, si quidem etiam Gentiles inuocant Deum, & tamen non inuocant Trinitatem, cum non agnoscant Deum Trinum: vnde non solum explicitè non inuocaretur, sed neque implicitè. Sic etiam neque valeret baptismus, si ministraretur in nomine trium personarum, quia tres personæ non magis significant tres personas diuinas, quàm tres creatas, quod etiam notat Bauny, *tom. 1. theol. moral. quæst. 13. in fine.* ver. *Patet ex dictis*. An autem valeret, si diceretur *In nomine trium personarum vnius Dei*. Adhuc negatiuè respondendum est, quia licet addendo *Vnius Dei* determinetur significatio ad personas diuinas, adhuc tamen est significatio confusa, ita vt non exprimat personas diuinas secundum proprium characterem. Sicut autem non rectè crederet, qui tres personas diuinas crederet, & non Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ita nec etiam rectè exprimeretur Trinitas in baptismo, si non exprimatur Pater, Filius, & Spiritus sanctus; id autem debet exprimi, quod est credendum.

An baptismus ministratus vrgente necessitate ab idiota dicente Ego te baptizo cum nomine Patris &c. esset validus. Quæst. 25.

S V M M A.

1 *Quid significet particula* In nomine.
2 *Dictio*, In, *secundum quos non sit essentialis in forma baptismi*.
3 *Qui teneant, esse essentialem.*
4 *Si in forma baptismi loco*, In, *ponatur*, Cum, *Italicè*, Col, *baptismus non valet*.
4 *Dictio*, Cum, *adhibita vt propositio habet vim copulandi.*
5 *Copulat vniformiter, & æqualiter.*
5 *Copulat æquè principaliter, quando vnum non est accessorium alterius.*
6 *An valeat baptismus cum forma* Ego te baptizo nomine Patris &c.
7 *Quid dicendum si baptizans sit rudis & dictis formas adhibeat?*
7 *Verba sequuntur intentionē, à qua determinantur in significatione.*

---

1 SOlent rudes, quando se signant signo Crucis, dicere italica lingua, *Col nome del Padre, e del* Fi-

Figliuolo, & dello Spirito sancto vnde, si contingeret vrgente necessitate, quod aliquis ex his baptizaret, facilè eodem modo baptizaret dicendo, *Io ti battezo nel nome del Padre &c.* vnde dubitatur, an talis baptismus esset validus. Est autem aduertendum, quod particula, *In nomine*, habet diuersam significationem. Nam secundum D. Tho. *in 4. dist. 3. quæst. 2. ar. 2.* Angelum *verbo.* Baptismus 2. *num.* 7. Alens. 4. *par. quæst.* 8. *num.* 3. *art.* 3. §. *Item quæritur* Hugon. Victorin. 2. *de sacram. par.* 6. *cap.* 2. & alios significat fidem, seu professionem fidei. Secundum autem alios significat potentiam, virtutem, auctoritatem iuxta illud Psalmi 19. *Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.* & Actor. 12. *In nomine Iesu Christi.* Ita tamen, vt talis auctoritas referatur ad vnicam substantiam, & deitatem, quæ sit in tribus personis. Ita Nazian. *orat.* 40. *in sanct. baptis.* Hieronym. *in cap.* 28. *Matth.* explicans illud, *Baptizantes &c.* August. *lib.* 3. *contra Maximin. cap.* 23. *tract.* 6. *in cap.* 1. *Io.* Ambros. *lib.* 1. *de sacram.* & alij apud Vasquez 3. *par. tom.* 2. *disp.* 143. *cap.* 5. Alij verò volunt significare vnitatem essentiæ diuinarum personarum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 3. *ar.* 5. *ad* 6. Bauny *tom.* 1. *theol. moral. tract.* 2. *de baptis. quæst.* 14. ver. *Non vacat.* Sed melius dicitur, quod significet hæc omnia simul, nempe Inuocationem Trinitatis, & professionem fidei in ipsam, virtutem, auctoritatem, vnitatem Deitatis in tribus illis personis, quod videntur sentire. Innocent. *cap.* 1. *de baptis.* ipse Sotus *in* 4. *dist.* 3. *art.* 5. ver. *Vnde ad argumentum*, Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. tract. de baptis. quæst* 1. *ar.* 4. *difficul.* 6. Hæc enim omnia potest dictio *Nomen* significare, & quod habeat totam hanc significatiuam energiam, desumitur ex eo, quod in baptismo hæc omnia interueniunt, & proinde debent significari. Vnde D. Ambros. *lib.* 1. *de sacramen. cap.* 7. hoc explicans ait. *In nomine, idest in virtute, maiestate, deitate, & inuocatione Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.*

2 Qui putant dictionem *In* non esse essentialem formæ, sed tantum integralem, consequenter, dicent, non vitiari formam, si loco *In* ponatur *Cum.* Ita Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 8. *num.* 6. qui alios citat in glos. Viual. *de Baptis. cap.* 2. *num.* 5. Vasquez 3. *par. disp.* 142. *num.* 30. Coninch. *quæst.* 66. *art.* 6. *dub.* 1. *num.* 45. Camerota *tract.* 2. *de baptis. cap.* 3. *dub.* 10. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 11. Bartholom. ab Angelo. *Dialogo* 2. *de baptis.* §. 103. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 5. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 4. *num.* 16. Mercer. 3. *par. de sacram quæst.* 66. *art.* 5. ver. *Porro propositio.* Putean. *dub.* 2. ver. *Quinto alii.* Isambert. *disp.* 4. *ar.* 12. *proposit.* 2. Et fundamentum est, quia cum dictio, *In*, non sit essentialis, sicut potest omitti, ita etiam poterit mutari in aliam æquiualentem, qualis est dictio, *Cum.*

3 At alii tenent, huiusmodi dictionem, esse essentialem. Ita Gabr. *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 3. *dub.* 3. vbi citat etiam Alensem. Sotus *ar.* 5. §. *Colige.* Palud. *quæst.* 1. *art.* 2. Maior. *dist.* 2. *quæst. vnica ad* 2. *argum.* Comit. *lib.* 1. *Respon. moral. quæst.* 9. *num.* 9. Baunius *tom.* 1. *theol. moral. tract.* 2. *de baptis. quæst.* 10. Armilla. *verbo.* Baptismus. *num.* 7. *in fine.* Vnde secundum ipsos non poterit omitti, neque mutari in aliam, quæ non habeat eamdem significationem, qualis est dictio, *Cum.*

4 Itaque tenendum est, quod inualidus sit baptismus, si in forma dictio, *In*, mutetur in dictionem, *Cum*, seu Italice *Col.* Ratio est, quia dictio *Cum* non habet eam significationem, quam habet dictio, *In*, & quæ est necessaria pro validitate formæ. Nam non importat inuocationem, & quando dicitur, *Cum nomine Patris &c.* non inuocatur Trinitas, sicut quando dicitur *In nomine*; neque quando dicitur *Cum nomine* significatur in virtute, sicuti significatur, quando dicitur *In nomine*, quia nimirum, dictio, *Cum*, quando adhibetur, vt propositio, habet vim copulandi,

di, ita vt resoluatur in copulam. *l. Titia textores. §. nihil differt. ff. de legat.* 1. & *l. Si ita fuerit. ff. de manumis. testam.* & *l. si quis legauerit. ff. de verbor. significat.* & notant Ias. *in l. si ancilla. num.* 1. *&* 2. *ff. de legat.* 2. Paris. *Consil.* 19. *num.* 19. *vol.* 2. Dec. *Consil.* 401. *num.* 1. Ruin. *Consil.* 130. *num.* 10. Ripa *lib.* 1. *Respon. cap.* 3. *num.* 25. Vnde sensus esset, Ego, & nomen Patris &c. te baptizo; & ideo excluderetur necessaria significatio pro forma baptismi.

5 Quod si dicatur, *Nomen* referri ad personas diuinas, ita vt significetur ipsas quoque concurrere ad baptismum. Impugnatur, quia tunc dictio, *Cum*, cōiungeret personas Diuinas simul cum ministro baptismi. Et cum copulet, & coniungat vniformiter *l. si legatarius. §. cum ita ff. de legat.* 3. & notat Surdus *decis.* 8. *num.* 8. Imo coniunget ministrum, & personas diuinas æquè principaliter, cum hæc dictio habeat talem vim in iis, quæ ex natura sua ita se habent, vt vnum non sit accessorium alterius. dicta *l. Titia. textores. §. nihil. ff. de legat.* 1. & notant Cassan. *in Consuetud. Burgun. Rubr.* 2. §. 1. ver. *Il consisque num.* 1. Decius *in Auth. Ingressi. numer.* 23. ver. *In glos. C. de sacrosanc. Eccles.* Cened. *sing.* 9. *num.* 5. post *Canon. quæst.* Et ideo forma baptismi significabit, quod diuinæ personæ, & minister æquè principaliter concurrant ad baptismum, quod est falsum: vnde vitiabitur forma, et fiet falsa.

6 Ex quibus colligitur, quod similiter esset inualidus baptismus si diceretur, *Ego te baptizo nomine Patris, etc.* nam substantialiter variaretur significatio. Si quidem facere aliquid nomine alterius, est facere auctoritate, & mandato ipsius, non autem facere in inuocatione, & confessione ipsius, non enim legatus inuocat Regem, neque fidem in ipsum profitetur, quando nomine ipsius tractat cum alio Rege. At in forma baptismi debet significari inuocatio Trinitatis, & professio fidei in ipsam; Vnde Concil. Florent. *in Decreto fidei. post vlt. sess.* requirit inter alia ad validitatem baptismi, quod inuocetur Trinitas, quod etiam decretum est in Concil. Lateranen. *sub Innocent. III.* vt habetur *in cap. Firmiter. de sum. Trinit.*

7 Quia tamen personæ rudes sic baptizantes intendunt facere, quod facit Ecclesia, atque adeo inuocare Trinitatem &c. ideo probabile est, quod tunc verba sufficienter significent; nam verba significant cum ordine ad intentionem, & mentem, cum sint explicatiua illius *l. Labeo. §. Idem Tibero. ff. de suppellec. leg.* & *l. si re ff. de Tut. et Curat.* & proinde inseruiunt intentioni *l. non aliter. ff. de leg.* 3. & cap. *secundo requiris. de appellat.* A qua determinatur significatio tanquam à spiritu, & anima vt ait Gonzalez *ad Reg. 8. cancel. glos.* 48. *num.* 56. Vnde sic baptizatus posset sepeliri in loco sacro.

An si forma compleatur nondum completa ablutione, & interim baptizandus moriatur, sit validum sacramentum. Quæst. 26.

S V M M A.

1 *Quandiu durat ablutio durat materia baptismi.*
2 *Completa forma, & congruenti ablutione habetur baptismus, licet continuetur ablutio.*
3 *Posita forma, et sufficienti materia habetur sacramentum.*
4 *Quid si minister intendat conficere baptismum solum in tertia ablutione.*
5 *Si minister sacramenti habeat incompossibiles intentiones, qua nam preualeat.*
6 *Quomodo intentio ministri determinet ablutionem pro materia baptismi.*
6 *An subsequens ablutio sit superflua, si completum sit sacramentum.*
7 *Quid sit speciale in materia sacramenti Eucharistię.*
8 *An baptizans peccet mortaliter restringendo suā intentionem ad tertiam ablutionem.*

Mi-

8 *Minister sacramentorum debet in intentione se conformare cum Ecclesia.*

NOn esse validum, tenent Palud. *in* 4. *dist.* 3. *in fine*. Syluester *verbo*. Baptismus 8. *num*. 2. Armilla *verbo*. Baptismus. *num*. 25. Tabiena. *verbo*. Baptismus 5. *num*. 3. Quod etiam videtur sentire D. Th. similiter *in* 4. *eadem dist*. 3. *quæst*. 1. *art*. 4. *quæst*. 3. *ad* 3. quatenus docent, quod si minister baptizet trina immersione non perficitur baptismus, nisi in tertia, etiam si forma compleatur in prima, vel in secunda immersione, seu ablutione. Ratio esse potest, quia quandiu durat ablutio, quam intendit, durat sacramenti materia, ita vt nondum sit posita, quandiu non ponatur ablutio, quàm intendit ponere, ergo cum ad ministrum, pertineat determinare materi m, quandiu durat ablutio, non aderit sacramenti materia iuxta determinationem ministri, atque adeo, nec perficietur sacramentum, quia non aderit materia, supra quàm ex determinatione ministri cadit forma. Sic etiam sacerdos consecrans determinando materiam consecrandam, facit, quod forma cadat supra totam materiam. Confir. Si peracta forma haberetur perfectus baptismus, subsequens ablutio, aut noua immersio esset superflua, ergo cum non sit superflua, dicendum, quod in ipsa perficiatur baptismus.

2 Alij tamen tenent, quod statim ac est completa forma, perficiatur baptismus, quamuis ablutio non sit completa, sed alia immersio supersit Ita Alens. *par*. 4. *quæst*. 8. *mem*. 3. *art*. 4. §. 5. Caiet 3. *par*. *quæst*. 66. *ar*. 8. Nugn. & Coninch. *ibid*. Sotus *in* 4. *dist*. 3. *quæst*. 1. *art*. 8. Valent. *tom*. 4. *disp*. 4. *quæst*. 2. *punc*. 2. ver. *Et obseruandum*. Suarez *disp*. 20. *de sacram*. *sect*. 2. Vasquez 3. *par*. *disp*. 145. *num*. 33. Ochaga. *de sacram*. *tract*. *de baptis*. *quæst*. 8. *numer*. 9. Gaspar Hurtad. *disp*. 1. *de baptis*. *difficul*. 6. ver. *Obseruandum est secundo*. Chelison. 3. *part*. *quæst*. 66. *ar*. 8. *dub*. 4. Granad. *controuer*. 4. *tract*. 1. *disp*. 4. *num*. 14. Auersa. *sect*. 4. ver. *Octauò demum*. Victoria *in sum*. *de sacram*. *quæst*. 19. Posseuinus *cap*. 6. *de baptis*. *num*. 12. Bonac. *disp*. 2. *de sacram*. *quæst*. 2. *punc*. 3. *num*. 29. Henriquez *lib*. 2. *cap*. 7. *num*. 4. Reginald. *lib*. 27. *Praxis fori pœnit*. *num*. 20. Filliuc. *tract*. 2. *cap*. 2. *num*. 34. Bartholom. ab Angelo *Dial*. 2. *de Bapt*. §. 34. Ledesma *par*. 1. *sum*. *tract*. *de Baptis*. *cap*. 3. *circa finem*.

3 Quæ quidem sententia tanquam certa tenenda est. Ratio est, quia posita forma sacramenti, et sufficienti materia, ita vt verificetur forma habentur essentialia constitutiua sacramenti, ergo etiam sacramentum, siquidem est quoddam totum morale, quod ex suis partibus essentialibus coalescit, quibus positis statim consurgit. Posita autem forma baptismi, & sufficienti ablutione, ponuntur ipsius essentialia, quia baptismus, quantum est ex vi sacramenti, non requirit nisi veram ablutionem, non verò tantam, aut tantam, nec duas, vel tres immersiones, sed sufficit vnica. Et ideo maior ablutio, quæ subsequitur completa forma, non requiritur, vt essentialis, si sufficiens præcessit, sed tantum concurrit, vt pars integralis.

4 Maior difficultas est, quid dicendum, si baptizans haberet expressam intentionem non conficiendi baptismum, nisi in tertia immersione. Resp. Coninch. loco *num*. 2. *citato* Neque etiam in tertia immersione perfici baptismum, quia talis intentio fuit, quod sacramentum stet sub conditione de futuro contingenti, cum contingens sit, quod sequatur tertia immersio; sacramentum autem ministratum sub conditione de futuro contingenti, nullum est. Alii vero dicunt, quod baptismus perficitur in sola tertia immersione, quia ablutio præcedens se habet tantum materialiter, & absque debita intentione, & tertia ablutio non se habet, vt conditio extrinseca, imo per ipsam perficitur sacramentum non secus, ac alia ablutio non precessisset. Ita Bonac. & Auersa. *num*. 2. ci-

citati. Alij vero volunt, quod adhuc perficiatur baptismus statim, ac verba formæ sunt completa, Ita Valentia *num. 2. citat.*

5 Et hæc vltima opinio mihi videtur probablior, nam in tali casu concurrunt in ministro duæ intentiones, nempe intentio faciendi, quod facit Ecclesia; & intentio, quod baptismus perficiatur in tertia immersione, & non in aliis. Si autem duæ istæ intentiones sint in aliquo incompossibiles, seu inter se contrariæ, prior debet præualere, quia illa est propriè intentio ministri, quà minister est, & per quam operatur nomine Ecclesiæ, atque adeo nomine Christi, vt auctoris sacramentorum; posterior vero intentio est intentio particularis talis personæ. Sed istæ duæ intentiones sunt inter se contrariæ, ergo præualet prior, et facit, quod sacramentum perficiatur statim, ac est completa forma. Min. prob. Intentio faciendi, quod facit Ecclesia operatur, quod proferatur forma simul cum priori ablutione, et talis prior ablutio adhibetur ex vi eiusdem intentionis, atque ex vi ipsius coniungitur cum forma, atque adeo est materia sacramenti: ex vi autem posterioris intentionis non est materia; ergo cum præualeat prior intentio perficietur sacramentum, si quidem tria illa concurrunt, quæ sunt necessaria, materia, forma, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

6 Ad argumentum in oppositum resp. Quod quandiu durat ablutio determinata ex intentione ministri non est posita materia sacramenti, secundum omnes suas partes integrales; secus autem secundum partes necessarias; vt autem ponatur sacramentum sufficit, si ponatur materia secundum partes integrales sufficientes. Quando autem dicitur, quod ablutio subsequens ex intentione ministri est determinata pro materia sacramenti, ad quem pertinet illam determinare. Resp. quod nedum subsequens ablutio est determinata, vt sit materia, sed etiam præcedens, quatenus ponitur ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio, cum præualeat, operatur, vt subsequens ablutio solum se habeat tanquam pars integralis eiusdem materiæ. Neque sequitur, quod subsequens immersio sit superflua, tum quia est pars integralis materiæ, tum quia pertinet ad significationem mysterij, si fiat per trinam ablutionem. Si verò fiat per vnicam, erit superflua continuatio ablutionis, & poterit omitti, si quæ præcessit, sit sufficiens.

7 Nec est eadem ratio de materia Eucharistiæ, quia cum hæc fiet sub demonstratione pronominis, Hoc, ex eo quod minister dirigat suam intentionem ad vnam particulam, & non ad aliam, illa solum demonstratur, & proinde cum forma significet demõstratiuo modo coarctatur ex natura suæ significationis ad illam materiam, quæ demonstratur a ministro. Quod si minister habens præsentes plures materias, haberet intentionem faciendi circa ipsas, quod facit Ecclesia, omnes consecraret, quamuis haberet intentionem aliam specialem consecrandi tantum vnam, quia hæc intentio ab alia preponderaretur. Deinde sicuti in Eucharistia illa est materia, & tota consecratur, quæ substernitur formæ consecrationis, ita etiam tota illa ablutio efficit baptismum, quæ ipsius formę substernitur; & quia substernitur successiuè, ideo quando primo completur forma completur etiam sacramentum.

8 Ex dictis colligitur, vt notat etiam Ledesma 1. *par. sum. tract. de baptis. cap. 3. in fine.* Baptizantem peccare mortaliter, si restringat suam intentionem ad tertiam ablutionem, in qua perficiat baptismum, aut ad vltimam ablutionem, ita vt antea non intendat ipsum perficere. Cum enim minister repræsentet Ecclesiam, & nomine illius ministret baptismum, tenetur in intentione se conformare intentioni Ecclesiæ, atque adeo debet intendere non solum facere, quod facit, sed etiam eo modo, quo facit; per prædictam autem intentionem discrepat ab intentione Eccle-

siæ.

ſiæ, quæ ſimplicier intendit, quod perficiatur baptiſmus, per illam ablutionem, quæ coniungitur cum forma.

An ſi nondum completa forma baptiſmi moriatur, qui baptizatur, cenſendus ſit baptizatus.

Quæſt. 27.

S V M M A

1 *Nondum completa forma baptiſmi non adeſt ſacramentum.*

2 *Quando infans moritur nondum completa forma baptiſmi Deus ſupplet.*

3 *Sacramentum vt quid morale requirit ſolum moralem exiſtentiam, vt habeat effectum.*

3 *Sacramentum completa forma exiſtit moraliter cum non exiſtat ſecundum partes priores.*

4 *Sacramento ſucceſſiuo non magis eſſentiales ſunt partes poſteriores, quam priores.*

5 *Partes poſteriores non magis determinant ſenſibilem ſignificationem priorum, quam è contra.*

6 *Forma ſacramenti determinatur ab intentione ad ſignificationem ſacramentalem.*

6 *Verba accipiuntur ſecundum intentionem proferentis.*

7 *Non minus eſt neceſſaria coexiſtentia formæ ad materiam pro validitate, quam ſacramenti ad ſubiectum.*

7 *Pro validitate ſacramenti ſufficit coexiſtentia moralis materiæ ad formam.*

8 *Quomodo exiſtat ſacramentum nondum completa forma.*

9 *Si infans moriatur nondum completa forma baptiſmi eſt ſepeliendus in loco ſacro.*

NOn eſſe baptizatum docet Bonacina *de ſacram. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punc.* 3. *num.* 26. aſſerens, ita communiter ſentire Doctores. Quod, neſcio, quo fundamento id ſubiungat, neque enim apud quemquam alium id reperi. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia cum non ſit completa forma, dum viuit infans, qui baptizatur, neque etiam adeſt ſacramentum; ſi quidem ad ſui eſſentiam requirit formam completam. Et proinde eodem modo ſe habet, ac ſi cum forma dimidiata miniſtraretur baptiſmus.

2 Alij tamen docent, quod ſit baptizatus, quia Deus in tali caſu ſupplet. Ita D. Th. *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtion.* 3. *ad* 4. Richar. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 5. Summa Confeſſor. *lib.* 3. *tit.* 24. *quæſt.* 11. Syluefter *verbo*, Baptiſmus 1. *quæſt.* 5. Tabiena *verbo*, Baptiſmus 3. *num.* 18. Armilla. *num.* 16. Angelus *verbo*, Baptiſmus. 7. *num.* 8. Bartholom. ab Angelo, *Dial.* 2. *de Baptiſ.* §. 110. Zech. *de ſacram. cap.* 3. *de baptiſ.* §. *Nec eſt.*

3 Et hoc mihi probabilius videtur. Et ratio eſt, quia ſacramenta ſunt cauſæ morales gratiæ, vnde baptiſmus ſortitur ſuum effectum tanquam moralis cauſa, ergo non requiritur, ad hoc, vt cauſet gratiam in eo, qui baptizatur, niſi quod morali modo exiſtat. Exiſtit autem motali modo, quandiu is, qui baptizatur viuit, nam vt exiſtat morali modo ſufficit, ſi exiſtat ſecundum aliquam ſui partem, tam quò ad materiam, quàm quò ad formam. Confir. quando completur forma, & ablutio, ſacramentum non exiſtit ſecundum omnes ſui partes, ſed tantum ſecundum vltimas, quia cum ablutio ſucceſſiuè fiat, & forma ſucceſſiuè proferatur, omnes partes præcedentes ſunt iam tranſactæ, & tamen cenſetur ſufficienter exiſtere in ordine ad cauſandum ſuum effectum: ergo etiam ſufficienter exiſtet pro cauſando ſuo effectu, quando exiſtit ſecundum ſuas partes priores, cum non magis conſiſtat in poſterioribus, quàm in prioribus.

4 Dices. Partes poſteriores ſupponere priores, & complere ſignificationem, quæ in ipſis inchoata eſt, & ideo haberi moraliter ſignificationem totam, & integram, at partes priores non ſupponere poſteriores, nec complere ſignificationem, ſed tantum inchoare, & ideo non poſſe fundare cauſationem ſacramentalem, cum non habeatur per ipſas tota ſignificatio. Sed reijcitur hæc reſponſio, quia non minus partes priores dicunt ordinem ad poſteriores, et ſup-

supponunt illas futuras, quàm posteriores dicant ordinem ad priores, & supponant præteritas, ergo si ipsæ important ratione huius ordinis moraliter significationem formæ, & quia sunt complementum, partes quoque priores formæ importabunt, quia & ipsæ dicunt eumdem ordinem, & sunt inchoatio significationis, ita vt in sua significatione determinentur à posterioribus, quia significant simul cum ipsis, & proinde radicaliter importabunt totam significationem, & formaliter inchoatiuè, & consequenter non minus in ipsis, quàm in posterioribus censebitur moraliter existere tota significatio.

5 Dices 2. Esse diuersam rationem, quia per posteriores partes formæ fit sensibilis tota significatio, per priores autem non fit; ideo, cum significatio se debeat habere sensibiliter, si quidem sacramentum est signum sensibile, censetur moraliter existere in posterioribus, non autem in prioribus. Verum hæc quoque responsio reijcitur, nam non minus partes priores determinant sensibilem significationem partium posteriorum, quàm hæ determinent significationem partium priorum; si quidem partes posteriores continent inuocationem Trinitatis, quæ cum possit inuocari ad diuersos effectus, per significationem partium priorum determinatur sensibiliter, vt sit in ordine ad effectum ablutionis spiritualis; & cum significatio ablutionis, quæ habetur per partes priores possit esse in ordine ad diuersum effectum, determinatur sensibiliter à significatione posteriorum partium, vt sit in ordine ad spiritualem ablutionem. ergo est eadem ratio ex parte vtrarumque, & ideo si in vnis censetur existere tota significatio moraliter, censenda est existere, etiam in alteris in ordine ad causandum effectum sacramentalem.

6 Confir. 2. Tam priores partes formæ, quam posteriores subsunt eidem Intentioni, qua determinantur ad significationem sacramentalem, ergo cum verba debeant accipi, non secundum quod sonant, sed secundum intentionem proferentis *l. Non omnis init. ff. si cert. pet.* & *l. Scire oportet.* §. *Aliud. ff. de excusat. tut.* & *l. Sed Celsus.* §. 1. *ff. de contrahen. emptio* vbi Glos. *verbo. Sequendum.* & cap. *Intelligentia*, & cap. *Propterea.* de verbor. *significat.* iam erunt determinata priora verba ex vi intentionis ad significationem sacramentalem. Atque hæc determinatio se habebit etiam sensibili modo, si quidem ex actu externo sensibili proferentis innotescit, in ordine ad quem effectum proferantur.

7 Confir. 3. Ad validitatem baptismi non magis requiritur coexistentia sacramenti ad subiectum, quàm coexistentia formæ ad materiam; si quidem coexistentia sacramenti ad subiectum requiritur, vt possit ipsi sacramentum applicari, & in ipso causare suum effectum, vnde proportionaliter est necessaria, sicut est necessaria coexistentia causæ, & subiecti in ordine ad causandum. Coexistentia autem formæ ad materiam requiritur, vt possit ex ipsis confici compositum sacramentale tanquam ex partibus intrinsecis, & essentialibus; vnde est necessaria, sicuti est necessaria inter formam, & subiectum in ordine ad compositionem; non minus autem est necessaria coexistentia formæ ad subiectum, vt sequatur compositio, quàm sit necessaria causæ ad subiectum, vt in ipso sequatur causatio. Sed sufficit, quod materia, & forma sacramenti sibi inuicem coexistant secundum aliquas suas partes, vt docent communiter Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 26. *de Ordine ad* 1. Scot. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 3. Gabr. *quæst.* 1. *ar.* 2. *conclus.* 8. Bartol. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 2. *in fine.* Maior *dist.* 2. *quæst.* 2. *art.* 4. Sotus *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 8. Richar. *art.* 4. *quæst.* 2. Sylvester *verbo.* Baptismus. 5. *num.* 3. Angelus *verbo.* Baptismus. 4. *num.* 4. Armilla. *num.* 37. Nauar. *cap.* 22. *Manual. num.* 7. Victor. *in sum. tit. de baptismo. num.* 38. Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.*

cap. 9. *num.* 10. Ledeſma *part.* 4. *quæſtion.* 7. *ar.* 8. *dub.* 9. Suarez 3. *par. tom.* 3. *de ſacram. diſp.* 2. *ſect.* 2. ver. *Sed quæ res.* Valent. *tom.* 4. *quæſt.* 1. *punc.* 4. ver. *Obſeruandum*, & alij plures, Quia hæc coexiſtentia ſufficit, vt verificentur verba formæ, & moraliter cenſeatur, quod materia ſubſtet tali formæ,& componat cum ipſa ſignum ſacramentale. Imo Victor; Henriquez, Sotus, Suarez, Valent. & alij plures volunt, quod ſufficiat, ſi poſt ablutionem ſtatim proferatur forma, aut quod prolata forma ſtatim ſequatur ablutio. Ergo ſufficiet etiam hæc moralis coexiſtentia inter ſubiectum, & ſacramentum baptiſmi, ita vt exiſtente viuo eo, qui baptizatur, coexiſtat ſimul baptiſmus ſecundum aliquam ſui partem.

8 Neque vrget fundamentum oppoſitæ ſententiæ,nam reſp. quod pro eo tempore, in quo viuit, qui baptizatur, non exiſtit ſacramentum ſecundum omnes ſui partes, ſeu ſecundum eſſe completum:exiſtit tamen ſecundum aliquas, & ſecundum determinationem cauſæ ſacramentalis, atque adeo etiam virtutis, quàm habet ab intentione miniſtri, à qua determinatur, quod ſufficit ad hoc, vt Deus vlterius non expectet ad infundendum gratiam, cum non poſſit, niſi tali modo baptiſmus applicari.

9 Ex his colligitur, eum, qui tali modo baptizatus eſt, ſepeliendum eſſe in loco ſacro, vt docent Doctores *num.* 2. citati, & inſuper Syluester *verbo*. Baptiſmus 4. *quæſtio.* 1. Naldus *verbo*. Baptiſmus *num.* 18. quia hic baptiſmus habet ſaltem probabilem validitatem tam ex ratione, in qua fundatur, quàm ex auctoritate Doctorum,qui talem opinionem ſequuntur. Stante autem probabilitate baptiſmi Eccleſia non habet ius ipſum excludendi ab Eccleſiaſtica ſepultura, quia habet ſolum ius ad excludendos eos, quos conſtat, non eſſe baptizatos, aut qui ex alio capite debent excludi, & quia tali modo baptizatus habet ſaltem ius probabile ad ipſam.

An obſtetrices teneantur ſcire formam Baptiſmi. Quæſt. 28.

S V M M A.

1 *Obſtetrices an teneantur ſcire formam baptiſmi, & num.* 2.
3 *Obſtetrices quomodo ex charitate teneantur baptizare infantes periclitantes.*
4 *Qui habet curam alterius, tenetur prouidere neceſſitatibus illius per accidens occurrentibus.*
5 *Obſtetrices tenentur ſuccurrere infantibus etiam in ſpiritualibus.*
6 *An prægnantes teneantur ſcire formam baptiſmi.*
7 *An Parochi teneantur admonere Obſtetrices obligationis ſciendi formam baptiſmi.*

1 Quod non teneantur ſub peccato mortali ſcire formam baptiſmi, docet Suarez 3. *part. tom* 3. *de ſacram. diſp.* 31. *ſect.* 5. ver. *et illi adherent.* Victorellus *in notis ad Poſſeuin. de offic. Curati ad cap.* 6. *num.* 44. Diana *par.* 2. *tract.* 1. *miſcel. Reſol.* 46. ver. *ſed licet.* Quia non adeſt præceptum Eccleſiaſticum, neque obligantur iure naturali iuſtitiæ, aut charitatis, cum ratione Officij non teneantur procurare ſalutem ſpiritualem infantium, qui naſcuntur; & quamuis exiſtente periculo infantis teneantur ipſi ſuccurrere, non tamen tenentur ſe reddere potentes ad ſuccurrendum, quando occurrat neceſſitas, ſiquidem ratione charitatis obligamur ſuccurrere proximo, ſi poſſumus, non autem obligamur nos reddere potentes ad ſuccurrendum.

2 Secunda tamen opinio, & communis aſſerit, quod ſub peccato mortali teneantur ſcire formam baptiſmi. Ita Palud. *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 1. *concluſ.* 3. *num.* 7. D. Antonin. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 13. §. 4. Nauar. *cap.* 22. *Manual. num.* 6. Henriquez *lib.* 2. *ſum. cap.* 29.

29. *in fine*. Sà. *verbo*. Baptiſmus. *num.* 12. Zambraũ. *in ſuis deciſ. cap.* 1. *dub.* 16. *num.* 2. Turrecrem. *in cap. ſi mulier. in fine*. *De conſecrat. diſt.* 4. Capeauil. *de adminiſt. ſacram. cap.* 2. *quaſt.* 2. ver. *Tenentur* Viualdus *in Candelab. verbo*. Baptiſmus. *tit. de miniſtro baptiſ. num.* 9. Rodriquez *par.* 1. *ſum. cap.* 27. Granad. 3. *par. Controuer.* 4. *tract.* 2. *de baptiſ. diſp.* 2. *num.* 7. Reginald. *lib.* 17. *Praxis fori poenit. cap.* 6. *num.* 45. Lublin. *par.* 1. *ſum. verbo*. Baptiſmus *in Monitorio*.

3 Quæ ſententia pro certa tenenda eſt. Et ratio eſt. Quia certum eſt, quod, Obſtetrices ex charitate tenentur baptizare infantem conſtitutum in periculo mortis, cum hæc ſit obligatio, quæ afficit vnumquemque reſpectu vniuſcuiuſque, ſiquidem tunc infans eſt in extrema neceſſitate ſpirituali, ergo tenentur etiam ſcire miniſtrare baptiſmum, quia hæc obligatio contingit frequenter reſpectu Obſtetricis, & conſurgit in ipſa ratione muneris, quod exercet, ita vt ſit connexa officio ipſius tanquam acceſſoria principali obligationi, quam ſubit ratione offi.ij, ſiquidem ſubijcitur tali obligationi ex eo, quod ſuſcipit tale munus. Cum enim acceſſorium ſequatur ſuum principale Cap. *Acceſſorium*. De *reg. iur. in* 6. ſequitur, quod, dum Obſtetrices aſſumunt tale munus, aſſumant etiam obligationem annexam muneri, quia ſe conſtituunt in illo ſtatu, in quo ex charitate obligabuntur.

4 Verum dices. Hanc obligationem non eſſe annexam muneri per ſe, ſed per accidens, quia præſentatur per accidens in exercitio muneris. Reijcitur tamen hæc reſponſio, quia quando aliqua perſona ſpectat ad curam alterius, ita vt ex munere teneatur gerere curam illius, ſpectat etiam ratione muneris ad ipſam prouidere illius neceſſitatibus, quæ per accidens emergunt. Vnde, quia ſubditi ſunt ſub cura Principis, tenetur Princeps occurrere ipſorum neceſsitatibus, quæ per accidens emerguut Authent. *de quaſt. inis.* etiam per remedium extra ordinarium *L.* 1. §. *Ex hoc reſcripto*. ibi *Extra ordinem principi in cauſis neceſſitatis ſubuenit*. *ff. De vent. inſpic.* Et quia tutor habet ſub cura ſua pupillum, tenetur ipſi ſuccurrere, & ipſum tueri etiam in caſibus extraordinarijs, & qui contingenter emergunt §. 2. *Inſtit. de tutel.* Infantes autem, dum naſcuntur, ſunt ſub cura obſtetricis, & ideo tenetur periclitanti ſuccurre per baptiſmum.

5 Nec replicari poteſt, quod infans, dum naſcitur, ſit ſub cura obſtetricis quò ad corpus, non autem quò ad ſalutem animæ, nam hoc falſum eſſe ex eo conſtat, quod vnuſquiſque ratione charitatis tenetur ſuccurrere proximo non ſolum in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, imò multò magis in his, cum ſint temporalibus præferenda. Cum ergo Obſtetrices aſſumant munus curandi infantes, dum naſcuntur, aſſument etiam obligationem ipſis ſuccurrendi in ſpiritualibus, ita vt obligatio, quæ conuenit alijs ex charitate, comperat ipſis etiam ratione officij, & ideo debent eſſe paratæ, vt poſſint ſubuenire tali neceſitati ſpirituali.

6 Ex dictis colligitur, quod etiam mulieres prægnantes tenentur ſcire formam baptiſmi, quia fieri poteſt, quod pariant nõ præſente Obſtetrice, & quod partus periclitetur. Vnde, cum filij ſint ſub cura parentum, ita vt teneantur ipſis prouidere non ſolum quò ad temporalia, ſed etiam quò ad ſpiritualia, ideo mater tenetur eſſe parata, vt poſſit prouidere de baptiſmo, quando parit, ſi opus ſit, nec aliunde poſſit haberi.

7 Colligitur ſecundò. Parochos teneri admonere Obſtetrices obligationis, quàm habent ſciendi formam baptiſmi, quia ratione muneris tenentur procurare ſalutem animarum, quæ ſpectant ad propriam curam, & conſequenter tenentur procurare, quod infantibus periclitãtibus miniſtretur baptiſmus, quod fieri non poteſt, niſi curent quod Obſtetrices aptæ ſint ad baptizandum. Quod etiam notat Lublinus *par.* 1. *ſum. verbo*. Baptiſmus *in Monit.* Vnde debent in-

inquirere, an quæ sumunt munus obstetricandi sciant dictam formam, & non permittere, quod exerceant, nisi valeant baptizare.

De subiecto Baptismi constituto in periculo, aut articulo mortis.

An sit baptizandus ille, de quo dubitatur, an adhuc viuat?
Quæst. 29.

S V M M A

1 *Baptismus institutus pro omnibus, & necessarius ad salutem.*
1 *Homo mortuus non est homo.*
2 *An si vita sit possit quis baptizari.*
3 *Quomodo circa essentialia sacramentorum non liceat sequi opinionem probabilem.*
4 *An adultis liceat ministrare baptismum dubium.*
5 *Baptismus sub conditione resoluitur, & non est baptismus nisi non existat conditio.*

Baptismum esse institutũ pro omnibus hominibus, habetur ex ipsis verbis Christi Matth. *vltimo*. *Docete omnes Gentes baptizantes eos, in nomine Patris &c.* Et ordinatum esse ad salutem consequendum tanquam remedium necessarium pro peccato habetur ex illo Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poterit introire in regnum Dei*. Vnde certum remanet, quod solum homo viuus est capax ipsius, si quidem quando iam mortuus est, iam iudicatus est, nec possunt amplius ipsi remitti peccata; & cum non sit in commercio hominum, non est amplius capax remediorum, quæ ab ipsis applicari possunt, nec potest subiici alicui actioni, quæ ab ipsis proueniet. Imo homo mortuus non est amplius homo, vt etiam habetur in iure *l. si homo mortuus ff. de verbor. obligat.* & *l. seruo manumisso ff. de condit. indeb.* & *l. Fabrus. C. de furtis*. quia cum anima sit separata à corpore, dissoluitur natura, & substantia hominis, quæ ex vtraque parte coalescit; & proinde non est amplius illud subiectum, quod sit aptum suscipere baptismum. Et ita inter alios notant Graf. *par. 2. decis. lib. 8. cap. 4. num. 25.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 21. num. 1.* Suarez *disp. 25. de sacram. sect. 1.* Reginal. *lib. 27. Praxis fori Pænit. num. 65.* Palaus *par. 4. oper. mor. tract. 19. disp. vn. punc. 6. num. 1.* Difficultas autem est, quid faciendum, si dubium sit, an baptizandus sit viuus, an mortuus.

2 Resp. stante huiusmodi dubio de vita, aut morte baptizandi, baptismum esse ministrandum sub conditione, aut expressa, aut saltem mente concepta. Ita Capeauil. *de adminis. sacram. cap. 2. quæst. 9.* Posseuin. *de offic. Curati cap. 6. num. 16.* Ioan. Sanchez *in select. de sacram. disp. 44. num. 40.* Pro quo est aduertendum, quod dubium debet esse tale, vt relinquat aliquod motiuum iudicandi, quod viuat, & proinde debet esse dubium positiuum, nam dubium negatiuum non potest habere locum, quia cum ex priuatione vitæ inducatur mors, eo ipso quod nullum adest signum vitæ, habentur omnia signa mortis, quia ablatio signi vitæ est positio contrarij signi mortis, Rursus est etiam aduertendum, quod in hoc minister non debet esse nimis suspensus in deliberando, sed debet statim resoluere, ne dum cunctatur deliberabundus, interim baptizandus moriatur, & ipsi inferat præiudicium æternæ salutis. Ratio autem est, quia dum adest aliquod signum vitæ potest minister formare iudicium probabile, quod subiectum sit capax baptismi, stante autem hoc iudicio potest licitè ministrare baptismum, quia sequitur opinionem probabilem. Quod locum habet, etiam si plura signa se teneant ex parte mortis, quam pro vita, quia quodcunque signum vitæ, facit probabile adesse vitam, quamuis probabilius sit aliunde non adesse. Possumus au-

tem sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, vt cum pluribus Doctoribus dixi in decis, moral, decis. . . . num,

3 Dices in administratione sacramentorum non licet sequi opinionem probabilem circa ea, quæ sunt essentialia sacramento, quale est subiectum capax, ergo non sufficit probabilitas vitæ in baptizando, & multo minus minor probabilitas. Resp. Non licere sequi opinionem probabilem extra casum necessitatis, seu quando potest haberi certitudo circa essentialia. Secus autem vrgente necessitate. Vnde cum baptismus sit remedium omnino necessarium, debet ministrari etiam cum minima probabilitate vitæ, vt succurratur homini eo meliori modo, quo succuri potest,

4 Instabis, Id solum locum habere in infantibus, qui non possunt saluari sine baptismo in re, non autem in adultis, quibus sufficit baptismus in voto. Resp. neg. conseq. nam aliud est quod sit necessariam ministare adultis baptismum dubium; & aliud, an liceat ministrare. Circa primum resoluendum est iuxta obligationem ministri, quæ diuersa est, si sit minister ex officio, & minister solum per accidens, ex eo quod insurgat obligatio ex charitate ob imminentem necessitatem, Quod autem spectat ad secundum absolutè tenendum est, quod liceat, quia licet sufficiat baptismus in voto, fieri tamen potest, quod adultus non habeat contritionem, quæ necessaria est, vt sufficiat baptismus in voto; sed solum attritionem, cum qua sufficiet baptismus in re; & aliàs tunc solum non licet administrare baptismum, qui sit tantum ex aliquo capite probabilis, quando potest ministrari vndequaque certus.

5 Sed rursus instari potest, Si stante dubio, quod baptizandus viuat, baptizetur, adest periculum, quod baptizetur mortuus, ergo non licebit baptizare. Resp. non adesse huiusmodi periculum, si baptismus ministretur sub conditione, si sit viuus, quia conditio excludit periculum cap. *de quibus*, *De baptismo* Conditio namque ponit actum in suspenso, & ita ipsum alligat existentiæ conditionis, vt ipsa non existente, nec etiam existat actus, sed ab ipso initio censeatur resolutus. *l. Necessariò*. §. 1. *ff. de peric. & com. rei vend.* & *l. si quis sub conditione*. *ff. si quis omis. cau.* & *l. cedere diem ff. de verbor. significat.* vt etiam dictum est in superioribus. Vnde non existente conditione vitæ baptismus non censetur ministrari, quia tunc deest intentio ministrandi, cum sit coarctata ad existentiam conditionis.

An, & quomodo vrgente periculo monstrum sit baptizandum. Quest. 30.

S V M M A.

1 *Monstrum natum ex muliere cum consortio brutorum an possit baptizari.*
1 *Quid si esset vere homo.*
1 *Homo natus ex muliere sine semine viri non contraheret peccatum originale.*
2 *Monstrum natum ex viro & muliere habens membra ferina an baptizandum.*
3 *Quid si sit bicorporeum.*
4 *An operationes vitales multiplicatæ indicent pluralitatem animæ.*
5 *Vnde in bicorporeis colligatur multiplicitas animæ rationalis.*
6 *An multiplicatio membrorum pincipalium arguat multiplicationem animæ.*
7 *Quando monstra bicorporea, vt plura supposita sint baptizanda.*
7 *Quid si minister baptizaret non dirigendo intentionem in determinatum ex illis suppositis.*
8 *An stante dubio de pluralitate suppositi possit minister vna ablutione baptizare dicendo,* Ego vos baptizo.
8 *An valeret baptismus si plures ministri dicerent,* Nos te baptizamus.
9 *Quid faciet minister, si dubitet an monstrum dicat plura supposita, & vrgeat periculum.*
9 *Nomen,* Vos, *potest in baptismo adhiberi pro,* Te.
10 *Quid faciendum, si dubitetur, an monstrum habeat humanam naturam.*

Quod

1 QVod spectat ad monstra, quæ nascuntur ex muliere ex consortio brutorum, certum est apud omnes, non esse capacia baptismi, quia non sunt homines, sed animalia bruta, cum non possit secundum leges naturæ homo generari à muliere sine consortio hominis, aut saltem sine semine ipsius, & ita notant Doctores infra citandi. Imo dato, quod tale monstrum esset homo, non indigeret baptismo, quia non contraheret peccatum originale, si quidem non fuisset in Adam secundum seminalem rationem, nec procederet ab ipso mediante generatione, & proinde non esset Filius Adæ, vt cum D. August. *lib.* 10. *de Genesi ad litteram cap.* 19. *&* 20. & D. Tho. 1. 2. *quæst.* 81. *art.* 4. *&* 5. docent communiter, & desumitur ex Concil. Trident. *sess.* 5. *can.* 2. *de peccato origin.* & *sess.* 6. *cap.* 3. ibi. *Nam sicut reuera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahent, &c.*

2 Si autem monstrum ex muliere, & viro genitum sit, etiam si habeat aliqua membra ferina imo etiam plura, absolutè baptizandum est, quia non obstante illa deformitate membrorum, est absolutè homo, cum sit genitum per propagationem humanam, & per humanum semen, et monstruositas illa proueniat ex praua dispositione materiæ, aut ex vehementi imaginatione matris, quæ potest inficere fœtum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. art.* 9. ver. *Ad hunc locum*. Syluester *verbo*. Baptismus 3. *quæst.* 10. Tabiena *verbo*. Baptismus 6. *num.* 14. Graf. 2. *par. decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 95. Vinaldus *tit. de baptis. cap.* 5. *num.* 24. Posseuin. *de offic. Curati cap.* 6. *num.* 18. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *num.* 6. ver. *Notandum.* Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori pœnitent. num.* 65. Barthol. ab Angelo *in exam. ordinan. dial.* 2. *de Baptis.* §. 130. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 4. Palaus *part.* 4. *theol. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 6. *num.* 4. Armilla *verbo.* Baptismus. *num.* 52. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo.* Baptismus. 3. *num.* 1.

3 Si verò sit monstrum bicorporeum, quale fuit, de quo mentionem facit Gandauens. *quodlib.* 6. *quæst.* 14. tunc considerandum est, an tale monstrum informetur vnica, vel duplici anima, quod ex operationibus vitalibus conijci poterit, quia si in vno capite dormiat, & in alio vigilet, vno ore loquatur, altero verò taceat, inferri poterit duplici anima informari, & proinde duplici baptismo esse baptizandum. Ita docent Gandauens. *citat.* Scot. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. §. *de quarto membro* Laiman. *lib.* 2. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num* 13. ver. *Alterum monstri*. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *numer.* 4. Armilla *verbo*. Baptismus. *num.* 52. Syluester *verbo.* Baptismus. 3. *quæst.* 10. Angelus *verbo*. Baptismus 6. *num.* 5. qui citat Landulph. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. Tabiena *verbo*. Baptismus 6. *num.* 14. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo.* Baptismus. *num.* 18. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 20. *num.* 6. Fernandez *part.* 3. *Examin. theol. mor. cap.* 2. §. 6. *num.* 2. Bartholom. ab Angelo *in Exam. confessar. dial.* 2. *de baptis.* §. 130. Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 9. ver. *Ad hunc locum*. Graf. *par.* 2. *decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 95. Basseus *in Florib. Theol. pract. verbo*. Baptismus. 3. *num.* 1. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 150.

4 Verum hæc doctrina patitur difficultatem, quia si considerentur operationes vitales, quæ exercentur mediante organo corporeo, quamuis plurificentur, non sunt sufficiens signum multiplicationis animæ, nam de facto anima eadem exercet operationes vitales easdem multiplicatas, nam exercet motum in pluribus partibus corporis, ita vt possit exercere in vna, & non in alia; videt in duobus oculis, ità vt possit videre in vno, & non in alio; audire in vna aure, & non in alia, & sic etiam contingeret in alijs operationibus organicis, si adessent organa multiplicata. Quod autem possint organa ista multiplicari sub eadem anima naturaliter

liter loquendo, ex eo desumitur, quod aliquando aliqua multiplicata sunt. Vnde etiam Cardinalis Richeliu habuit organa cerebri duplicata, vt compertum est, quando post mortem sectus fuit.

5 Solum ergo colligi potest certò distinctio&,multiplicatio animæ rationalis, ex operationibus inorganicis, quæ sunt propriæ animæ independenter à corpore, præsertim consideratis secundum moralitatem; quia, si inter se discrepent, ita vt contrarietas appareat inter ipsas, qualis fuit in monstro nato anno 1332. in finibus Normandiæ de quo Lyranus *in cap. 1. Genes.* in id *Masculum, & feminam creauit eos*. ita vt vnum honestè viueret, alterum turpiter, & inuicem fieret reprehensio. Hæc enim sunt certa indicia duplicis animæ, cum non possit eadem voluntas approbare, & reprobare simul eandem operationes.

6 Signum autem, quod desumitur, quod sit duplex suppositum ex multiplicatione alicuius membri principalis, vt ventris, pectoris, aut etiam capitis, non est signum certum; quia possunt hæc membra in eodem supposito plurificari. Vnde, vt testatur Palud. apud Barthol. ab Angel. *in exam. Confess. Dial. 2. de Baptis.* §. 13. & ipse Barthol. testatur suo tempore vidisse, potest dari monstrum huiusmodi, quod sit integer homo, & ex eius vmbilico progrediatur alter homuncio ab humeris integer, & tamen sint vnicum suppositum, siquidem in prædicto monstro læso homuncione etiam principalis homo patiebatur, quod est signum vna, & eadem anima fuisse informatos. Et ratio est, quia licet multiplicantur eadem membra in eodem corpore quantumuis principalia; si tamen communicent in vno aliquo membro, à quo dependeant membra multiplicata quò ad operationes vitales, signum est informari eadem anima, quia sicuti dependent ab vno membro, quo ad functiones vitales, ita etiam dependent ab vna, & eadem anima, quæ in illo membro operatur.

7 Itaque nunquam tanquam duo supposita baptizanda sunt, nisi constet de diuersitate operationum moralium, & rationalium, aut nisi ita multiplicentur omnia membra principalia, vt quo ad operationes vitales non colligentur in aliquo vno, à quò dependeant, cum hæc sola sint signa certa multiplicationis suppositi. In alijs autem casibus pro dubia habenda est multiplicatio suppositi, & ideo seruandum est quò ad praxim, quod docent, seruari debere Doctores *num. 3.* citati, quando dubitatur, an sit vnum, an verò multiplex suppositum; vt nimirum prius baptizetur absolutè tale monstrum in partibus, in quibus iudicatur distingui ab alio supposito, cum intentione determinata baptizandi illud suppositum, cuius est membrum, quod abluitur; & deinde baptizetur sub conditione in alia parte, in qua apparet diuersum suppositum. Quia si minister vnica ablutione, & prolatione formæ baptizaret non dirigendo intentionem in aliquem determinatum ex illis hominibus, neutrum baptizaret, vt notant Gandauen. *Quodlib. 6. quæst.* 14. Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 2. cap. 6. num.* 13. ver. *Alterum monstri genus*. Si quidem sicuti ad validitatem sacramenti requiritur intentio ministri, ita etiam requiritur, quod feratur in determinatum subiectum, aliàs nihil operatur, cum causa non operetur, nisi applicata determinato subiecto.

8 An autem stante dubio de vnitate, vel pluralitate suppositi possit minister abluendo membra, quæ arguunt diuersa supposita, vnica forma baptizare dicendo, *Ego vos baptizo*, affirmat Laiman. *num. præced.* cit. Verum patitur difficultatem, quia licet validum esset sacramentum, si reuera plures homines essent, si tamen esset vnicus, sacramentum non teneret, quia falsa esset forma, siquidem non solum intentio baptizantis dirigetur simul ad plures, sed etiam forma plures baptizatos significaret, ita vt hunc, & hunc compleceretur in sua significatione, quod

ta-

tamen est falsum, quia ablutio vni tantem applicaretur. Et sicuti non conficeretur baptismus, si plures baptizantes dicerent, *Nos te baptizamus*, ita vt vnus dependenter ab alio intenderet baptizare, nam sensus est, Ego, & iste baptizamus, in quo continetur falsitas, quia actio de se singularis est vnius personæ, tàm quò ad applicationem materiæ, quàm quò ad formam, & independens ab actione alterius ministri, vt communiter docent cum D. Th. *3. par. quæst. 67. art. 6. ad 4.* Coninch. *ibidem num. 36.* Nugn. *difficul. 1. & 2.* Sotus *in 4. dist. 4. quæst. vn. ar. 4. conclus. 1.* Angles *in florib. par. 1. quæst. 3. de baptis. ar. vlt. difficul. 1. conclus. 2.* Vival. *in Candelab. tit. de baptis. cap. 3. num. 7.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 12. num. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 4. quæst. 2. punc. 2.* Suarez *disp. 23. de sacram. sect. 3.* Filliuc. *tract. 2. cap. 4. quæst. 4.* Pitigian. *in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 1. & 3.* Bauny *tom. 1. theol. moral. tract. 2. de baptis. quæst. 21.* & alij apud citatos Doctores. Ita neque etiam conficitur, si dicatur, *Ego vos baptizo &c.* dirigendo intentionem ad plures, si vnus sit tantum, qui abluitur, quia tunc non solum significantur plures in forma, & poinde verificari non potest defectu subiecti, sed etiam intentio ita fertur in plures, vt vnum intendat baptizare simul cum alio, atque adeo cum dependentia adinuicem.

9 Solum ergo poterunt baptizari pluribus ablutionibus in singulari. Aut si forte dubitatur, quod non supersit tempus pro vtraque ablutione, & prolatione formæ, poterit adhiberi forma *Ego vos baptizo*, sed correcta per conditionem, ita vt in tendat minister per ly *Vos* significare plura supposita, & ea baptizare, si plura sint. Si verò vnum tantum sit suppositum, intendat vti dictione *Vos* ad significandam personam singularem ita nominandam ex accommodatione honoris causa; quod non obstare validitati sacramenti inter alios notant Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 10. art. 8. §. Hac de erroribus.* ver. *Adde quod si.* Bartholom. ab Angelo *in Exam. confes. Dialogo 2. de Baptis. §. 17.* ver. *similiter.* Tunc enim iuxta existentiam conditionis determinatur significatio formæ ad significandam singularem, vel multiplicem personam.

10 Denique. Si dubitatur, an monstrum habeat humanam, an belluinam naturam. Resp. Comitolus *lib. 1. quæst. moral. quæst. 8.* capiendam coniecturam ex pectore, quia si habeat humanum cor, erit certè homo. Sed quis poterit intra pectus scrutari cor.? Nauar. *Consil. 3. de Baptismo.* Nald. *in sum. verbo. Baptismus. num. 6.* iudicandum esse ex capite, quod si sit ferinum, erit bellua, licet alia membra humana sint. Sed neque hoc est sufficiens signum, quia cum aliquarum belluarum capita in organizatione satis assimilentur humano, parum refert exterior figura ad informationem animæ præsertim, quia singuli homines semper referunt in capite secundum quamdam analogiam, quæ potest esse maior, & minor, aliquod animal. Quare quocunque modo res se habeat, dummodo appareat aliquod signum humanæ naturæ, erit baptizandum sub conditione, vt notant Doctores *num. 2.* citati, quia sic prouidetur homini, si est talis, nec fit iniuria sacramento.

An baptizari possit constitutus in periculo mortis, si baptismus sit accelleraturus mortem. Quæst. 31.

SVMMA.

1 *Baptismus cautè administratus non potest accelerare mortem.*
2 *An differendus baptismus, si inde timeatur agro aliquod damnum.*
3 *Stante notabili acceleratione mortis an ministrandus baptismus, & num. 4.*
5 *Salus spiritualis præferenda corporali.*
6 *Constitutus in articulo mortis potest baptizari cum periculo mortis ministri.*

Non

6 *Non tenemur diligere proximum plusquam nos ipsos.*
7 *Per baptismum solum per accidens potest accelarari mors.*
7 *Possumus quærere proprium commodum, etiam si inde per accidens sequatur damnum alterius.*
7 *Eo modo, quo quis potest commodum proprium quærere, potest quærere etiam commodum proximi.*
8 *Quando acceleratio mortis sit illicita.*
8 *Iure suo vtens nemini facit iniuriam, etiam si alicui inde damnum proueniat.*
9 *An cesset obligatio baptizandi, si baptismus sit acceleraturus mortem.*

---

1 Vix accidere potest, quod baptismus possit causare mortem, quia potest ministrari absque effusione aquæ, aut immersione, sed solum cum leui aspersione, & aqua conuenienter calefacta, & statim eam abstergendo, quibus cautelis adhibitis vix fieri potest, quod ablutio afferat nocumentum aliquod, vt notant Scot. *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 3. §. *iuxta hoc*. Gabr. *dist.* 4. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Chapeauil. *de administr. sacram. cap.* 2. *quæst.* 15. Coninch *de sacram. quæst.* 66. *ar.* 7. *dub.* 1. Victoria *in sum.* tit. *de baptis. num.* 18. Suarez *disp.* 20. *de sacram. sect.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *dub.* 12. *num.* 8. & alij præsertim infra citandi. Quia tamen tales circumstantiæ concurrere possunt, vt baptismus acceleret mortem, ideo dubitatur, an tunc liceat baptizare.

2 Conueniunt autem omnes, quod differendus sit baptismus, si periculum sit tale, vt tunc non timeatur mors superuentura, nam sic prouidetur corporali saluti baptizandi, & adest tempus recipiendi baptismum ita inter alios Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica. art.* 8. §. *quid autem*. *Propositione* 5. Suarez *disp.* 20. *de sacram. sect.* 3. Quod tamen difficultate non caret; quia, si differatur baptismus fieri potest, quod crescat periculum mortis, & proinde ablutio fiat magis nociua; tunc autem aut prætermittendus baptismus, aut ministrandus cum maiori periculo, quàm antea fuisset ministratus. Itaque cum moraliter loquendo ablutio facta, vt dictum est *num. præcedenti*, nunquam possit afferre notabile detrimentum, censerem vogente quocunque periculo, nunquam differendum esse baptismum, cum magni intersit prouideri saluti spirituali, & parum, aut nihil nocere possit saluti corporali.

3 Quando ergo non est differendus baptismus, prima sententia asserit, quod si ablutio est acceleratura mortem, non debet ministrari, si acceleratio est futura notabilis, secus, autem si parua, quia parum pro nihilo habetur. Citantur Gabr. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Scot. *dist.* 5. *quæst.* 3. Maior. *dist.* 4. *quæst.* 2. quatenus docent, quod non licet ministrare baptismum, quando est futurus causa mortis. Absolutè autem hanc sententiam tradunt Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 8. *in fine*. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 7. *art.* 8. *dub.* 3. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. tract. de baptis. quæst.* 1. *art.* 3. *difficul.* 5. Isambert. 3. *par. quæst.* 66. *disp.* 1. *art.* 3. *in fine*. Petrus Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 3. *de baptis. dub.* 4. *post.* 3. *conclus.* Bartholom. ab Angel. *in exam. confess. dialogo* 2. *de baptis.* §. 90. Heredia *de sacram. par.* 3. *de baptis. dub.* 1. *num.* 9. ver. *Consultò*. Zechius *de sacram. cap.* 3. *de Baptis.* §. *quò verò. in fine*. Fundantur autem in hoc hi doctores, quia acceleratio mortis tanquam homicidium est illicita, & ideo etiam baptismus, quando est causa accelerationis mortis. Imo etiam in tali casu cessat obligatio baptizandi, quia quisque potius tenetur in se vitare culpam, quam prouidere alienæ saluti spirituali. Vnde in tali casu baptismus censendus est impossibilis non secus, ac si deesset aqua.

4 Secunda tamen sententia tenet, quod in tali casu non sit curanda salus corporalis, sed conferendus baptismus, etiam si causet notabilem accelerationem mortis, quam tamen potest difficilè causare. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 3. *quæst.*

quæst. 3. *in fine*. Suarez *disp.* 20. *de sacram. sect.* 3. Vasquez 3. *par. disp.* 145. *cap.* 3. *in fine*. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. Coninch. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 7. *dub.* 1. *num.* 76. *in fine*. Zambran. *in decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 12. *num.* 11. Capeauil. *de administr. sacram. tract. de baptis. quæst.* 12. Cabrera 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 8. *num.* 10. Præposit. *dub.* 1. *num.* 84. Chellison. *dub.* 1. *in fine*. Merat. *tom.* 3. *sum tract. de baptis. disp.* 2. *sect.* 8. ver. *Alterum est*. Basseus *in florib. theol. pract. verbo*. Baptismus. 2. *num.* 8. Palaus *par.* 4. *theol. mor tract.* 19. *disp. vn. punc.* 4. *num.* 14. Granad. 3. *part. controuer.* 4. *tract.* 4. *disp.* 4. *num.* 6. & 7. Moscos. *in sum. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Auersa 3. *part. quæst.* 66. *tract.* 4. ver. *Nec obstat. in fine*.

5 Et hæc posterior sententia absque difficultate tenenda est, quæ innititur firmissimæ rationi. Quando enim concurrunt salus spiritualis, & corporalis, debet præferri spiritualis tanquam excellentior etiam cum totali iactura corporalis, atque adeo subeunda potius est mors, quam facere iacturam salutis spiritualis; ita vt vniuersaliter vita profundenda sit potius, quàm committere peccatum mortale, vt communiter docent cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 3. *in corpore*, & D. August. *lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 22. Imo etiam propria vita exponenda sit vrgente necessitate pro salute spirituali proximi, vt cum eodem Diuo August. *lib.* 1. *de doctrina Christ.* & D. Th. *eadem* 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *in corpore*, similiter docent communiter. Et hæc doctrina est principium certissimum, tàm in Thologia, quàm in morali Philosophia. In nostro autem casu concurrit salus spiritualis, quia infans non potest saluari sine baptismo, & salus corporalis ipsius. Ergo præferenda est salus spiritualis. Et sicut ipse teneretur profundere propriam vitam pro conseruanda, aut obtinenda salute spirituali, ita etiam cœteri debent præferre salutem spiritualem ipsius saluti corporali, & baptizare, etiam si inde mors acceleretur.

6 Confir. in casu, quo infans sit in articulo mortis, potest quisque ipsum baptizare, etiam si sciat, se exponi euidenti periculo mortis, & baptizando exercebit actum charitatis, ergo etiam poterit baptizare infantem etiam cum acceleratione mortis. Consequen. prob. quia nec facit contra iustitiam, cum negotium infantis vtiliter gerat, & præstet id, quod teneretur præstare infans, si esset capax rationis. Nec facit contra charitatem, quia charitas non obligat ad plus amandum proximum, quam seipsum, vt communiter cum D. Tho. 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 4. docent. Imo exequitur præceptum diuinum, & naturale, quo obligamur ea, quæ concernunt salutem animæ anteponere saluti corporali.

7 Confir. 2. ministratio baptismi in tali casu est actio, quæ per se ordinatur adutilitatem animæ, & solum per accidens habet annexum damnum corporale, ergo non obstante acceleratione mortis, poterit ministrari baptismus; quia licet procurare proprium commodum, etiam si inde sequatur per accidens damnum alterius, cum tale damnum sit præter intentionem *l.* 1. *§. denique Marcellus*, & *l. in summa*, *§. Idem Labeo*. & *l. si in meo*. & *l. Vicinus. ff. de aqua plu. arcen.* Et ideo cum quisque teneatur diligere proximum sicut se ipsum iuxta præceptum Dominicum Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum*, sequitur, quod possit commodum proximi procurare, sicut procurat proprium, atque adeo sicut posset ipse velle baptizari vrgente necessitate non obstante acceleratione mortis; ita etiam poterit baptizare proximum in periculo mortis constitutum, non obstante, quod illi mors acceleretur; quia ordo charitatis postulat, quod salus spiritualis proximi præferatur saluti eiusdem corporali, sicut est etiam præferenda saluti corporali propriæ, vt notat D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. & cum eo communiter.

8 Et ex his facilè soluuntur, quæ pro opposita sententia allata sunt. Nam tunc

tunc solum acceleratio mortis est illicita, & habet rationem homicidij, quando est per se, & directè intenta, non autem quando se habet permissiuè, & indirectè ad aliquid, quod de se sit honestum, & secundum legem diuinam, & naturalem; aliàs nunquam liceret se exponere periculo mortis, etiam pro salute spirituali proximi, contra præceptum diuinum iuxta illud, *Maiorem charitatem nemo habet, vt ponat quis animam suam pro amicis suis*. Vnde quando actio de se est licita, & honesta, etiam si habeat annexum periculum vitæ, non per hoc fit illicita, si versetur circa bonum, quod propriæ vitæ præferendum sit, quia tunc mors, si inde sequatur non est voluntaria, sed permissa. Sic etiam, qui iure suo vtitur, nemini facit iniuriam, etiam si inde damnum aliquod illi proueniat *l. Qui iniuriarum §. Is qui ff. de iureiur.* & *l. Quod Reipubl.* & *l. Iniuriarum ff. de iniur.* & *l. Fluminum. §. fin.* & *l. Proculus ff. de damno infecto*. & cap. *Cum Ecclesia*. ver. *quia*. *De elect.* Et ideo cum concurrant solus animæ, & salus corporalis, si quis intendat commodum salutis spiritualis, non facit iniuriam corporali, si indirectè, & præter intentionem damnum aliquod illi sequatur. Vnde solutum manet etiam secundum, quia cum hoc nullam contineat culpam, non habet locum, quod potius debeat in se vitare propriam culpam, quam prouidere alienæ saluti.

9. Ex quibus deducitur, non cessare obligationem baptizandi infantem, sed eodem modo vrgere, ac si non esset mors acceleranda, quia cum acceleratio mortis non impediat, quin possit ministrari baptismus, nec etiam facit cessare obligationem, si aliàs adsit. Quod autem spectat ad adultos, quamuis non adsit erga ipsos illa obligatio, quæ adest respectu infantium, quia saluari possunt per solum baptismum in voto, & actum contritionis, adhuc tamen poterit ipsis quoque ministrari non obstante acceleratione mortis, quia militat in ipsis quoque eadem ratio, ob quam potest infantibus ministrari, cum & in ipsis salus spiritualis debeat corporali præferri, & ideo ipsi quoque possunt exponere vitam, vt prouideant saluti animæ mediante remedio certo.

An accelerans mortem baptizando contrahat irregularitatem. *Quæst. 32.*

S V M M A.

1 *An fiat irregularis, qui baptizando accelerat mortem, & num. 2.*

3 *Irregularitas ex delicto non habet locum, vbi homicidium sequitur ex negligentia venialiter culpabili.*

4 *Irregularitas, quæ habet rationem pœnę non imponitur, nisi pro peccato mortali.*

5 *Explicatur cap.* Continebatur: *De homicidio.*

5 *Ludo prohibito ob periculum homicidij, & negligentia venialiter culpabili inducitur irregularitas, si sequatur homicidium.*

6 *Casu occidens, si det operam rei licitæ non contrahit irregularitatem, nisi contrahat reatum homicidij.*

6 *Dans operam rei illicitæ si casu occidat, quando contrahat, irregularitatem.*

7 *Irregularitas ex defectu lenitatis habet locum tantum in homicidio publico, non in priuato.*

8 *Accelerans mortem baptizando an contrahat irregularitatem, si putet se malè facere.*

8 *Irregularitas imponitur solum pro delicto in re existente, non pro existente in conscientia erronea.*

---

1 Quod fiat irregularis tenent Paludan. *in 4. dist. 3. quæst. 3.* Capeauil. *de adminis. sacram. quæst. 12. de baptis.* ver. *dices secundò*. Cabrera 3. *par. quæst. 66. art.* 8. *num.* 8. Zechius *de sacramen. tit. de baptis. cap.* 3. *§. quò verò. in fine.* Quia, inquiunt, omnis culpa homicidij consumati, etiam si venialis sit, habet annexam irregularitatem. Idem etiam tenebunt, qui sub-

substinent, quod ad contrahendam irregularitatem ex homicidio, sufficiat sola negligentia venialiter culpabilis. Ita Molina *de iust. & iure tom.* 4. *tr.* 3. Caiet. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Arragon. *ibid.* Megal. 3. *par. Instit. lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 1. *num.* 7. & *quæst.* 5. *num.* 110. & *tom.* 2. *Variar. Resolut. Resol.* 150. *num.* 4.

2 Oppositum tamen tradunt in nostris terminis Gabr. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Sotus *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 8. *circa finem.* Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de Baptis. dub.* 12. ver. *Ex dictis sequitur.* Mærat. *tom.* 3. *theol. moral. tract. de baptis. disp.* 2. *sec.* 4. ver. *Alterum est.* Et generaliter ij omnes, qui volunt, quod ad contrahendam irregularitatem non sufficiat culpa venialis, sed necessariò requiratur culpa mortalis. Ita Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 34. Suarez *de censur. disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 19. Sayr. *de censur. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 5. alios citans. Filliuc. *tractat.* 20. *cap.* 3. *num.* 58. *& sequent.* Salon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 252. & *de poenit. cap. vlt. num.* 21. *dist.* 6. Bonac. *disp.* 7. *de censur. quæst.* 1. *punc.* 2. *num.* 1. Villalob. *par.* 2. *sum. tract.* 21. *difficul.* 22. *num.* 8. Turrian. *de censur. lib.* 8. *disp.* 57. *dub.* 2. Laiman. *lib.* 1. *theol. mor. tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 19. *punc.* 3. §. 5. Auila *de cens. part.* 7. *disp.* 2. *dub.* 3. *conclus.* 3. Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *cap.* 1. Montesin. *quæst.* 76. *ar.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 12. *num.* 153. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 10. *num.* 181. Præposit. *in* 3. *par. quæst.* 5. *de irregularit. dub.* 2. *num.* 6. Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscien. dub.* 2. *de irregular. conclus.* 6. Gaspar. Hurtad. *de censur. disp.* 1. *de irregular. difficul.* 2. *num.* 8. Gordon. *tom.* 2. *theol. mor. lib.* 7. *quæst.* 10. §. 4. *num.* 14. Coninch. *disp.* 18. *de censur. dub.* 9. *num.* 88. Sylnius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *conclus.* 3. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *de irregular. Resol.* 21.

3 Et hæc sententia posterior absque vlla hæsitatione tenenda est. Et ratio est, quia non potest habere locum irregularitas ex delicto, nec ex defectu lenitatis; omnis autem irregularitas ex homicidio in altero ex his capitibus necessariò fundatur. Non irregularitas ex delicto, quia nullum adest peccatum, quia licitè potest baptizari non obstante acceleratione mortis, vt constat ex dictis *quæst. præcedenti*, & si aliquod adest, ad summum est veniale ratione alicuius negligentiæ, quæ in abluendo subrepat. Non sufficit autem negligentia venialiter culpabilis, vt contrahatur irregularitas, vt desumitur ex cap. *Quæsitum. de pœnit.* vbi declaratur taxatiuè Clericos esse irregulares, si ipsis procurantibus, aut studiosè negligentibus filij fuerint oppressi; studiosè autem negligere importat negligentiam crassam, & voluntariam, atque adeo moraliter culpabilem.

4 Confir. Irregularitas, quando habet rationem punitionis est pœna grauissima; si quidem inhabilitat ad ordines, & beneficia, & ordinatos priuat executione ordinis. Pœna autem grauissima de iure canonico non imponitur, nisi propter peccatum mortale; præsertim cum talis pœna sit difficilis relaxationis. Et proinde irregularitatem appositam per modum pœnæ esse signum, quod lex obliget sub mortali, docent Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 4. *num.* 80. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 18. Salas *disp.* 10. *de legib. sect.* 9. & communiter.

5 Neque obstat cap. *Continebatur. De homicidio.* vbi declaratur Clericus irregularis, in quem quidam, qui in quodam ludo victor exiterat iuxta morem victoris æquitaturus insilijt, & falce, quam gerebat ipse Clericus mortaliter vulneratus est, & illo vulnere occubuit, in quo non videtur interuenisse, nisi negligentia quædam venialiter culpabilis, quia in tali ludo non deposuit falcem. Nam resp. quod non potuit declarari irregularis ob talem negligentiam, nam in cap. *Lator præsentium.* immediatè sequenti. Quidam Clericus, qui in quodam ludo alterum Clericum in

in terram proiecit, & cuius cutellus, quem ad latus habebat, in ipsum incidens, vulnerauit, quo vulnere postea mortuus est, declaratur immunis ab irregularitate. Vnde in priori casu clericus declaratur irregularis, quia dabat operam rei prohibitæ, nempe ludo ob periculum homicidij, quod inde poterat sequi, atque adeo mortaliter peccauit, quia se exposuit periculo homicidii, & homicidium fuit ipsi voluntarium directè in causa, si quidem voluit rem prohibitam, vt pote continentem periculum homicidii.

6 Pro cuius intelligentia est aduertendum, quod homicidium casuale potest sequi, vel ex actione licita, & non prohibita; vel ex actione prohibita, atque adeo illicita. Si primo modo sequatur homicidium, pro contrahanda irregularitate requiritur negligentia, quæ sufficiat ad contrahendum reatum homicidij, vt docet etiam D. Th. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *in corpore*, & *ad* 3. & constat ex supradictis. Si verò det operam rei illicitæ, tunc considerandum est, ob quem finem sit opus illud prohibitum; nam si prohibitum sit propter periculum homicidii, tunc, si sequatur homicidium, contrahahitur irregularitas, quia dans operam tali rei illicitæ, voluntariè se exponit periculo homicidis, atque adeò illi imputatur si sequatur, vt desumitur ex cap. *Sicut*, 2. *de homicidio*, vbi Clericus ludens cum fœmina prægnante ludo periculoso, declaratur irregularis, quia sequutus est abortus, si fœtus erat animatus, & ex cap. *Tua nos. eodem tit.* vbi Monachus chirurgus declaratur irregularis, quia aperuit vulnus mulieris, quæ postea mortua est, quia dedit operam rei illicitæ, & prohibitæ clericis ob periculum homicidij, & ex cap. *fin. de homicidio. in* 6. vbi mandator percussionis iniustæ, quamuis non lætalis, declaratur irregularis, quia mandatarius percussit lætaliter excedens fines mandati. At si res est prohibita ob alias causas, si inde sequatur homicidium, non contrahitur irregularitas, nisi interueniat talis negligentia, quæ satis sit ad contrahendum reatum homicidii. Ita docent Sotus *lib.* 5. *de iust. & iure, quæst.* 1. *ar.* 9. Suarez *de censur. disp.* 45. *sect.* 6. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 237. Couarruuius *in Clemen. Si furiosus par.* 2. §. 4. *num.* 9. ver. *Ex his. de homicid.* Castro *lib.* 2. *de potest. Leg. pœn. cap.* 14. ver. *Prima principalis*. Palud. *in* 4. *dist.* 35. *quæst.* 1. *ar.* 4. Mantesin. 1. 2. *quæst.* 76. *ar.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 12. *num.* 165. & concordat cum doctrina D. Th. *init. huius num.* citati.

7 Neque potest habere locum irregularitas ex defectu lenitatis, quia hæc non habet locum in homicidio priuato, quod fit à persona priuata, sed tantum in homicidio ex auctoritate publica, atque adeo ipsam contrahunt, qui tanquam ministri publici ad ipsum concurrunt, vt docent Couaruu. in Clement. Si furiosus *par.* 2. §. 4. *num.* 9. ver. *Ex his. de homicid.* quatenus distinguens homicidum priuatum à publico, docet, quod in homicidio, quod fit a persona priuata nunquam habet locum irregularitas, nisi habeat locum etiam culpa homicidii. Turrian. cum Vasquez *lib.* 9. *de censur. disp.* 66. *dub.* 3. Gaspar Hurtad. *de censur. disp.* 2. *de irregularit. difficul.* 11. *num.* 40. Celestin. *in Compen. theol. moral. tract.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 1. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *Resol.* 79. Bauny *par.* 2. *theol. moral. tract.* 11. *quæst.* 23. *dub.* 11. Machad. *de Perfect. confessar. tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 3. *tract.* 18. *docum.* 5. *num.* 5. Palaus *par.* 6. *Theol. mor. disp.* 6. *de censur. punc.* 14. *num.* 1. Montesin. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 12. *num.* 161. ver. *Neque audiendi sunt.* in fine. Quia nimirum hæc irregularitas à iure imponitur tantum personis publicis, quæ tanquam concernentes iudicium concurrunt ad homicidium.

8 Ex dictis colligitur. Quod etiam si quis erroneè putaret, se malè facere baptizando, dum accelerat motem, quamuis peccaret ratione conscientiæ erroneæ, non tamen afficeretur irregularitate, vt notant Gabr. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.*

quæst. 2. art. 3. dub. 4. Sot. *dist. 3. quæst. vn. art.* 8. in fine, *Zambran. in suis decis. cap. 3. de baptis. dub. 12. num.* 16. Quia irregularitas imponitur tantum pro delicto homicidii in re existente, non autem pro existente in conscientia erronea, in casu autem nostro delictum non existit in re, quia nullus est reatus homicidii, sed solum in conscientia erronea.

An valeat baptismus, si baptizandus vrgente necessitate proijciatur in flumen, aut in puteum.

Quæst. 34.

S V M M A.

1 *Omnis industria est prius adhibenda, quam proijciatur quis in puteum, vt baptizetur.*
1 *An teneat baptismus, si dum quis proijcitur in puteum, aut flumen proferatur forma, & num. 3.*
2 *Baptismus potest stare cum suffocatione baptizati, & etiam cum intentione ipsum occidendi.*
3 *Baptismus non potest stare cum actione ordinata ad occidendum.*
4 *Qualis ablutio requiratur pro baptismo.*
5 *Forma baptismi coniuncta cum proiectione in puteum, aut fluuium esset falsa.*
6 *In baptismo requiritur actio ablutiua, quæ sit vt talis à ministro, qualis non est proiectio in puteum.*
6 *An, si dum abluitur infans, elabatur è manibus, & suffocetur, sit verus baptismus.*
7 *Quid si baptizans tantam super infunderet aquam, vt suffocaret.*
8 *An intentio suffocandi, & intentio faciendi, quod facit, Ecclesia in baptismo sint incompossibiles.*
9 *An si infans caderet de manibus gestantis in aquam, & proferret formam, esset baptizatus.*

1 Conueniunt doctores, quod omnis industria prius adhibenda est, vt possit è flumine, vel puteo haberi aqua, aut demittendo funes, aut vestes, & postea exprimendo aquam ab ipsis, aut demittendo infantem in puteum, aut flumen per cistam, aut sportam, aut quocunque alio modo, qui occurrere possit. Quod si nullus ex his modis suppetat, quamuis casus difficilis sit, & potius metaphysicus, quam practicabilis, attamen quia non est impossibilis, Prima sententia tenet, baptismum futurum validum. Ita Panorm. *in cap. non vt apponeres. num.* 4. *de baptis.* Gabr. *in 4. dist. 4. quæst. 2. ar. 3. dub.* 4. in fine, qui etiam citat Olchot. Victoria *in sum. Tit. de baptis. num.* 18. Viual. *in Candelab.* Tit. *de modo baptismi. num.* 6. Suarez 3. *par. disp.* 20. *de sacramentis. sect.* 3. Valent. *tom.* 4. *disp. 4. quæst. 1. punc.* 2. ver. *Septimò sequitur.* Vasquez 3. *par. disp.* 145. *cap.* 3. *num.* 19. Coninch. *quæst.* 66. *art.* 7. *dub. 1. num.* 68. Præposit. *ar.* 8. *dub.* 1. *num.* 81. Chellison. *dub.* 1. Putean. *ar.* 4. *dub. vlt.* Gammach. *cap.* 2. Isamber. *disp. 1. ar. 3. dub.* 2. Mærat. *tom. 3. sum. tract. de baptis. disp. 2. sect.* 3. ver. *Qui ad tertiam* Reginald. *lib.* 28. *Praxis fori poenit. num.* 21. Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 2. cap. 3. num.* 5. Villalob. *par. 1. sum. tract. 5. difficul. 4. num.* 7. Ochagauia *de sacram. quæst. 6. de Baptis. num.* 2. Maior. *in 4. dist. 4. quæst.* 1. Io. à Cruce *par. 2. Direct. conscien. quæst. 1. de baptis. dub. 2. conclus. 2. in fine.* Ledesma *part. 1. sum. cap. 3. de Baptismo. dub. 5. post 3. conclus.* Bonac. *disp. 2. de sacram. quæst. 2. punc. 3. num.* 27. Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 4. num.* 10. Filliuc. *tract.* 3. *cap. 2. quæst.* 9. Nugnus 3. *par. quæst.* 66. *ar. 8. conclus.* 5. Diana *par. 5. tract. 3. resolut.* 14. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp. 1. de Baptis. difficul.* 5. ver. *Obseruandum tamen.* Heredia *de sacram. par. 3. de baptis. num.* 7. ver. *Sunt tamen.* Auersa 3. *par. quæst. 66. sect.* 4. ver. *Sextò.*

2 Fundamentum huius sententiæ est. Quia quotiescunque interuenit vera materia, & vera forma, conficitur verum sacramentum, in hoc autem casu

fit interuenit vera materia, nempe ablutio per aquam, siquidem, dum corpus ingreditur, aqua fluit per ipsum, & est ablutio apta mundare sordes, si ergo simul pronnuncietur forma, interuenient omnia essentialia baptismi. Nec est necessarium, quod subsequatur emersio, quia immersio est vera ablutio se sola absque emersione, cum dicat contactum corporis ab aqua causatum ab alio, qui saluatur, siue applicetur aqua corpori, siue corpus aquæ. Confir. Si quis imprudenter infunderet super baptizandum tantam copiam aquæ, vt ipsum suffocaret, verè baptizaret, ergo non obstat validitati baptismi, quod simul cum ablutione sit coniuncta suffocatio. Confir. secundo. Intentio suffocandi, & faciendi, quod facit Ecclesia non sunt incompossibiles, ergo licet illa ablutio ordinetur etiam ad suffocationem, & in ministro adsit etiam talis intentio, non tollet validitatem baptismi, si modo habeat intentionem quoque faciendi, quod facit Ecclesia.

3 Secunda sententia asserit, talem baptismum non futurum validum. Ita Scot. *in 4. dist. 5. quæst.* 3. Paludan. *dist. 6. quæst. 1. ar. 3. conclus.* 2. Sotus *dist. 3. quæst. vn. ar.* 8. §. *Quo autem hæc proposit.* 2. Rtchar. *dist.* 4. *ar.* 4. *quæst.* 2. *casu* 2. Marsil. *quæst.* 4. *ar.* 4. Syluester *verbo*. Baptismus. 4. *num.* 10. Angel. *ibid. init.* Armilla *num.* 3. Tabiena *verbo*. Baptismus. 5. *num.* 6. Henriquez *lib.* 2. *Sum. cap.* 7. *num.* 3. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 18. *num.* 9. Holchot *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 1. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 7. *art.* 8. *dub.* 4. Cabrera 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 7. *num.* 17. Zechius *de Sacram. tit. de baptis. cap.* 3. §. *Quò verò. circa finem*, Ludouicus à S. Ioan. *par.* 1. *Sum. quæst.* 1. *de baptis. ar.* 3. *difficul.* 5. *dub.* 1. Pitigian. *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 3. *ar.* 6. Chamerota *tract.* 2. *de Baptis. cap.* 2. *dub.* 7. Bartholom. ab Angelo *in Examine Confessar. Dialogo* 2. *de Baptis.* §. 88. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 13. §. 12. Fernandez *par.* 3. *Examin. theol. mor. cap.* 2. *de baptismo*. §. 3. *num.* 7. Lublinus *par.* 1. *Sum. verbo*. Baptismus. *num.* 24. Quia, inquit Scotus, baptismus ordinatur ad vitam, & ideo non potest haberi per actionem, quæ sit ordinata ad occidendum. Et quia baptismus repræsentat mortem, & resurrectionem Christi, & ideo requirit non solum immersionem, sed etiam emersionem.

4 Hæc posterior sententia omnino tenenda est, tanquam solidiori fundamento firmata. Ad baptismum namque requiritur pro materia actio ablutiua, seu applicatio aquæ ad abluendum, ita vt talis applicatio in se sit vera ablutio. Et quia materia sacramentorum debet esse talis, qualis requiritur, moraliter, & in communi æstimatione hominum, ideo ablutio debet esse talis, vt moraliter, & in communi æstimatione hominum habeatur pro ablutione. Quando autem quis proijcitur in flumen, vel in puteum, non interuenit ablutio, quæ in morali æstimatione hominum habeatur pro ablutione, neque etiam quisquam diceret, quod proijciens aliquem in flumen, ipsum vellet abluere, vnde cum non sit ablutio in morali æstimatione hominum, nec etiam est materia apta pro sacramento baptismi.

5 Confir. Proiectio in flumen, aut in puteum non est ex natura sua actio ablutiua, quia ex natura sua non ordinatur ad abluendum, sed ad suffocandum, & occidendum, ergo si eum tali actione coniungatur forma baptismi, non conficietur sacramentum, quia non verificabitur forma, forma enim significat, quod minister exerceat actionem ablutiuam ex natura sua; actio autem, quæ exercetur non est ablutiua ex natura sua, sed est occisiua; & ideo diuersa actio significatur ab ea, quæ exercetur. Et sicuti, si alio modo quis occideret, & diceret, Ego te baptizo, forma esset falsa, ità etiam in casu nostro, quia quod occisio fiat hoc, vel illo modo est extra substantiam occisionis, & consequenter etiam extra substantiam actionis occisiuæ; & ideo, cum actio secundum substantiam sit occisiua, quamuis fiat occisio mediante aqua, & suffo-

focatione, non potest significari, per verba, quæ significant actionem, quæ secundum substantiam fit ablutiua, siquidem significatio non potest aptari obiecto, à quo est diuersa substantialiter.

6 Et ex his soluuntur, quæ pro opposita sententia allata sunt. Vt enim constat ex dictis, talis baptismus esset inualidus defectu materiæ proximæ, nempe ablutionis. Et cum dicitur, quod tunc aqua tangeret corpus, & flueret per ipsum, ita vt esset apta tergere etiam sordes. Resp. quod talis ablutio esset per accidens consequens ex actione, quæ non esset natura sua ablutiua, quod non sufficit ad materiam baptismi; si quidem ablutio debet prouenire à ministro, vt verificetur forma, nam inquit, *Ego te baptizo*. & ideo actio ministri debet esse talis, vt ex natura sua, & per se inferat ablutionem passiuam, & consequenter debet esse actio ex natura sua ablutiua; Proiectio autem baptizandi in puteum, aut in flumen non est ex natura sua ablutiua, sed interfectiua, & per accidens solum habet annexam ablutionem. Ex quo etiam colligitur disparitas inter hunc casum, & illum, in quo baptizandus, dum à ministro immergitur, elabitur è manibus, si enim proferat simul formam, erit baptizatus; nam in hoc casu actio exercita à ministro est ex natura sua ablutiua, & elapsus è manibus est per accidens, sicut etiam suffocatio, si sequatur; Imo sicut in hoc casu, quod baptizandus elabatur è manibus, & suffocetur non impedit validitatem baptismi, quia per accidens se habet ad actionem per se ablutiuam: ita etiam, quod fiat ablutio, dum baptizandus proijcitur in puteum, vel in flumen, non efficiet validum baptismum, quia per accidens se habet ad actionem ministri, quæ non est ex sui natura ablutiua, sed interfectiua.

7 Ad 1. confir. resp. Quod in illo casu, in quo baptizans tantam super infunderet aquam, vt suffocaret. Considerandum esset, an modus infundendi esset ablutio secundum moralem æstimationem, & an illa actio esset ex sui natura ablutiua. Quia si esset talis, baptismus esset validus, quia suffocatio, si sequeretur, esset per accidens; secus autem, si illa actio non esset ex sui natura ablutiua, nam adhuc deficeret materia proxima sacramenti. Et secundum hanc regulam aliæ huiusmodi obiectiones soluendæ sunt.

8 Ad 2. confir. resp. Quod licet intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & intentio suffocandi nõ sint incompossibiles secundum se præcisè: sunt tamen in compossibiles in vna, & eadem actione: seu est in compossibile, quod vna, & eadem actio sit effectus harum intentionum: siquidem intentio occidendi infert per se actionem ex natura sua occisiuam, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia infert per se actionem ex natura sua ablutiuam; est autem impossibile, quod vna, & eadem actio sit ex natura sua, & per se ablutiua, & ex natura sua, & per se interfectiua.

9 Ex dictis colligitur, Contra Sotum. *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 8. §. ... Syluestrum *verbo.* Baptismus *quæst.* 10. quod si infans caderet de manu gestantis in aquam, & gestans aduertens casum proferret formam baptismi, ne infans sine baptismo moreretur, non conficeretur verum sacramentum baptismi, vt notant Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 7. *ar.* 8. *dub.* 4. ver. *Ad hoc* Richar. *in* 4. *dist.* 4. *ar.* 4. *quæst.* 2. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 7. *num.* 5. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. ar.* 3. *diffic.* 6. Io. à Cruce *par.* 2. *Direct. conscien. quæst.* 1. *de Baptis. dub.* 2. *conclus.* 2. *in fine.* Petrus Ledesma 1. *par. sum. cap.* 3. *dub.* 5. *post* 3. *conclus.* ver. *Toda via.* Quia non interuenit actio ministri abluens, & ideò falsa esset forma. *Ego te baptizo.* nam minister nullam exerceret actionem.

An sit proiiciendo in puteum, aut flumen valide baptizaretur, liceret baptizare, quando aliter non posset baptizari, qui est constitutus in articulo mortis. Quæst. 35.

SVMMA.

1 *An si baptismus esset validus, liceret proijcere infantem in puteum &c. si alio modo non posset baptizari, & vrgeret necessitas, & num. seq.*

2 *Quando salus spiritualis non potest haberi sine baptismo, est pro illo obtinendo vita exponenda.*

3 *Oppugnans ciuitatem potest tormenta explodere, etiam si sciat occisura innocentes.*

4 *Proiectio in puteum posset assumi, vt actio baptizatiua non obstante, quod etiam esset interfectiua.*

5 *Ius ad salutem spiritualem praualeret iuri ad salutem corporalem, & ideo etiam media ad illam.*

6 *Ex eo quod proiectio in puteum sit interfectiua, fit, quod non possit esse actio baptizatiua, aliàs esset licita.*

7 *Idem actus ex natura sua interfectiuus, nunquam potest vsurpari ad honestum finem.*

7 *Quando est licitum se exponere morti, interuenit aliquis actus de se licitus, licet sit annexus actus interfectiuus.*

1 NOn *esse licitum*, docent omnes, qui volunt, neque esse verum baptismum, quos citaui *quæst. præcedenti num.* 3. Ex illis autem, qui oppositam sententiam tradunt, tenent, esse illicitum Coninch. *3. par. quæst.* 76. *ar.* 7. *dub.* 1. *num.* 71. Præposit. *ar.* 8. *dub.* 1. *num.* 83. Chellison. *dub.* 1. ver. *Notandum tamen.* Gammach. *cap.* 2. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 4. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 2. *de Baptis. sect.* 4. ver. *Ratio autem est.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de baptis. difficul.* 5. ver. *Obseruandum tamen.* Heredia *de sacram. par.* 3. *de baptis. dub.* 1. *num.* 7. Isambert. 3. *par. quæst.* 66. *disp.* 1. *ar.* 3. ver. *Quod autem spectat.* Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 1. *de baptis. ar.* 3. *difficul.* 5. Palaus *par.* 4. *Oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 4. *num.* 12. Reginal. *lib.* 28. *Praxis fori pœnit. num.* 21. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 4. *num.* 7. Ledesma *Par.* 1. *sum. cap.* 3. *de Baptis. dub.* 7. *post* 3. *conclus.* Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 3. *num.* 27. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 41. Nugn. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 8. *conclus.* 4. Auersa 3. *part. quæst.* 66. *sect.* 4. ver. *Nec obstat.* Auersa 3. *par. quæst.* 68. *sect.* 2. ver. *Quarto specialiter.* Diana *part.* 5. *tract.* 3. *Resol.* 14. ver. *sed difficultas est.*

2 Oppositum tamen tenet Ochagauia *de sacrament. tract. de Baptis. quæst.* 7. *num.* 2. qui tamen hoc coarctat ad infantes, & excludit adultos, cum hi alio modo saluari possint. Eius fundamentum est. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; & ideo in isto casu parum pendenda est acceleratio mortis, cum salus spiritualis præualeat. Imo hoc etiam extendit ad cathecumenum, licet *num. præcedenti* oppositum tradiderit, quia, inquit, iustificatio per contritionem est ei difficilis, facilis autem per baptismum.

3 Si ergo validus esset talis baptismus esset etiam licitus, quamuis præter intentionem haberet mortem annexam. Cum enim salus animæ præferenda sit saluti corporali, vt dictum est supra *quæst... num.* 5. *& sequent.* & in tali casu ita concurrent salus corporalis, & salus spiritualis, vt altera ipsarum necessariò posthabenda sit, præferenda erit salus spiritualis, & conferendus baptismus non obstante, quod eadem actione inferatur etiam mors, quia tunc illa actio non assumetur, vt ordinata ad mortem, sed ad vitam spiritualem. Sic oppugnans ciuitatem potest tormenta explodere, quamuis sciat, quod occisura sint etiam innocentes, quia vtitur iure suo, & præter intentionem est, quod occidantur innocentes, & alia plura huiusmo-

modi exempla possent afferri, in quibus licet alienam vitam periculo exponere, quando quod primò per se intenditur, est quid licitum, & ad ipsum habetur ius.

4 Dices. Esse diuersam rationē in his casibus, quia per accidens, & indirectè actio tendit ad mortem, seu ad occidendum; proiectio autem in puteum, aut flumen tenderet per se, & directè. Contra, non minus ictus tormenti est per se interfectiuus eorum, in quos dirigitur, quàm sit proiectio in puteum; ergo sicut licet dirigere ictum bombardæ tam in hostes, quàm in innocentes, ex intentione occidendi hostes, stante quod potest oppugnans vti iure suo contra hostes, ita, cum proiectio in puteum sit actio baptizatiua, licet sit interfectiua, poterit adhiberi, stante iure baptizandi, quia interfectio erit præter intentionem, cum per accidens sit, quod adhibeatur actio, quod sit etiam interfectiua, sicuti in ictu tormenti per accidens est, quod sit actio interfectiua etiam innocentis, siquidem per accidens est, quod sit in illo loco.

5 Confir. Si actio ista proiectionis in puteum sufficeret pro validitate baptismi, non minus esset actio sacramentalis, & assumibilis pro ministratione sacramenti, quàm esset interfectiua; ergo non minus esset secundum ius, & exigentiam baptizandi, quatenus sacramentalis esse potest, quàm esset contra ius, & ipsius exigentiam, quatenus esset interfectiua, ergo ex natura sua posset assumi, vel respui, prout vnum, aut alterum ius in ipso præualeret, ergo, cum præualeat ius ad baptismum tanquam fundatum in exigentia salutis spiritualis, quando alio modo non possit haberi baptismus, posset assumi, cum cedat ius conseruandi vitam. Sicut etiam mulier prægnans potest sumere potionem ordinatam ad sanitatem ipsius, licet sit interfectura fœtum in vtero; quia præualet ius, quod habet ad propriam sanitatem.

6 Ex quibus colligitur, quod cum ista actio sit interfectiua, non potest esse apta, vt sit actio sacramentalis pro baptismo, alioquin non posset negari, quin posset adhiberi vrgente necessitate, quia stante opinione, quod baptismus iste sit validus, quam tenent plurimi, & graues Doctores, & quod vrgente necessitate liceat sequi in ministratione sacramentorum opinionem probabilem circa validitatem, non posset negari, quin talis baptismus posset adhiberi, cum salus spiritualis præferenda sit vitæ corporali, & possit adhiberi actio de se ordinata ad salutem animæ, licet habeat annexam mortem corporalem.

7 Et pro maiori supradictorum intelligentia aduertendum est, quod tunc actio aliqua vsurpari potest licitè, quamuis sit connexa cum morte, quando ipsa non est interfectiua, sed solum est coniuncta cum alia actione valde periculosa; & quæ de se est illatiua mortis: vnde debent semper interuenire duo actus, qui ex natura sua sint separabiles, quamuis tunc non possint separari, nam in tali casu intentio fertur in licitum, & solum permissiuè se habet respectu periculosi, & interfectiui: vt cum quis fugiens incendium domus, se proiicit è fenestra, adest enim fuga, & proiectio è fenestra, qui actus sunt ex natura sua separabiles. Quando vero interuenit vnus tantum actus, qui est ex natura sua interfectiuus, nunquam vsurpari potest ad honestum finem, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Vnde cum proiectio in puteum sit ex natura sua interfectiua; non poterit esse actio sacramentalis, cum non potuerit Christus instituere actionem interfectiuam pro materia sacramenti, à qua non posset separari vis interfectiua, sicuti è contra, quando adhiberetur aqua ita feruida, aut veneno infecta, vt interficeret, conficeretur verus baptismus; quia tunc ab illo modo ablutionis est separabilis actio interfectiua tollendo vim interfectiuam, quæ per accidens est connexa. Vnde non potest dici, quod proiiciendo aliquem in puteum, possit validè baptizari, nisi in hoc assignetur aliqua actio, quæ de sui natura non sit interfectio,

ctio, & possit esse materia sacramenti; Si autem assignetur, erit etiam licitus talis baptismus vrgente necessitate, quia interfectio erit per accidens connexa.

An debeat aperiri vterus matris viuentis, vt infans periclitans baptizetur. Quæst. 36.

S V M M A.

1 *Vterus matris non potest aperiri, vt foetus periclitans baptizetur, ex communi voto.*

1 *Nunquam licet occidere innocentem ab quodcunque bonum inde consequens.*

2 *An sectio vteri pregnantis sit occisio.*

3 *Sectio vteri licita, si probabiliter non sit occisio.*

3 *Vita propria exponenda pro salute spirituali proximi constituti in extrema necessitate.*

4 *Cur sectio vteri non sit mortalis.*

5 *Sectiones periculosiores sectione vteri sunt licita vrgente necessitate.*

6 *Mater non tenetur subire sectionem vteri, vt foetus periclitans baptizetur.*

6 *Charitas non obligat directè ad profundendam vitam, sed solum ad id cui est annexum periculum vitæ.*

7 *Nulla virtus, aut potestas extendit obligationem extra propriam spheram.*

8 *Sectio vteri non est directa subuentio infantis periclitantis quò ad salutem spiritualem.*

9 *Ad quos actus aliarum virtutum obliget charitas, quando obligat ad subueniendum.*

9 *Charitas non obligat indirectè ad id, quod antecedit actum subueniendi.*

10 *Charitas non obligat ad subueniendum, nisi potentem subuenire, & quo ad eum, qui subueniri potest.*

11 *Quæ sunt commercij humani, non debentur ex charitate, nisi ijs, qui sunt in commertio humano.*

11 *Infans dum est in vtero non communicat in commercio humano.*

11 *Sublato vno correlatiuo tollitur, & aliud.*

12 *Obligatio ad media non consurgit, ante obligationem ad finem.*

12 *Obligatio ad finem non infert obligationem ad media, quibus finis fiat acquisibilis.*

13 *Mater non tenetur subire sectionem vteri ob salutem propriam.*

13 *Non tenemur adhibere remedia atrocia, & difficilis passionis pro conseruatione vitæ.*

13 *Infirmus potest remittere vitam propriam dispositioni diuinæ prouidentiæ.*

14 *Mater potest respuere certos dolores ex sectione vteri admittendo incertos aliàs superuenturos.*

14 *Non tenemur, vti remedijs magni horroris.*

---

1 NOn posse licitè aperiri, docent communiter. D. Th. *in 4. dist. 6. quæst. 1. ar. 1. quæstiun. 1. ad 4.* & *3. par. quæst. 68. ar. 11.* Alens. *par. 4. quæst. 8. memb. 7. art. 1. §. 4.* Gabr. *in 4. dist. 4. quæst. 2. ar. 3. dub. 2.* Maior. *quæst. 2. §. contra hæc.* Sotus *dist. 5. quæst. vn. ar. 11. ver. Tertio arguitur.* Palud. *dist. 6. quæst. 1. ar. 1.* D. Antonin. *3. par. sum. tit. 14. cap. 13. §. 1.* Astensis *par. 1. sum. lib. 4. tit. 6. ar. 2. quæst. 6.* Armilla *verbo*. Baptismus. *num. 38.* Rosella *num. 1.* Syluester *verbo*. Baptismus. *4. num. 2.* Angelus *verbo*. Baptismus. *6. num. 2.* Tabiena *verbo*. Baptismus. *num. 23.* Basseus *in florib. theolog. practica. verbo*. Baptismus. *3. num. 3.* Graf. *2. par. decis. lib. 1. cap. 4. num. 32.* Victoria *tit. de baptis. num. 33.* Viuald. *in Candelab. tit. de baptis. cap. 5. num. 21.* Viguer. *cap. 16. Instit. theol. §. 1. ver. 8.* Angles *in flor. quæst. 2. de recipiens baptis. art. 3. conclus. 4.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 21. num. 5.* Comit. *lib. 1. Respon. quæst. 14. & lib. 4. quæst. 13* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 5. num. 3* Villalob. *par. 2. sum. tract. 12. difficul. 13. in fine.* Malder. *de iust. & iure tract. 3. cap. 1. dub. 16.* Capcauilla *de administrat. fratrum. cap. 2. quæst. 10. in fine.* Lopez *par. 1. Instruc. cap. 63. §. sed in causa.* Io. à Cruce *par. 4. direct. conscien. cap. 12. §. 2. num. 4.* Facundez *lib. 5. in 5. præcep. decal. cap. 12. num. 34.* Nauar. *Consil. 1. de homicid.* Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 2. cap. 3. num. 2.* Præposit. *3. par. quæst. 66. art. 8. dub. 3. num. 93.* Mercer. *eodem art.* Chellison. *ibid.* Palaus *par. 4. oper. mor. tract. 19. punc. 4. num. 13.* Coninch. *3. par. quæst. 66. art.*

7.

7. *dub.* 1. *num.* 75. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 9. Et huius sententiæ fundamentum est, quia nunquam licet occidere innocentem, etiam si inde consequatur aliquod bonum, cum occisio innocentis sit intrinsecè mala, non sunt autem facienda mala, vt eueniant bona, & ideo, cum secare vterum matris, sit eam occidere, non id licebit etiam ob salutem spiritualem infantis.

2 Ab hac tamen omnium sententia discedit Raynaud. *Opusc. de ortu infantium contra natur.* qui, licet concedat, *cap.* 7. quod, quando ex sectione vteri mater est certò peritura, non liceat secare, quia esset directè occidere innocentem, quod est intrinsecè malum, & quia vita humana est sub dominio solius Dei; attamen *cap.* 5. contendit, huiusmodi sectionem vteri posse fieri absque eo, quod mater pereat, & recenset exempla plurium mulierum, quibus vterus semel, aut etiam pluries eidem sectus est, & superuixerunt, & etiam de nouo conceperunt. Et hoc ipsum etiam confirmat exemplo aliarum sectionum, quæ ad alios morbos medendos fieri solent. Et citat plures Medicos asserentes, talem sectionem non esse mortiferam, sed honestam. Hi sunt Franciscus Roussetus *Opusc. de partu Cæsar.* Gaspar Bahunius *in Append. ad idem opuscul.* vbi alios refert Maurit. Cordæus *com.* 1. *ad lib.* 1. *Hippocr. de morb. mulier. tex.* 12. Iacob. Duual *de Hermaphrod. & partub. cap.* 24. Laurent. *lib.* 8. *Anatom. quæst.* 32. Veichar. *lib. de morb. mulier. cap.* 19. Io. Marinel. *lib.* 3. *de morb. mulier. cap.* 50. Io. Schericchius *lib.* 4. *obseruat. med.* Rodericus à Castro *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 3. Mizaldus *Centur.* 1. *memor. Aphoris.* 100. Francisc. Ranchinus *lib.* 7. *quæst. Chirurg. quæst.* 14. Daniel Senertus *lib.* 4. *Medicinæ pract. par.* 2. *sect.* 6. *cap.* 8. *cas.* 3. Quo stante contendit, in tali casu sectionem vteri licitam esse, cum cesset ratio, ob quam sit illicita, cum non sit amplius occisio innocentis. Et citat Alens. *par.* 4. *quæst.* 17. *memb.* 4. Pelbart. *in Rosar.* Pasqualig. *tract.* 4. *de baptis. cap.* 5. *casu* 5. Brianson. *in* 4. *quæst.* 4. *concl.* 2. *littera* K. qui asserunt, esse licitam sectionem vteri, si id præstari posset absque cæde matris, & fœtus. Ita *cap.* 5. *eiusdem opusculi*.

3 Pergit autem *cap.* 6. *num.* 8. & *sequentibus*, & contendit, quòd non solum sectio vteri sit licita, & honesta, quando alio modo partus emitti non potest, sed etiam necessaria, ita vt mater ratione charitatis teneatur ipsam subire. Et fundamentum ipsius est, quia vita propria est exponenda pro salute spirituali proximi constituti in extrema necessitate. Ita D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 5. Malder. *ibid. asser.* 1. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 26. *punc.* 2. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 67. Tolet. *lib.* 4. *sum. cap.* 10. *num.* 2. Azor. *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. §. *Tertio loco*. Nauar. *cap.* 24. *Manual. num.* 9. Abulens. *in cap.* 18. *Matth. quæst.* 95. Gabr. *lect.* 74. *in Can. Missæ. littera.* O. Castropalaus *disp.* 1. *de charit. pun.* 9. Coninch. *disp.* 25. *de actib. supernaturalib. num.* 86. Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 28. *memb.* 2. & alij apud ipsos, & communiter *in* 3. *dist.* 27. & 29. Cuius rei ratio est, quia salus spiritualis proximi continet maius bonum Dei extrinsecum, quàm vita propria, & ideò motiuum charitatis mouet ad ipsam amandam supra vitam propriam. In nostro autem casu, concurrit salus spiritualis infantis cum vita matris, & infans est constitutus in extrema necessitate spirituali, cum sit constitutus in articulo mortis, nec aliter possit saluari, quam per baptismum, nec aliter baptizari, nisi secato matris vtero. Nec dici potest, quod infans baptizari possit intra matenum vterum, quia non poterit vnquam aqua ad ipsum pertingere ob sepimenta secundinarum; & dato, quod posset peruenire ad ipsum abluendum, esset tamen incertum, an peruenerit, & rursus est etiam incertum, an talis baptismus valeat, & ideo nunquam esset certum, an infans esset ereptus ab extrema necessitate spirituali, & censeretur semper in ipsa reperiri, quousque certum esset, quod esset subleua-

K leua-

leuatus:

4 Quod ſpectat ad hanc opinionem, priorem eius partem, nempe quod ſectio vteri ſit licita, exſtimo valde probabilem. Ceſſat enim ratio, ob quam Doctores prioris ſententiæ putant illicitam. Ideo enim eſſet illicita, quia eſſet directa occiſio; hoc autem eſt falſum, quia talis ſectio non eſt de ſe mortalis, non ſolum, quia plures mulieres ſectæ ſuperuixerunt incolumes; ſed etiam, quia non ſecatur pars aliqua corporis, à qua vita dependeat, aut functiones vitales: ſed pars, quæ inciſa facilius ſanatur, quàm aliqua alia, cuius tamen inciſio non cenſetur mortifera. Et ratio eſt, quia talis ſectio non poteſt eſſe mortifera, quia incidantur muſculi Epigaſtrij, nam poſſe incidi etiam cum magno hiatu, docet Galen. *lib. 6. Methodi med. cap. 4.* Nec quia incidatur Peritonæus, quia poſſe incidi tradunt Medici cum Galeno, Celſo, Aegineta, quando tractant de curatione ipſius. Nec quia incidatur vterus, ſeu matrix, quia etiam ſi tota matrix auferatur, non ſequitur mors, vt teſtatur Aegineta *lib. 6. cap. 88.* & *lib. 3. cap. 72.* Fernel. *lib. 7. Phiſiolog. cap. 11.* Chriſtophor. à Vega *de procident. vteri*. Langius *lib. 2. Epiſt. medicar. Epiſt. 39.* Paræus *lib. 24. cap. 48.* cum Auicena, & Auenzoar. Mercur. *lib. 4. de morb. mulier. cap. 21.* Rouſſetus. *ſect. 4. cap. 5. & 6.* Bahuinus *in Append. ad ipſum. §. 4.* vt notat etiam Raynaud. *cap. 5. cit. Opus.*

5 Confir. Aliæ ſectiones magis periculoſæ, & in partibus, à quibus vita magis dependet in conſeruari, ſunt licitæ, & ſolent vſurpari ad curationem alicuius morbi, vt eſt ſectio Anginæ interioris, ſeu muſculorum laryngis, per quam, vt prouideatur reſpirationi, ſecundus orbiculus faucium à tertio ſeiungitur. Sectio veſicæ in perinæo ad extrahendum calculum, vbi plures inſignes venæ, nerui, arteriæ, muſculi, tendones, ligamenta occurrunt. Sectio brachii, aut cruris, in qua venæ, arteriæ, nerui, tendones debent ſecari: & tamen vrgente neceſſitate hæ, & aliæ huiuſmodi ſectiones adhibentur vt licitæ, ergo vrgente quoque neceſſitate poterit adhiberi ſectio vteri, cum ſit in parte minus periculoſa, præſertim ſi ad ſit peritus in arte, & medici, ac chirurgi iudicent eſſe opportunam, & non futuram mortiferam.

6 Altera verò pars huius opinionis quod nimirum mater teneatur ſubire ſectionem vteri, vt ſubueniat infanti cõſtituto in extrema neceſſitate, nequaquam mihi probari poteſt, neque talis obligatio oriri poteſt ex charitate. Ratio autem eſt, quia licet charitas obliget ad ſubueniendum conſtituto in extrema neceſſitate ſpirituali, etiam cum iactura propriæ vitæ, non tamen directè obligat ad profundendam propriam vitam, ſed ſolum obligat ad aliquem actum directè, qui ſit ſubuentio conſtituti in extrema neceſſitate, cui ſit annexum periculum propriæ vitæ amittendæ: & ideo ſolum indirectè obligat, quatenus amiſſio vitæ concomitanter ſe habet ad actum ſubueniendi. Vnde quando obligat ad baptizandum cum iactura propriæ vitæ, non obligat directè ad amiſſionem vitæ; ſed obligat directè ad miniſtrationem baptiſmi, etiam ſi veniat in conſequentiam amiſſio vitæ.

7 Et ratio generalis eſt, quia nulla virtus, nulla facultas, nulla poteſtas poteſt extendere obligationem extra ſuam ſpheram, alioquin talis obligatio ab ipſa proueniret, vt ſupponitur, & non proueniret, quia non eſſet intra vim ipſius; & extenderet obligationem extra ſuam ſpheram, vt ſupponitur, & non extenderet, quia ſi talis obligatio ab ipſa prouenire poſſet, non eſſet extra ſpheram ipſius. Et ideo nulla virtus poteſt obligare, niſi ad actus ſui generis, nam ſi obligaret ad actus alterius generis, extenderet obligationem extra ſuam ſpheram, quia ſicuti actus non eſſent intra ſpheram ipſius, ita nec obligatio ad ipſos: vnde charitas non poteſt obligare, niſi ad actus charitatis, & ſic de cæteris virtutibus.

8 Ex hoc autem ſequitur, quod in caſu præſenti charitas non obliget ma-

trem

trem ad ſubeundum ſectionem vteri, quia ſectio vteri non eſt actus directus, quo ſubuenitur infanti conſtituto in extrema neceſſitate, ſed eſt quid præuium, & præparatorium, ordinatum ad hoc, vt infans conſtituatur in ſtatu, vt ſit capax ſubuentionis. Charitas autem non obligat niſi ad ſubuentionem; & ſolum ad ea, quæ ingrediuntur ipſum actum ſubueniendi, & ſolum erga eos, qui ſunt capaces ſubuentionis. Vnde cum ſectio vteri non ſit actus ſubueniendi, ex eo quod charitas obliget ad ſubueniendum, non ſequitur, quod obliget ad ſectionem vteri, quia ſolum poſſet indirectè obligare, quando ex vi miniſtrationis baptiſmi ſequeretur ſectio vteri.

9 Dices. Charitatem eſſe virtutem vniuerſalem; quæ imperat actus aliarum virtutum, & ideo obligare non ſolum ad actus proprii generis, ſed etiam aliarum virtutum. Contra. Actus aliarum virtutum, qui poſſunt à charitate imperari, ſunt actus proprii generis, quia ſunt ipſi ſubordinati. Ad hos autem in tantum poteſt obligare, in quantum ſunt effectus amoris, quo ex charitate tenemur diligere proximum; ergo non obligat niſi ad illos directè, quibus indiget proximus, ſeu qui ſunt ipſi neceſſarij, vt ſaluetur amor, quo tenemur ipſum diligere; ergo quando obligat ad ſubueniendum, ſolum obligabit ad illam ſubuentionem, & ad illum actum, quo indiget, ergo cum infans in articulo mortis conſtitutus, & in extrema neceſſitate ſpirituali indigeat ſolum baptiſmo, quo ſufficienter ſubleuatur, obligabit ſolum directè ad miniſtrandum baptiſmum, & indirectè ſolum ad illud damnum corporale, quod actus miniſtrandi poteſt habere annexum, quia indirecta obligatio eſt tantum ad illud, quod conſequitur, aut concomitanter ſe habet ad id, in quod tendit obligatio directa, non autem ad aliquid antecedens. Vnde cum ſectio vteri, ſit aliquid antecedens, ſi adeſſet obligatio ad ipſam, eſſet obligatio directa, quod non poteſt dici, cum non ſit ille actus ſubuentionis, ad quem charitas in tali caſu obligat.

10 Confir. Charitas in tantum obligat ad ſubueniendum proximo, in quantum adeſt poſſibilitas ſubueniendi; ſi verò non adſit, neque etiam conſurgit obligatio; quia ſicuti impoſſibilia non cadunt ſub exequutionem humanam, ita neque ſub obligationem. Vnde ſi quis eſſet conſtitutus in extrema neceſſitate corporali, quia non haberet vnde cibaretur, & neque ipſe haberem, vnde eum cibarem, non tenerer ipſi ſuccurrere; aut ſi ego poſſem ſuccurrere, ſed ipſe non poſſet comedere, quia haberet, aut guttur omnino obſtructum, aut os omnino clauſum, ita vt nullo pacto poſſet aperiri, & mihi de hoc certò conſtaret, non tenerer ipſi ſubuenire, quia non haberet locum ſubuentio. Vnde quando ſubuentio eſt impoſſibilis, aut reſpectu ſubuenientis, aut ex incapacitate conſtituti in extrema neceſſitate, non habet locum obligatio charitatis. Ergo cum infans in vtero exiſtens ſit incapax baptiſmi, quo ſolo ipſi ſubueniri poteſt, quandiu eſt in vtero, non conſurgit obligatio charitatis ad ipſi ſubueniendum, atque adeo nec ad ſciſſionem vteri, alias ſi obligaretur mater ad ſciſſionem vteri, obligaretur ad ſubueniendum, antequam eſſet capax ſubuentionis.

11 Confir. 2. Charitas non poteſt exerceri quòad ea, quæ ſunt commercii humani, atque adeo quòad miniſtrationem ſacramentorum, niſi inter eos, qui communicant in commercio humano, nam ſublata tali communione, non habet locum exercitium charitatis quò ad prædicta, nec ſacramenta adminiſtrari poſſunt, niſi quòad eos, qui ſunt in humano commercio. Infans autem, quandiu eſt in vtero, non eſt in communione commercii humani. Vnde D. Th. 3. *par. quaſt. 68. art. 11. ad 1.* docet, quod cum infantes, qui ſunt in maternis vteris nondum prodierint in lucem, vt cum alijs hominibus vitam ducant, non poſſunt ſubijci actioni

humanæ in ordine ad receptionem sacramentorum. Ergo cum existens in vtero nondum sit in commercio humano, nec etiam habet ius ad ea, quæ sunt commercij humani, qualis est administratio sacramentorum, ergo nec in aliquo adest obligatio ad ea præstanda, quia obligatio, & ius sunt correlatiua, & sublato vno ex correlatiuis tollitur, & aliud *l. Filio §. Matri. ff. de adimen. legat.*

12 Dices. Ex obligatione ad finem ponendum consurgere etiam obligationem ad media necessaria pro illo fine; & ideo cum sectio vteri sit medium necessarium pro baptismo infantis, tenetur mater ipsam subire. Verum facilè reijcitur. Quia in tantum oritur obligatio ad ponenda media, in quantum præsupponitur obligatio ad ponendum finem, ergo quando nondum adest obligatio ad finem, nec etiam poterit consurgere obligatio ad media, sed quandiu infans est in vtero, non adest obligatio ad finem baptismi, ergo nec etiam ad aliquod medium, atque adeo nec ad scissionem vteri. Ratio autem est; quia media, cum non sint volibilia, nisi ratione finis, nec etiam obligatio ad ipsa potest esse absque obligatione ad finem vt oriatur obligatio ad media. Deinde obligatio ad finem non infert obligationem ad media, nisi finis de se sit acquisibilis; & proinde ad sola media, quorum applicatio tendit ad actualem acquisitionem finis, non autem ad illa media, quæ faciunt, quod finis fiat de se acquisibilis, quia hæc non sunt vera media, sed requisita, vt finis euadat in se acquisibilis, nam de ratione medij est, quod sit causatiuum finis in ordine ad assequutionem. Quandiu autem infans est in vtero, finis baptismi non est de se acquisibilis, quia baptismus non est applicabilis; & sectio vteri non est medium conducens ad actualem applicationem baptismi, sed solum est medium, seu aliquid necessarium, vt finis in se fiat acquisibilis, & ideo non potest adesse obligatio ad sectionem vteri, vt ad medium, cum nondum finis sit in se acquisibilis.

13 Et ex his sequitur, quod neque ratione sui ad propriam vitam conseruandam tenetur mater subire sectionem vteri: quia licet talis sectio censeretur opportunum remedium pro conseruanda vita matris, stante tamen atrocitate ipsius, non tenetur acceptare, quia quoties remedia atrocia sunt, & difficilis passionis, non tenetur, qui ijs indiget, ea adhibere, sed potest respuere, & sinere in periculo propriam vitam; vt docent communiter Bannes 2. 2. *quæst. 65. ar. 1.* Salon. *ibid. controuer.* 2. Turrian. *tom. 2. disp. 29. dub. 1. num. 13.* Lessius *lib. 2. de iust. & iure cap. 9. num. 96.* Bonac. *disp. 2. de rest. quæst. vlt. sect. 1. punc. 6. num. 2.* ver. *Dixi*. Filiuc. *tract. 29. cap. 4. num. 76.* Raynaud. *de ortu infant. contra natur. cap. 6. num. 2.* Cum enim concurrant non solum incertitudo remedii, quia incertum est, an sit habiturum felicem exitum, & consequenter etiam incertitudo salutis recuperandæ; & ex alia parte dolores, & atrocitas sint certa, non tenetur pro conseruatione vitæ incerta subire atrocitatem remedii omnino certam. Præsertim, quia tale remedium potest ita damnificare corpus, vt quamuis afferat salutem, relinquat tamen post se tales prauas affectiones, quibus corpus continuò conflictetur, vt melius censeatur mortuum fuisse, quam ducere vitam tantis incommodis subiectam. Accedit etiam, quod infirmus potest relinquere vitam propriam sub dispositione diuinæ prouidentiæ, & esse paratus, aut ad mortem, aut ad sanitatem, iuxta illud quod per causas naturales eueniet. Neque sequitur, quod sit causa propriæ mortis, quia nec physicè ad ipsam influit, nec etiam moraliter, quia solum censeretur moraliter influere, quãdo teneretur adhibere remedium, & nollet adhibere.

14 Dices. Vtrinque superuenturos matri cruciatus, nam si admittit sectionem vteri aderunt dolores, & cruciatus ex sectione; si non admittet, partus morietur in vtero, & ex hoc capite sub-

subiicietur non minoribus cruciatibus, & ideo non poterit excusari ratione cruciatuum, quin admittat sectionem vteri. Resp. Esse disparem rationem, quia dolores, & cruciatus ex sectione vteri sunt certi: dolores verò, & cruciatus ex morte partus in vtero non sunt certi, cum non rarò contingat, quod viribus naturæ eiiciatur partus mortuus; vnde concurrit certum cum incerto. Deinde potest mater totum id committere cursui naturæ, & velle subiacere cuicunque euentui superuenienti committendo se prouidentiæ Dei parata sustinere ob amorem ipsius, quicquid dispofuerit. Denique etiã sectio vteri seclusis cruciatibus continet maximum horrorem. Quando autem remedium pro vita conseruanda continet magnum horrorem, non tenemur illud adhibere, iuxta doctrinam Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 18. num. 14.* Lessij *lib. de temper. num. 12.*

An quando mater est breui moritura, liceat secare eius vterum, vt infans periclitans possit baptizari, si sectio sit statim mortem allatura. Quæst. 37.

S V M M A.

1 *Sententia affirmans.*
2 *Licet abbreuiare propriam vitam ob bonum proprium spirituale.*
3 *Sectio vteri mortem statim allatura non est licita, etiam si prægnans sit breui moritura.*
4 *Sectio vteri accelerans mortem est vera occisio.*
5 *Sectio vteri non potest habere rationem remedij, quando statim infert mortem.*
5 *Remedia quomodo consideranda.*
6 *Sectio vteri mortem certò allatura non est licita, etiam si prægnans consentiat.*
6 *Nemo est dominus propriæ vitæ.*
6 *Quomodo liceat exponere propriam vitam pro aliena vita spirituali.*
7 *Abbreuiatio vitæ ob bonum spirituale, quando licita.*
7 *An opus virtutis afferens notabile nocumentum saluti corporali, sit licitum.*
8 *Quomodo intelligatur, quod ex duobus malis minus sit eligendum.*

1 Quia fieri potest, quod si expectetur mors matris pro extrahendo ex vtero fœtu, interim foetus moriatur, nec baptizari possit, ideo dubitatur, an liceat vterum matris secare, vt infanti prouideatur de Baptismo. Et videtur affirmatiuè respondendum, quia agitur de salute spirituali infantis, quæ videtur præferenda breui spatio vitæ matris, nam cum mors ipsius sit certò moraliter subsequutura, non est habenda in consideratione exigua acceleratio, cùm agatur de salute spirituali infantis. Et ita videtur sentire Naldus *verbo*. Mulier. *num. 2.* & videtur conforme doctrinæ eorum, quos citaui supra *quæst. præc. nu. 3.* qui volunt, quod baptismus possit ministrari infanti, etiam si inde sit sequutura acceleratio mortis, dummodo sit futura exigua, secus autem si futura sit notabilis, quia exigua non habetur in consideratione. Pro hac etiam opinione Raynaud. *de ortu infant. contra natur. cap. 7. num. 2.* citat nonnullos medicos, nempe Rodericum à Castro *lib. 4. de morb. mulier. cap. 3. in Schol.* Iacob. Duuallium *lib. de Hermaphrod., & partub. cap. 24.* Matthiam Cornaxem *inter Obseruat. Schenchii lib. 4. tit. de foetib.* Francis. Ranchinum *lib. 7. quæst. Chirurgicar. quæst. 14.* Io. Varandæum *lib. 2. de morb. mulier. cap. 7.*

2 Fundamentum huius sententiæ est, quia in tali casu sectio vteri non est occisio absolutè, sed tantum vitæ abbreuiatio, ergo sicuti est licitum abbreuiare propriam vitam propter aliquod bonum proprium spirituale, vt docent communiter, ita etiam erit licitum propter bonum spirituale proximi, cum debeamus diligere proximum sicut nos ipsos; & proinde in dicto casu poterit mater velle secari propter bonum spirituale prolis. Confir. ex duobus malis minus

nus est eligendum, ergo cum minus malum sit illa breuis acceleratio mortis, quàm damnatio æterna infantis, poterit eligi, ne infans in æternum pereat.

3 Oppositum tamen est absolutè tenendum, nimirum sectionem vteri in hoc casu non esse licitam. Et ita docent Angles *in florib. quæst. 2. de baptis. art. 3. conclus.* 4. Conich. 3. *par. quæst. 66. ar. 7. dub. 1. num.* 75. Raynaud. *de ortu infant. contra natur. cap. 7. num.* 3. asserens, esse omnium sententiam, quatenus docent vniuersaliter, sectionem vteri esse illicitam; quod tamen non videtur inferri posse, nam etiam omnes docent, quod occisio innocentis non sit licita, & tamen plures concedunt, quod exigua acceleratio mortis non sit habenda in consideratione, quando agitur de salute spirituali, quos, vt dixi, citaui supra *quæst. præced. nu.* 3. Possunt tamen pro hac sententia referri Doctores, quos *eadem quæstione num.* 4. citaui quatenus volunt, quod si baptismus acceleraret mortem per se, & directè, & non per accidens, nullo pacto esset licitus, quia acceleratio mortis, siue notabilis, siue exigua, est semper illicita.

4 Ratio autem est, quia sectio vteri ratione accelerationis mortis est vera occisio; si quidem occisio sit, quotiescunque quis per media violenta aufert alteri vitam, in tali autem casu sectio tanquam medium violentum aufert vitam, si quidem adhuc, siue breui, siue longo tempore esset duratura, priuat ipsa vita. Præsertim quia, quamuis mater credatur breui moritura, fieri posset, quod diu; & notabiliter superuiueret, nisi secaretur, cum coniecturæ, quod mors sit propediem superuentura; sint fallaces. Vnde subintrat Regula Apostoli in *Epist. Ad Roman. cap.* 3. quod non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & ideo propter salutem spiritualem infantis non potest eligi occisio matris, cum sit occisio innocentis directè intenta, quæ semper est illicita, vt cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 6. docent communiter.

5 Dices. Sectionem non esse occisionem directè, sed indirectè, quia adhibetur vt remedium non solum pro salute infantis, sed etiam pro ipsa matre. Sed reiicitur hæc responsio, quia remedium est illud, quod est ordinatum ad salutem, sectio autem vteri in talibus circumstantiis non solum non est ordinata ad salutem, sed est interfectiua; vnde si adhibetur, non potest adhiberi, nisi, vt interfectiua. Et quia remedia non considerantur secundum se præcisè, sed habita ratione circumstantiarum, hinc fit quod remedium alias salutiferum ratione circumstantiarum euadat mortiferum; & in tali casu esset peccatum mortale illud adhibere.

6 Hine etiam fit, quod neque sit licita sectio, si prægnans cõsentiat, quamuis mota ex fine spiritualis salutis infantis, quia, cum nemo sit Dominus propriæ vitæ *l. Liber homo ff. Ad leg. Aquil.* nec etiam potest consentire sine peccato in propriam occisionem. Et quamuis possit quis postponere propriam vitam alienæ saluti spirituali, hoc tamen solum locum habet, quando sit aliquid directè, quod in se licitum sit, & indirectè sit annexa amissio vitæ: non autem quando directè assumeretur amissio propriæ vitæ propter salutem spiritua em inde sequentem, quia tunc fierent mala, vt euenirent bona.

7 Ad fundamentum autem in oppositum respon. neg. consequent. Quia tunc solum abbreuiatio vitæ est licita propter bonum proprium spirituale, quando indirectè consequitur ex aliquo bono, quod concernat spiritualem vtilitatem; quia tunc non est volita, sed solum permissa. Nunquam tamen est licitum eam directè velle, nam semper esset occisio. Imo neque etiam opus virtutis est licitum, quando secum affert notabilem diminutionem vitæ, vt dixi cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 3. & communi sententia *in Praxi ieiunii, decis.* 27. *num.* 3. & habetur ex cap. *Non mediocriter. de consecrat. dist.* 5. Quin peccat mortaliter, qui indiscre-

cretis abſtinentiis ſibi vitam minuit, quamuis id fiat intuitu religionis, & pietatis, vt cum pluribus Doctoribus dixi *eodem loco num. 6.*

8 Ad confir. reſp. quod cum dicitur, quod ex duobus malis minus eligendum eſt, intelligitur, quando concurrunt duo mala culpæ, quorum alterum neceſſarium ſit; quod ſolum poteſt habere locum, quando quis ratione erroneæ cõſcientiæ perplexus eſt, vt quicquid agat in talibus circumſtantijs, putet ſe perperam facturum, & ſit in talè neceſſitate, vt alterum ipſorum debeat eligere, vt explicat D. Gregor. *lib. 32. moral. cap.* 20. Nunc autem ſumus in caſu, in quo concurrit malum culpæ, nempe conſenſus in propriam occiſionem, aut ipſa occiſio innocentis cum malo pœnæ, nempe damnatione infantis, & ideo potius malum pœnæ eſt eligendum, quam malum culpæ, cum neque leue peccatum veniale liceat committere ob euitandum quodcunque malum pœnæ, aut ob quodcunque bonum aſſequendum, vt eſt communis regula omnium Catholicorum conſenſu firmata.

An ſi mulier prægnans damnata ſit ad mortem, poſſit eius vterus ſecari, ſi infans periclitetur. Quæſt. 38.

S V M M A

1 *Damnata ad mortem muliere prægnante expectandus eſt partus.*
1 *Sectio vteri poteſt habere fœlicem exitum.*
2 *An mulieris damnata ad mortem poſſit vterus aperiri, ſi expectando partum, periclitetur infans.*
3 *In tali caſu ſectio vteri nec matri, nec fœtui eſt iniurioſa, imo proficua.*
4 *Si ex tali ſectione mulier euadat, non eſt amplius interficienda.*
4 *In tali caſu ſectio vteri debet fieri auctoritate publica.*
5 *An in tali ſectione ſit expectanda maturitas fœtus.*

1 QVando mulier prægnans eſt damnata ad mortem, antequam ſententia executioni mandetur, eſt expectandum, donec pepererit, vt decernitur in *l. Prægnantum ff. de pœnis*, vbi Goffred. id notat. Inſuper Marſil. *in pract. §. Nunc videndum num. 46.* Guillelmus Benedict. *in cap. Raynutius. verbo*, Et Sobolem. *num. 9. & 60. de teſtamen.* Couarru. *lib. 4. Variar. cap.* 4. Afflic. *Ad conſtit. Neapol. tit. 23. num.* 11. Si autem, antequam appropinquet tempus pariendi, infans in vtero periclitetur, vel ratione infirmitatis ipſius matris, vel ex alio capite, dubitatur, an tunc poſſit aperiri vterus matris, vt partus periclitans baptizari poſſit. Et quamuis caſus videatur non poſſe locum habere in praxi, quia, vt notat Sotus *in 4. diſt. 5. quaſt. vn. ar* 11. ver. *Tertio arguitur*, quia nimirum plus periculi inſit infanti in ſectione vteri, attamen, quia apertio vteri non eſt adeo difficilis, neque eſt occiſio matris, vt conſtat ex dictis ſupra *quaſt. præc. num. 2. 4. & 5.* ſed ſi fiat à perito, habet vt plurimum felicem exitum, ideo erit, aut cum nullo, aut cum exiguo periculo prolis, & proinde caſus reduci poterit ad praxim.

2 In hac difficultate prima opinio tenet, quod neque in hoc caſu ſectio vteri licita ſit. Ita Paludan. *in 4. diſt. 6. quaſt. 1. concluſ. 3.* Comitol. *lib. 1. Reſponſ. mor. quaſt. 14. num. 2.* Henriquez *lib. 2. ſum. cap. 21. num.* 5. Annibal. Roſſel *lib. 9. in Trimegis. diſt. 3. cap.* 4. Tabiena *verbo*, Baptiſmus. 5. *num.* 6. D. Antonin. 3. *par. tit. 4. capit.* 18. §. 1. Victor. *in ſum. quaſt.* 33. Sotus *in 4. diſt. 5. quaſt. 7. art.* 11. Facundez *lib. 5. in 5. præcep. decal. cap. 12. num.* 26. Malder. 2. 2. *tract. 3. cap. 1. dub.* 16. Quorum fundamentum eſt, quia infans adduceretur in maximum diſcrimen vitæ, ſi è viuentis matris vtero extraheretur, non licet autem aliquem adducere in vitæ diſcrimen.

3 Secunda tamen ſententia tenet, quod poſſit ſecari licitè vterus, vt extrahatur infans, & viuat, ſi fieri poterit,

fit, aut saltem recipiat baptismum. Ita Suarez 3. par. quæst. 68. in comment. ar. 11. Laiman lib. 5. theol. mor. tract. 2. cap. 3. num. 2. Conincli. de sacramentis quæst. 68. artic. 11. num. 92. Filliucius tract. 2. num. 139. Raynaud. de ortu infan. contra. natur. num. 5. Isambert. 3. par. quæst. 68. disp. 1. ar. 5. ver. Resp. id fieri. Præposit. quæst. 66. ar. 8. dub. 3. in fine. Fundamentum huius sententiæ est, quia non fit contra ius alicuius, nam matri non eripitur vita; si in ea sectione moriatur, iniustè, cum iam sit damnata ad mortem subeundam, nec fit iniuria fœtui; imo, procuratur ipsius vtilitas, si quidem mediante sectione vteri, aut saluabitur vita ipsius, aut saltem prouidebitur de medio salutis, nempe baptismo.

4 Hæc sententia tenenda est, adhibitis tamen duabus conditionibus. Prima est, quod sectio vteri computetur matri pro poena mortis, ita, vt si ex illa sectione euadat, non teneatur amplius mortem subire, alioquin vltra condignam poenam, subijceretur etiam sectioni vteri, quod est contra iustitiam. Altera conditio est, quod sectio vteri fiat auctoritate publica, quia cum in ipsam sit commutanda poena mortis, & sententia non possit nisi publica auctoritate exequutioni mandari, non poterit sectio exequutioni mandari, nisi mediante auctoritate publica. Et hoc dicendum est supposito, quod mater non consentiret sectioni, cui tamen teneretur consentire, quia reus damnatus tenetur subire poenam impositam. Si autem consentiret, eadem est ratio, ac si non esset damnata ad mortem.

5 An autem expectandum sit, quod fœtus sit maturus, ita vt, quæ dicta sunt, locum habeant solum maturo iam foetu. Resp. negatiuè; sed sufficere, si foetus sit animatus, quia sectio fit ob bonum spirituale ipsius, nempe vt possit baptizari, & ideo, siue maturus sit, siue non, potest secari vterus, nam ideo secatur, quia non patitur dilationem periculum, in quo reperitur infans.

An in dubio, quod Sectio vteri profutura sit, possit licitè adhiberi.

Quæst. 39.

SVMMA

1 *Sectio vteri non est adhibenda, nisi præclusa sit omnis alia via euadendi.*
2 *Distinctio remedij dubij negatiuè, & positiuè reijcitur.*
3 *Remedium dubium non posse adhiberi desperata salute, qui asserant.*
4 *Non licet experimentum sumere cum periculo infirmi.*
5 *Posse adhiberi, qui affirment.*
6 *Desperata salute remedium dubium potest adhiberi.*
6 *Maior vtilitas ex remedij dubij vsu desperata salute, quam ex non vsu.*
7 *Remedium dubium desperata salute est etiam secundum Deum.*
8 *Sectio vteri an possit adhiberi, quando dubitatur, an profutura.*
9 *Quid an sit dubia quoad salutem matris.*

1 Cum sectio vteri sit remedium non solum periculosum, sed etiam horroris plenum; & afferens secum graues cruciatus, & plura incommoda, certum est, non posse adhiberi, nisi vrgente necessitate, ita vt, si alia via prægnans euadere possit, non sit recurrendum ad sectionem, sed solum desperata iam salute. Et ita notant Rodericus à Castro de morb. mulier. lib. 4. cap. 3. in Scholio. Ioan. Marinel. lib. item 3. de morbis mulier. cap. 50. quos citat, & sequitur Raynaud. de ortu infant. contra natur. cap. 4. num. 2. Difficultas autem est, an desperata quacunque alia via euadendi licita sit sectio vteri, quando dubitatur, an sit profutura; difficultatis autem resolutio pendet ex eo, an quando nullum aliud suppetit, liceat adhibere remedium dubium.

2 Et quamuis plures distinguant, dicentes, non posse adhiberi etiam despe-

sperata salute remedium dubium negatiuè, sed solum remedium dubium positiuè, vt Angelus *verbo*. Medicus. *num.* 2. Syluester *ibid. quæst.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 11. Vasquez 1. 2. *disp.* 46. *cap.* 4. Bresser. *lib.* 3. *de conscient. probab. cap.* 12. *num.* 129. ver. *Ex quibus*. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 38. Nauar. *in Manual. capit.* 25. *num.* 61. Sayr. *lib.* 1. *Clau. Reg. cap.* 10. *num.* 6. Salas 1. 2. *disp. de conscien. sect.* 14. *num.* 136. Baldel. *tom.* 1. *theol. mor. lib.* 4. *disp.* 14. *num.* 3. & alij. Attamen hæc distinctio reijcienda est. Ratio autem est. Quia si remedium est dubium negatiuè, neque habetur probabilitas aliqua, quod sit profuturum, & proinde non habet rationem remedij; neque quod sit nociturum, aliàs si cum aliqua probabilitate crederetur nociturum, & nulla haberetur, quod esset profuturum, esset absolutè remedium nociuum, non autem dubium. Si ergo neque creditur profuturum, neque nociturum, vt deberet esse ad hoc, vt esset dubium negatiuè, cessat ratio, ob quam dicunt citati Doctores, non posse adhiberi, quia nimirùm exponat infirmum periculo, quia solum exponit periculo adhibendo remedium, quod sit nociturum. Quod si Medicus cognoscat in remedio vim nocendi, & vim iuuandi, & dubitet, quænam sit præualitura, remedium non est amplius dubium negatiuè, sed positiuè.

3 Quando ergo remedium est dubium positiuè, non posse adhiberi, etiam si aliàs salus desperata sit, docent Innocent. *in cap. Tua nos. num.* 1. *de homicid.* Anton. *ibid. num.* 1. Abbas §. *ad vltimum num.* 4. Felin. *num. vn.* v. *Postremo scias*. Ananias *num.* 4. Syluester *verbo*. Medicus. *quæst.* 4. *dicto* 1. Angel. *ibid. num.* 2. Azor. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 11. Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica. sect.* 14. *num.* 136. Vasquez *quæst.* 19. *ar.* 6. *disp.* 64. *cap.* 4. *num.* 22. Perez *certam.* 10. *Scholas. num.* 88. ver. *mihi*: Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 1. *difficul.* 16. *num.* 1. Naldus *verbo*. Medicus. *num.* 8. Palaus *par.* 1. *oper. moral. disp.* 2. *de conscient. punc.* 9. *num.* 5. Bresserus *de conscient. lib.* 3. *de conscient. probab. cap.* 12. 129. Idem etiā tenent nonnulli Medici Celsus *lib.* 2. *de remed. cap.* 10. Codronch. *lib.* 1. *de Christ. meden. rat. cap.* 6. Mexius *lib.* 2. *de ven. sect. in morb. acu. cap.* 13.

4 Fundamentum est. Quia non est licitum experimentum sumere medicamentorum in ægris etiam desperatis, quia, hoc est exponere periculo vitam infirmi, & quærere scientiam cum morte proximi, vt docent communiter. Azor. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 11. Corduba. *lib.* 3. *quæst.* 5. Vasquez 1. 2 *disp.* 64. *cap.* 4. Salas. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 14. *num.* 136. *in fine*. Sayr. *lib.* 1. *Clau. reg. cap.* 10. *num.* 6. Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 9. *num.* 38. Perez *cert.* 10. *Scholas. num.* 87. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 1. *disp.* 16. *num.* 1. & 4. Palaus *part.* 1. *oper. mor. disp.* 2. *de conscien. punc.* 9. *num.* 3. In hoc autem casu sumeretur experimentum de remedio dubio, & poneretur æger in periculo, quod ei mors acceleretur. Deinde non licet accelerare mortem alterius, ergo nec applicare remedium dubium, cum sit æque acceleratiuum mortis, & sanatiuum.

5 Secunda sententia tenet, licitum esse adhibere remedium dubium desperata salute. Ita Corduba *lib.* 3. *quæst.* 5. *post.* 2. *proposit.* ver. *Pro declaratione*. Rodriquez *par.* 2. *sum. cap.* 51. *num.* 6. *conclus.* 4. Valent. *tom.* 3. *sam. disp.* 3. *quæst.* 10. *punc.* 2. ver. *Non improbo tamen*. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 39. Fernandez *part.* 4. *Examin. theol. mor. cap.* 12. §. 2. *num.* 4. Sayr. *lib.* 1. *Clau. reg. cap.* 10. *num.* 9. & 10. Reginal. *lib.* 13. *praxis fori poenit. cap.* 10. *num.* 99. Raynaud. *de ortu infant. contra natur. cap.* 8. *num.* 3. Baldel. *tom.* 1. *theol. mor. disp.* 14. *num.* 5. Adrian. *in* 4. *quæst. de correct. frater. art.* 3. §. *Ex quo ad secundum*. Basseus *in florib. theol. pract. verbo*. Conscientia. *num.* 21. Lubliuus *par.* 1. *sum. verbo*. Medicus. *num.* 7. Nec improbabile putat Filliuc. *tract.* 21. *num.* 151.

6 Tenendum igitur est, posse adhiberi a medico remedium positiuè dubium, etiam si sit æqualis probabilitas pro vtraque parte. Ratio est, quia desperata salute in vsu huius remedij concurrunt probabilitas salutis recuperandæ, & probabilitas accelerationis mortis, cum vtraque inde consequi possit. ergo iuxta id, quod præponderat facienda est electio, aut abstinendi à tali remedio, aut ipsum adhibendi; nam tali pacto electio erit secundum regulas prudentiæ, & secundum rectam rationem, atque adeo honesta, & licita. Habita autem ratione vtilitatis infirmi iam desperati plus præpõderat vsus remedij, quam reiectio, si quidem comparando bonum, quod potest causare infirmo cum malo, quod ipsi inferre potest, bonum præponderat malo, quia in ratione boni plus est recuperare salutem, quam sit in ratione mali accelerare mortem iam certò superuenturam, quia in primo casu agitur de conseruanda vita absolutè, & in secundo non de amittenda vita absolutè, sed secundum quid, nempe accelerando amissionem; ergo sicuti secundum regulas prudentiæ eligitur maius bonum certum subeundo minus malum in comparatione illius boni; ita etiam poterit eligi maius bonum probabile & dubium, subeundo minus malum probabile, & dubium.

7 Resp. Palam in æstimatione hominum esse leuioris considerationis exponere ægrotum periculo amittendi vnum, aut alterum diem vitæ, quam exponere spei recuperandi salutem, & conseruandi vitam per multos annos. Sed apud Deum hoc non esse licitum, quia exponitur infirmus periculo mortis, quod est intrinsecè malum, & non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Sed reijcitur hæc responsio. Quia quod est secundum regulas prudentiæ, & secundum regulas rectæ rationis non potest esse intrinsecè malum, nec apud Deum illicitum, qui iubet in operationibus nostris nos sequi rectam rationem, & regulas prudentiæ; est autem secundum rectam rationem, & regulas prudentiæ, quod subeatur minus malum, vt assequamur maius bonum: vnde, vt facit ad casum nostrum, licet abscindere aliquod membrum, vt totum corpus seruetur, quia quando malum aliquod circa corpus nostrum ordinatur ad bonum ipsius, est licitum illud assumere, quia licet non simus Domini proprii corporis, pertinet tamen ad nos cura ipsius, & vtiliter geritur negotium proprii corporis assumendo aliquod minus malum pro assequendo maiori bono. Deinde remedium in tali casu adhibetur vt proficuum, & per accidens, ac præter intentionem est quod noceat; vnde non fit malum, vt eueniat bonum; sed fit bonum permittendo malum, quod inde potest contingere, quod nullo modo est prohibitum.

8 Ex his resoluitur difficultas quò ad sectionem vteri, quando dubitatur, an sectio huiusmodi sit profutura, an damnum illatura. Si enim salus matris, & infantis desperata sit, licebit eam in tali dubio adhibere, vt notat Raynaud. *De ortu infan. contra natur. cap. 8. num. 9.* Quia in hoc casu longè præponderat bonum, quod in spem reducitur, malo, quod timetur; nam bonum, quod speratur, est non solum salus corporalis matris, & infantis, sed etiam spiritualis infantis, quippe fieri potest, quod per sectionem exeat viuus, & possit baptizari: malum autem, quod timetur est solum acceleratio mortis corporalis. Quod etiam habet locum, si sectio sit dubii euentus respectu infantis; quia adhuc concurrunt spes salutis corporalis, & spiritualis ex vna parte, & alia solum timor accelerationis mortis corporalis, quod est quid longè minus, in ratione mali, quam sit spes dictorum bonorum in ratione boni.

9 Si verò sit dubij euentus respectu matris, quamuis videatur exponi periculo occidendi accelerando mortem, adhuc tamen licita erit sectio vteri, quia tale periculum per accidens se habet, & est solum permissum, non autem intentum, cum sectio ordinetur tamquam

re-

remedium alicuius ſpei ad ſalutem matris. At ſi ſectio vteri ſit remedium dubium pro matre, & certum ſit, aut valdè probabile, quod mortem infanti allaturum ſit; aut è contra ſi ſit dubium remedium pro infante, & pro matre certa, aut probabilis interfectio, nullo modo poterit adhlberi; nam tunc ipſa actio erit directè, & per ſe occiſio vnius, aut alterius, & proinde talis occiſio erit per ſe intenta pro remedio dubio alterius.

An ſi cum ſalute ſpirituali infantis obtinenda per baptiſmum coniungatur publicum bonum, poſſit ſecari vterus matris, ſi certa inde mors obueniat. Quæſt. 39.

SVMMA.

1 *Mulieris prægnantis vterus ſecari poteſt ob bonum, publicum ſi damnata ſit ad mortem, & quando.*
2 *An poſſit ſecari, ſi partus ſit octimeſtris.*
2 *An per ſectionem vteri excludantur cauſæ, ob quas partus octimeſtris non viuit.*
2 *Partus octimeſtris in aliquibus locis viuit.*
3 *Non licet matris innocentis vterum ſecare, ſi ſectio ſit mortem allatura.*
3 *Quomodo quis tenetur exponere propriam vitam pro bono publico.*
4 *An, & quomodo poſſit quis cogi, vt exponat propriam vitam pro bono publico.*

1 SI mater ad mortem damnata ſit, poſſe eius vterum ſecari, vt infans baptizari poſſit, ſi periculum ſit, nè moriatur ante partum naturalem, dictum eſt ſupra *quæſt. 36. num. 3. & 4.* Nunc addendum, eſt quod etiam exigente ſolo bono publico id liceat, ſi nimirum valde interſit reipublicæ, quod mater non diu ſit ſuperſtes, vel ad euitandam aliquam ſeditionem, vel ex alio ſimili graui capite. Ita notant Filliuc. *tract. 2. cap. 6. num. 139.* Bonac. *diſp. 2. de ſacram. quæſt. 2. punct. 6. num. 10.* Raynaud. *de orta infan. con. natur. cap. 12. num. 5.* Quæ tamen doctrina accipienda eſt cum ea conditione, quod per illam ſectionem infans non ſit periturus, quia, ſi eſſet probabiliter periturus, eſſet volita ſaltem in cauſa mors ipſius. Ratio autem eſt, quia iam mors ſecundum ordinem iuſtitiæ eſt debita matri, & ſolum differtur in fauorem partus. Si ergo commune bonum ex graui cauſa exigat, matrem citò perire; poterit eius vterus ſecari, ſi ſic prouideatur infanti, vt prouideatur reipublicæ.

2 Quia autem prouidendum eſt ſaluti foetus, hoc ſolum poteſt habere locum, quando foetus eſt maturus, ita vt per ſectionem extractus viuere poſſit probabiliter loquendo, nam Princeps non poteſt occidere innocentem ex quocunque titulo, cum non habeat poteſtatem ſupra vitam ipſius, vt infra dicetur. Ex quo fit, quod non rectè Raynaud. *de orta infan. con. natur. cap. 12. num. 8.* doceat, quod ob dictam cauſam vterus matris ſecari poſſit, etiam ſi partus ſit octimeſtris, quia cum partus octimeſtris nō ſit vitalis exceptis nonnullis regiōibus, vt Aegypto, de quo Ariſ. *lib. 7. Hiſtor. animal. cap. 4.* exponeretur infans certo periculo mortis, & proinde non poſſet adhiberi ſectio, niſi cauſa eſſet talis, quod poſſet innocens exponi certo periculo mortis. Nec iuuat dicere, quod per ſectionem excluduntur cauſæ, ratione quarum fit, quod partus octimeſtris non ſit vitalis, quia cauſæ quas affert Raynaud. & excludit non ſunt veriſimiles. Nam ſi ſeptimo menſe defatigaretur infans nitens rumpere membranas; & ideo, ſi de nouo hoc faciat octauo menſe, nimia ſuperueniente defatigatione non poſſet viuere; ſequeretur, quod ſi in dimidio ſeptimi menſis quieſceret, & in dimidio octaui naſceretur, viueret, ſicuti ſi naſceretur in nono; quia iam quieuiſſet per men-

sem. Deinde cur incipit in septimo mense conatum egrediendi, & cur quiescit in octauo, & rursus in nono conatur? Quid si incipiat tantum in octauo conari, & nascatur, cur non viuet? aut si conetur primo in octauo, aut etiam in septimo, & octauo, non deberet viuere si nascatur in nono. Nec est probabilis talis lassitudo ob conatum exeundi, quæ afferat mortem: & sine fundamento dicitur, quod ad instaurandas vires requiratur totus, & integer mensis octauus. Alia quoque causa de morbo vteri octauo mense communicato fœtu non habet fundamentum, quia esset assignanda causa talis morbi, & cur solo octauo mense, & toto, & non ante, nec post contingat.

3 Quod autem spectat ad matrem innocentem, iuxta communem doctrinam tenendum est, quod non liceat eius vterum secare prætextu cuiuscunque boni publici, si sectio sit certò moraliter loquendo, mortem allatura. *Ita* specialiter notat Reynaud. *de ortu infan. contra nat. cap.* 12. *num.* 3. Ratio autem est, quia Princeps non est Dominus vitæ suorum subditorum, sed solus Deus, & magistratus habent solum illam potestatem, quæ est communicata à Deo. Potestas autem communicata à Deo hominibus supra vitas hominum non est quò ad innocentes, sed solum quò ad malefactores, respectu quorum Princeps portat gladium iustitiæ, quo eos feriat, & vitam adimat, si mereantur.

4 Dices. Vnusquisque tenetur exponere propriam vitam propter bonum commune reipublicæ, quia commune bonum tanquam maius præferendum est priuato tanquam minori, ergo mulier prægnans, si ita bonum commune exposcat, tenetur se exponere scissioni vteri, etiam si mortem certò allatura sit, & proinde poterit scindi. Resp. Mulierem quidem prægnantem, si ita bonum publicum exposcat teneri quidem exponere propriam vitam exponendo se scissioni vteri alioquin mortem allaturæ non quidem ratione iustitiæ, sed ratione charitatis, ordo namque charitatis exigit, vt præferat salutem reipublicæ vitæ propriæ. Ex eo tamen, quod teneatur ipsa se exponere, non sequitur, quod sit licita scissio vteri, quando est simul interfectiua, quia numquam occisio innocentis tanquam intrinsecè mala cohonestari potest ex quocunque bono fine. Vnde etiam si possit quis cogi, vt propriam vitam exponat, quando ad id tenetur, à Magistratu sæculari ratione iustitiæ legalis, vt volunt Lopez *par.* 1. *Instruct. cap.* 60. Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 120. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 39. & alij apud ipsos; ita vt si nolit exponere fiat nocens, & tunc tanquam talis possit morti destinari. Vel à Superiore Ecclesiastico, vt vult Facundez *lib.* 5. *in* 5. *Pracep. Decal. cap.* 12. *num.* 11. *ver. Sed ad has*; Quia superior Ecclesiasticus potest compellere ad exonerationem conscientiæ, atque adeo ad ea implenda, quæ ex charitate debentur. Attamen exequutio homicidii nunquam erit licita, quandiu, qui se tradit, manet innocens ob rationem supra allatam.

An si adhibita sectione vteri sit certò peritura, aut mater, aut proles, cuiusnam vita debeat præferri. Quæst. 40.

S V M M A.

1 *Quando prægnans potest adhibere remedium cum præiudicio prolis, possunt etiam alij concurrere ad ipsum.*
1 *Potest quisque defendere iniustè inuasum.*
2 *Si matri, & proli est pereundum, non est vtraque relinquenda in exitio sine subuentione.*
2 *Vtens iure suo, nulli facit iniuriam.*
2 *Non debet contra ius alterius alteri subueniri, quando charitas non obligat.*
3 *Laborante matre, & prole, cuius vita præferenda.*
4 *An licitum remedium pro prægnante, si proli affe-*

1 Svpponendum est, quod, si in eo casu, in quo mulier prægnans ita laborat ratione fætus in vtero, vt nisi aliquod remedium adhibeatur, sit vtrique pereundum, si mater poterit tale remedium adhibere, poterunt etiam alii adhibere, & concurrere mediante ipso ad salutem matris, vel foetus contra quosdam apud Cordubam *lib.* 1. *quæst.* 38. *dub.* 3. vt notant communiter Caiet. *in sum. verbo. Homicidium*. Sà *eodem verbo. num.* 16. Couaruu. *in Clement. Si furiosus. part.* 3. §. *vnico. num.* 5. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 419. Lessius *de iust. & iure lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 87. quatenus docent, quod, quando quis inuaditur iniustè ab alio, potest tertius defendere inuasum occidendo, si opus sit, aggressorem, etiam si ipsi non incumbat cura vitæ inuasi. Quia sicuti inuasus potest se defendere, ita etiam tertius potest coperari iustæ defensioni ipsius, & subueniendo oppresso exercere actum charitatis: imo etiam fieri potest, quod aliquando ad id teneatur ratione charitatis. Et hoc etiam desumitur ex cap. *Non inferenda* & cap. *Qui potest* 23. *quæst.* 3. & cap. *Dilecto de sent. excommunicat.* Atque ita in terminis notant Cordub. *citat.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 7. §. *Ad secundum.* Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 5. *num.* 1. *conclus.* 1. Lopez *par.* 1. *instruct. cap.* 66. §. *Huic.* Vega *par.* 1. *sum. cap.* 5. *casu* 3. Io. de Neapoli. *quodlib.* 10. D. Antonin. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Palat. *in* 4. *dist.* 31. *disp.* 2. *in fine.* Syluest. *verbo*. Mechius *quæst.* 4. Armilla *verbo.* Abortus *num.* 2. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 20. *num.* 15. Et adest specialis ratio in sectione vteri, quia si mater potest ipsam adhibere in remedium, debent alii quoque posse adhibere, alias fieret impossibile remedium matri, quod aliàs ipsi liceret, cum ipsa non possit sibi vterum secare.

2 Rursus supponendam quoque est. In eo casu, in quo matri, & proli pereundum esset, & remedium non posset vni adhiberi, nisi cum nocumento alterius, non esse relinquendam in exitio vtramque contra Lopez *par.* 1. *instruct. cap.* 63. §. *si aut*; qui vult neutri in tali casu opitulandum. Cum enim ex charitate teneamur opitulari proximo in extrema necessitate constituto siue quò ad temporalia, siue quò ad spiritualia, nec possimus vtrique opitulari, debemus ei subuenire, cui possumus, quamuis inde sequatur exituim alterius, cui non possimus opitulari; nam non fit ipsi aliqua in iuria, quia alteri subueniatur, sed damnum ipsius est præter intentionem, & per accidens; & opitulans vtitur uire suo opitulandi, & proinde nulli facit iniuriam *l. Qui iniuriarum.* §. *Is, qui ff. de iureiur.* & *l. Fluminum.* §. *fin. ff. de dam. infect.* Et proinde melius est vnam liberare, quam sinere vtramque perire, vt alia occasione inquit D. August. *Epist.* 50. Nec obstat cap. *denique* 14. *quæst.* 5. vbi D. Ambros.

brof. ait. *Si non potest alteri subueniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum*, n am non loquitur D. Ambrof. in eo casu, in quo charitas obligat ad subueniendum, sed in eo casu, in quo volens vni subuenire, facit contra ius alterius, ita vt ipsi aufetat, quod de eius iure est. Vult enim, quod sacerdotes interuenientes condendis testamentis non auertant aliis debita, vt aliis prosint. Neque quod subdit, quod sacerdos non se immisceat in causa sanguinis, etiam si in hoc possit alicui prodesse, facit, ad propositum, cum ex alio capite nequeat se immiscere in causa sanguinis.

3 Quod autem spectat ad sectionem vteri in casu, in quo aut proli, aut matri est certum exitium allatura. Prima sententia asserit, præferendam esse vitam prolis vitæ matris, si spes sit, quod viua sit egressura de vtero, & matrem ratione charitatis ad id teneri. Non loquitur tamen hæc sententia in casu speciali de sectione, sed in ordine ad quodcunque remedium, quod ita vni profuturum sit, vt alteri afferat exitium. Ita Sayr. *lib.* 7. *Clau. reg. cap.* 12. *num.* 22. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure cap.* 9. *num.* 63. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 20. *num.* 17. Filliuc. *tract.* 29. *num.* 104. Bonac. *disp.* 2. *de restit. quæst. vlt. sect.* 1. *punc.* 7. *num.* 3. Victorel. *in Addit. ad Tolet. cap.* 8. §. *At potest mater.* Facundez *lib.* 5. *in* 5. *præcep. Decal. cap.* 12. *num.* 29. D. Antonin. 3. *par. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Lopez 1. *par. Instruct. cap.* 63. § *Sed in casu dubio.* Rodriquez *par.* 1. *sum cap.* 5. *conclus.* 3. Raynaud. *de ortu infant. contra nat. cap.* 9. *num.* 21. Quorum fundamentum est, quia in matre agitur tantum de vita corporali; in prole autem non solum agitur de vita corporali, sed etiam de spirituali, si quidem morietur absque baptismo: vnde est in extrema necessitate. Tenetur autem vnusquisque, vt subueniat, proximo constituto in extrema necessitate, exponere propriam vitam, quæ posthabenda est saluti spirituali poximi, vt communiter docent cum D. Tho. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5.

4 Iuxta tamen aliorum sententiam, qui tenent, quod liceat adhibere remedium pro salute matris, etiam si inde sequatur interitus prolis, & proinde præferendam esse vitam matris vitæ prolis, dicendum est, etiam in casu sectionis vteri præferendam esse vitam matris vitæ prolis. Ita Corduba *in sum. quæst.* 173. *dicto* 1. & 2. & *lib.* 1. *quæst.* 38. *dub.* 3. Vega *par.* 1. *sum. cap.* 5. *casu* 3. Bannes. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 11. *conclus.* 2. ver. *Confir. primò.* Aragon. *quæst.* 64. *ar.* 7. §. *Ad secundum quamuis* Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 16. *num.* 8. *in fine.* Sà *verbo*, Homicidium, *init.* Benzon. *lib.* 3. *de fuga. quæst.* 3. *dub.* 2. §. *secundò licitum est.* Azor. *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 22. Naldus *verbo.* Abortus. *num.* 3. Laiman. *lib.* 3. *theol. moral. sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. Coimtolus *lib.* 4. *respon. quæst.* 13. *num.* 6. Fernandez *par.* 4. *Examin. theol. moral. cap.* 12. §. 2. *num.* 4. Io. à Cruce. *part.* 1. *Direct. conscient. præcep.* 5. *quæst.* 1. *dub.* 7. *conclus.* 3. & 4. Villalob. *par.* 2. *sum. tract.* 12. *dub.* 13. *num.* 2. Trullench. *lib.* 5. *in decal. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 5.

5 In præsenti difficultate existimo, quod si secundum leges iustitiæ procedatur, præferenda sit vita matris vitæ prolis ipsius. Quod & docet Raynad. *de ortu infan. contra natur. capit.* 9. *num.* 10. Non tamen ex eo capite, quod communiter assignari solet, quia foetus sit aggressor matris, & proinde possit mater ad tuendam propriam vitam ipsum repellere etiam cum morte, si opus sit. Nam licet possit dici aggressor etiam, qui inuadit sine aliqua propria culpa, atque absque peccato, vt si inuasor esset insanus, & talis inuasor possit occidi, si nullo alio modo vitari possit violentia ipsius, vt communiter docent Corduba *lib.* 1. *quæst.* 38. §. *Sed vt semel.* Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 347. Sayr. *lib.* 7. *Clau. reg. cap.* 10. *num.* 23. non tamen hoc habet locum in foetu intra vterum. Quia, vt quis inuadat vitam alicuius, debet intentare

re

re vim, seu violentiam contra vitam ipsius. Et cum violentum sit illud, quod est à principio extrinseco nullam vim conferente passo, vt omnes cum Ari. 3. *Ethic. tex. 1. & D. Thom. 1. quæst. 6. ar. 4.* admittunt, vt inferatur vis, requiritur, quod proueniat uiolentia, & inuasio à principio extrinseco, itaut pariens merè receptiuè, & passiuè se habeat ad ipsam, & nullo pacto concurrat actiuè. At quando mater patitur à foetu, tota illa uis, & passio radicatur in principio intrinseco matris, quia prouenit ex aliquo morbo, & prauis humoribus ipsius matris, ratione quorum infans malè afficitur, & mouetur contra matrem, & ideo tota illa vis causatur à morbo matris, & proinde non est uera uiolentia, quæ faciat, quod infans tanquam inuasor iniustus occidi possit, sicut ego non possem occidere inuasorem insanum, si ex impulsu meo contra me moueretur.

6 Vera ergo ratio est, quia mater, sicut quilibet alius habet ius conseruandi propriam uitam, & foetus, quandiù est in ventre, non habet ius conseruandi propriam vitam, nisi dependenter à vita matris, quia non habet ius nisi ad illam conseruationem, quæ naturaliter sibi possibilis est; non est autem possibile, eius vitam conseruari, nisi conseruata vita matris. Vnde, cum uiuat in uirtute uitæ matris, eius uita ita dependens est à uita matris, ut etiam ius conseruationis ipsius sit dependens à iure conseruationis uitæ matris. Ex quo fit, quod mater non teneatur conseruare uitam prolis, nisi conseruando propriam, cum non teneatur conseruare, nisi deducendo ad partum, & eo modo, quo naturaliter conseruabilis est; non est autem naturaliter conseruabilis, nisi per conseruationem uitæ maternæ. Vnde peccando contra conseruationem propriæ uitæ, peccat etiam contra conseruationem uitæ infantis.

7 Stante autem naturali connexione inter uitam maternam, & uitam prolis, sequitur, quod ea omnia, quæ concernunt conseruationem uitæ maternæ concernant etiam indirectè saltem, & per naturalem sequelam conseruationem uitæ prolis; sicut quæ obstant conseruationi uitæ maternæ, obstant etiam conseruationi uitæ prolis; & proinde si aliqua ordinata ad conseruationem uitæ matris, inferant proli aliquod damnum, per accidens omnino erit.

8 Ex his autem fit, quod mater non teneatur amittere propriam uitam, ut conseruet uitam prolis, cum non teneatur conseruare uitam ipsius, nisi dependenter à propria; nec facere independentem propriam amittendo, ut independenter à propria ualeat conseruari. Et ideo poterit adhibere omnia remedia necessaria pro conseruanda propria vita, quamuis inde mors proli consequatur, quia per accidens consequetur, eò quod quæ tendunt ad conseruationem matris, secundum naturalem sequelam tendunt ad prolis quoque conseruationem. Et poterit in hoc mater vti iure suo, quod habet ad conseruandum propriam vitam absque iniuria prolis, cap. *Cum Ecclesia*, ver. *Quia de electione. & l. Proculus. ff. de damno infecto.* præsertim quia proles non habet ius ad conseruationem propriæ vitæ, quandiu est in ventre, nisi dependenter à conseruatione matris, atque adeo nisi mantenéatur ius conseruationis vitæ maternæ. Et cum in hoc casu concurrant duo iura, ius matris independens à iure prolis, & ius prolis dependens à iure matris, præferendum est ius matris, tanquam primum, independens, & principalius, & quod prius est in tempore, & proinde potius in iure *l. Potior. init. ff.* Qui *potior. in pign. hab.* & cap. *Qui prior. de reg. iur. in 6.* Et quia ius prolis ad conseruationem vitæ est veluti accessorium ad ius matris quò ad propriam vitam, cum vita prolis à vita matris dependeat, & ideo non potest stare ius prolis corruente iure matris, cum accessorium non subsistat corruente principali. *l. Qui liberis. ff. de vulg. & pupil. substit. & l. Cum principalis. ff. de reg. iur.*

9 Secundò existimo, quod neque ra-

ratione charitatis teneatur mater præferre uitam prolis propriæ uitæ. Ratio autem est, quia ratione charitatis non tenemur anteponere uitam corporalem proximi uitæ nostræ, nisi concurrant speciales circumstantiæ, ratione quarum subintret bonum publicum, sicut nec etiam tenemur anteponere salutem spiritualem proximi propriæ spirituali, imo nec possumus, ut docet D. Tho. 2. 2. *quæst. 26. art. 4. in corpore*. Et ideo ex hoc capite non tenetur mater postponere propriam uitam uitæ proli. Nec etiam tenemur ratione charitatis exponere propriam uitam pro salute spirituali proximi, nisi sit constitutus actualiter in extrema necessitate; ita ut talis necessitas præsentanea sit, & subuentio possibilis sit, atque constitutus in extrema necessitate sit capax nostræ subuentionis; quia in tantum obligamur, inquantum subuentio potest habere effectum, & subleuare à necessitate. Proles autem quandiù est in uentre, non est in extrema necessitate, quia is tantum est in extrema necessitate, qui caret necessarijs ordinatis ad subleuationem, & conseruationem; proles autem non caret ordinatis ad ipsius salutem, quia baptismus non est ordinatus pro ijs, qui adhuc sunt in utero materno. Et sicuti, si proles defectu nutrimenti, dum est in utero, moreretur, non esset in extrema necessitate respectu cibi extrinsecus assumendi, nec quisquam teneretur ipsi succerrere cum tali cibo, quia cibus non est ordinatus pro prole, quandiu est in utero: ita & de baptismo dicendum est. Rursus nec etiam foetus est capax baptismi, quandiù est in utero; & proinde non potest adesse obligatio ex charitate in ordine ad salutem spiritualem.

10 Confir. Quando charitas obligat etiam cum periculo uitæ ad subueniendum proximo, solum per se, & directè obligat ad illam actionem subueniendi, quæ est necessaria, vt proximus subleuetur à necessitate, in qua est, quamuis talis actio sit connexa cum periculo uitæ, non autem obligat directè ad amittendam uitam, nec priuat aliquem directè iure proprio. Si autem mater teneretur ob conseruandam uitam proli in ordine ad recipiendum baptismum, quando nascetur, abstinere à remediis necessariis pro conseruanda propria uita, atque adeo à sectione uteri, charitas ipsam obligaret directè ad amittendam propriam vitam, & ipsam priuaret directè iure, quod habet ad ipsius conseruationem; quod cum affirmari non possit, non est introducenda talis obligatio. Quod autem, charitas non possit directè obligare ad amittendam propriam vitam, nec directè priuare iure, quod quisque habet ad ipsam conseruandam, manifestum est, quia si quis directè obligatur ad perdendam vitam, vt impleret obligationem, posset seipsum occidere. Et si priuaret directè iure prædicto, non esset virtus, quia esset contraria iustitiæ; est enim iniustitia priuare aliquem directè iure, quod habet; virtus autem eo ipso, quod est virtus, non potest continere iniustitiam.

11 Dices. Dum proles est in vtero, & viuit, possidet vitam propriam sine iniuria matris, ergo si remedium est tale, vt noceat proli, etiam si ordinetur ad salutem matris, adhuc fiet iniuria proli & erit occisio illius. Ita Facundez loco *num.* 3. citatus. Resp. in hac obiectione assumi id, quod directè contrariatur principio communiter recepto, & in iure stabilito, quod vnicuique liceat vti iure suo, etiam si inde damnum alteri sequatur, neque in hoc inferri iniuriam. Et ideo non fit iniuria proli, si mater vtens iure, quod habet ad conseruandum propriam vitam vtatur remediis congruis, quamuis inde sequatur mors prolis, præsertim, quia proles non possidet absolutè vitam propriam, sed dependenter, & veluti accessoriè ad vitam matris, vt dictum est supra, & ideo non tenetur mater, ad ipsius conseruationem, nisi quatenus tenetur ad propriam. Sic etiam fugiens inimicum, si incidat in infantem iacentem in via, quem necesse sit conculcare equo,

quo

quo vehitur, aut se reliquere hosti occidendum, potest continuare fugam, quamuis sequatur mors infantis, quia potest vti iure suo, quod habet ad fugiendum, vt habetur ex *l. Is, cui C. Ad leg. Cornel. de sicar.* & notant plures Doctores Glos. *in dict.* verbo. *Alius* Angel. *ibid. num.* 3. Augustin. ab Angel. *de malef. ver.* Et dictus Titius. *num.* 34. Clarus. *§. Homicid. num.* 31. Gomez *tom.* 3. *Variar. cap.* 3. Rubr. *de homicid. num.* 34. *&* 35. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 145. *&* 147. Farinac. *in Praxi quæst.* 125. *de homicid. num.* 139. Facundez *lib.* 5. *in* 5. *præcep. Decal. cap.* 6. *num.* 11. Caiet. 2. 2. *quæst.* 67. *ar.* 2. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 38. *dub.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure cap.* 9. *num.* 59. Vnde corruit etiam altera obiectio eiusdem Facundez nimirum, quod non sint facienda mala, vt eueniant bona, & proinde nec prolem occidere, vt saluetur mater, nam non est facere malum, vt eueniat bonum; sed facere bonum, & permittere damnum alterius, quod inde sequitur, quod nullum continet malum culpæ, nec est occidere, vt saluetur mater; sed est mederi matri, permittendo mortem prolis.

12 An autem liceat directè tendere in perniciem prolis ob saluandam vitam matris affirmant Marian. Socin. *in cap. si aliquis. de homicidio* Simon de Brixia *ad Clemen.* 1. *de homicid.* quos sequitur Raynaud. *de ortu infant. contra natur. cap.* 9. *num.* 16. applicans huic casui doctrinam eorum, qui volunt, quod liceat directè intendere mortem inuasoris ob defensionem propriæ vitæ; nam in tali casu ratione finis mors inuasoris est honesta. Ita Sotus *lib.* 5. *de iust. & iure, quæst.* 1. *ar.* 7. Couarruu. *in Clem. si furiosus. par.* 3. *§. vnico. num...* Molina. *tract.* 3. *de iust. & iure, disp.* 11. *num.* 4. Lopez *part.* 1. *Instru. cap.* 62. *init.* Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *punc.* 4. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure cap.* 9. *num.* 53. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 339. Philiar. *par.* 2. *de offic. sacer. lib.* 4. *capit.* 9. Sayr. *lib.* 7. *clau. reg. cap.* 19. *num.* 19. & alij. Quicquid tamen de hoc sit, non rectè applicatur hæc doctrina præsenti casui, quia vt dictum est supra *num.* 5. fœtus in vtero non est inuasor, & ideo non potest titulo defensionis iustificari positiua, & directa intentio mortis ipsius, cum sit intentio occidendi innocentem; & ipse sit ad summum causa instrumentalis aggressionis, causa verò principalis sit ipsa mater aggressa, vt constat ex dictis loco citato;

An matris mortuæ vterus secandus sit, vt partus periclitans possit baptizari. Quæst. 42.

S V M M A.

1 *Fœtus in vtero non respirat.*
2 *Fœtus in vtero viuere potest mortua matre.*
2 *Functiones cordis an sint necessariæ in fœtu.*
3 *Mortua matre vterus aperiri debet, vt fœtus saluetur, & baptizetur.*
4 *Scissio vteri matris mortuæ vtilis fœtui, nec in iuriosa matri.*
5 *Quid si dubitetur, an mulier sit mortua.*
6 *An ad Curatum pertineat curare, quod vterus prægnantis mortuæ aperiatur.*

1 SVpponendum tanquam certum contra Rodericum à Castro. *lib.* 4. *de morbis mulierum cap.* 3. *in Scholijs*, & Varundeum *de morbis mulier lib.* 2. *cap.* 7. Infantem mortua matre posse viuere per aliquod tempus in vtero, quod constat ex pluribus exemplis, in quibus mortua matre secto vtero infans viuus extractus est; & præter antiqua, quæ recensentur, plura refert Schench. *lib.* 4. *obseruat. medicar.* Cornel. Gemma *lib.* 2. Cydogn. *capit.* 6. Carolus Stephanus *liber.* 3. *de part. corpor. hum. cap.* 1. Cum enim fœtus in vero habeat propriam vitam, quamuis in conseruari dependeat à vita matris, hæc

hæc tamen dependentia, non est talis, ac tanta, vt non possit vita durare per aliquod tempus. Neque enim dici potest, quod mortua matre prohibeatur respiratio fœtus, & proinde statim moriatur, quia fœtus, dum est in vtero, non habet respirationem, sed tantum transpirationem, vt obseruat Andreas Laurent. *lib.* 8. *Anatom. cap.* 7. *quæst.* 26. *&* 27.

2 Nec etiam dici potest, quod motus cordis in fœtu dependeat ex contractione, & distensione duarum arteriarum vmbilicalium, qui motus, quando primò cessat in matre, statim cessat etiam in infante. Nam functiones motus cordis non sunt necessariæ in fœtu, eum non producantur à corde spiritus vitales, sed subministrentur à matre per vmbilicales arterias, & ideo solum fœtus morietur, quando spiritus vitales subministrati cessabunt, qui tamen non ita statim cessant, sed possunt per aliquod tempus durare, quod experientia comprobatum est.

3 Itaque absque vlla difficultate tenendum est, quod mortua matre debeat vterus aperiri, vt fœtus saluari possit, aut saltem baptizari. Ita inter alios tradunt D. Th. 3. *par. quæst.* 60. *art.* 11. *ad* 3. Mercer. Chellison. *ibid.* Gabr. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 2. *ar.* 3. *dub.* 2. Palud. *dist.* 6 *quæst.* 1. *ar.* 1. *conclus.* 3. Sotus *dist.* 5. *quæst. vn art.* 11. *conclus.* 3. ver. *circa tertium* Angles *in florib. quæst.* 2. *de baptis. ar.* 3. *conclus.* 5. Graf. *par.* 2. *decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 33. Astens. *par.* 1. *sum. lib.* 4. *tit.* 6. *ar.* 2. *quæst.* 6. Armilla *verbo*. Baptismus. *num.* 39. Angelus *verbo*. Baptismus 6. *num.* 2. Syluester *verbo*. Baptismus 4. *num.* 2. Tabiena *verbo*. Baptismus. 5. *num.* 6. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo*. Baptismus. *num.* 23. Facundez *lib.* 5. *in* 5. *Præcep. decal. cap.* 12. *num.* 35. Raynaud. *de ortu infan. contra natur. cap.* 2. *num.* 1. ver. *Adhibendam* Posseuin. *de Offic. cur. cap.* 6. *num.* 11. & alij communiter.

4 Et desumitur passim in iure *l. Posthumus. ff. de inoffic. test.* & *l. Si ergo* ver. *Idem est. ff. de Publ. in rem act.* & *l. quod dicitur ff. de liber. & posth.* & *l. Etiam ea* ; & *l. Anniculus amittitur ff. de verbor. significat.* Et ratio manifesta fauet, quia agitur de salute spirituali infantis, & nulla iniuria infertur matri, vnde esset contra charitatem non prouidere infanti aperiendo vterum, & faceret etiam contra iustitiam, qui ex officio teneretur procurare salutem partus.

5 An autem, quando dubitatur de morte, aut vita mulieris prægnantis, possit vterus aperiri. Resp. negatiuè, vt etiam notant Posseuin. *cap.* 6. *de offic. cur. num.* 12. Raynaud. *de ortu infant. contra natur. cap.* 2. *in fine*. Quia si esset viua, stante extrema debilitate virtutis vitalis, non posset sustinere sectionem vteri, sed occideretur; & ideo secans exponeret se periculo occidendi. Vnde prius quam deueniatur in tali casu ad sectionem vteri, diligenter explorandum est, an appareat aliquod signum vitæ.

6 Rursus an ad Curatum pertineat curare, vt aperiatur vterus prægnantis mortuæ. Respondet Posseuin: *cap.* 6. *de offic. cur. num.* 12. debere admonere domesticos defunctæ. Quod si renuant obedire, debet compellere censuris, si habet uim coactiuam, et si non habet, debet recurrere ad Episcopum, vel si non adsit tempus ad brachium sæculare. Quod si nullum horum speret profuturum in tempore, debet acriter obiurgare. Verum quamuis curatus teneatur ex officio procurare salutem spiritualem eorum, qui eiusdem curæ commissi sunt, attamen in hoc non videtur habere maiorem obligationem, quàm habeant cęteri; siquidem, cum nondum infans natus sit, non est adhuc sub cura ipsius, & ideo solum ratione charitatis, sicuti & cęteri, tenetur subuenire. Vnde solum tenetur ea præstare, quæ præstare debet, quando aliquis deficit in ijs, ad quæ ex charitate obligatur.

An

An filij infidelium baptizatorum, possint inuitis parentibus baptizari, si sint constituti in periculo mortis. Quæst. 43.

1 *Pueri ante vsum rationis validè baptizentur inuitis parentibus.*
2 *Filij eorum, qui defecerunt à fide tam in articulo mortis, quam extra possunt inuitis parentibus baptizari.*
3 *Semel baptizatus est compellendus, vt seruet fidem catholicam.*
4 *Extra periculum mortis requiritur publica auctoritas, vt filij eorum, qui defecerunt à fide baptizentur.*
5 *Filij apostatantium à fide possunt à parentibus abstrahi, & an per laicam iurisdictionem.*
5 *Parentes deficientes à fide priuantur patria potestate.*
6 *Filij hæreticorum & apostatantium à fide adulti non possunt cogi, vt suscipiant fidem.*
7 *Filij hæreticorum non habentium verum baptismum non possunt inuitis parentibus baptizari.*
8 *Filij deficientium à fide, si baptizentur inuitis parentibus; sunt ab ipsis separandi.*

1 Difficultas procedit de filijs illorum parentum, qui fuerunt baptizati, vt sunt hæretici, & qui apostatauerunt à fide. Est autem supponendum contra Duran. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 7. Palud. *dist.* 4. *quæst.* 4. Marsil. *quæst.* 4. *ar.* 4. *dub.* 3. Capr. *dist.* 5. *quæst.* 1. *ar.* 3. Catherin. *Opus. de puer. Iudæor. etc.* tanquam certum, baptismum collatum infantibus inuitis parentibus esse verum baptismum, vt inter alios notant Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 25. Suarez 3. *par. disp.* 25. *de sacram. sect.* 1. Coninch. *quæst.* 68. *art.* 10. *num.* 66. Nugnes *difficul.* 1. Vasquez *disp.* 154. *cap.* 6. *num.* 64. Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori poenit. num.* 18. Syluius 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 10. *conclus.* 1. Præposit. *eod. ar. init.* Putean. *dub.* 1. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 12. §. 6. Caiet. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 10. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. Chellison. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 10. ver. *Duo vltimo* cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 10. *ar.* 12. Et ratio clara est, quia nimirum ad ualiditatem sacramenti sufficit, si interueniant, quæ essentialia sunt: in baptismo autem essentialia solum sunt materia, forma, & intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia; vt desumitur ex Concilio Florentino *in decreto Fidei pro Armenis*. Vnde difficultas ex hoc capite non procedit, sed solum ex parte patriæ potestatis, quia cum infantes sint sub patria potestate, & non sint sui iuris, nec ante vsum rationis habeant proprium velle, & nolle, dependent in receptione baptismi à voluntate parentum.

2 Dicendum autem est. Infantes parentum infidelium, qui defæcerunt à fide non solum in articulo mortis, sed etiam extra ipsum, & absolutè possunt inuitis parentibus baptizari. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. Caiet. Coninch. *ibid.* Syluius. *conclus.* 2. Mercer. *propos.* 5. Præposit. *ver. Notandum*. Chellison. *ver. Suppono secundo*. Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 11. *init.* Suarez. *disp.* 25. *de sacram. sect.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vn. art.* 10. §. *secunda conclusio*. Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. ver. Fundamenta, &c. Vasquez 3. *part. disp.* 155. *cap.* 3. Philiar. *de offic. sacerd. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 18. Reginal. *lib.* 27. *Praxis Fori poenit. num.* 68. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 25. *num.* 3. Pitigian. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 9. *ar.* 1. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 134. Bonac. *disp.* 2. *de Sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Hæc doctrina*. Auersa. 3. *par. quæst.* 68. *sect.* 3. *init.* Isamber. 3. *par. quæst.* 68. *disp.* 5. *art.* 3. *propos.* 1. Gammach. *cap.* 3. ver. *Respondemus*. Merat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *de baptis. sect.* 5. ver. *Et quidem*.

3 Ratio autẽ est; quia, qui semel baptizatus est, etiã si inuitus baptizatus sit, est compellendus, ut seruet fidem Catholicam, quam in baptismo professus est, vt definitum est in Concil. Tolet. & refer-

M 2 tur

tur in cap. *de Iudaiſ. diſt.* 45. ergo etiam compelli poſſunt parentes, qui à fide catholica defecerunt, ut ſeruent eamdem fidem in infantibus eos baptizando, & ſi nolint baptizare, poterunt infantes ipſis inuitis baptizari.

4 Eſt tamen aduertendum, quod extra periculum mortis non poterunt hi infantes baptizari inuitis parentibus auctoritate priuata: ſed erit neceſſaria publica auctoritas, quia cohibendus eſt abuſus, patriæ poteſtatis, & proinde requiritur uis coercitiua, atque adeo auctoritas publica. At urgente neceſſitate quilibet poterit baptizare priuata auctoritate, quia tunc ratione charitatis exercendæ, & ob ſubleuandum infantem ab æterna damnatione habet ius ſuccurrendi contra abuſum patriæ poteſtatis: ſicut, ſi eſſet infans conſtitutus in extrema neceſſitate corporali, poſſet quilibet ipſi ſuccurrere, etiam contra voluntatem parentum.

5 Ex dictis colligitur. Quod ſi parentes baptizati desererent fidem, & tranſirent ad hæreticos, aut infideles. Poſſent ipſorum filij retineri, vt baptizarentur, aut ſi baptizati eſſent, ne ſequentes parentes à fide ipſi quoque deficerent. Et quamuis hoc pertincat ad Superiorem eccleſiaſticum, tanquam id, quod concernit ſpiritualem ſalutem animę, attamen id poteſt præſtare etiam Magiſtratus ſæcularis, quia in tali caſu præſumi debet tacitus conſenſus Eccleſiaſtici Superioris, cum de iure habeat voluntatẽ interpretatiuam, vt quocunque modo fieri poſſit, prouideatur ſaluti ſuarum ouium, vt notat etiam Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 11. ver. *Dico ſecundo.* Imo cum parentes deficientes à fide priuentur ipſo facto patria poteſtate cap. 2. *§. fin.* de *haret. in* 6., & proinde filij ſint ab ipſa exempti, poteſt magiſtratus ſæcularis abſque iniuria parentum tanquam non ſubditos eos retinere.

6 Secundò colligitur. Non poſſe filium hæreticorum, aut Apoſtatarum à fide, licet adultum, & conſtitutum in periculo mortis cogi, vt ſuſcipiat baptiſmum, vt notat Mercer. 3. *par. quaſt.* 68. *art.* 10. *propoſit.* 5. ver *Dices.* Quia non poteſt cogi ab Eccleſia, cum non ſit ſubditus ipſius, ſed computetur inter eos, qui de foris ſunt quoad ſpiritualia, cum nondum ſit ingreſſus ouile Eccleſiæ, nec abſque conſenſu ipſius baptizari poſſit. Nec poteſt cogi à Magiſtratu ſæculari, cum ipſe non habeat iuriſdictionem in ordine ad ſpiritualia.

7 Tertiò colligitur, non poſſe filios hæreticorum, qui nati ſunt ex aliis parentibus hæreticis, & non habent verum baptiſmum, inuitis parentibus baptizari. Cum enim parentes nati ſint ex hæreticis, nec habeant verum baptiſmum, non ſunt ſubditi Eccleſiæ, et ideo nec etiam infantes ipſorum, quia non ſubijciuntur Eccleſiæ ante vſum rationis, niſi ratione parentum. Vnde cum non ſint ſubditi, nec etiam cogi poſſunt ab Eccleſia, vt baptizent filios, & conſequentet nee ipſis inuitis poſſunt baptizari.

8 Quarto colligitur. Filios eorum, qui defæcerunt à fide, baptizatos inuitis parentibus, eſſe ſeparandos ab ipſis ob periculum moraliter certum, quod exiſtentes ſub illorum cura, peruerterentur, & apoſtatarent à fide, imò antequam peruenirent ad vſum rationis celaretur ipſis baptiſmus, & in falſa ſecta erudirentur. Vt igitur vitetur huiuſmodi periculum, & erudiri poſſint in fide catholica, ſeparandi ſunt à parentibus, ſiue in periculo mortis, ſiue extra ipſum baptizati ſint.

An filij hæreticorum in periculo mortis conſtituti poſſint inuitis parentibus baptizari, ſi ipſis reſtituendi ſint. Quæſt. 44.

S V M M A

1 *Baptiſmus non poteſt conferri cum periculo moraliter certo de Apoſtaſia.*

Ex

2 *Ex quibus fiat congruum, quod baptizentur filij hæreticorum restituendi parentibus.*
3 *Filij hæreticorum in periculo mortis sunt baptizandi, etiam si sint restituendi parentibus.*
3 *Salus spiritualis certa præferenda periculo apostasiæ.*
4 *Quid extra periculum mortis dicendum.*
5 *Qui si plures sint, qui moriantur ante vsum rationis, aut inuincibili ignorantia excusentur, quàm qui peruertuntur, an poterunt baptizari.*

1 PArtem negatiuam tenent Suarez 3. *par. disp.* 25. *de sacramentis, sect.* 5. Coninch. *q.* 68. *art.* 10. *dub. vn. num.* 81. Heredia *de sacram. par.* 7. *de baptis. dub.* 3. *num.* 8. Quia cum sint restituendi, baptizarentur cum manifesto periculo peruersionis, & Apostasiæ, quia à parentibus instruerentur in falsa secta, præsertim quando habent liberum exercitium suæ religionis.

2 At partem affirmatiuam, tenent absolutè Laiman. *l. b.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 12. ver. *Nihilominus*, & asserit Laiman apud suam Gentem ita à viris pijs, & doctis obseruatū fuisse: *Diana par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 7. Auersa 3. *par. qu.* 68. *sect.* 3. *init.* Quia periculum peruersionis non est adeo propinquum, aut certum, cum fieri possit, quod infans moriatur, antequam perueniat ad vsum rationis, cum plures ante septennium moriantur. Tum quia fieri potest, quod si peruertuntur, etiam ad catholicam fidem reuertantur, quod facilius continget, si sciant, se baptizatos à Catholico ministro. Tum quia etiam si peruertantur, fieri potest, quod habeant ignorantiam inuincibilem suorum errorum, & proinde per contritionem de peccatis post baptismum commissis saluentur.

3 Hæc posterior sententia tenenda est, si filii hæreticorum sint constituti in periculo probabili mortis, quia in tali casu, sicuti probabile est periculum mortis, ita etiam probabile fit, quod non sint exponendi periculo peruersionis, & apostasiæ à fide. Possumus autem sequi opinionem probabilem in quocunque casu, quia tunc operatio est conformis regulis rectæ rationis. Quod etiam ex eo constat, quia ex vna parte concurrit certa damnatio pueri, si moriatur, ex alia verò parte periculum peruersionis, quod non est certum, sed ad summum probabile; Regulæ autem prudentiæ exigunt, quod stante probabilitate, quod puer sit moriturus ex vna parte, & ex alia, quod superuiuet, occurratur malo certo permittendo incertum, quàm quod occurratur incerto permittendo certum.

4 Si verò nullum adsit periculum mortis, res difficilis est, quia ex vna parte periculum peruersionis, & apostasiæ est ex natura rei connexum cum restitutione filiorum, & moraliter certum. Quod autem puer moriatur ante septennium, aut in adulta ætate excusetur ignorantia inuincibili, est per accidens; nam quod post apostasiam sit conuertendus non solum per accidens se habet, sed etiam non facit ad rem, nam quod conuertatur non est effectus baptismi, sed diuinæ illuminationis, quæ si adfuerit, etiam si non sit baptizatus, conuertetur, & poterit baptizari. In vnoquoque autem attendendum est, quod se babet per se, non autem quod se habet per accidens. Et id quod certum est præferri debet incerto, est autem moraliter certum periculum peruersionis, quod autem moriatur ante septennium, aut excusandi sint ratione ignorantiæ inuincibilis, & per contritionem saluandi, est omnino incertum.

5 Sed quid, si contingat, quod plures moriantur ante septennium, aut excusentur ignorantia inuincibili, quam sint ij, qui peruentuntur? Resp. adhuc non posse baptizari, quia quando agitur de baptizando puero, & restituendo parentibus hæreticis, non debet res in generali considerari, sed in illa particulari persona; semper autem in quocunque filio restituendo parentibus hæreticis periculum peruersionis est moraliter certum; & quod saluetur moriendo

do ante septennium, aut excusandus sit ratione ignorantiæ inuincibilis, est omnino incertum, & per accidens.

An, si infideles petunt suos filios baptizari, vt liberentur à periculo mortis, aut à vexatione dæmonis, possint baptizari: Quæstio 45.

S V M M A

1 *Opinio aliquorum infidelium de baptismo.*
2 *An liceat baptizare filios infidelium, quando parentes petunt baptizari ob solum finem temporalem.*
3 *Parentes infideles, dum petunt filios baptizari, vt sanentur, non consentiunt ad baptismum.*
3 *Error excludit consensum.*
3 *Cur in errante non sit voluntas.*
4 *Parentes infideles non petunt baptismum vt sacramentum pro filijs, quando petunt ex fine temporali.*
5 *Quid si filij credantur probabiliter morituri.*
6 *Quid si parentes, & filij baptizati sint, sed baptismo non vero.*
7 *An liceat furtiuè baptizare filios Pseudo christianorum, qui non habent verum baptismum.*
8 *An adulti baptizari possint vero baptismo, si illum petunt, vt remedium corporale.*
8 *Poenitentia debet præcedere baptismum.*

1 QVia infideles putant, baptismum habere aliquam vim in ordine ad effectus corporales, vt ad depellendos morbos, foetorem, & etiam ad expellendum dœmonem ab obsessis, ideo solent offerre Christianis suos filios, vt eos baptizent, vt liberentur à periculo mortis, in quo versantur, aut ab aliquo alio malo. Vnde dubitatur, an sic oblatos liceat baptizare. Et partem affirmatiuam tradit Nauar. *lib. 3. consil. 5. de baptis. in 2. edit.* Et fundamentum esse potest, quia tunc cessat ratio, ob quam non possent baptizari, si quidem consentiunt parentes.

2 At non posse baptizari, tenent Azor: *part. 1. lib. 8. cap. 25. quæst. 8.* Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 2. cap. 6. num.* 10. ver. *Quamobrem in Concilio.* Syluius 3. *par. quæst. 69. art. 10. proposit. 6.* Filliucius *tract. 2. capit. 6. num.* 145. Bonac. *disp. 2. de sacram. quæst. 2. par. 6. num.* 12. ver. *Respondeo quinto* Palaus *par. 4. tr. 19. disp. vn. par. 6. num. 11. in fine* Quod intelligi debet, quando debent remanere sub cura parentum: secus autem, si possent ab ijs separari. Et hæc sententia tenenda est, quia dum remanent infantes sub cura parentum, educabuntur in falsa secta suæ religionis, vnde erunt Christiani, quia erunt baptizati; & erunt infideles, quia habebunt voluntatem infidelem, & conformem educationi, atque adeo apostatæ.

3 Accedit etiam, quod parentes reuera non consentiunt in baptismum, sed in abusum baptismi, ideo enim offerunt filios baptizandos, quia putant, baptismum habere vim pro illis effectibus corporalibus; non autem, quia putent, esse sacramentum mundans animam à peccatis, & in quo fiat professio Christianæ fidei, & certum est, quod nullo pacto consentiunt in baptismum puerorum, vt est sacramentum. Vnde eodem pacto se habent, ac si non consentirent, quia error excludit consensum circa ignorata *l. si per errorem. ff. de iurisdict. & l. consensisse, init. ff. de iudic. & l. nihil consensus. §. non videntur. ff. de regul. iur. & l. cum testamentum, & l. non idcirco, C. de iur. & fact. ignoran.* & inter alios notat Menoch. *lib. 2. præsump. 19. num. 9.* Cuius rei ratio est, quia stante errore voluntas fertur in id, quod intellectus apprehendit, non autem in id, quod re vera est. Et proinde dicitur quod in errante non est voluntas *l. sed hoc ita. ff. de aqua, & aqua plun. arcen.* Et ideo eodem pacto se habent, ac si non consentirent.

4 Quod etiam ex eo patet. Quia si

si interrogarentur, an vellent, filios suos baptizari, vt per illum baptismum mundentur, è peccatis, & in ipso profiteantur fidem Christianam. Certè responderent, quod neqnaquam vellent, quæ voluntas interpretatiua sufficienter colligitur ex eo; quia habent voluntatem formalem eos educandi in propria religione falsa; vnde intendunt merum abusum baptismi, & ideo baptizans quamuis ipse intenderet conficere verum sacramentum, & haberet rectum finem, adhuc tamen cooperaretur abusui sacramenti, quia infidelis abuteretur illa ipsa actione sacramentali, qua ministratur baptismus, et se haberet non sicut ille, qui fabricat idolum, sed sicut ille, qui ipsum porrigeret, & ostenderet volenti adorare.

5 Si tamen pueri essent in tali periculo, vt probabiliter crederentur morituri, tunc possent baptizari; non propter instantiam parentum, cum non sit ipsis indulgendum, cum praua intentione petant abusum sacramenti, sed ratione charitatis, vt subueniatur constituto in periculo æternæ damnationis, cum sit sublatum obstaculum subuentioni, nempe resistentia parentum. Si enim creduntur probabiliter morituri, sunt in graui necessitate spirituali, & consequenter tollitur etiam probabiliter periculum apostasiæ à fide, quam in baptismo recipiunt, & baptizans prudenter procedit, quia sequitur, quod probabile est. Dices, adhuc cooperaretur abusui sacramenti, quia abuteretur parens infidelis illa ipsa actione. Resp. non sequi, quod cooperetur, quia non baptizat ob instantiam parentum, atque adeo nec consentit in ipsorum abusum sacramenti; sed quia ex charitate tenetur succurrere constituto in graui necessitate. Quod autem parentes abutantur sacramento, prouenit ex malitia ipsorum. At si seclusa necessitate baptizaret, id faceret ad instantiam parentum, atque adeo cooperaretur abusui ipsorum.

6 Ex dictis colligitur, quid dicendum de filijs illorum, qui baptizati sunt, sed baptismo inualido ob defectum alicuius essentialis, vel etiam, quia totaliter sit diuersus à vero baptismo ob errores, in quibus Gens versatur, an nimirum liceat eos baptizare vero baptismo, quando offeruntur baptizandi à parentibus ob eosdem fines. Reuera enim huiusmodi gens, quamuis profiteatur Christianam religionem, quia tamen versatur in pluribus erroribus pertinaciter, non habet veram fidem, nec est verè christiana, cum non habeat verum baptismum. Et quando offert filios baptizandos, non offert, vt recipiant verum sacramentum, sed vt mediante illa lotione recipiant aliquod beneficum corporale; & proinde ipsius quoque intentio respicit abusum sacramenti. Et ideo extra periculum mortis, aut extra probabilem spem, quod in vera christiana religione educentur, non licet eos baptizare. Tum quia baptizantur cum periculo moraliter certo, quod deficient à fide, quam in baptismo recipiunt, dum paternis erroribus imbuendi sunt. Tum quia reuera baptizantur inuitis parentibus, quia ipsi non eos offerunt baptizandos ex intentione sacramenti, sed ex erronea intentione remedij corporalis: & proinde reuera non sunt consentientes, vt constat ex dictis *num. 3.*

7 Ex quibus etiam fit, quod nec etiam furtiuè licebit eos baptizare fingendo, quod ablutio baptismi, sit ablutio medicinalis, extra periculum mortis, si sub educatione parentum remanere debent: non secus, ac non liceret hoc pacto baptizare filios infidelium, aut hæreticorum; militat enim in his quoque eadem ratio, nempe periculum moraliter certum apostasiæ à fide. Et ideo ij omnes, qui docent non posse baptizari filios infidelium inuitis parentibus, & hæreticorum, quando debent remanere sub ipsorum educatione, hoc ipsum tenere debent, cum sit propositio particularis inclusa in vniuersali, quam tradunt. Et hoc à fortiori locum habet apud illas Gentes, quæ proprios filios vendere solent Mahumetanis, quia si

ſi venduntur, tranſeunt ad ſectam Mahumetanam, vnde præter periculum apoſtaſię ratione parentum, adeſt etiam aliud periculum ratione huiuſmodi venditionis.

8 Et quod dictum eſt de pueris ante vſum rationis extendendum eſt etiam ad adultos, & à fortiori, vt non poſſint baptizari vero baptiſmo, ſi illum petant tanquam remedium corporale. Quia tunc non conſentiunt in verum baptiſmum, ſed ex intentione erronea petunt merum remedium corporale. Quod ſi inſuper cognoſcerent, & recipere vellent, quod in illa actione miniſtrat Eccleſia, quamuis reciperent verum baptiſmum, vt habetur ex cap. *Maiores.* §. *item quæritur. de baptiſmo* & cap. *de Iudæis. diſt.* 54. & tradunt communiter cum D. Auguſt. *lib.* 2. *contra Petilian. cap.* 35. & *lib. de catechizandis rudib. cap.* 17. & D. Th. 3. *par. quæſt.* 68. *art.* 8. Adhuc tamen non liceret eos baptizare, quia indignè accederent, abſque debita diſpoſitione; nam antequam baptizentur, debent erudiri in vera fide Chriſti, & in ipſam conſentire iuxta illud Marci *vlt.* qui *crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* & Matth. *vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* & debent diſponi per pœnitentiam. Actor. cap. 2. *Poenitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.*

An conſentiente altero ex parentibus infidelibus, poſſit filius altero inuito baptizari, præſertim ſi vrgeat neceſſitas? Quæſt. 46.

S V M M A.

1 *Conſentiente altero parente poſſunt filij infidelium baptizari.*

2 *Ius educandi filios commune eſt vtrique parenti, & qui nam præferendus.*

3 *Quid ſi vterque parens ſit infidelis, & alter conſentiat in baptiſmum filij.*

3 *Filij infidelium baptizati ſeparandi ſunt à parentibus infidelibus.*

3 *Qui vult antecedens vult etiam neceſſarium conſequens.*

4 *Conſentientibus auis, curatoribus, aut tutoribus filij infidelium poſſunt baptizari.*

5 *Quid ſi ipſi contradicant.*

6 *Quid ſi alter parens ſit Chriſtianus, & nolit filium baptizari nè fiat odioſus alteri coniugi?*

7 *An patria poteſtas conueniat etiam matri.*

1 AFfirmatiuè reſpondendum eſt, vt docent communiter, non ſolum in periculo mortis, ſed etiam extra omne periculum. Ita Paludan. *in* 4. *diſt.* 4. *in fine.* Sotus *diſt.* 5. *quæſt. vn. ar.* 10. ver. *Quintò arguitur ex cap.* Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 3. Valent. *tom.* 4. *ſum. diſp.* 4. *quæſt.* 3. *punc.* 3. ver. *Quartò dico.* Henriquez *lib.* 2. *ſum. cap.* 21. *num.* 3. Suarez 3. *par. diſp.* 25. *de ſacram. ſect.* 1. Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori poenit. num.* 68. ver. *Quarta propoſit.* Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 8. Nugnus 3. *par. quæſt.* 68. *ar.* 10. *difficul.* 2. *concluſ.* 1. Putean. *dub.* 2. ver. *Rogabis.* Syluius *concluſ.* 6. Ollelliſon. ver. *Notandum me dixiſſe.* Præpoſit. *dub.* 1. *init.* Coninch. *num.* 83. Vaſquez *diſp.* 135. *cap.* 3. *num.* 29. Sà *verbo.* Baptiſmus. *num.* 11. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *capit.* 6. *num.* 10. ver. *Tertiò ſi alter.* Pitigian. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. *ar.* 3. *conculſ.* 4. Bartholom. ab Angelo *in Exam. confeſſar. dial.* 2. *de Baptiſ.* §. 30. Armilla *verbo.* Baptiſmus. *num.* 57. Tabiena *verbo.* Baptiſmus 7. *num.* 13. Poſſeuin. *de offic. cur. cap.* 6. *num.* 19. Bonac. *diſp.* 2. *de ſacram. quæſt.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Secundò baptizandum eſſe.* Palaus *part.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *diſp. vn. punc.* 6. *num.* 11. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſp.* 3. *de baptiſ. difficul.* 4. ver. *obſeruandum eſt ſecundò* Ochagauia *de ſacram. tract. de Baptiſ. quæſt.* 19. *num.* 7. Palat. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 5. *concluſ.* 1. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *ſum. tract. de baptiſ. quæſt.* 2. *ar.* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 1. Tritarnes *in* 4. *diſt.* 4. *diſp.* 18. *ſect.* 2. ver. *ſecundo dico.*

dico. Gamach. *cap.* 3. *in fine.* ver. *denique notandum.* Lorca 2. 2. *quæst.* 10. *ar.* 12. *disp.* 27. *memb.* 3. *num.* 26. Ioan. à Cruce *part.* 2. *direct. confiten. quæst.* 3. *de baptis. dub.* 8. *conclus.* 4. Fernandez de Heredia *de sacram. par.* 7. *de baptis. dub.* 7. *num.* 5. Auersa 3. *par. quæst.* 68. *sect.* 3. ver. *At vero* Isamber. *ibid. disp.* 5. *ar.* 3. *propos.* 2.

2 Desumitur autem ex concil. Tolet. 4. relato *in cap. Iudæi* 28. *quæst.* 2. ibi. *Filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem, atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus uiris christianam sequantur religionem.* Et idem etiam decernit Gregor. IX. scribens Episcopo Agen. vt habetur in cap. *Ex litteris de conuersione infidel.* Ratio autem est, quia tàm pater, quàm mater habent ius ad educationem filiorum; vnde etiam spectat ad ipsos eos instruere, aut curare, quod instruantur in religione, ergo præferenda est illius voluntas, quæ respicit instructionem in cura fidei, siue sit patris, siue matris, tum quia est voluntas iusta; opposita verò voluntas iniusta; tum quia est magis fauorabilis filio.

3 Et hoc dicendum est, si alter ex parentibus sit christianus, & alter infidelis, in quo sensu procedunt definitiones *num. præcedenti* allatæ. At si vterque sit infidelis, & vnus consentiat in baptismum filii, & alter dissentiat, adhuc poterit baptizari; nam militat eadem ratio, quia præualet voluntas consentiens in baptismum tanquam iusta, & rationabilis, & fauorabilis proli. Ita Baunius *tom.* 1. *theol. moral. tra.* 2. *de Baptis. quæst.* 27. *assert. vlt.* Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Respondeo quintò.* Isambert. 3. *par. quæst.* 68. *disp.* 5. *ar.* 3. *propos.* 2. Statim autem ac filius suscepit baptismum, poterit à parentibus separari, vt educetur in Christiana religione absque ipsorum iniuria, quia ad baptismum consequitur tanquam debita talis educatio, & proinde consentiens in baptismum, consentit etiam in talem educationem; qui enim vult antecedens, vult etiam consequens, quod inde necessariò sequitur, vt notant Alexan. *Consil.* 157. *num.* 14. *lib.* 2. Castrens. *Consil.* 100. *num.* 4. *lib.* 1. Crauetta *Consil.* 186. *num.* 7. Carcer. *par.* 1. *Variar. resolut. cap.* 1. *num.* 227. Nec obstat. quod consentiens in baptismum nollet postea, quod filius educaretur in christiana religione, nam talis voluntas esset reijcienda tanquam irrationabilis, & tanquam procedens ex errore, atque adeo tanquam excludens dissensum, quia in errante non est voluntas *l. Sed hoc ita ff. de aqua, et aqua pluu. ar.*

4 Dubitatur autem, an quod dictum est de parentibus, vt nimirum pro baptizando infante sufficiat vnius consensus, idem etiam dicendum sit quòad tutores, & curatores, & auos. Respond. affirmatiuè, vt notant Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 2. *quæst.* 9. Palud. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *ar.* 3. Sotus *dist.* 5. *quæst. vn. ar.* 10. ver. *Addit. ibid.* Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. *Tertiò si alter.* Posseuin. *de offic. cur. capit.* 6. *num.* 19. Præposit. 3. *part. quæst.* 68. *ar.* 10. *dub.* 1. *init.* Syluius *conclus.* 6. asserens, quòad auum ita statuisse Gregorium XIII. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *difficul.* 4. ver. *quod si* Isambert. 3. *par. quæst.* 68. *disp.* 5. *art.* 3. *propos.* 3. Lorca 2. 2. *quæst.* 10. *ar.* 12. *disp.* 37. *mem.* 3. *num.* 26. ver. *secundò.* Et ratio est, quia curatores, & tutores, & aui succedunt in locum patris, & ideo pertinet ad ipsos cura infantum.

5 An autem possit baptizari infans contradicentibus omnibus tutoribus, & curatoribus. Negatiuè respondent Palud. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *art.* 3. Sotus *dist.* 5. *quæst. vn. ar.* 10. ver. *Addit ibid.* quamuis subdat, non fieri tam grauem iniuriam, sicuti si baptizaretur inuitis parentibus Chellison. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 10. ver. *dico tertiò* Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 2 *de baptis. ar.* 2. *dub.* 5. *conclus.* 2. Heredia *de sacram. par.* 7. *de Baptis. dub.* 3. *num.* 4. Posseuin. *de offic. curati cap.* 6. *num.* 19. Azor. 1. *par. lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 9. quia fieret ipsis iniu-

iniuria, nam uiolaretur ius, quod habent supra illos pueros. At posse baptizari ipsis inuitis de cōsensu tamen principis, tenet Gaspar Hurtad. *disp. 3. de sacram. baptis. difficul.* 4. ver. *quod si,* Quod mihi magis probatur, quia totum ius, quod habent curatores, & tutores est mere ciuile, non autem naturale, quale est ius parentum, ergo princeps poterit dispensare in hoc iure, aut eos ipso priuare, seu limitare, ne se extendat in ordine ad ea, quæ concernunt salutem animæ. Solus autem supremus princeps poterit id præstare, quia solus est supra leges, quæ tutoribus, & curatoribus tribuunt ius. Quod etiam ex speciali ratione habet locum. Quia princeps est supremus curator, & tutor pupillorum, & ideo potest curare, ut in uera religione educentur, & corrigere abusum iuris aliorum tutorum, & curatorum, cum ipsi subiiciantur etiam in hoc ipso iure. Imò hoc præstari poterit etiam ab inferioribus gubernatoribus, quia cum in regimine gerant vices ipsius principis, possunt eosdem abusus corrigere, quos potest Princeps; præsertim quia repræsentant ipsum etiam tanquam curatorem, & tutorem pupillorum, & ideo ad ipsos pertinet eorumdem cura.

6 Rursus an si altero ex parentibus existente christiano possit ipsis inuitis baptizari filius, si etiam christianus nollet baptizari, ne fieret odiosus alteri coniugi. Resp. affirmatiuè, si tamen id fiat aucthoritate Ecclesiæ, quæ potest in talis casu filios abstrahere à parentibus, & baptizare, & alijs educandos tradere. Ita notant Palat. *in 4. dist. 4. disp. 5.* ver. *Pueri qui altero* Azor, *par. 1. lib. 8. cap. 25. quæst. 3.* Cum enim alter ex parentibus profiteatur fidem christianam, est subditus Ecclesiæ, & ideo compelli potest, vt filium suum offerat ad baptismum, & si nolit obedire, puniri potest, & in pœnam priuari iure, quod habet super filium. Et hoc locum habet, nedum, quando filius nascitur ex altero parente christiano, sed etiam quando iam nato filio alter parens fit christianus, quia statim, ac recipit baptismum, incipit esse subditus Ecclesiæ, & ideo adhuc compelli potest, vt offerat filios, quos iam habet, ad baptismum, si non dum ipsi peruenerint ad vsam rationis. Non tamen hoc locum habet, vt notat etiam Palat. *citat.* si alter ex parentibus sit tantum Catechumnus, quia is nondum factus est subditus Ecclesiæ, cum nondum receperit baptismum.

7 Dices. Patria potestas conuenit tantum patri, non verò matri; ergo non sufficit, quod mater consentiat in baptismum filij, si pater dissentiat, quia consensus ipsius nihil iuuat, cum adhuc obstet tota patria potestas. Resp. Patriam potestatem ciuilem conuenire tantum patri; patriam autem potestatem naturalem conuenire etiam matri. Patria autem potestas ciuilis est illa, quam leges tribuunt patri, & in ordine ad illos effectus, quos præscribunt. Patria autem potestas naturalis consistit in illo iure, quod iure naturali conuenit vtrique parenti in ordine ad curam, & educationem filiorum.

An vrgente necessitate filij infidelium baptizari possint inuitis parentibus. Quæst. 47.

S V M M A.

1 *Filij infidelium qui non subduntur principibus christianis, non possunt inuitis parentibus baptizari.*
1 *Infideles non possunt cogi ad fidem.*
2 *Quando liceat innocentem defendere.*
3 *Prior sententia affirmat posse baptizari.*
4 *Potestas inferior non obligat contra superiorem.*
4 *Princeps vindicat abusus.*
4 *Patri prodigo possunt dari Curatores.*
5 *Filij infidelium subditorum Principibus christianis non possunt inuitis parentibus baptizari.*
6 *Nemo debet compelli ad fidem suscipiendam.*

Vo-

7 *Voluntas parentum est voluntas filiorum.*
8 *Parentes cogerentur ad fidem indirectè, si ipsis inuitis baptizarentur filij.*
9 *Omnis iurisdictio aut eccesiastica, aut secularis.*
9 *Iurisdictio ecclesiastica non se extendit ad infideles.*
10 *Iurisdictio sæcularis non se extendit ad spiritualia, & quę conceruunt salutem animæ.*
11 *Consuetudo Ecclesiæ non baptizandi filios inuitis parentibus infidelibus declarat, non posse baptizari.*
12 *Baptizari non potest quis cum periculo apostasiæ.*
12 *De iure naturali competit parentibus retinere, & educare proprios filios.*
13 *Ecclesia non tenetur baptizare non consentientes.*
14 *An ad Principem spectet corrigere omnes abusus.*
15 *Potestas patria, & potestas Principis eleuantur ad supernaturalia.*
16 *Alia ratio de patre volente occidere filium, & nolente baptizare.*
17 *Quando ob malam educationem possint filij subtrahi à cura parentum.*
18 *In periculo mortis filij infidelium possunt inuitis parentibus baptizari.*
19 *In tali casu ius patriæ potestatis cedit.*
19 *Ius patriæ potestatis quousque duret.*
20 *An in periculo mortis filij infidelium possint inuitis parentibus baptizari, si sequatur scandalum.*
21 *An Episcopus habens iurisdictionem etiam temporalem possit filios inuitis parentibus infidelibus baptizare.*

---

1 Conueniunt omnes contra Angles *in florib. quæst. 2. de Baptis. ar. 2. conclus. 2.* Ludouicum à S. To. *par. 1. sum. quæst. 2. de Baptis. art. 2. difficul. 1. dub. 2. conclus. 2.* quod extra casum necessitatis, filii infidelium, qui non subduntur principibus christianis, non possunt baptizari inuitis parentibus, ita præsertim infracitandi pro vtraque sententia. Cum enim infideles non possint cogi ad suscipiendam fidem per uim, & iniuriam, sed debeant spontaneè suscipere, vt habetur ex cap. *Qui syncera dist. 45.* & ex Concil. *Tolet. 4. cap. 56.* relato in cap. *de Iudæis eadem dist.* & ex cap. *sicut Iudæi. de Iudæis, & Saracenis.* Neque etiam filij ipsorum possunt ipsis inuitis baptizari, quia per iniuriam cogerentur ad fidem; cum enim ex se, neque habeant nolle, aut velle, sed voluntas ipsorum censeatur esse in voluntate parentum tanquam eorum, ad quos iure naturæ spectat cura, & institutio filiorum, fit, quod si ipsis inuitis baptizarentur, cogerentur per iniuriam ad fidem, quatenus ipsorum voluntas in voluntate parentum pareretur iniuriam.

2 Et quamuis iure naturæ liceat vnicuique defendere innocentem, & posset quisque obsistere parentibus, si vellent occidere proprios filios; non tamen hinc inferri potest, quod cum infantes innocentes sint, & parentes conentur inferre mortem spiritualem, possint baptizari inuitis parentibus, vt ipsis succurratur, nam est longè diuersa ratio; tunc enim solum licet defendere innocentem, quando ipsi infertur vis, & damnum præsertim, si futurum est irreparabile. At ex eo, quod infantes non baptizantur à parentibus, nulla infertur vis, sed relinquuntur in illo statu mortis spiritualis, in quo nascuntur, & ideo non habet locum defensio. Quod autem non eruant eos ab illo statu, non infert ipsis damnum irreparabile, quia, cum ad vsum rationis peruenerint, poterunt sibi prouidere. Difficultas ergo solum est de filijs infidelium, qui subduntur Principibus Christianis in ciuilibus, & politicis.

3 Prima ergo sententia asserit, posse baptizari inuitis parentibus, si tamen id fiat auctoritate Principis. Ita Scot. *in 4. dist. 4. quæst. ult.* Gabr. *quæst. 2. ar. 3. dub. 5.* Tribarnes *disp. 18. sect. 5.* Estius *dist. 6. §. 2.* Zechius *de sacram. cap. 6. de baptis. vet. octaua propositio.* Angles. *in florib. quæst. 12. de baptis. ar. 3. conclusi. 1.* Palat. *in 4. dist. 4. disp. 5. conclus. 3.* Vldaricus Zasius. *quæst. 1. de Iudæis. tom. 3.* Ledesma *1. par. 4. quæst. 9. ar. 10.* Carthus. *in 4. dist. 4. quæst. 7.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 5. difficul. 15. num. 7.* Ludouicus à S. Io. *part. 1.*

sum. quæst. 2. *de baptis. art.* 2. *dub,* 2. *conclus.* 1. Volunt tamen hi Doctores, quod si baptizentur, debeant subtrahi curæ parentum, nè ab ipsis peruertantur.

4 Prob. in tantum non possent inuitis parentibus baptizari, in quantum sunt sub cura, & potestate ipsorum, & proinde fieret ipsis iniuria, siquidem violaretur ius, quod habent supra filios, hoc autem non obstat, quia in hoc casu concurrit potestas parentum, quæ est potestas inferior cum potestate Dei, quæ est superior, quæ est præferenda; quia potestas inferior non obligat contra superiorem, vt docet D. August. *serm.* 6. *de verb. Domini*, & ideo cum potestas Dei obliget ad baptizandum, non est attendenda potestas parentum, sed cogendi sunt, vt subdantur superiori potestati, & baptizentur eorum filij. Secundò Parentes, nolentes baptizari proprios filios, abutuntur potestate patria, quia illa vtuntur in perniciem filiorum, ergo talis abusus poterit corrigi à Principe, cum pertineat ad ipsum corrigere abusus etiam contra legem naturalem. Vnde *Ad Rom.* 13. de Principe dicitur. *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Tertiò eleuata natura ad statum supernaturalem, eleuatur etiam patria potestas ad ea, quæ quòad paruulos talem statum concernunt, ergo etiam potestas principis eleuabitur, vt possit cogere subditos ad ea seruanda, quæ talem statum concernunt. Quartò Parentes non habent ius impediendi salutem corporalem filiorum, ergo nec æternam, ergo sicut posset subtrahi filius Patri, si eum vellet occidere, ita etiã poterit subtrahi, si velit impedire salutem æternam. Quintò si pater bona sua prodigat, possunt auctoritate publica ei dari curatores, ergo idem præstari poterit; si filios malè educet, nam poterunt subtrahi, & constitui sub alterius cura. Sextò si pater doceat filium artes illicitas, potest ab ipso subtrahi, & alteri tradi instituendus, ergo idem quoque licebit, si velit imbuere falsa religione.

5 Contrarium, nempe non posse baptizari inuitis parentibus extra casum necessitatis, tradunt D. Tho. 2. 2. *quæst* 10. *ar.* 12. vbi etiam Caiet. & cœteri Thomistæ. Item 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. Chellison. *ibid.* ver. *dico primo*, Mercer. *Proposit.* 2. Syluius *conclus.* 3. Præposit. *dub.* 1. ver. *Respondeo in casu*. Putean. *dub. vlt. conclus.* 1. Cabrera *disp. vn.* §. 4. Nugn. *difficul.* 2. *conclus.* 2. Isambert. *disp.* 5. *ar.* 4. Gammach. *cap.* 3. ver. *vltima conditio*. Auersa *sect.* 3. ver. *Tertiò deinde* Capr. *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 2. addens nec etiam filios mancipiorum posse inuitis parentibus à dominis baptizari, Durando *dist.* 4. *quæst.* 6. Palud. *dist.* 4. *quæst.* 4. *art.* 3. Sotus *dist.* 5. *quæst. vn. art.* 10. §. *secunda conclus. quæ ad pueros.* Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *num.* 2. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. *ver. Tertio dico* P hiliar. 2. *par. lib.* 1. *cap.* 18. Suarez *disp.* 25. *de sacram. sect.* 3. *concl.* 1. Victoria *Relect. de Indis*: & *de sacr. quæst.* 27. D. Antonin. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 13. §. 6. Riccar. *in* 4. *dist.* 6. *art.* 3. *quæst.* 3. Siluester *verbo*. Baptismus. 4. *quæst.* 4. Tabiena *verbo*. Baptismus. 7. *num.* 11. Armilla. *num.* 57. Naldus. *num.* 6. Coninch. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. *num.* 77. Filliuccius *tract.* 2. *capit.* 6. *quæst.* 8. *num.* 142. Reginal. *lib.* 27. *praxis fori poenit. num.* 68. Vasquez 3. *part. disp.* 155. *cap.* 2. Bartolom. ab Angelo *in Exam. confess. dial.* 2. *de baptis.* §. 31. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Respondeo sextò.* Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. *Dico secundo.* Ochagauia *de sacram. tract. de Baptis. quæst.* 19. *num.* 3. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *de baptis. disp. vn. punc.* 6. *num.* 13. Posseuin. *de offic. cur. cap.* 6. *num.* 20. Fernandez de Heredia *de sacram. punc.* 6. *de baptis. dub.* 7. *num.* 3. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de baptis. diffi cul.* 4. ver. S. *Thomas verò* Mæstr. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *sect.* 5. ver. *Primæ quæstionis partem.* Lorca. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12. *disp.* 37. *memb.* 3. *num.* 19. quitamen

men vult, quod solum iure Ecclesiastico non liceat baptizare. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 4. Fernandez *par.* 3. *Examin. theol. mor. cap.* 2. *de baptis.* §. 6. *num.* 4. Io. à Cruce *part.* 2. *direct. conscien. quæst.* 3. *de baptis. dub.* 8. *conclus.* 2. Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 8. *conclus.* 13. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 23 *conclus.* 3. Vega *par.* 1. *sum. cap.* 33. *de baptis. casu* 17. & *in speculo curat. tit. de baptis.* §. 13. *num.* 107. Murinus *in theol. mor. quæst.* 14. *de baptis. conclus.* 1. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 50. Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 2. Et tenent idem etiam Canonistæ præsertim in *cap. sicut Iudæi de Iudæis, & Saracen.* & Gloss. *in capit. Iudæorum* 18. *quæst.* 1.

6. Et hæc sententia absolutè tenenda est. Et desumitur ex cap. *de Iudæis. dist.* 45. & cap. *sicut Iudæi. de Iudæis, & Saracen.* & cap. *Ad fidem* 25. *quæst.* 5. & *cap. qui syncera vadem dist.* 45. & ex *L. Nemo C. de Iudæis.* Ex quibus textibus habetur, quod nemo debet compelli ad fidem suscipiendam, sed debet spontè venire. Et hi textus habent locum etiam quòad pueros, nam cogerentur ad fidem in parentibus, cum enim voluntas ipsorum contineatur interpretatiuè in voluntate parentum, his coactis, & ipsi cogerentur.

7 Nec dici potest, quod voluntas puerorum de non suscipiendo baptismo, non sit in voluntate parentum, quia non habent talem voluntatem, & si haberent, vellent baptizari ob salutem assequendam; quia, cum nondum sint sui compotes, non habent voluntatem propriam, sed, quia pertinent ad curam parentum, voluntas ipsorum est in voluntate parentum. Et licet voluntas parentum sit ipsis noxia, non per hoc fit, quod talis voluntas non censeatur voluntas filiorum, sicut voluntas Adæ habita est pro voluntate totius generis humani, quia est pater, & caput ipsius, quamuis quisque interrogatus diceret, quod, quantum est de se, noluisset habere talem voluntatem in Adam, nec illam habuisset.

8 Cogerentur etiam ad Fidem indirectè ipsi parentes, nam, vel nè priuarentur patria potestate, & iure, quod habent in filios, vel nè separarentur à filijs, qui ipsi essent subtrahendi iuxta determinationem Concilii *Toletani* 4. vt in cap. *de Iudæis. dist.* 45. & ex cap. *Sæpe* 28. *quæst.* 1. Metus autem alicuius damni præsertim notabilis, qualis est amissio filiorum infert coactionem.

9 Ratio autem est. Quia hoc non posset fieri sine aliqua iurisdictione, qua subtraherentur filii à parentibus, vt possent baptizari, & quæ corrigeret abusum patriæ potestatis. Nulla autem adest huiusmodi iurisdictio, & proinde non possunt cogi, vt baptizentur eorum filij, & corrigatur abusus patriæ potestatis. Quod autem nulla adsit iurisdictio, constat, quia omnis iurisdictio aut est Ecclesiastica, aut sæcularis cap. *Solitæ de maior. & obedien.* Ecclesiastica non se extendit ad parentes infideles, cum nulla iurisdictio se extendat ad non subditos, cum subditi soli claudant terminos, & spheram adæquatam cuiuscunque iurisdictionis, & potestatis. Infideles autem non sunt subditi Ecclesiæ iuxta illud Apostoli 1. Ad Corinth. capit. 3. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt Deus iudicabit.*

10 Iurisdictio autem, & sæcularis potestas non se extendit ad spiritualia, tanquam ad ea, quæ sunt extra spheram, & terminos ipsius, atque tanquam distincta ab Ecclesiastica iurisdictione, non potest se immiscere in actibus ipsius cap. *Bene quidem*, & cap. *Denique*, & cap. *Cum ad verum. dist.* 96. & cap. *Si quis contra aliquem Clericum*, *& sequent.* Authent. *de sanctis Episcop.* Et proinde non se extendit ad ea, quæ concernunt salutem æternam animæ, ergo non potest corrigere abusum patriæ potestatis in ordine ad spiritualia, cum non sit contra ea, quæ sunt intra suam spheram, sed circa spiritualia, & in ordine ad æternam salutem.

11 Confir. Ecclesia nunquam consue-

fuerit baptizare inuitis parentibus eorumdem filios, nec permittere, quod baptizentur; ergo non adest aliquod ius ad eos baptizandos, si quidem, si adesset, saltem aliquando fuisset reductum ad praxim. Consuetudo namque declarat ius *l. Minimè. ff. de legib.* & cap. *cum dilectu. de consuetudine*. Nec dici potest, quod id Ecclesia non faciat ob vitandum incommodum, quod sequeretur, quia parentes infideles possent occidere proprios filios, nè baptizarentur; nam posset occurri etiam huic incommodo vtendo bracchio sæculari, per quod pœna mortis puniret parentes, qui occiderent filios. Nec parentes essent adeo crudeles, quod vellent occidere proprios filios, nè baptizarentur. Et si aliqui occiderent præponderat bonum, quod inde sequeretur, nam præter quam quod saluarentur illæ animæ, paucis annis cessaret tota gentilitas subdita Christianis, & consurgeret nouus populus fidelis, quod esset bonum maximum Ecclesiæ; & etiam reipublicæ.

12 Confir. 2. Si filii infidelium baptizarentur inuitis parentibus, vel remanerent sub ipsorum cura; vel ab ipsis separarentur. Si primum, baptismus esset illicitus, quia ministraretur cum certo, & euidenti periculo apostasiæ à fide, nam pueri instruerentur in falsa religione; vnde committeretur graue sacrilegium. Si secundum, violaretur ius patriæ potestatis, quod de iure naturæ conuenit parentibus retinendi proprios filios sub propria cura, & institutione. Hoc enim ius conuenit parentibus ex vi legis naturalis. §. *Hinc descendit* Instit. *de iure nat. gent. & ciu.* Et proinde de iure naturali tenentur eos alere, & educare, *l. Si quis*. §. *sed & si filios* & §. *deniq. ff. de liber. agnoscen.* Vnde ex hoc iure deducta fuit patria potestas toto tit. *Instit. de patria potestate*. Nec recurri potest ad abusum huius iuris, ita vt in poenam possint ipso priuari, nam recurrit primum argumentum, quod non adsit iurisdictio potens ipsum cohibere. Nec etiam instari, quod posset Ecclesia committere iurisdictionem spiritualem Principi laico, vt coercere posset talem abusum, quia nemo potest committere, aut delegare iurisdictionem alteri, quam non habet; Ecclesia autem non habet talem iurisdictionem, vt constat ex dictis *num. 9.*

13 Ad 1. argum. in oppositum resp. Verum quidem esse, quod in concursu superioris, & inferioris potestatis, debet præferri superior, tanquam illa, quæ præualet, & ideo, qui tenetur obedire, tenetur in tali concursu sequi superiorem potestatem. Attamen non potest ex hoc inferri, quod Ecclesia possit inuitis parentibus baptizare filios, quia Ecclesia non habet præceptum baptizandi eos, qui non consentiunt in baptismum, sed tantum consentientes. Neque oppositum colligitur ex illo Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* nam ex hoc colligitur, quod debeat ad baptismum præcedere consensus baptizandi, vel in propria voluntate, vel in voluntate parentum, quando nondum habent propriam. Si enim prius docendi sunt, quam baptizentur, debent prius acceptare doctrinam euangelicam, & fidem Christi, atque adeo tali pacto consentire in baptismum. Paruuli autem, quia non possunt per propriam voluntatem acceptare euangelium, & fidem Christi, debent antequam baptizentur acceptare per voluntatem parentum. Cessante autem hoc consensu in baptismum cessat etiam præceptum baptizandi: vnde non datur huiusmodi concursus iuris patriæ potestatis, & iuris, seu præcepti diuini.

14 Ad 2. patet responsio ex dictis in probatione resolutionis *num. 9. & 10.* Quia nec princeps, nec Ecclesia habent ius corrigendi abusum patriæ potestatis quoad hoc. Quandò autem dicitur, quod pertinet ad Principem corrigere abusus contra legem naturalem, nihil iuuat; tum quia iste non est abusus contra legem naturalem, sed contra supernaturalem, nam baptismus est de lege supernaturali. Tum quia ad princi-

cipem non ſpectat corrigere omnes abuſus contra legem naturalem, ſed tantum eos, qui concernunt gubernationem ciuilem, & politicam, atque adeo, qui ſunt contra ordinem, & rectam diſpoſitionem ſtatus politici, non autem eos, qui ſunt contra ea, quæ ſunt extra ſpheram ſuæ iuriſdictionis, qualia ſunt ſpiritualia.

15 Ad 3. neg. conſequen. non enim rectè infertur, quod ſi poteſtas patria eleuatur ad ea, quæ concernunt paruulos quò ad ſtatum ſupernaturalem ſtante eleuatione naturæ ad illum ſtatum, debeat etiam eleuari poteſtas principis. Ideo enim eleuatur patria poteſtas, quia non eſt alia patria poteſtas ſuperioris ordinis, cui incumbat cura paruulorum quò ad ſupernaturalia. At adeſt alia ſuperior poteſtas nempe ſpiritualis gubernans homines quò ad ea, quæ concernũt ſtatum ſupernaturalem, inſtituta à Deo, quæ poteſt exercere vim coercitiuam, quando opus eſt, quò ad eos, qui ingreſſi ſunt Eccleſiam. Noluit autem Deus, quod hæc poteſtas ſe extenderet ad eogendos homines ad ſuſcipiendam fidem, quia voluit, quod ſicut ſponte à fide defecerunt, ita etiam ſponte reuertantur. Imo aſſerere, quod poteſtas principis ſæcularis ſit eleuata ad ſupernaturalia eſt aſſerere, quod ſe extendat ad ſpiritualia, & quæ concernunt ſalutem animæ, quod eſt contra ſacros canones cap. *Cum ad verum Miſt.* 96. & alibi paſſim, & eſt deſtruere iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quippe tribueretur etiam laicis ratione talis eleuationis, & immunitatem eccleſiaſticam, quippe ſtante tali eleuatione Princeps ſæcularis poſſet extendere iuriſdictionem ſuam ad res, & perſonas eccleſiaſticas. Vnde meretur illam cenſuram, quam mereretur, qui aſſereret, Principes laicos habere iuriſdictionem circa ſpiritualia, & perſonas Eccleſiaſticas.

16 Ad 4. negat. conſeq. quia eſt diuerſa ratio de patre, qui vult occidere filium, & de eo, qui non vult baptizare. Nam qui vult occidere filium, ipſum conſtituit in extrema neceſſitate corporali, & ipſi infert iniuriam contra iuſtitiam propriè dictam, & machinatur damnum irreparabile, vt dictum eſt, & ideo conſurgit obligatio charitatis ad ſuccurrendum, & auertendum damnum. At qui non vult baptizare, non conſtituit infantem in extrema neceſſitate ſpirituali, nec machinatur irreparabile damuum, quia poterit paruulus, cum adoleuerit, ſibi prouidere. Imo nec vllam illi infert iniuriam, cum non priuet ipſum aliquo iure, nec vult inferre mortem ſpiritualem, ſed relinquit in illo ſtatu mortis ſpiritualis, qui ipſi conuenit ratione natiuitatis ex propria culpa originali.

17 Ad 5. diſtinguitur conſequens poſſunt ſubtrahi filii à cura parentum, ſi malè ab ipſis educentur quòad illam educationem, quæ concernit ſtatum ciuilem, & politicum, quia tunc Princeps non extenderet iuriſdictionem extra propriam ſphæram, ſiquidem omnia, quæ concernunt optimum ſtatum politicum, & ciuilem; ſunt ſub illius iuriſdictione. At ea quæ concernunt ſtatum ſpiritualem animæ, & ipſius ſalutem æternam, non ſunt ſub eius iuriſdictione, & ideo non poteſt ſe immiſcere in ipſis, atque adeo nec in educatione, quæ concernit talem ſtatum. Ex quibus etiam remanet ſolutum ſextum argumentum, nam ſi pater doceret filium artes illicitas, peccaret contra politicam ciuilem, & damnificaret rempublicam quòad ſtatum politicum; & ideo poſſet corrigi à Principe, quia exceſſus eſſet intra ſpherum ſuæ iuriſdictionis; at non batizando non peccat contra politiam ciuilem quia ſolum facit contra præceptum fidei ſuſcipiendæ, & ideo exceſſus eſt extra ſpherum iuriſdictionis politicæ.

18 Quod autem ſpectat ad alteram partem difficultatis, an vrgente periculo mortis poſſint paruuli inuitis parentibus baptizari, affirmatiuè reſponden. eſt, vt communiter docent. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. vn. ar.* 10. *in fine.* Arragon. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 2. *circa fin.*

Azor.

Azot. *par.* 1. *sum. lib.* 8. *cap.* 25. *dub.* 10. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *num.* 2. Suarez *disp.* 25. *de sacram. sect.* 3. *corol.* 1. Acosta *lib.* 6. *de Indor. salute cap.* 3. *in fine*. asserens, ita decretum fuisse in Concilio Limensi *Constit.* 27. Zambran *in suis decis. cap.* 1. *de Baptis. dub.* 11. *num.* 5. Posseuin. *de offic.* Curati. *cap.* 6. *num.* 20. Lorca 2. 2. *quæst.* 10. *art* 12. *disp.* 37. *memb.* 3. *num.* 15. D. Antonin. 3. *part. tit.* 12. *capit.* 2. §. *vlt.* Vasquez 3. *par. disp.* 155. *cap.* 3. Chellison. *quæst.* 68. *art.* 10. ver. *dico secundo* Putean. *dub.* 2. ver. *Instabis.* Mercerus *Proposit.* 1. ver. *Notandum tamen*. Præposit. *dub.* 1. ver. *petes secundo.* Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 53. *dub.* 1. Cabrera 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *num.* 57. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *de baptis. sect.* 5. ver. *Ex hoc eodem*. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. ver. *Tertiò dico* Philiar. *par.* 2. *de offic. sacer. lib.* 1. *cap.* 18. Filliuc. *tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 144. Naldus *verbo*. Baptismus. *num.* 6. Coninch. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *num.* 77. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Respondeo tertiò*. Granad. 3. *par. controuer.* 4. *tract.* 4. *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 19. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo*. Baptismus *num.* 5. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. *dixi autem.* Bauni *tom.* 1. *theol. moral. tra.* 2. *de baptis. quæst.* 27. *asser.* 3. Lambert. 3. *par. quæst.* 6. *disp.* 5. *art.* 3. *propos.* 6. Ochagauia *de sacram. quæst.* 19. *de Baptis. num.* 4. Gaspar, Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de Baptis. difficul.* 4. ver. *Obseruandum tamen*, & alii ex supra citatis pro secunda sententia. Aduertunt tamen plures ex citatis Doctoribus, quod periculum mortis debet esse moraliter irreparabile. In quo tamen cum agatur de fauore animæ non est ita strictè procedendum, sed sufficit, si probabiliter credatur salus desperata.

19 Ratio autem est, quia licet ius patriæ potestatis, ratione cuius de lege naturali, cura, & educatio filiorum pertinet ad parentes, non extinguatur, donec expiret vita filiorum, imo duret etiam post mortem, quousque corpus tradatur sepulturæ, quoad eos effectus, quorum sunt capaces filii mortui; vnde possunt parentes filiis impuberibus eligere sepulturam, vt dixi *in decis. moral. lib. decis.... num....* Attamen tale ius non obstat, quo minus in tali casu baptizari possint, quia, cum filii sint in extrema necessitate spirituali, vrget præceptum charitatis ad subueniendum; vnde, si parentes negligant subuenire, etiam si id faciant ex ignorantia, potest quilibet alius subuenire, quia non est inferenda iniuria parentibus, cum non sint subtrahendi filii ab ipsorum cura. Imo dato, quod obstaret ius patriæ potestatis, in tali casu cederet, & proinde possent subtrahi filii, si opus esset, à patria potestate. Quia ex vna parte concurreret ius charitatis, & ius infantis ad æternam salutem, & ius patriæ potestatis, hoc autem deberet cedere, tum quia esset contra ius superioris ordinis, nisi cederet, tum quia quatenus tenderet contra charitatem impediendo subuentionem paruuli, non esset ius, sed abusus iuris.

20 Hoc limitant Doctores plures ex citatis *num.* 18. præsertim Præposit. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *dub.* 1. *in fine.* vt habeat locum tunc solum, quando id potest fieri sine scandalo, & absque violentia. Verum hæc limitatio non mihi videtur subsistere, vt notant etiam Vasquez 3. *par. disp.* 155. *cap.* 3. *num.* 27. Ochagauia *de sacram. tract de Baptis. quæst.* 19. *num.* 4. Gaspar Hurtad. *disp.* 3. *de Baptis. difficul.* 4. ver. *Obseruandum tamen* Mærat. 3. *par. disp.* 6. *de baptis. sect.* 5. ver. *Nec dicas* nam cum baptizare infantem in tali casu sit opus charitatis, scandalum, quod inde sumetent parentes, & alij infideles, esset scandalum passiuum, & Pharisaicum, & ideo contemnendum. Quis enim diceret, quod constituto aliquo in extrema necessitate corporali non liceret subuenire, si inde aliqui sumpturi essent occasionem scandali? Quod autem spectat ad vim, quamuis non posset adhiberi à priuata persona, vt notat Coninch.

ineh. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *num.* 77. Vasquez *disp.* 155. *cap.* 3. *num.* 26. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tra.* 19. *disp. vn. punc.* 6. *num.* 16. quia tanquam effectus virtutis coercitiuæ potest tantum prouenire ab auctoritate publica, possent tamen auctoritate publica inhiberi, & cogi parentes, vt filios baptizandos exhiberent.

21 Ex quibus colligitur cum Præposito 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. *dub.* 2. *num.* 50. ver. *Ex dictis.* Episcopum, qui simul habet iurisdictionem temporalem, si habeat subditos infideles, non posse cogere parentes, vt eos offerant baptizandos, nec iis inuitis baptizare. Si quidem non habet quò ad temporalitatem maiorem iurisdictionem, quam habeat Princeps laicus. Nec iurisdictio temporalis iuncta cum spirituali facit, quod in fideles subiiciantur iurisdictioni spirituali, quia permanent impermixtæ.

An, si filij non habentes vsum rationis iure, vel iniuria sint subthracti à parentibus, possint baptizari in periculo mortis. Quæst. 48.

S V M M A.

1 *Filij infidelium quocunque modo abstrhacti à parentibus possint baptizari, siue in periculo mortis, siue extra ipsum, si non sint amplius restituendi.*

2 *Quia cessant causæ impedientes baptismum.*

3 *Quid si essent restituendi, & essent in periculo mortis?*

1 Communiter docent, posse absolutè baptizari, etiam si nullum adsit periculum mortis, dummodo tamen non sint amplius restituendi parentibus, aut saltem moraliter impossibile sit, quod restituantur, vel quia ignorentur, vel quia valdè longè distent, vel ex aliquo alio capite. Ita Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 25. *num.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vn. art.* 10. §. *censere hanc autem* Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 4. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. *secundò, si infans*. Vasquez 3. *part. disp.* 155. *cap.* 3. *num.* 29. Mercer. *quæst.* 68. *ar.* 10. *propos.* 1. ver. *Notandum secundo*, Syluius *conclus.* 5. Isambert. *disp.* 5. *art.* 3. *propos.* 5. Cabrera *conclus.* 3. *numer.* 27. Valentia *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. ver. *secundo dico*. Caiet. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. Coninch. *num.* 77. Suarez *disp.* 25. *de sacram. sect.* 4. ver. *Secundò est certum.* Palaus *par.* 4. *tract.* 19. *disp. vn. punc.* 6. *num.* 17. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *de baptis. sect.* 5. ver. *Alterum est*. Fernadez de Hered. *de sacram. par.* 7. *de Baptis. dub.* 3. *numer.* 8. Ochagauia *de sacramen. quæst.* 19. *de baptis. num.* 6. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de baptis. difficul.* 4. ver. *Ex dictis* Præposit. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. *dub.* 1. *num.* 8. Bartholom. ab Angel. *in exam. confess. dial.* 2. *de Baptis.* §. 29. Posseuin. *de offic. Curati cap.* 6. *num.* 20.

2 Ratio autem est, quia quando ita sunt separati à parentibus, vt moraliter loquendo non sint iis amplius restituendi, cessant causæ, ob quas est illicitum eos baptizare. Nam non sunt subtrahendi à cura parentum, & violandum ius paternum, si quidem iam sunt abstracti; nec adest periculum Apostasiæ ex institutione paterna, quia cum non sint amplius restituendi, educabuntur in fide catholica. Nec est corrigendus abusus patriæ potestatis, quia licet parentes retineant ius ad proprios filios, si iniuria sint ablati; hoc tamen ius est remotum, nec exercetur, & ideo non adest aliquis abusus, qui sit corrigendus, cum abusus solum possit locum habere in vsu iuris. Et aliàs sunt necessario sub alicuius cura, qui succedit loco parentum, si quidem cuique infanti de iure naturali, saltem charitatis, est debita talis cura, & proinde consentiente ip-

so poterit baptizari. Imo si sit sub cura alicuius fidelis, poterit ab Ecclesia compelli, vt faciat baptizari.

3 Quod si filii infidelium à parentibus abstracti, essent in periculo mortis, non solum possent baptizari, si moraliter loquendo non essent amplius parentibus restituendi, sed etiam si restituendi essent. In hoc enim casu ageretur de periculo æternæ damnationis, & infantes, seu paruuli essent constituti in graui necessitate spirituali; vnde ex vna parte concurreret ius, quod haberent paruuli ad subueniri, & ex alia ius patriæ potestatis; quia autem patria potestas est in ordine ad commodum filiorum, substentationem, educationem, & alia huismodi, ideo non potest, manendo intra limites rationis, impedire ea, quæ tendunt ad salutem ipsorum, siue corporalem, siue spiritualem, & ideo stante tali necessitate filiorum, dum non possunt ipsi iis sebuenire, non potest ius patriæ potestatis impedire, quod alii, qui possunt, non subueniant, & ideo in tali casu cessat, & dat locum subuentioni. Et quia paruulus baptizatus non debet exponi periculo apostatandi à fide, ideo per accidens soluitur ius repetendi filios, atque adeo etiam cessat obligatio restituendi.

An filij infidelium in bello capti possint urgente periculo baptizari absque consensu parentum.

Quæst. 49.

S V M M A.

1 *Filij infidelium in bello capti an possint baptizari.*
2 *Possunt filij infidelium bello capti redigi in seruitutem.*
3 *Filij infidelium in bello capti extra periculum mortis non possunt baptizari.*
4 *Bello captus potest de iure gentium redimi.*
5 *Filij infidelium in bello capti possunt in periculo mortis baptizari.*
6 *Seruitus in bello captorum non extinguit ius patria potestati.*
7 *Venditio in bello captorum non est contra ius, quod habent, vt possint redimi.*
8 *Turcæ cogentes apostatare in bello captos violant ius gentium.*
8 *Vindicta non est concessa personæ priuatæ.*
8 *Quomodo damna à Turcis nobis illata possint compensari.*

---

1 Difficultas non habet locum, quando moraliter est certum, quod non erunt restituendi, nam de hoc dictum est in *præcedenti quæst.* sed, an possint baptizari ex eo, quod in bello iusto sunt capti, ita vt ex hoc præcisè habeatur iustus titulus baptizandi. Et partem affirmatiuam tenent, non solum in periculo mortis, sed etiam absolutè Duran. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 6. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 25. *num.* 8. Coninch. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *dub. vn. num.* 87. Suarez 3. *par. disp.* 25. *de sacram. sect.* 4. *in fine.* Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *capit.* 6. *num.* 12. ver. *Porro eadem.* Vasquez 3. *part. disp.* 155. *cap.* 7. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Nomine seruorum* Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *sect.* 5. ver. *Tertium est.* Cabr. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. §. 6. *num.* 28. ver. *Imo crediderim.* Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. ver. *Sexto dico.* Auersa 3. *part. quæst.* 68. *sect.* 3. ver. *Quintò demum.*

2 Fundamentum huius sententiæ est, quia ratione iusti belli possunt infideles in seruitutem redigi, & consequenter possunt priuari iure patriæ potestatis, ergo poterunt baptizari eorum filii ipsis inuitis tanquam priuatis patria potestate. Confir. Filii infidelium capti iusto bello possunt aliis vendi, & transferri in regionem longinquam, ita vt præcidatur omnis spes parentibus eos recuperandi: ergo poterunt etiam baptizari. Confir. 2. Infideles, vt Turcæ cogunt captiuos apostatare à fide, & plura alia damna tanquam hostes nobis infe-

ſe unt, ergo in compenſationem poterunt parentes priuari iure patriæ poteſtatis, & baptizari ipſorum filii in bello capti. Addunt tamen nonnulli ex citatis *Doctoribus*, vt Henriquez, Suarez, Coninch. Laiman, id non ſemper expedire ob vitanda grauia incommoda, quæ ex hoc ſequerentur, præſertim quia præcideretur ſpes redimendi captiuos chriſtianos, quos apud ſe detinent.

3 Secunda ſententia tenet, quod non poſſint baptizari licitè. Ita Caiet. *3. par. quæſt.* 68. *ar.* 10. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. vn. art.* 10. Fernandez de Heredia *de ſacram. par.* 7. *de Baptiſmo. dub.* 3. *num.* 10. Syluius 3. *part. quæſt.* 68. *ar.* 10. *concluſ.* 7. ver. *Quæritur autem.* Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *ſum. quæſt.* 2. *de Baptiſ. art.* 2. *dub.* 5. *concluſ.* 5. Et hæc ſententia tanquam probabilior tenenda eſt.

4 Ratio autem eſt, quia cum ſint captiui iure belli, parentes ipſorum de iure gentium habent ius ad eos redimendos. Ius enim gentium inter alia, quæ introduxit, hoc quoque introduxit omnium nationum conſenſu confirmatum, quod capti in bello poſſint redimi. Stante autem hoc iure ad redemptionem durat etiam ius patriæ poteſtatis, quo priuari parentes non poſſunt, quo, ſi priuarentur, priuarentur etiam iure redimendi, ergo ſi eorum filij captiui baptizarentur, quia baptizati non poſſent amplius reſtitui, parentes priuarentur tam iure patriæ poteſtatis, quam iure redimendi, quod ſine graui iniuria ipſorum fieri non poteſt.

5 Quare conſeruandi ſunt paruuli, quandiu perueniant ad vſum rationis, & tunc perſuadendi ad fidem chriſtianam ſuſcipiendam. Si tamen interim contingat, quod conſtituantur in articulo, aut periculo mortis, poterunt baptizari. Quia tunc ceſſat tam ius patriæ poteſtatis, quam ius gentium redimendi, eò quod hæc iura ſunt in fauorem paruulorum, nam ordinantur ad ipſorum conſeruationem, & libertatem fruendam; & ideo parentes non poſſunt vti tali iure in perniciem filiorum; cum ergo, quando ſunt in articulo, & periculo mortis, ſint in extrema neceſſitate ſpirituali, non poſſunt hæc iura impedire ſubuentionem exhibendam mediante baptiſmo, aliàs tenderent in perniciem paruulorum.

6 Ad primum reſp. quod, licet paruuli in iuſto bello capti, poſſint redigi in ſeruitutem, quia tamen ſeruitus debet eſſe talis, vt non excludat facultatem redemptionis, ſtante iure gentium, quod ipſis concedit poſſe redimi, quo non poſſunt priuari, ideò debet eſſe ſeruitus talis, quæ licet impediat ius patriæ poteſtatis, non tamen extinguat, nam ſtante iure ad redimendum parentes retinent ſemper illud ſpeciale dominium, quod habent ad proprios filios, quod licet non ſit dominium in re, eſt tamen dominium ad rem.

7 Ad 1. confir. neg. conſequen. quia per id, quod venduntur, & transferuntur in regionem longinquam, non fit aliquid contra ius redemptionis, neque contra patriam poteſtatem, cum hoc non impediat, quod poſſint redimi, ſed vtitur vendens iure ſuo, ideo nulli facit iniuriam; quod ſi ex longinquitate regionis occurrat, quod redemptio fiat moraliter impoſſibilis, eſt per accidens conſequens ex actione licita. At ſi baptizarentur redderentur per ſe inhabiles, vt poſſent parentibus reſtitui, & ideo læderetur ius gentium, & ius patriæ poteſtatis.

8 Ad 2. Confir. negat. ſimiliter conſequent. Quia Turcæ, & infideles cogentes apoſtatare Chriſtianos, non id faciunt auctoritate publica, ſed priuata, & ideo peccant contra ius gentium, quia quandiu ius gentium manutenetur in ſuo robore auctoritate publica, non licet contra ipſum priuatis perſonis operari, nec ſi quis violat iuſtitiam mihi inferendo iniuriam, poſſum ego viciſſim ei inferre iniuriam, nam hoc eſſet viciſſi iniuriam, quod priuatæ perſonæ non eſt licitum *l. Extat. ff. quod metus cauſa, & toto tit. C. quando liceat vnicuique ſine iud. vind. & toto tit. C. Ne quis*

in sua can. iud. Vnde aut publicè renunciandum esset iuri gentium de redemptione, aut illud semper seruandum est. Quod autem Turcæ inferant alia damna, cum hæc sint ex illo genere, quæ in bello permittuntur, possunt solum compensari per ea, quæ iure belli permissa sunt, non autem per ea, quæ sunt contra ius belli, & contra ius gentium, quale est reddere inhabiles captiuos, vt possint redimi.

An liceat furari filios infidelium, vt baptizentur, præsertim vrgente periculo mortis. Quæst. 50.

SVMMA.

1 *Absolutè esse licitum etiam extra periculum mortis, qui doceant.*
2 *Opinio reyeitur.*
2 *Quando possit auferri res aliena.*
3 *Opinio affirmatiua, si sint ante vsum rationis.*
4 *Ami possunt, vt baptizentur.*

1 Absolutè esse licitum etiam extra periculum mortis docet Villalobos *part. 1. sum. tract. 5. difficul. 15. num. 6.* qui citat quemdam Gasparem Vzedum idem tradentem *in suis manoscriptis.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. quæst. 2. de Baptis, art. 2. dub. 2. conclus. 2. in resp. ad obiect.* Volunt tamen, quod hoc fiat cum animo compensandi damnum, quod infertur, dum parentes priuantur patria potestate. Fundamentum huius sententiæ, est quia quando non adest aliud medium pro salute spirituali proximi, nisi auferendo ab ipso aliquid temporale, potest auferri cum animo compensandi, nam in tali casu dominus esset irrationabiliter inuitus, quod etiam est licitum in graui periculo vitæ temporalis, vt si quis non posset vitam saluare, nisi auferret equum alienum pro fuga, ergo pro vitanda morte filii spirituali, poterunt parentes priuari patria potestate, furando ab eis filios, cum animo recompensandi.

2 Verum hæc opinio est reijcienda tanquam falsa. Ratio est quia tunc solum potest auferri res aliena, quando concurrunt eæ circumstantiæ, quæ dant ius ad auferendam, quia stante tali iure, nisi dominus contentus esset, haberetur pro irrationabiliter inuito. At in nostro casu non adest ius priuandi parentes patria potestate. Quia ius auferendi rem alienam tunc tantum consurgit, quando ex parte auferentis, aut ex parte illius, pro quo aufertur, est in tali necessitate, vt ipsa indigeat, & ratione indigentiæ teneatur possessor subuenire, hoc autem non habet locum in præsenti casu, quia neque furans filios, neque filii furati indigent iure patriæ potestatis, cum non sint dicti filii neque in extrema, neque in graui necessitate baptismi, cum possit differri, & expectari, quod perueniant ad vsum rationis, in quo sui compotes possint sibi prouidere. Vnde furari hos filios infidelium ob finem baptismi, esset verum furtum contra iustitiam, quia esset absque necessitate, & esset facere mala, vt eueniant bona, contra regulam Apostoli ad Rom. 3.

3 Ex hoc tamen sequitur. Quod si filii infedelium ante vsum rationis sint in periculo mortis, tunc liceat eos furari, vt baptizentur. Ratio autem est, quia tunc sunt constituti aut in extrema, aut saltem in graui necessitate, cui parentes tenentur subuenire; & ideo cum negligant subuenire, subintrat ius aliorum ad subueniendum, cum autem pro obtinenda tali subuentione necessaria indigeant subtractione à cura parentum, possunt licitè subtrahi, & sicuti ipsi possent se subtrahere, si haberent vsum rationis, ita etiam potest alius ratione charitatis vti in fauorem ipsorum illo iure, quod ipsis competit. Nec in tali casu facienda esset aliqua compensatio, quia non fieret aliqua iniuria parenti-

bus

bus eò, quod cum habeant paruuli ius ad subueniri, habent etiam ius, vt possint subtrahi parentibus, quia hi decidunt à iure patriæ potestatis, cum noline filios ab illa neccessitate subleuare.

4 Ex dictis autem colligitur, quod filii infidelium emi poterunt, si parentes parati sint vendere, & baptizari, atque in christiana religione institui, vt notat etiam Palat. *in 4. dist. 4. disp. 5. S. Rursum huiusmodi* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. tract. de baptis. quæst. 2. art. 2. dub. 5. conclus. 4.* Eo ipso namque, quod parentes consentiunt in venditionem, abdicant à se ius patriæ potestatis, & cura talium paruulorum transit in emptorem; & ideo ad ipsum spectabit institutio paruuli in Christiana religione. An autem licitum sit emere, si alter ex parentibus consentiat in venditionem, alter verò dissentiat. Resp. negatiuè, quia cum emptio, & venditio sit actio ciuilis, non habet locum fauor fidei; & proinde debet talis actus considerari tanquam merè ciuilis, quamuis emptor illam ordinet ad fauorem fidei, siquidem talis ordinatio est ex fine emptoris, non autem ex fine actionis; Cum autem filius sit tàm sub iure vnius, quàm alterius parentis, non sufficit consensus vnius, vt subtrahatur etiam à iure alterius.

Quid faciendum, quando dubitatur, an filij infidelium habeant vsum rationis, & an sint in vero periculo mortis, & petunt baptizari. Quæst. 50.

S V M M A

1 *Capax peccati est sui iuris in ordine ad ea, quæ pertinent ad salutem.*
2 *Prima sententia negans affertur.*
3 *Affertur fundamentum.*
4 *Secunda sententia affirmans.*
5 *Probatur, & num. 6.*
7 *Quid si dubium sit de puero, & velint parentes, & ipse nolit.*
8 *Quid si consensus sit dubius.*
9 *Fundamenta opposita reijciuntur. num. 10. & 11.*

1 Quod filij infidelium inuitis parentibus possint baptizari, si sint constituti in periculo mortis, constat ex supradictis. Similiter etiam quod baptizari possint, si peruenerint ad vsum rationis, & petant baptizari est omnino certum, & ita cum D. Th. *3. par. quæst. 68. art. 10.* communiter docent Caiet. *ibid.* Syluius *conclus. vlt.* Chelisson. *init. art.* Coninch. *ibid.* Præposit. ver. *Prior est.* Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 2. cap 6. num. 10.* ver. *Quarto si puerum* Lorca. *2. 2. quæst. 10. ar. 12. disp. 37. memb. 1. init.* Sà *verbo.* Baptismus. *num. 11.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 25. num. 3.* Suarez *disp. 25. de sacram. sect. 3.* Tolet. *lib. 2. sum. cap. 21. num. 2.* Filliuc. *tract. 2. cap. 6. num. 134.* Bonac. *disp. 2. de sacram. quæst. 2. punc. 6. num. 2.* ver. *Respondeo primo.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 6. de baptis. sect. 5. init.* Vasquez *3. par. disp. 155. cap. 1. init.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 6. num. 5.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 3. de Baptis. difficul. 4.* ver. *Obseruandum est tertiò.* Statim namque ac aliquis peruenit ad vsum rationis, ita vt sit capax peccati, est sui iuris in ordine ad ea, quæ pertinent ad salutem animæ, & tenetur se ex proprio motu ordinare in finem supernaturalem, atque adeo habet etiam præceptum suscipiendi fidem, & proinde potest in hoc sibi prouidere, & saluti propriæ consulere.

2 Quod si dubium sit, an peruenerint ad vsum rationis. Prima sententia tenet, quod debeat differri baptismus, quousque certum sit, quod peruenerint ad vsum rationis, nisi tamen vrgeat periculum, quod moriatur absque baptismo. Ita Heriquez *lib. 2. sum. capit. 25.*

25. *num.* 3. Naldus verbo. Baptismus *num.*6. Chamerota *de bapt is. cap.* 5. *dub.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de sacramen. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Si dubitetur*. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *sect.* 7. ver. *At si dubitatio*. Ochagauia *de sacram. quæst.* 19. *de baptis. num.* 9. Suarez *disp.* 25. *de sacram. sect.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 155. *cap.* 3. *num.* 36. Coninch. *quæst.* 68. *art.* 10. *num.* 61. Gaspar. Hurtad. *disp.* 3. *de baptis. difficul.* 4. ver. *Vasquez verò*. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 6. *num.* 6. Laiman. *lib.* 1. *theol. mor. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 41. Lorca 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12. *disp.* 37. *num.* 17. Præposit. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *dub.* 1. *num.* 45. Chellison. ver. *Notandum*.

3 Fundamentum huius sententiæ est, quod *In dubiis melior est conditio possidentis*, vnde cum parentes sint in possessione, quandiu dubim est de vsu rationis filii, non poterit baptizari, aliàs fieret contra ius patriæ potestaris. Deinde in differendo baptismo nullum est periculum, & è contra si baptizetur, adest periculum peruersionis, si puer relinquatur apud parentes, ergo non poterit licitè baptizari ob periculum peruersionis. Addi etiam potest, quod apud parentes ius patriæ potestatis est certum, ex parte autem infantis ius petendi baptismum incertum, quia fundatur in eo, quod sit sui iuris, & habeat vsum rationis, quod est dubium concurrente autem iure certo cum incerto, debet præferri ius certum...

4 Secunda sententia tenet absolutè, quod non obstante dubietate possint baptizari. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vn. art.* 10. §. *Sed alterum dubium est*. Bartholom. ab Angelo *in Exam. Confes. Dialogo* 2. *de Baptis.* §. 33. ver. *Quia verò*. Fernandez de Hered. *par.* 7. *de Baptis. dub.* 3. *num.* 6. ver. *Vbi autem*. Quia inquiunt debet præualere fauor fidei in dubio fauori parentum.

5 Hæc posterior sententia est tenenda, & mihi videtur probabilior. Ratio autem est, quia, quando dubitatur, an puer habeat vsum rationis, dubium non potest esse negatiuum, quia si non appareret aliquod motiuum iudicandi, quod ipsum haberet, positiuè esset certum, quod non haberet, quia adessent omnia contraria signa. Vnde dubium erit positiuum, ita vt adsint motiua, ex quibus inferatur habere, & etiam motiua, ex quibus inferatur, non habere, vnde vtraque pars erit probabilis ratione sui motiui, & proinde poterit intellectus formare iudicium probabile, seu opinionem probabilem, quod adsit vsus rationis, ergo cum liceat sequi opinionem probabilem relicta etiam probabiliori, vt cum pluribus confirmaui *in decis. moralib*... stante prædicto dubio erit licitum ministrare baptismum. Quod etiam habet locum, etiam si probabilius esset, non adesse vsum rationis, quia licet possit iudex sequi opinionem minus probabilē ex parte facti; attamen est diuersa ratio in hoc casu, quia, vt puer subtrahatur quòad hoc patriæ potestati, sufficit si ita sit compos sui, vt possit sibi prouideri quòad ea, quæ concernunt salutem, nec aliud ius requiritur ex parte ipsius. Quod autem sit tali modo compos sui, satis ostendit, dum petit baptizari.

6 Et hoc à fortiori habet locum, si concurrat periculum mortis, quamuis dubium; nam tunc augetur ius pueri, quod habet ad baptizari, & fauet ipsi charitas, quæ est impendenda proximo. Imo etiam si adesset solum periculum mortis dubium, quamuis non constaret nec probabiliter de vsu rationis, posset baptizari, quia non posset obstare ius patriæ potestatis, cum non possit impedire, ne subueniatur filiis constitutis in necessitate; talis autem puer, stante probabili periculo mortis, quamuis dubio, esset in probabili extrema necessitate, & ideo ipsi subueniri posset, sequendo probabile iudicium, seu opinionem de tali necessitate.

7 An autem si esset dubium, an puer haberet vsum rationis, & parentes vellent baptizari, & ipse renitceret, esset baptizandus, resp. negatiuè, vt notant etiam Vasquez, Coninch. Hurtad. Ochaga-

gauia, Lorca, & alii ex citatis supra *numer.* 2. Nam in tali casu sacramentum exponeretur periculo inualiditatis. Cum enim ad validitatem requiratur subiectum capax, & adultus non sit capax baptismi, nisi consentiat, dum est dubium, an puer habeat vsum rationis, stante renitentia est dubium, an sit capax, quia non esset capax ob renitentiam si esset sui compos, vnde cum capacitas ipsius sit dubia, non potest sine irreuerentia ministrari baptismus extra casum necessitatis, vrgente tamen necessitate ministrari posset sub conditione; vt de similibus casibus dictum est in superioribus.

8 An autem, si ex aliquibus signis appareret, quod consentiret, ex alijs verò, quod non consentiret, ita vt etiam consensus esset dubius, esset baptizandus, affirmat Sotus & Chellison. supra *num.* 4. *citati*. Sed negat Heredia *ibid.* citat. & rectius, quia stante dubietate consensus simul cum dubio de vsu rationis, adhuc capacitas subiecti remanet dubia, non possumus autem extra casum necessitatis ministrare sacramenta cum aliquo ex essentialibus dubio, capacitas autem subiecti est essentialis sacramento. Vnde solum vrgente necessitate posset ministrari sub conditione, vt dictum est *numer. praecedenti*.

9 Ad 1. argum. oppositæ sent. resp. Quod regula illa, *In dubiis melior est conditio possidentis*, valet tantum in dubio negatiuo, non autem in positiuo, quia quando dubium est negatiuum, cum non adsit motiuum iudicandi, neque in fauorem vnius, neque in fauorem alterius partis, ipsa possessio inseruit pro motiuo in fauorem possidentis. Et ita explicant Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 41. *num.* 3. & *lib.* 1. *in decal. cap.* 9. *num.* 53. Vasquez 1. 2. *disp.* 63. *in fine.* Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 1. *difficul.* 5. *num.* 3. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 54. ver. *Nec obstat*. Deinde, vt locum habeat, requiritur etiam, quod possessio sit certa, & dubium sit de aliquo alio, nempe de iure possidendi, quod non adest in casu præsenti, nam possessio parentum non est certa, si quidem eo ipso, quod filius acquirit vsum rationis, sicuti fit sui iuris quoàd ea, quæ concernunt salutem animæ, ita etiam quoad hoc desinit ius patriæ potestatis, & possessio. Et ideo, eo ipso quoque, quod acquisitio vsus rationis est dubia, fit etiam dubium ius dictum, & dicta possessio.

10 Ad 2. licet in dilatione baptismi nullum sit periculum, non tamen ex hoc fit, quod debeat differri. Quod autem adsit periculum peruersionis, si baptizetur, & relinquatur sub cura parentum, idem etiam periculum aderit, si baptizetur, quando certum erit, quod habebit vsū rationis, & reliquantur sub cura parentum. Vnde sicuti in hoc casu esset ab ipsis subtrahendus ob vitandum hoc periculum, ita etiam quando baptizaretur cum dubietate de vsu rationis.

11 Ad 3. negandum est ius parentum esse certum, quod habent ratione patriæ potestatis, nam cum ius patriæ potestatis in ordine ad salutem spiritualem filiorum, & ius ipsorum in ordine ad sibi prouidendum de necessarijs pro illa acquirenda, se inuicem elidant, ita vt sucedente vno, cesset alterum, saltem quatenus illi contrarium, fit, quod quantum iuris acquiritur filiis, tantum detrahatur patri. Vnde cum filius stante probabili vsu rationis acquirat ius probabile ad sibi prouidendum pro salute spirituali, & se subtrahendum à patria potestate, si parentes nolint concurrere ad eamdem prouisionem, non potest in parentibus remanere ius certum, sed ad summum remanebit ius probabile, quia ius certum excluderet omne ius ex parte filiorum. Concurrente autem iure tantum probabili ex vtraque parte, debet præferri ius filij, tanquam illud, quod continet fauorem animæ præsertim in concursu illius, quod exercetur in detrimentum animæ, dum impedit media necessaria pro ipsa assequenda.

An

Quomodo iudicandum sit de vsu rationis in ordine ad baptizandos filios infidelium, quando periculum est dubium. Quæst. 52.

SVMMA.

1 *Expleto septennio quilibet censendus est habere vsum rationis.*
2 *Cur septennium assignetur pro capacitate vsus rationis.*
3 *Signa ex quibus colligitur vsus rationis. & n. 4.*
5 *Quomodo signa accipienda.*

1 TAmquam certa regula tenenda est, quod expleto septennio quilibet censeatur habere vsum rationis, ita vt adsit præsumptio pro ipso, nisi contrarium probetur. Ita communiter præsertim Abbas *in capit. omnis. num.* 9. *de poenit. & in cap.* 1. *num.* 4. *de delict. puerorum*. Quintilian. Mandos. *de ætate min. cap.* 4. *num.* 2. Gutierez. *de matrim. capit.* 2. *num.* 1. ver. *septennium* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *ar.* 3. *in fine*. Henriquez *lib.* 4. *sum. cap.* 5. *num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 16. *num.* 2. *&* 10. *& lib.* 6. *in decal. cap.* 15. *num.* 7. Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 4. Narbona *in Annalib.* ver. *anno* 7. *quæst.* 2. *num.* 7. Bonac. *de matrim. quæst.* 1. *punc.* 4. *propos.* 1. *num.* 1.

2 Ratio autem, quia communiter in illo tempore, tam in masculis, quam in fœminis apparent signa sufficientia, quod sciant discernere inter bonum, & malum, si non perfectè, cum ad hoc requiratur perfectum iudicium, saltem sufficienter, vt possint prosequi bonum, & fugere malum, quod satis est, vt vsus rationis incepisse præsumatur. Et proinde ætas septennij communiter assignatur pro tempore habili ad contrahenda sponsalia, & decernitur *in cap. Litteras de desponsat. impub.*

3 Quia tamen vsus rationis aliquando in aliquibus anticipat, in alijs verò postponit, cum non possit haberi præsumptio ex ætate, recurrendum est ad signa, ex quibus innotescere potest. Et præcipuum signum est videre, an puer valeat discernere inter bonum, & malum; non sufficit tamen, quod hæc discretio, vt vult Zambran. *in decis. cap.* 4. *dub.* 3. *numer.* 1. ver. *Primum signum*, colligatur ex eo, quod interrogatus, an aliquid sit bonum, an malum, affirmatiuè, vel negatiuè respondeat iuxta exigentiam interrogationis, quia potest fieri, quod ita respondeat edoctus ab aliis absque eo, quod percipiat bonum, & malum, sed oportet, quod appareat, eum respondere cordato modo, & ex proprio sensu, ita vt cognoscatur eleuari ad iudicandum de rebus supra impressionem sensuum, quam ex sensibilibus percipiunt, quia si sequeretur impressionem sensuum, ratio adhuc esset alligata parti sensitiuæ, nec haberet vsum sui ipsius, sed traheretur à sensibus. Et hoc est procedere cordato modo in suis operationibus; & ideo hoc non importat signum distinctum, vt vult Zambran. *citat.* nã procedere cordato modo non est, quod ratio se eleuet supra sensus, & faciat, quod operationes procedant ex sensu proprij cordis.

4 Ex hoc autem signo sequitur aliud signum, nempe, quod sciat de rebus iudicare secundum esse intelligibile, & non sistat in pura sensibilitate ipsarum. Ex hoc enim colligitur, quod ratio non sit subdita impressioni sensitiuæ, sed sit sui iuris, & possit ex seipso dirigere voluntatem, & facere, quod ex propria deliberatione procedat. Ex vtroque autem sequitur tertium signum, nempe erubescentia de malo. Si enim erubuerit, percipit malum secundum rationem suæ turpitudinis, & ideo eleuatur ad iudicaandum supra impressionem sensuum, & secundum propriam rerum intelligibilitatem. Quod autem ordinatè respondeat ad interrogata; nisi in responsione interueniat aliquod ex dictis

ctis signis, non præbet sufficiens signum, quia fieri potest, quod seruet solum quemdam ordinem sensibilem fundatum in sensibili connexione.

5 Quia tamen vsus rationis non statim perfectus est, si quidem natura pàulatim ad sui perfectionem procedit, vt experientia ipsa patet; ideo neque etiam hæc signa ita accipienda sunt, vt perfecto modo se habeant; sed sufficit, quod quocunque modo insint secundum quemcunque gradum. Quocunque enim modo ratio eleuetur supra impressionem sensuum, & ascendat ad esse intelligibile rerum, satis indicat, quod incipit esse sui iuris, & habere vsum sui ipsius, quamuis non se perfectè subtrahat impressioni sensuum. Et proinde, quia in pueris vsus rationis est debilis, vota, quæ ab ipsis emittuntur, sunt facilis dispensationis, vt docent communiter Doctores, & habetur *ex cap. 2. de voto*.

An filij infidelium perpetuò amentes baptizari possint inuitis parentibus. Quæst. 53.

S V M M A.

1 *Affirmatiua responsio.*
2 *Tales vt sint constituti in exterma necessitate?*
3 *Obiectioni satisfit.*

1 Affirmatiuè respondetur, & ita tradunt Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 2. cap. 6. numer. 10. ver. Quintò si filii* Palaus *part. 4. theol. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 6. num. 15.* Syluester. verbo. Bapismus. 4. *quæst. 14.* Posseuin. *de offic. Cur. cap. 6. num. 21.*

2 Ratio autem quia sunt in tali statu, vt nunquam futurum sit, quod sibi prouidere possint, & proinde cum neque parentes velint prouidere, censendi sunt constituti in extrema necessitate spirituali, & in continuo periculo mortis æternæ: quia licet de præsenti non sint in periculo mortis, quia tamen mors est incerta, sunt in periculo amittendi æternam salutem; & ideo subintrat ius charitatis tribuens facultatem ad subueniendum, & sicuti ipsi negligentibus parentibus haberent ius ad petendam subuentionem, si possent petere, ita & cœteri habent ius ad subueniendum.

3 Dices ius charitatis non præualet contra ius iustitiæ, ergo cum filii amẽtes de iure naturali sint sub cura parentum, si ipsis inuitis baptizarentur violaretur hoc ius, quod est ius iustitiæ; ergo non licet prætextu charitatis eos baptizare. Resp. Ius charitatis non esse contrarium iustitiæ, quia cedit ius iustitiæ, quando subintrat ius charitatis, siquidem charitas est virtus suprema, & vniuersalis, quæ regulat alias virtutes, & earumdem actus imperat. Vnde in casu præsenti stante necessitate, in qua filii infidelium perpetuò amentes constituti sunt, cum subintret ius charitatis in ordine ad ipsorum subuentionem, cessat ius iustitiæ parentum, quia ius patriæ potestatis conuenit parentibus in ædificationem, non in destructionem, & ideo se extẽdit ad impediendam subuentionem iure charitatis impensam.

An filij infidelium seruiliter subiectorum possint inuitis parentibus baptizari. Quæst. 54.

S V M M A.

1 *In articulo, aut periculo mortis possunt baptizari.*
1 *Extra periculum mortis qui negent.*
2 *Qui affirment.*
3 *Sententia tenens posse baptizari, etiam antequam separentur, sustinetur, & probatur*

P num.

Pasqualig.

num. 3. *&* 4.
5 *Persona serui est sub pleno iure, & dominio Domini, & num.* 5.
6 *Resoluuntur obiectiones. num.* 6.7.*&* 8.

1 POsse baptizari, si sint in articulo, vel periculo mortis, deducitur ex supradictis, quia ratione charitatis potest quilibet de proximo ipsis succurrere, cum id negligant parentes, nec habeant ius impediendi subuentionem impertiendam. Vnde solum difficultas remanet cessante periculo mortis. Prima sententia tenet, non posse baptizari inuitis parentibus, nec posse ab ipsis abstrahi in hunc finem vt baptizentur. Ita Caiet. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. Capr. *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 7. Marsil. *in* 4. *quæst.* 4. *art.* 4. *in solut.* 3. *ad* 2. *dub.* Catherin. *opus. de fil. Iudæor. recip. ad baptis.*

2 Horum fundamentum est, quia ius Dominorum supra seruos est ciuile, & proinde se extendit solum ad ciuilia, ius autem parentum supra filios est naturale, & se extendit ad diuina nempe ad baptismum, vnde licet de iure ciuili posit dominus auferre filios à parentibus, non tamen potest eos priuare iure naturali in ordine ad diuina; & ideo spectabit semper ad ipsos cura filiorum in ordine ad eos instruendos in religione.

3 Secunda sententia asserit, posse Dominum abstrahere filios à suis seruis infidelibus, & abstractos baptizare, non tamen posse baptizare antequam abstrahat. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 6. Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 9. *art.* 10. ver. *Sed dico, quod est.* Viuald. *in Candelab. tit. de modo baptis. num.* 14. Suarez *disp.* 25. *de sacram. Sect.* 4. Palud. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *art.* 1. Sotus *dist.* 5. *quæst. vn. ar.* 10. §. *contra hanc autem.* Zechius *de sacram. cap.* 6. *de Baptis. propos.* 8. Mutin. *in theol. mor. quæst.* 14. *de baptis. conclus.* 2. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. Porro eadem. Coninch. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 10. *dub. vn. num.* 89. Cabr. *conclus.* 4. Nugnus. *difficul.* 3. *conclus.* 3. Chellison. *ver. dico* 4. Merzerus *Proposit.* 3. Putean. *dub. vlt. conclus.* 2. Syluius *conclus.* 7. Isambert. *disp.* 5. *art.* 6. Auersa *sect.* 3. ver. *Quartò. Si vlterius.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. *conclus.* 3. Fernandez de Heredia *de sacram. par.* 7. *de Baptis. dub.* 3. *num.* 7. *&* 8. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Filios verò.* Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 142. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 50. Lorca 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12. *disp.* 37. *num.* 21. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 6. *num.* 18. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 11. *num.* 4. Aragon. 2. 2 *quæst.* 10. *art.* 12. *conclus.* 2. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 15. *num.* 3. Quia nimirum antequam separentur sunt sub iure parentum in ordine ad institutionem, contra quod ius non potest dominus facere.

4 At posse baptizari etiam antequam separentur tenet tertia sententia, quam tradunt Vasquez 3. *par. disp.* 155. *cap.* 4. *num.* 50. Turrian. 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 54. *dub.* 2. Gregor. Ruiz *in controuer. theol. controuer.* 19. Marat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *de Baptis. sect.* 5. ver. Quæres secundo. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de Baptis. difficul.* 3. Ochagauia *quæst.* 19. *de Baptis. num.* 10. Præposit. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *dub.* 3. ver. *Qua sententia.*

5 Hec vltima sententia mihi videtur probabilior. Quia, quamuis cura filiorum pertineat ad parentes, quandiu non sunt ab ipsis abtracti, non obstante seruitute, siquidem seruitus non tollit vinculum naturæ, attamen quia Domini ex ui seruitutis de iure gentium introducta §. *Ius autem gentium. Instit. de iure natur. gen. & ciui.* habent plenum Dominium supra seruos, ita vt possint illos vendere, donare, & transportare quocunque voluerint, ideo cura talium filiorum pertinet etiam ad ipsos, imo principaliter ad ipsos, & solum cumulatiuè, & non priuatiuè quòad dominos, ipsis parentibus, & bona educatio est de ma-

maiori intereſſe dominorum, quam parentum, ſi quidem mala educatio redundat in ſpeciale damnum ipſorum. *Ergo* non minus Domini, quàm parentes habent facultatem baptizandi tanquam eos, qui curæ ipſorum ſunt deputati, & quos tenentur alere, quia parentes non poſſunt proprium ius opponere iuri dominorũ; tum quia iniuſtè opponeretur, ſiquidem opponeretur contra intereſſe puerorum, contra quod non valet ius patriæ poteſtatis: Tũ quia quando idem ius pertinet cumulatiuè ad plures non poteſt vnus alium impedire, nè exerceat proprium ius; vnde non poteſt mater impedire patrem, nè baptizet filium, nec è contra pater poteſt impedire matrem.

5 Confir. Quia perſona ſerui eſt ſub pleno iure, & dominio Domini, etiam omnia iura perſonæ ſunt ſub pleno dominio ipſius, ſi quidem tanquam acceſſoria trahuntur in conſequentiam ad perſonam, & ideo tranſlato in Dominum iure ſupra perſonam, cenſentur etiam translata omnia iura perſonæ. Cap. *Prudentiam*. §. *Si verò. de offic. delegati*. & conſtat in Monachis, qui dum per profeſſionem ſe tradunt monaſterio transferunt etiam in ipſum omnia iura propria, ergo ius, quod habent parentes ſerui in liberos eſt tranſlatum in dominos, & ſolum ita illud retinent, vt tamen ſit dependens à Domino. ergo erit in facultate Domini vti tali iure; & ſi ſeruus reſiſteret, faceret iniuriam Domino, quia vellet retinere ius ſupra filios independenter à Domino, cum tamen ſit dependens.

6 Neque obſtant inconuenientia, quæ ex hoc deducuntur, nam excluditur periculum peruerſionis, ſi ſeparentur à parentibus ante adultam ætatem, & curent Domini, quod erudiantur in fide Catholica. Alterum verò inconueniens, quod parentes vtentur ſuperſtitionibus gentilium, aut iudaicis circa filium baptizatum, & proinde habebunt occaſionem ſcandali, reijcitur, quia huiuſmodi ſcandalum erit merè paſſiuum proueniens ex malitia ipſorum, & proinde non eſt curandum, vt notant etiam Vaſquez, & Turrianus *num*. 3. *citati*.

7 Hinc ſoluitur fundamentum oppoſitæ ſentent. Ius enim dominorum ſupra ſeruos non eſt propriè ciuile, ſed de iure gentium; & quamuis eſſet ciuile, quia eſt ius in ipſis tanquam in re ſua, ideo trahit omnia iura ſeruorum, vt ſint ſub dominio dominorum; atque adeo transferuntur in Dominos, ſicuti, vt dicebamus iura religioſi transferuntur in ſuperiorem, & ideo poteſt ijs vti tanquam, ſi eſſent propria. Et ſicuti ius parentum quòad filios paruulos extenditur etiam ad ea, quæ concernunt religionem, & animam, ita etiam ius dominorum, quia eſt idem ius, quod in ipſos tranſlatum eſt.

7 Dices licet poſſit Dominus ſeparare mancipia infidelia matrimonio iuncta, non tamen ante ſeparationem poteſt prohibere, nè vtantur actibus matrimonialibus, ergo nec etiam poterit impedire, nè vtantur patria poteſtate ſupra filios. Reſp. neg. conſequent. quia eſt diſpar ratio, tum quia ius matrimoniale eſt perſonaliſsimum, nec transfertur in Dominos, & ideo non poſſunt Domini directè impedire, nè mancipia illo vtantur. Tum quia, ſi vtuntur, benè vtuntur, vnde nec etiam poſſent impedire ius patriæ poteſtatis, ſi illo benè vterentur, vt ſi vellent filios baptizari; quia tamen, dum impediunt baptiſmum, illo abutuntur, ideo cum tale ius ſit ſubordinatum Dominis, quatenus remanet etiam in parentibus, ideo poſſunt ipſi corrigere abuſum.

An *filij Iudæorum inuitis parentibus in periculo mortis poſſint baptizari. Quæſt.* 55.

S V M M A.

1 *Prima ſententia indiſcriminatim affirmans.*
2 *Secunda ſententia negans, & tenenda. & n.* 3.

3. & 4.
5 *Obiecta resoluuntur, num. 6.*
7 *Etiam stando in solo iure naturali Iudæi non possunt inuitis parentibus baptizari.*

---

1 POsse absolutè baptizari inuitis parentibus etiam extra periculum mortis tradunt non solum ij, qui idem tenent de omnibus infidelibus subditis Principi christiano, sed insuper. Durand. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 6. Capr. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 3. Marsil. *quæst.* 4. *art.* 4. *dub.* 2. Caiet. 3. *part. quæst.* 68. *ar.* 10. Syluester verbo. *Baptismus* 4. *quæst.* 6. Angelus verbo. *Baptismus* 6. *num.* 11. Putant enim, quod Iudæi sint mancipia christianorum, & proinde eadem sit ratio de ipsorum filiis, ac de filiis mancipiorum. Et specialiter prob. hæc opinio. Iudæus tenetur suscipere etiam pro filis fidem christianam tanquam medium necessarium ad salutem, quam & sibi, & proprijs filij tenetur procurare. ergo tenetur procurare filiis baptismum. ergo non poterit impedire, cum non possit nolle, quod tenetur velle, & si impediret, poterit cogi nè impediat.

2 Secunda sententia negat posse inuitis parentibus baptizari. Ita D. Tho. 3. *par. quæst.* 68. *art* 10. *ad* 2. & 2. 2. *quæst* 10. *ar.* 12. *ad* 3. Richar. *in* 4. *dist.* 6. *ar.* 3. *quæst.* 3. Sotus *dist.* 5. *quæst. vn. ar.* 10. §. *Ad secundum argumentum*. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. ver. *Quod si*. Suarez *disp.* 25. *de sacram. sect.* 5. Vasquez 3. *par. disp.* 155. *cap.* 5. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 6. *de baptis. sect.* 7. *init.* Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. Porro eadem. Filliucius *tract.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 8. Victoria *de sacrament. quæst.* 27. Reginal. *lib.* 27. *praxis fori poenit. num.* 68. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *num.* 2. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 25. *num.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 12. ver. *Respondeo sexto*. Fernandez de Heredia *de sacram. par.* 7. *de baptis. dub.* 3. *num.* 3. Putean. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. *dub. vlt.* ver. Ex istis. Præposit. *dub.* 3. ver. *Ex his duobus*. Mercerus *Proposit.* 3. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de baptis. difficult.* 5. ver. Vasquez *verò*. Auersa 3. *part. quæst.* 68. *sect.* 3. ver. *Porro*.

3 Et hæc sententia tenenda est, quæ nititur in opposito fundamento, quod nimirum Iudæi non sint serui seruitute pœnali, ita vt debeant haberi tanquam mancipia, sed solum seruitute ciuili, quod desumitur ex cap. *Et si Iudaos. de Iudæis, & Saracen. Et si Iudæos, quos propria culpa submisit perpetuæ seruituti, pietas christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum, ingrati tamen nobis esse non debent, vt reddant christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum*. Quasi Pontifex diceret; Licet sua culpa meruerint mancipari perpetuæ seruituti, attamen non fuerunt mancipati, sed christiana pietas receptat eos ad cohabitationem. Vnde non obstante, quod meruerint redigi in seruitutem, non sunt tamen redacti; sed sunt acceptati ad cohabitationem ciuilem.

4 Quod etiam ex eo constat, quia obseruātia subsequuta interpretatur ius *l. de quibus ff. de leg. & l. Nulli. ff. Quod cuiusque vniuer. & l. Obseruare* §. 5. *ff. de offic. proconsul.* Praxis autem, & obseruantia subsequuta declarat ius Iudæorum, quod nimirum non sint reducti in seruitutem, sed habeant ius libertatis, cum tanquam liberi possideant bona sua, & proprias personas, vnde se transferre possunt, quocunque voluerint, nec quòad hoc indigent facultate Principis.

5 Et ad rationem pro opposita sententia resp. conceditur, quod teneantur ad fidem, & baptismum suscipiendum etiam pro filiis: & quod impediendo, nè filij baptizentur abutantur patria potestate, est tamen negandum, quod possint cogi, ut baptizari permittant, quia talis coactio, vt dictum est etiam in superioribus non potest esse à potestate politica, cum hæc non se extendat ad spiritualia, & quæ concernunt

nunt salutem animæ; nec à potestate Ecclesiastica, quia hæc non se extendit ad non subditos, quales sunt Iudæi.

6 Instari tamen potest. Ius patriæ potestatis est potestas quedam, omnis autem potestas est de genere bonorum, & proinde est tantum ad bonum, non autem ad malum, quia posse malum non est posse, sed non posse, vt notant Glos. *fin. in Extrauag. vnic. de dolo* Craueta *de antiq. tempore par. 1. §. Non omitto nu. 2.* ergo cum impedire baptismum filiorum sit aliquod malum, non erit aliquod posse, quod pertineat ad ius patriæ potestatis, sed erit non posse, & ideo cum non sit de iure patriæ potestatis impedire baptismum filiorum, non fiet contra tale ius, si baptizentur. Resp. Licet ius patriæ potestatis non se extendat ad impediendum baptismum filiorum, quia impedire est aliquod malum, quod non est aliquod posse; non tamen ex hoc sequitur, quod filij inuitis parentibus possint baptizari, quia pro hoc non solum requiritur, quod parentes non possint impedire, sed insuper requiritur potestas baptizandi, quæ cum pertineat in infidelibus ad patriam potestatem, baptizare esset vsurpatio patriæ potestatis, & in hoc fieret ipsis iniuria.

7 Ex dictis colligitur contra Paludan. *in 4. dist. 4. quæst. 4.* Stando etiam in solo iure naturali Iudæos non posse inuitis parentibus baptizari. Neque enim tanquam Apostatæ à fide cogi possunt ad baptizandum, sicuti cogi possunt Apostatæ. Licet enim fidem veram habuerint ante aduentum Christi, nunquam tamen susceperunt euangelium, nec fidem in Christum redemptorem iam existentem, non potest autem quis dici Apostata ab illa fide, quam nunquam suscepit.

An quando licet baptizare inuitis parentibus filios infidelium, adsit obligatio baptizandi. Quæst. 56.

S V M M A.

1 *Quando licet baptizare filios infidelium secundum aliquos, vrget obligatio baptizandi.*
2 *Secundum alios nulla adest obligatio.*
3 *Alij volunt, solum aliquando adesse obligationem.*
4 *Obligamur baptizare filios infidelium constitutos in periculo mortis, si sint apud Christianos.*
5 *Quid, si sint sub potestate parentum infidelium, & sint in periculo mortis.*
6 *Quam obligationem habeant Domini baptizandi filios suorum mancipiorum.*
7 *Quid, si possint eos vendere.*
8 *Quid de filijs infidelium, qui nunquam sunt restituendi, & sunt in graui necessitate.*
9 *Quando paruuli sint in graui necessitate spirituali.*
10 *An Domini possint relinquere parentibus infidelibus, & mancipijs curam filiorum.*

1 EX supradictis deducitur, filios infidelium, qui inuitis parentibus possunt baptizari, esse in triplici differentia. Alii enim possunt baptizari, quia sunt in periculo, vel articulo mortis. Alij, quia sunt filij mancipiorum, atque adeo sunt sub potestate dominorum. Alij verò, quia sunt abstracti à parentibus, ita vt non sint amplius illis restituendi. Prima opinio tenet, quod absit obligatio baptizandi omnes. Ita Vasquez *3. par. disp. 155. cap. 7.* Turrian. *de fide disp. 53. dub 2.* Ochagauia *de sacram. quæst. 19. de Baptis. num. 12.* Chellison. *3. par. quæst. 68. ar. 10. ver. Hinc sequitur* Præposit: *art. 10. dub. 3. ver. Quæ sententia.* Addit tamen, quod per accidens potest excusari, vt si dominus non posset alere tot mancipia. Quorum fundamentum est, quia charitas obligat, vt remedium tam necessarium subministretur.

2 Secunda opinio tenet, quod nunquam adest obligatio baptizandi etiam constitutos in articulo mortis. Ita Lorca

ca 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12. *disp.* 37. *num.* 22. Et fundamentum ipsius est, quia etiam si sint in articulo mortis, non sunt in extrema necessitate spirituali, nam per parentes illis prouideri potest, ad quos pertinet totum negotium curæ salutis ante vsum rationis. Si verò filij sint serui, non tenentur domini ad hanc extraordinariam diligentiam eos alienandi, vt baptizent, sed adhuc possunt relinquere parentibus curam salutis. Si verò pueri sint abstracti iustè à parentibus, nec sint amplius restituendi, nec adhuc adest obligatio baptizandi, si quidem possent restitui parentibus.

3 Tertia sententia asserit, non semper adesse obligationem baptizandi filios infidelium, quando licitè possumus, sed solum aliquando. Ita Suarez *disp.* 25. *de sacram. sect.* 6. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 25. *num.* 1. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. ver. *Porro eadem* Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 13. & 14. Coninch. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. *dub. vn. num.* 88. Putean. *dub. vlt. conclus. vlt.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *punc.* 6. *num.* 20.

4 Pro declaratione autem huius difficultatis. Primò statuendum est, quod filii infidelium degentes apud christianos, si sint in periculo, vel articulo mortis, debent ex obligatione baptizari ab iis, ad quos pertinent, vel ab aliis, si casus occurrat, quod ab ipsis baptizari non possint. Ratio est, quia ex charitate obligatur vnusquisque succurrere proximo constituto in necessitate, etiam cum dispendio propriæ vitæ, si necessitas sit extrema, vt communiter docent cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *in corpore*, & cum D. August. *lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 27. & hæc obligatio afficit quoscunque erga vnumquemque, ita vt si deficiat is, ad quem primò spectat sucurrere, afficiat alterum, qui potest succurrere. Sed huiusmodi paruuli ante vsum rationis constituti in periculo mortis sunt in graui necessitate, imo extrema, cum certum sit, eos damnandos, nisi baptizentur, ergo ij, ad quos spectant, aut alii in eorum defectu tenentur eos baptizare.

5 Si verò filii sint sub potestate parentum infidelium, & sint constituti in periculo, aut atticulo mortis, tenetur vnusquisque, qui potest ipsis subuenire per baptismum, etiam cum suo graui incommodo. Ratio est, quia licet cura puerornm ante vsum rationis pertineat ad parentes, & ipsis incumbat prouidere remedia salutis, quia certum est, quod parentes non prouidebunt, habetur pro impossibili moraliter, quod ipsis à parentibus subueniatur, quia non solum, quod moraliter certum est, non posse fieri, sed etiam, quod val de difficile est, quod fiat, habetur pro impossibili. *l. Apud Iulianum.* §. *Constat. ff. de legat.* 1. & *l. Cum hæres.* §. 1. *ff. de stat.* & *l. Continuus.* §. *Cum quis. ff. de verbor. obligat.* & notant Berrius *Consil.* 88. *num.* 35. *lib.* 1. Medices. *de casu fort. par.* 1. *quæst.* 4. *num.* 13. Surd. *decis.* 141. *num.* 9. & 10. Ergo cum impossibile sit, quod subueniantur à parentibus, obligatio afficit alios, qui possunt subuenire, si quidem chariras obligat ad subueniendum proximo constituto in graui, aut extrema necessitate spirituali.

6 Tertio statuendum est. Quod domini erga filios mancipiorum habent illam obligationem conferendi baptismum, quam habenr parentes erga proprios filios, seclusa quacunque necessitate, & periculo mortis, nam vrgenre periculo, vrget etiam maior obligatio Prob. Vnusquisque obligatur ad id, quod exigit munus proprium, munus autem domini erga filios mancipiorum non solum exigit, quod ipsis prouideat alimenta quoad substentionem vitæ corporalis, sed etiam, quod eos instituat in religione, & ordinet quæ necessaria ipsis sunt ad salutem. Siquidem ideo parentes ad id tenentur ratione muneris, quia habent ius supra filios, hoc autem ius transfertur in dominos mancipiorum, ita vt saltem mediatè pertineat ad ipsos cura filiorum mancipiorum, & ius educationis, & proinde

inde ratione muneris subeunt eamdem obligationem, quam habent parentes, imo etiam ius parentum est dependens à domino.

7 Neque obstat, quod possit eos uendere, quia hoc ius uendendi sicuti non tollit ius, quod dominus habet ad eos instituendos, ut libuerit, ita nec etiam tollit obligationem prouidendi, de remediis necessariis ad salutem, quæ durat, quandiu filius est sub dominio illius; & si omisit baptizare, quando tenebatur iuxta obligationem, quam habent parentes christiani quòad suos filios, proculdubio peccauit. Vendendo autem alteri christiano, transfert in ipsum talem obligationem. Quod si vendat infideli, quando non adest ius redimendi, quamuis non peccet contra iustitiam, peccat tamen contra charitatem, quia non solum non prouidet saluti ipsius, sed ponit in tali statu, ut moraliter certum sit, quod infidelis morietur, & damnabitur.

8 Denique statuendum est. Vnumquemque teneri ex charitate baptizare filios infidelium, qui nunquam iis restituendi sunt, quando sunt in graui necessitate spirituali, ratione autem muneris spectare ad eos, quorum curæ commissi sunt, ita ut hi habeant eamdem obligationem quòad hoc, quam habent tutores. Ratio prioris partis clara est, quia tenetur unusquisque ex charitate succurrere constituto in graui necessitate siue corporali, siue spirituali. Secunda uerò pars etiam constat, eo ipso enim, quod paruuli constituuntur sub cura alicuius, incumbit ipsi procurare, quæ sunt eis necessaria, tàm quòad conseruationem corporalis uitæ, quàm quòad salutem animæ.

9 Et ex his facilè soluuntur argumenta allata in oppositum: unde ad fundamentum primæ sententiæ dicitur, quod charitas non obligat ad subueniendum proximo, nisi sit constitutus saltem in graui necessitate; paruuli autem non sunt semper in graui necessitate quòad baptismum, sed solum quando adest periculum mortis; nam extra ipsum, licet baptismus sit medium necessarium ad salutem, non est tamen hic, & nunc necessarium, & ideo neque charitas hic, & nunc obligat ad baptizandum.

10 Quod autem spectat ad primam partem fundamenti secundæ sententiæ iam constat ex dictis falsum esse, quod paruuli constituti in articulo mortis, quamuis sint sub cura parentum, non sint in extrema necessitate spirituali, quia, stante infidelitate parentum est impossibile, quod ab ipsis subuenientur & ideo obligatio transit ad alios. In secunda autem parte falsum assumitur, quod possint domini relinquere parentibus seruis curam filiorum, quia cum, & ipsis incumbat educatio illorum, & ratione muneris teneantur prouidere, tenentur, dum parentes negligunt, ipsi supplere. Tertia autem pars ad summum probaret, quod cessaret obligatio baptizandi illos paruulos, si restituantur parentibus, non autem, quod non adsit dum retinentur. Verum, quando de iure non sunt restituendi, esse contra charitatem eos restituere, constat ex dictis supra *num.* 7. quia transferuntur de illo statu, in quo habent remedia salutis, ad illum, in quo carebunt, cum morali certitudine quod damnabuntur.

An amentes urgente periculo mortis baptizari possint. Quæst. 57.

S V M M A.

1 *Amentes à natiuitate possunt baptizari à quocunque negligentibus parentibus.*
2 *Adultus, ut possit baptizari, debet consentire in baptismum.*
3 *Amentes, & furiosi possunt tempore amentia baptizari, si ante consenserunt in baptismum.*
4 *Quæ voluntas requiratur, ut quis possit baptizari.*
5 *Voluntas est deambulatoria usque ad mortem.*
6 *Voluntas præsumitur durare, nisi probetur mutata.*

tata.

6 Diuersa voluntas requiritur in baptizante. ac suscipente baptismum.

in

1 Amentes, qui sunt tales à natiuitate, posse baptizari, docent communiter cum D. Th. 3. par. quæst. 68. ar. 12. & præsertim infracitandi, quia cum isti nunquam possederint proprium arbitrium uoluntatis, censentur esse in continua infantia, & proinde eadem est ratio de ipsis, ac de cæteris, qui nondum peruenerunt ad usum rationis. Vnde, si parentes negligant ipsos baptizare, poterunt ijs inuitis baptizari, ut dictum est supra de filijs fidelium, qui à natiuitate perpetuo amentes sunt, & præsertim, quia possunt parentes cogi, ut eos baptizent, cum sint subditi Ecclesiæ. Quod etiam habet locum, licet à natiuitate amentes non sint, sed in eam inciderint ante usum rationis. Quia adhuc militat eadem ratio, cum nunquam possederint propriæ voluntatis arbitrium. Imo si dubium sit, an habuerunt vsum rationis, quando inciderunt in amentiam, iudicandum est, non habuisse, quia agitur de fauore animæ, & de prouisione remedii pro æterna salute.

2 Est autem aduertendum, quod adulti, vt possint baptizari, necesse est, quod consentiant in baptismum, aliàs baptismus esset nullus, vt docent communiter cum D. Th. 3. part. quæst. 68. ar. 7. & D. August. lib. 4. de baptis. contra Donatistas. cap. 24. ibi. *Cum alii pro infantibus respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt; at si pro eo, qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cum legitur naturaliter mouet, Aetatem habet, ipse pro se loquatur.* Et decernitur etiam in cap. *Maiores.* §. *Item quæritur de baptismo.*

3 Hoc autem præsupposito. Dicendum est, amentes, & furiosos tempore amentiæ validè, & licitè baptizari posse, siue sint in periculo mortis, siue extra ipsum, si antequam inciderent in amentiam, aut in lucidis interuallis petierint baptizari. Ita D. Th. 3. *par. quæst. 68. ar.* 12. Syluius, Cabrera, Præposit. Chellison. *ibid.* Alens. 4. *par. quæst.* 4. *art.* 2. *mem.* 2. Scot. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. §. *Hic distinguo.* Syluester verbo. *Baptismus* 4. *num.* 3. Armilla *num.* 69. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnica ar.* 12. *conclus.* 3. Gabr. *dist.* 4. *quæst.* 2. *ar.* 2. *conclus.* 3. Holchoch. *quæst.* 1. *ar.* 4. Angles *in florib. quæst.* 2. *de recipien. baptis. ar.* 6. *difficul.* 1. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 8. *num.* 2. Raguccius *in lucerna Parochor. tit. de baptis. quæstio* 41. Suarez *disp.* 24. *de sacram. sect.* 1. *conclus.* 2. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 24. *num.* 4. Io. Sanchez *in select. de sacram. num.* 41. ver. *Et in articulo mortis* Marat. *tom.* 3. *disp.* 6. *de baptis. sect.* 4. ver. *Quartum.* Luduicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 3. *de baptis. art.* 5. *dub.* 2. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 16. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *par.* 6. *num.* 19.

4 Desumitur autem ex Innocentio III. Cap. *Maiores.* §. *Item quæritur. de baptismo.* vbi definit, quod amentes baptizari possint, si antea voluntatem baptismi ostenderint, nec retractauerint. Ratio autem est, quia talis voluntas requiritur solum vt dispositio in genere causæ materialis, vt subiectum fiat aptum ad recipiendum sacramentum, non autem requiritur, vt operatiua; & ideo sufficit voluntas habitualis, vt notant inter alios Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 2. *punc.* 3. *circa fin.* Suarez *disp.* 14. *de sacram. sect.* 2. Coninch. *quæst.* 64. *de sacram. art.* 8. *dub.* 5. *num.* 99. Reginal. *lib.* 26. *praxis fori poenit. num.* 50. Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 21. *num.* ... & in terminis de baptismo Syluester. verbo. *Baptismus.* 4. *quæst.* 14. Quia dum uoluntas habitualiter perseuerat, perseuerat etiam moralis dispositio.

5 Dices, voluntas est deambulatoria usque ad mortem. *l. Cum hic status*

§.

§. *Hic oratio*. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* & cap. *cum Martha*. uer. *Coeterum. de celebrat. missar.* ergo ut possit amens baptizari, non sufficit, quod ante amentiam uoluerit baptizari, quia ante amentiam potuit mutare voluntatem, sed debet constare, quod vsque ad instans amentiæ perseuerauerit in tali voluntate. Resp. negan consequent. Quia cum constet de voluntate suscipiendi baptismum, præsumitur durare, nisi probetur mutata. *l. Fideicommissa*. §. *Si rem. ff. de legat.* 3. & *l. Eum qui. ff. de probat.* & cap. *Scribam. de præsump.* & notant Bart. *in l. Siue possidetis. C. de probat.* Bald. *in l.* 1. *C. de Coll.* Bartholom. Socin. *Consil.* 131. *init. par.* 1. Francisc. Aretin. *in l.* 1. *ff. de acquir. possess.* Menoch. *lib.* 4. *Præsump.* 195. *num.* 2. Trentacin. *Consil.* 32. *num.* 4. *tom.* 2. Duran. *decis.* 74. *num.* 46. Vt enim duret habitualiter, sufficit, quod non superueniat contraria voluntas, qua retractetur.

6 Dices 2. Si quis habeat intentionem baptizandi, & postea incidat in amentiam, & baptizet, non validè baptizat, ergo nec validè baptizatur, qui in amentia baptizatur, licet ante voluerit baptizari. Resp. neg. conseq. Quia est diuersa ratio nam baptizans est minister, & effectiuè concurrit ad baptismum, & ideo, cum operetur in virtute intentionis, debet hæc intentio esse aliquo modo in actu, sicut debet esse causa efficiens. At voluntas suscipiendi baptismum non habet aliquid operari, sed solum disponere, vt dictum est, & ideo sufficit, si existat per modum habitus, præsertim cum disponat morali modo, tali autem pacto potest existere in amente, quia amentia illi non repugnat, sicut repugnat intentioni ministri, quæ debet se habere per modum actus humani in genere efficientis, amentia autem excludit omnem actum humanum.

An amentes, & furiosi baptizari possint in periculo mortis, si resistant. Quæst. 58.

Pasqualig.

S V M M A.

1 *Amentes, & furiosi resistentes possunt baptizari, si ante voluerunt baptizari.*
2 *Resistentia non est retractatiua prioris voluntatis.*
3 *An contineat irreuerentiam ministrare baptismum furioso.*

1 Difficultas procedit, supposito, quod prius petierit baptizari, antequam in furorem incideret. Et affirmatiuè respondendum est, siue sint in periculo mortis, siue extra ipsum. Ita Syluester verbo. *Baptismus* 4. *num.* 4. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 3. Graff. *par.* 2. *decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 45. Angles *in florib. quæst.* 2. *de baptismo ar.* 6. *diffcul.* 1. *conclus.* 2. Chamerota *de sacram. cap.* 5. *de Baptis. dub.* 10. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 19. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 42. vnde poterit ligari, & ita baptizari.

2 Ratio autem est, quia illa resistentia non est actus humanus, sed est actus stultitiæ, & procedit à voluntate naturali modo operante, & proinde non est retractatiua prioris voluntatis suscipiendi baptismum; actus namque humanus, & deliberatus non potest retractari, nisi per alium actum humanum, & deliberatum, quia actus retractans est contrarius retractato, contraria autem debent esse sub eodem genere. Et sicut amens non est amplius in statu, vt possit retractare peccata, quia debent retractari humano modo, ita nec etiam est in statu, vt possit retractare alios actus liberos.

3 Dices fieri irreueretiam sacramento, si ministretur furioso. Resp. Nullam irrogari irreuerentiam, non ex parte ministri, quia ministrat eo modo, quo ministrandum est, & cum certitudine effectus. Nec ex parte suscipien-

Q tis,

tata.
6 *Diuersa voluntas requiritur in baptizante. ac suscipiente baptismum.*
in

1 AMentes, qui sunt tales à natiuitate, posse baptizari, docent communiter cum D. Th. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 12. & præsertim infracitandi, quia cum isti nunquam possederint proprium arbitrium uoluntatis, censentur esse in continua infantia, & proinde eadem est ratio de ipsis, ac de cæteris, qui nondum peruenerunt ad usum rationis. Vnde, si parentes negligant ipsos baptizare, poterunt ijs inuitis.baptizari, ut dictum est supra de filijs fidelium, qui à natiuitate perpetuo amentes sunt, & præsertim, quia possunt parentes cogi, ut eos baptizent, cum sint subditi Ecclesiæ. Quod etiam habet locum, licet à natiuitate amentes non sint, sed in eam inciderint ante usum rationis. Quia adhuc militat eadem ratio, cum nunquam possederint propriæ voluntatis arbitrium. Imo si dubium sit, an habuerunt vsum rationis, quando inciderunt in amentiam, iudicandum est, non habuisse, quia agitur de fauore animæ, & de prouisione remedii pro æterna salute.

2 Est autem aduertendum, quod adulti, vt possint baptizari, necesse est, quod consentiant in baptismum, aliàs baptismus esset nullus, vt docent communiter cum D. Th. 3. *part. quæst.* 68. *ar.* 7. & D. August. *lib.* 4. *de baptis. contra Donatistas. cap.* 24. ibi. *Cum alii pro infantibus respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt; at si pro eo, qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cum legitur naturaliter mouet, Aetatem habet, ipse pro se loquatur.* Et decernitur etiam in cap. *Maiores.* §. *Item quæritur de baptismo.*

3 Hoc autem præsupposito. Dicendum est, amentes, & furiosos tempore amentiæ validè, & licitè baptizari posse, siue sint in periculo mortis, siue extra ipsum, si antequam inciderent in amentiam, aut in lucidis interuallis petierint baptizari. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 12. Syluius, Cabrera, Præposit. Chellison. *ibid.* Alens. 4. *par. quæst.* 4. *art.* 2. *mem.* 2. Scot. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. §. *Hic distinguo.* Syluester verbo. *Baptismus* 4. *num.* 3. Armilla *num.* 69. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnica ar.* 12. *conclus.* 3. Gabr. *dist.* 4. *quæst.* 2. *ar.* 2. *conclus.* 3. Holchoch. *quæst.* 1. *ar.* 4. Angles *in florib. quæst.* 2. *de recipien. baptis. ar.* 6. *difficul.* 1. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 8. *num.* 2. Raguccius *in lucerna Parochor. tit. de baptis. quæstio* 41. Suarez *disp.* 24. *de sacram. sect.* 1. *conclus.* 2. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 24. *num.* 4. Io. Sanchez *in select. de sacram. num.* 41. ver. *Et in articulo mortis* Marat. *tom.* 3. *disp.* 6. *de baptis. sect.* 4. ver. *Quartum.* Luduicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 3. *de baptis. art.* 5. *dub.* 2. Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 16. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *par.* 6. *num.* 19.

4 Desumitur autem ex Innocentio III. Cap. *Maiores.* §. *Item quæritur. de baptismo.* vbi definit, quod amentes baptizari possint, si antea voluntatem baptismi ostenderint, nec retractauerint. Ratio autem est, quia talis voluntas requiritur solum vt dispositio in genere causæ materialis, vt subiectum fiat aptum ad recipiendum sacramentum, non autem requiritur, vt operatiua; & ideo sufficit voluntas habitualis, vt notant inter alios Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 2. *punc.* 3. *circa fin.* Suarez *disp.* 14. *de sacram. sect.* 2. Coninch. *quæst.* 64. *de sacram. art.* 8. *dub.* 5. *num.* 99. Reginal. *lib.* 26. *praxis fori poenit. num.* 50. Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 21. *num.* ... & in terminis de baptismo Syluester. verbo. *Baptismus.* 4. *quæst.* 14. Quia dum uoluntas habitualiter perseuerat, perseuerat etiam moralis dispositio.

5 Dices, voluntas est deambulatoria usque ad mortem. *l. Cum hic status*
§.

§. *Hic oratio*. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* & cap. *cum Marthæ*. uer. *Coeterum. de celebrat. missar.* ergo ut possit amens baptizari, non sufficit, quod ante amentiam uoluerit baptizari, quia ante amentiam potuit mutare voluntatem, sed debet constare, quod vsque ad instans amentiæ perseuerauerit in tali voluntate. Resp. negan consequent. Quia cum constet de voluntate suscipiendi baptismum, præsumitur durare, nisi probetur mutata. *l. Fideicommissa*. §. *Si rem. ff. de legat.* 3. & *l. Eum qui. ff. de probat.* & cap. *Scribam. de præsump.* & notant Bart. *in l.Siue possidetis.C. de probat.* Bald. *in l.* 1. *C. de Coll.* Bartholom. Socin. *Consil.* 131. *init. par.* 1. Francis. Aretin. *in l.* 1. *ff. de acquir. posses.* Menoch. *lib.* 4. *Præsump.* 195. *num.* 2. Trentacin. *Consil.* 32. *num.* 4. *tom.* 2. Duran. *decis.* 74. *num.* 46. Vt enim duret habitualiter, sufficit, quod non superueniat contraria voluntas, qua retractetur.

6 Dices 2. Si quis habeat intentionem baptizandi, & postea incidat in amentiam, & baptizet, non validè baptizat, ergo nec validè baptizatur, qui in amentia baptizatur, licet ante voluerit baptizari. Resp. neg. conseq. Quia est diuersa ratio nam baptizans est minister, & effectiuè concurrit ad baptismum, & ideo, cum operetur in virtute intentionis, debet hæc intentio esse aliquo modo in actu, sicut debet esse causa efficiens. At voluntas suscipiendi baptismum non habet aliquid operari, sed solum disponere, vt dictum est, & ideo sufficit, si existat per modum habitus, præsertim cum disponat morali modo, tali autem pacto potest existere in amente, quia amentia illi non repugnat, sicut repugnat intentioni ministri, quæ debet se habere per modum actus humani in genere efficientis, amentia autem excludit omnem actum humanum.

An amentes, & furiosi baptizari possint in periculo mortis, si resistant. Quæst. 58.

Pasqualig.

S V M M A.

1 *Amentes, & furiosi resistentes possunt baptizari, si ante voluerunt baptizari.*

2 *Resistentia non est retractatiua prioris voluntatis.*

3 *An contineat irreuerentiam ministrare baptismum furioso.*

1 Difficultas procedit, supposito, quod prius petierit baptizari, antequam in furorem incideret. Et affirmatiuè respondendum est, siue sint in periculo mortis, siue extra ipsum. Ita Syluester verbo. *Baptismus* 4. *num.* 4. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 3. Graff. *par.* 2. *decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 45. Angles *in florib.quæst.* 2. *de baptismo ar.* 6. *difficul.* 1. *conclus.* 2. Chamerota *de sacram. cap.* 5. *de Baptis.dub.* 10. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 6. *num.* 19. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 42. vnde poterit ligari, & ita baptizari.

2 Ratio autem est, quia illa resistentia non est actus humanus, sed est actus stultitiæ, & procedit à voluntate naturali modo operante, & proinde non est retractatiua prioris voluntatis suscipiendi baptismum; actus namque humanus, & deliberatus non potest retractari, nisi per alium actum humanum, & deliberatum, quia actus retractans est contrarius retractato, contratia autem debent esse sub eodem genere. Et sicut amens non est amplius in statu, vt possit retractare peccata, quia debent retractari humano modo, ita nec etiam est in statu, vt possit retractare alios actus liberos.

3 Dices fieri irreuerentiam sacramento, si ministretur furioso. Resp. Nullam irrogari irreuerentiam, non ex parte ministri, quia ministrat eo modo, quo ministrandum est, & cum certitudine effectus. Nec ex parte suscipien-

Q tis,

tis, quia licet resistat, & externè irreuerenter se gerat, non est tamen vera irreuerentia, quia non est humano modo exercita; irreuerentia namque, vt sit talis, debet fundari in actu libero cum debita aduertentia exercito.

An constituti in periculo mortis baptizari possint, si amiserint loquelam, & notitiam. Quæst. 59.

S V M M A.

1 *Constitutus in periculo mortis potest baptizari, si ante ostenderit voluntatem licet sensus amiserit.*
2 *Id tradit D. August.*
3 *Tradunt etiam Concilia.*
4 *Voluntas præcedens arguit sufficientem dispositionem pro baptismo in ijs, qui sensus amiserunt.*
5 *An, vt adultus possit baptizari, debeat explicitè credere Trinitatem, & Incarnationem.*
6 *Cornelius Centurio quomodo iustificatus ante baptismum.*
6 *Quomodo fides sit initium, & radix iustificationis.*
7 *In eo, qui sensus amisit, & petijt baptizari debet præsumi fides.*

1 Resp. posse baptizari, si antea ostenderint voluntatem suscipiendi baptismum. Ita D.Th. *opusc.*65. §. *De extrema vnctione.* vbi habet. *Si autem infirmus, qui petiit Vnctionem amisit notitiam, vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum, vngat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari.* Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 24. *num.* 4. Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 2. *num.* 36. Ragucius *in lucerna Parochorum* tit. *de Baptis. quæsito* 43. Ochagauia *de sacram. quæst.* 22. *de baptis. num.* 3. Io. Sancehz *in selectis de sacram. disp.* 44. *num.* 38. Et cum eadem sit ratio de baptismo, ac de sacramento pœnitentiæ, qui hoc ipsum docent de sacramento pœnitentiæ, debent etiam docere de sacramento baptismi.

2 Desumitur autem ex D. August. *de adulterin. coniug. lib.* 1. *cap.* 28. ibi. *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viuentium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum saluos corpore, in his permanentes, non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se prenitentes tacuerint, nec per se respondere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cum coeteris lauacro regenerationis abluatur. Quis enim nouit, vtrum fortassis adulterinæ carnis illecebra vsque ad baptismum statuerant detineri. Si autem ab illa desperatione recreati potuerint viuere, aut facient, quod statuerunt, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

3 Desumitur etiam ex Concil. Arausicano 1. *can.* 11. & habetur in cap. *Qui recedunt.* 26. *quæst.* 6. ibi. *Subito obmutescens babsizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu*, & ex Concil. Carthagin. 3. *can.* 34. relato in cap. *Aegrotantes, de consecrat. dist.* 4. ibi. *Aegrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixcrit, baptizentur.* Et ex cap. *Maiores in fine. de baptismo.* ibi. *Secus autem, si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales in necessitatis articulo consueuit Ecclesia baptizare.*

4 Ratio autem est, quia præcedens voluntas, quam ostendit de suscipiendo baptismo, est sufficiens, dum non fuit retractata, vt reddatur subiectum capax baptismi, & rursus talis voluntas facit præsumi, quod interueniat debita dispositio, ergo cum adsint omnia re-

requisita ex parte subiecti, erit licitum ministrare baptismum.

5 Dices. Vt adultus possit baptizari, debet explicitè credere mysterium Trinitatis, & Incarnationis, cum hæc fides sit medium necessarium ad salutem, ergo si non constar de tali fide, poterit baptizari. Resp. neg. consequentiam. Quia in primis plures sentiunt, quod non sit necessaria talis fides explicita, sed quod sufficiat implicita. Ita Richar. *in 3. dist. 25. art. 4. quæst. 1.* Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vn. ar. 2.* & *lib. 2. de nat. & gratia, cap. 11. & 12.* Canus *Relect. de sacram. in genere par. 2. conclus. 3.* Vega *lib. 6. in Concil. Trident. cap. 10.* & alij. Ino idem quoque videtur sentire D. Th. *3. part. quæst. 68. art. 8. ad 3.* dum inquit. *Dicendum, quod etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi, & ita non impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentias, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, & Ecclesia tradit.* Hæc autem intentio generalis ortum habet solum à fide implicita.

6 Quod etiam colligitur ex scriptura. Nam Actor. 19. antequam Cornelius Centurio baptizaretur, & haberet explicitam fidem Trinitatis, Christi redemptoris &c. dicitur vir religiosus, & iustus, cuius preces, & eleemosinæ ascenderunt coram Deo. Si autem fuit iustus, & gratus Deo, debuit esse iustificatus cum sola fide implicita, vt docet D. August. *quæst. 84. in Leuit.* & *de prædestinat. sanctor. cap. 7.* vbi dicit, *solum habuisse aliquam fidem in Deum, quem innocabat*, & D. Tho. *2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3.* Neque aliud colligitur ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 8.* quando prerequirit fidem, vt initium iustificationis, inquiens. *Cum Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholica consensus tenuit, & expressit, vt scilicet per fidem iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium; fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.* Ex his enim verbis colligitur solum necessitas fidei; non autem, quod hæc fides debeat esse explicita, sicut nec colligitur talis necessitas ex scriptura, aut ex Patribus.

7 Deinde si talis fides explicita est necessaria, debet præsumi, quod adsit, cum postulauerit baptismum, & cum non sit in statu, vt possit interrogari, non tenetur minister baptismi de hoc certificari, sed cum vrgeat periculum debet subuenire constituto in extrema necessitate. Er cum adsit opinio probabilis innixa præsertim auctoritati D. Th. *num. 5.* allatæ, quod sufficiat generalis intentio suscipiendi baptismum, prout ministratur ab Ecclesia, cum constet ex petitione baptismi, adesse talem intentionem, poterit absque vllo scrupulo ministrari.

An possit ministrari baptismus, si vnicus tantum testis testificetur, amentes, furiosos, sensibus destitutos illum petijsse. Quæst. 60.

SVMMA

1 *Habens testimonium ex aliorum verbis si obmutescat, potest baptizari.*

2 *An vnicus testis sufficiat.*

3 *Quando vnicus testis sufficiat.*

3 *Quilibet in dubio præsumitur bonus.*

4 *Quid si isto vnicus testis esset infidelis.*

4 *Veritas omnia vincit.*

5 *Quid si testis fidelis, asserat petijsse baptismum, & infidelis neget.*

6 *Quid si vnus fidelis asserat, & alius neget.*

6 *Testis magis dignus est præferendus.*

7 *An sufficiat vnus testis pro baptismo, dum agitur de præiudicio tertij.*

7 *Principale attenditur, non accessorium.*

7 *Accessoria induunt naturam principalis.*
7 *Præiudicium vnius temporale non debet præferri præiudicio alterius spirituali.*

1 Videtur negatiuè respondendum ex Concil. Arausicano 1. *capit.* 11. Subitò *obmutescens baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Vnde cum non dicat, alterius verbis habet, sed Aliorum verbis, significatur, requiri plures testes; tùm, quia vnicus testis non facit fidem, cum vnius dictum sit nullius iddum.

2 Attamen tenendum est, quod possint baptizari, etiam si vnus tantum testetur, petijsse baptismum. Ita Ioan. Sanchez *in selectis de sacram. disp.* 44. *num.* 39. qui citat Zambranum, qui tamen hoc non habet agens de præsenti casu. Præposit. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 12. Hoc enim tenere debent, qui docent, quod pro obtinenda absolutione sacramentali sufficiat, vnicum testem testificari, quod moribundus petierit absolutionem. Ita Glos. in Cap. *Is, qui* 26. *quæst.* 6. Felin. *in cap. Veniens.* 1. *num.* 8. *de testib.* Graf. *lib.* 2. *consil.* 5. *de homicid. difficul.* 2. *in fine.* Raymundus *in Summa.* Tit. *de sepult. circa init.* Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 34. Reginal. *lib.* 4. *praxis fori poenit. cap.* 3. *num.* 8.

3 Ratio autem est, quia sumus in casu, in quo non agitur de alterius præiudicio, neque de interesse testificantis: vnde præsumendum est, quod testis dicat veritatem; cum non habeat motiuum mentiendi; imo motiuum valde graue dicendi veritatem, quia esset valde impium, & sacrilegum in tali casu mentiri. Vnde cum voluntas non possit amplecti malum, nisi ex aliquo motiuo bono, cum nullum adsit in hoc casu interesse mentiendi, & mentiri sit turpissimum, & maximè absonum rectæ rationi, non est præsumendum, quod gratis mentiatur. Præsertim quia quilibet præsumitur vir bonus, etiam in dubio *l. Meritò. ff. pro socio*, & *l. Quoties*, *§. qui dolo. ff. de probat.* & capit. *Dudum.* & cap. *fin. de præsumpt.* & declarat, Menoch. *lib.* 5. *Præsump.* 3. *numer.* 15. & cui turpia facta displiceant. Vnde cum agatur de fauore animæ, minister baptismi potest inniti illius dicto.

4 Et hoc, quod dictum est, habet locum, etiam si iste vnicus testis esset infidelis, quia cum infidelis auersus sit à religione christiana, potius vellet, non ministrari baptismum; vnde, si testatur moribundum, aut amentem petiisse baptismum, præsumendum est testari veritate ipsa coactum. Siquidem, cum veritas omnia vincat cap. *Veritate. dist.* 8. & notat Rolandus *Consil.* 5. *num.* 19. *lib.* 4. vincit etiam intellectum infidelis, vt in ipsam veritatem consentiat, & eam fateatur.

5 Sed dubium est, quid dicendum. Si vnus testis fidelis asserat petiisse baptismum, alter verò infidelis dicat, non petiisse. Resp. in tali casu non esse credendum infideli, sed fideli, vt notant Glos. *in cap. cum itaque de consecrat. dist.* 4. Io. Sanchez *in Selectis de sacram. disp.* 34. *num.* 8. quia debet præsumi, quod ita testetur in iniuriam baptizandi, vt decedat sine baptismo, & in odium baptismi, & proinde tanquam testis suspectus repellendus est.

6 At si vnus testis fidelis asserat, moribundum, aut amentem petijsse baptismum alter verò similiter fidelis asserat, non petijsse, quamuis in hac contrarietate dictorum debeat considerari qualitas testium, & magis dignus præferri. *l.* 4. *init. ff. de testib.* vbi Bart. & Alexan. & *l. Obseruare. §.* 1. *eodem tit.* vbi item Bart. Glos. ver. *Preferenda*: attamen cum simus in casu, in quo agitur de fauore animæ, & de succurrendo constituto in extrema necessitate, & de nullius præiudicio, poterit adhuc sub conditione ministrari baptismus. Cum enim pro vtraque parte adsit testimonium, res dubia fit positiuè, imo ex vtraque parte probabilis, & ideo

po-

poterit minister sequi quam libuerit.

7 Limitat tamen Glos. prædictam, doctrinam, quod nimirum non sufficiet vnicus testis pro conferendo baptismo, si agatur de præiudicio tertij, vt potè de acquirenda hæreditate relicta sub conditione, si baptizabitur. ita *in cap. Placuit. de consecrat. dist.* 4. Quæ tamen limitatio non placet, quia non agitur immediatè, & principaliter de præiudicio tertij, sed hoc se habet consequutiuè, & minus principaliter. Vnde cum debeat attendi principale tanquam id, quod trahit in consequentiam minus principale tanquam sui accessorium *l. Etiam. C. de iure dot.* fit quod si absolutè sufficit vnicus testis pro baptismo, sufficiet etiam, quando baptismus trahet in consequentiam hæreditatem, tanquam accessorium. Præsertim quia, quæ habent diuersam naturam, si accessoriè adnectantur alteri, perdunt suam naturam, & induent naturam principalis, vt notant Roman. *Consil.* 330. *num.* 14. Nauar. *Consil.* 10. *num.* 3. *de maior. & obed. in noua edit.* Garzias. *de benefic. part.* 11. *capit.* 5. *num.* 195. Vnde hæreditas deferenda baptizato regulabitur ijsdem regulis, quibus, regulatur ministratio baptismi, aliàs præiudicium tertii temporale præferretur præiudicio alterius spirituali, & saluti animæ ipsius, quod est contra rectam rationem, & contra ordinem charitatis, vt docent communiter cum D. August. *lib. 1. de doctr. Christ. cap.* 27. & D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 5.

8 Neque obstat, quod *num.* 1. in contrarium allatum est, quia Concilium, non vtitur nomine *Aliorum* ad significandam pluralitatem, sed ad significandam alteritatem, & diuersitatem testificantis, vnde sensus, est quod possit baptizari, si aliunde suæ voluntatis testimonium habeat. Dictio enim *alius*, denotat diuersitatem *l. Si fundus sub conditione. §. Libertas. ff. de legat.* 1. & notant Bar. *in l. Si quis §. fin. ff. de leg.* 2. Parif. *Consil.* 79. *num.* 22. *lib.* 2. Corn. *Consil.* 5. *num.* 3. *lib.* 1. Menoch. *Consil.* 335. *num.* 10.

An si testis dubitet, an moribundus, vel amens petierit baptizari, aut non satis recordetur, aut sit dubiæ fidei possit baptismus ministrari. Quæst. 61.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua stabilitur.*

2 *Infirmus petens baptizari, & postea nolens dummodo dubitatur, an inciderit in Phrenesim potest baptizari.*

---

1 Affirmatiua sententia tenenda est, quam tradunt etiam Henriquez *lib. 2. sum. cap.* 24. *nu.* 4. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 40. Ratio autem est, quia siue dubitet, siue non satis recordetur, siue sit dubiæ fidei inducit aliquam saltem probabilitatem, quod petierit baptismum, quia vtcunque se habeat testimonium, facit aliquam assertionem, vbi autem est aliqua assertio testis cuiuscunque in ijs, quæ concernunt pietatem, & ad nullius interesse pertinent, adest etiam aliqua probabilitas. Stante autem hac aliquali probabilitate potest ministrari baptismus sub conditione, cum sit fauendum animæ, quantum fieri potest, & conditio apposita præseruet sacramentum à quacunque irreuerentia, vt dictum est in superioribus *Quæstionibus*.

2 Ex quo infertur, quod si infirmus petiit baptizari, & postea nolit baptismum amplius recipere, si dubitetur, quod id procedat ex phrænesi, poterit adhuc baptizari, vt notat etiam Io. Sanchez num. præceden. citat. Quia, cum sit dubium, quod contraria voluntas superueniens non sit libera, sed oriatur ex phrænesi, manet probabile, quod non sit retractata prior voluntas, qua vo-

voluit baptizari, & ideo saltem sub conditione ministrari poterit baptismus.

An si quis existens in peccato publico, petat baptizari, & antequam relinquat peccatum incidat in amentium, aut sensus amittat, possit licitè baptizari. Quæst. 62.

S V M M A.

1 *Potest valide baptizari.*
2 *Non potest licitè baptizari qui teneant.*
3 *Opinio Sanchez.*
4 *Quomodo sustineri possit.*
5 *Sententia affirmatiua.*
6 *Quid de eo, qui dicit velle se emendare, & tantum differre, si incidat in amentiam aut sensus amittat.*

1 POsse valide baptizari certum est omnino, nisi retractauerit priorem voluntatem, vt notant inter alios Syluius, & Chellison. mox citandi. Quia pœnitentia, quæ requiritur pro suscipiendo sacramento baptismi iuxta illud *Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* non est dispositio necessaria ad validè recipiendum baptismum, sed solum ad dignè suscipiendum, & cum fructu, seu mundatione à peccato, vt communiter docent cum *D. Th. 3. part. quæst. 68. art. 4.* quia pœnitentia veteris vitæ est necessaria ad inchoandum nouam vitam, vt notat D. August. *lib. de pœnit. cap. 2. tom. 9.* Et proinde si constat aliquem non pœnitere anteactæ vitæ non potest ipsi ministrari baptismus licitè, quia indignè suscipit, vt communiter docent cum D. Th. *citato loco*. Per baptismum namque vnusquisque Christum induit. Ad Galat. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quomodo autem potest quis Christum induere, si retinet affectum peccandi? 2. Ad Corinth. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate.*

2 An autem qui petiit baptismum perseuerans in peccato præcipuè publico, possit licitè baptizari, si destituatur sensibus, aut superueniat amentia antequam externè pœniteat, & relinquat occasionem peccati. Negant Sotus *in 4. dist. 5. quæst. vn. art. 12. §. Sed tertiò arguitur.* Victoria *Relect. de sacram. cap. 22.* Syluius *3. part. quæst. 68. ar. 12.* Chellison. ibid. Quorum fundamentum est, quia iuxta regulam, quam tradunt D. Th. *3. par. quæst. 68. ar. 12.* & Scot. *in 4. dist. 4. quæst. 4.* Qui incidunt in amentiam iudicandi sunt secundum vltimum terminum vsus rationis. Tales autem qui incidunt in amentiam, secundum vltimum terminum vsus rationis, non sunt dispositi ad recipiendum baptismum, cum amentia superueniat dum adhuc permanent in peccato.

3 At Io. Sanchez in Selectis de sacrament. *disp. 44. num. 43.* docet, posse baptizari eum, qui in publico concubinatu viuens postulauit baptismum, quia, & si scandalosam vitam ageret, eo ipso, quod baptizari poposcit, credendum est vitam in melius mutare desiderasse, & consequenter sufficienter habere dispositionem, vt baptizari posit.

4 Hæc doctrina non potest absolutè subsistere, sed solum, quando petens baptismum non habuit tempus tollendi occasionem peccati, in quo versatur. Tunc enim solum ex petitione baptismi potest argui animus pœnitens, quando amentia superuenit tam citò, vt non adfuerit tempus congruum, vt pœnitentia sortiretur suum effectum. At quando ante amentiam adfuit tempus, si post quam petijt baptismum, perseuerauit scandalosè viuere, signum manifestum est, quod illa petitio non fuit coniuncta pœnitentiæ, quia vera pœnitentia non potest stare simul cum affectu ad peccatum. Vnde cum non pœnituerit an-

ante amentiam, nec in amentia possit pœnitere, neque etiam poterit baptizari defectu debitæ dispositionis. Et habet locum regula, quod attendendus sit vltimus status, in quo ad fuit vsus rationis.

5 Quod autem spectat ad eum, qui postquam petiit baptizari adhuc perseuerauit scandalosè viuere, & in hac perseuerantia morbo correptus amisit sensus, existimo posse baptizari. Et hoc absque vlla dubitatione est doctrina D. August. *de adulterin. coniug. lib. 1. cap.* 28. vbi asserit, quod etiam illi catechumeni qui perseuerant in adulterinis coniugiis, si ita morbo corripiantur, vt amittant sensus, baptizari possunt, quia fieri potest quod voluerint solum in illis perseuerare vsque ad tempus baptismi, & proinde tunc intus pœniteant, quamuis extrinsecus nō possint ostendere signa pœnitentiæ. Eius verba sunt. *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viuentium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum saluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se poenitentes iacuerint, nec per se respondere potuerint, baptizandos puto, vt hoc etiam peccatum cum coeteris lauacro regenerationis abluatur. Quis enim nouit vtrum fortassis adulterinæ carnis illecebra vsque ad baptismum statuerant detineri.* In qua auctoritate tangitur etiam ratio fundamentalis, quia nimirum fieri potest, quod petens baptizari velit perseuerare in illo peccato vsque ad tempus baptismi, & tunc pœnitere, & proinde stante tali voluntate baptismi cum se videat proximum morti, desideret tunc baptizari, & intus poeniteat, quamuis non possit explicare suam poenitentiam eo, quod non potest pro se respondere. Stante ergo hac probabilitate debitæ dispositionis, & præcedente voluntate de baptismo non retractata, poterit infirmus saltem sub conditione baptizari.

6 Ex dictis colligitur, quod si petens baptismum, & existens in peccato publico, dixisset velle se emendare, & solum differre tollere occasionem peccati, vt inueniat interim aliquam opportunitatem aut eijciendi concubinam, aut tollendi aliam occasionem, si incidet in amentiam, antequam exequutioni mandet propositum, poterit baptizari, quia tunc præsumendum erit, quod non ex affectu peccati, sed ex alio capite distulerit tollere occasionem, & proinde præsumi poterit, quod adfuerit vera poenitentia. Ita etiam Io. Sanchez *in selectis de sacramen. disp.* 44. *num.* 47.

An postulans baptismum, & postea scandalosè viuens baptizari possit, si absque signis pœnitentiæ incidat in amentiam, aut in morbum, in quo nequeat dare signa pœnitentiæ. quæst. 63.

S V M M A.

1 *Non posse baptizari.*
2 *Præsertim si inciderint amentiam.*
3 *Quid de iis qui in morbo corripiuntur, vt non possint loqui, & dant signa pœnitentiæ, qui non percipiuntur à præsentibus.*
4 *Absolutio sub conditione danda ei, qui non petiit confessionem nec dedit signa pœnitentiæ. num, 5.*
6 *Baptismus in hoc casu dandus sub conditione.*
7 *Soluuntur difficultates, num. 8.*

---

1 NOn posse baptizari, docent Ragucius *in Lucerna Parochorum. Tit. de baptis. quæstio* 38. Cabr. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 12. *nu.* 1. Io. Sanchez *in selectis de sacram. disp.* 44. *num.* 44. Nam publicis peccatoribus non sunt ministranda sacramenta, nisi saltem coram vno teste signa pœnitentiæ exhibuerint, vt docent communiter Doctores, quia in communi opinione sunt indigni sacramentis, & ideo mi-

ministrans indignis non solum peccaret contra reuerentiam debitam sacramentis, sed etiam peccato scandali.

2 Hanc doctrinam certam existimo quòad amentes, quia omnino indispositi sunt, nam quamuis pœnituerint, quando petierunt baptizari, hæc tamen pœnitentia exclusa fuit à superueniente peccato, vnde cum in ipso perseuerauerint vsque ad amentiam, quæ impenitentibus superuenit, redduntur omnino indigni baptismo, quia stante amentia nullum possunt elicere actum penitentiæ, quæ, vt dictum est, requiritur, vt dispositio necessaria ad recipiendum baptismum dignè, & cum fructu.

3 Sed quod spectat ad eos, qui ita morbo corripiuntur, vt non possint loqui, & si dant aliqua signa penitentiæ, non percipiuntur à præsentibus, existimo esse eamdem rationem de ipsis, quòad sacramentum baptismi, ac de iis, qui in peccato existentes simili morbo corripiuntur in ordine ad sacramentum penitentiæ, quia in his quoque est necessaria interior penitentia, & debet etiam per signa externa manifestari non solum vt dignè, sed etiam vt validè recipiatur sacramentum. Si ergo hi possent absolui absque eo, quod confessarius vel per se ipsum, vel ex aliorum testimonio habeat extreriora signa poenitentiæ, poterunt etiam isti, de quibus agimus baptizari, si non retractauerint voluntatem, qua prius volebant baptizari.

4 Quod autem moribundus, qui nec petiit confiteri, nec signa poenitentiæ dederit absolui possit sub conditione habetur ex Memoriali confessariorum *cap. 1. de sacram. poenit. num.* 16. edito iussu Cardinalis Ludouisii Archiepiscopi Bononiensis, qui postea Summus Pontifex creatus est, & nuncupatus Gregorius X V. Imo addit sacerdotale Romanum *pag.* 624. ex doctrina D. Antonini, posse etiam absolui moribundum assuetum frequentare confessionem, quamuis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit. Neque solum potest confessarius in his duobus casibus absoluere, sed etiam debet, quia contingere potest moribundum esse tantum attritum, vnde damnetur, nisi absoluatur. Ita in citato Memoriali. Tradunt autem hanc opinionem Antonius de Litteratis *in sum. par.* 1 *cap.* 35. *num.* 7. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 48. *&* 49. Hombon. *par.* 1. *Examin. Eccles. tract.* 7. *cap.* 18. *quæst.* 8. Cordub. apud Vual. *in Candelab. par.* 1. *Tit. de absolut. num.* 72. Bartholom à S. Fausto *de poenit. lib.* 4. *de confessione quæst.* 204. vlt. edit. Neapolit. Auersa 3. *par. quæst.* 10. *de confess. sect.* 18. ver. *At in casu* Iacob Bayus *lib.* 2. *Instit. Christ. relig. cap.* 91. Leander *de sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 46. Petrus Marchant. *par.* 1. *tribunal conscient. tract.* 4. *tit.* 4. *quæst.* 3. ver. *Sed ad primam.*

5 Et ratio est, quia fieri potest, quod moribundus intra se poeniteat, atque conetur exprimere dolorem suum, & aliquo signo explicet, quod tamen non percipiatur ab adstantibus, quia existimetur prouenire ex dolore, aut esse motum naturæ, quod sibi contigisse testatur Marchantius citatus, & alii etiam testati sunt hoc ipsum, qui cum perciperent se non absolui, quia signa doloris non perciebantur, nec possent suos sensus exprimere desiderabant quod sacerdos præsens fuisset huius opinionis. Vnde si impertiatur absolutio sub conditione, nulla irrogabitur iniuria sacramento, & poterit esse causa, quod ille moribundus saluetur, si aliàs esset solum attritus.

6 Hæc autem ratio militat etiam in præsenti casu, sicut & ratio D. Augustini allata *quæst. præced. num.* 5. Cum enim petierit baptizari, iam habemus, quod cogitauit de salute æterna, & eam sibi proposuit pro fine, & proinde elegit baptismum tanquam medium necessarium, & licet in publicum peccatum inciderit, nòn per hoc fit, quod deposuerit, seu retractauerit præcedentem voluntatem. Vnde dum sic opprimitur morbo, vt non possit sensus suos explicare

care fieri poteſt, quod intus doleat de peccatis, & renouet voluntatem baptiſmi. Quod cum non ſolum ſit poſſibile, ſed etiam probabile, poterit ſub conditione baptizari.

7 Nec obſtat, quod peccatoribus publicis non ſint miniſtranda ſacramenta, quamdiu in peccato perſeuerant, quia hoc valet de iis, qui ſunt in ſtatu oſtendendi pœnitentiam, ſine qua indignè miniſtrarentur, & irreuerenter, atque cum ſcandalo, non autem, quando ſunt in ſtatu, vt non poſſint oſtendere ſigna pœnitentiæ, & veriſimile eſt, quod poeniteant: nec miniſtrantur cum ſcandalo, & irreuerentia, vt contingit, quando miniſtrantur ſub conditione, quia tunc, ſi ſunt poenitentes, conficitur ſacramentum, & dignè recipitur. Si verò non ſunt poenitentes, non conficitur ſacramentum, & ideo nulla interuenit irreuerentia.

8 Dices publicis peccatoribus decedentibus ſine ſignis poenitentiæ denegatur eccleſiaſtica ſepultura, ergo multo magis debent priuari omni ſacramento, ſi ad eum ſtatum peruenerint, vt non poſſint exhibere ſigna poenitentiæ. Reſp. neg. conſeq. tum quia ſepulturæ eccleſiaſticæ denegatio eſt poena, & ideo habet locum ſolum quoàd fideles, qui ſubduntur Eccleſiæ, ſicut etiam eſſet denegatio ſacramentorum: non autem habet locum reſpectu non baptizatorum. Tum quia eſt diuerſa ratio; nam denegatur eccleſiaſtica ſepultura, quando certum eſt mortuum eſſe in ſtatu damnationis, ne talis honor exhibeatur corpori animæ damnatæ. At quando nondum baptizatus, qui baptiſmum petiit deuenit ad illum ſtatum, in quo non poteſt amplius exhibere ſigna poenitentiæ, cum poſſit poenitere; non eſt cenſura, quod ſit indignus baptiſmo; imo cum probabile ſit, quod poeniteat, vt dictum eſt, adeſt ſufficiens fundamentum miniſtrandi baptiſmum ſub conditione.

An in periculo mortis infidelis baptizandus ſit inſtruendus in fide. Quæſt. 64.

S V M M A.

1 *Inſtructio in fide debet præcedere collationem baptiſmi.*
2 *Eſſe vtcumque exponendam fidem qui teneant.*
3 *Non eſt neceſſe præmittere inſtructionem fidei.*
4 *Quid ſi adſit tempus, & baptizans moretur in periculo vitæ.*

1 Eſſe baptizandos prius inſtruendos in fide, quam ad baptiſmum admittantur habetur ex cap. *Ante baptiſmum, & ſequen. de conſecrat. diſt.* 4. imo ex verbis Chriſti inſtituentis baptiſmum. *Matth. vltimo. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Vnde videtur hæc inſtructio præmittenda de iure diuino, & ex vi inſtitutionis, ſi quidem eam præcepit Chriſtus præmittendam in ipſa inſtitutione ſacramenti. Et eſt neceſſaria ex natura rei, quia cum in baptiſmo fiat profeſſio fidei, debet baptizandus, quando eſt capax, ſcire, quid profiteatur. Vnde ſolum difficultas eſt, quid faciendum vrgente periculo mortis.

2 Reſp. Tolet. *lib.* 2. *ſum. cap.* 21. *num.* 5. *in fine*. Zambran. *in ſuis deciſ. cap.* 1. *de Baptiſ. dub.* 14. Io. Sanchez *in ſelect. de ſacram.* Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 20. in periculo mortis vt pote naufragii, & aliis huiuſmodi, eſse vtcumque exponendam fidem, & ſi petens baptiſmum aſsentiatur eſse baptizandum. Quod certè obſeruandum eſt, ſi adſit tempus explicandi quocunque modo explicatio fieri poſſit.

3 Verum ſi adſit periculum, quod ſu-

superueniat mors, dum interim fides explicatur, non erit necesse præmittere instructionem, sed eo ipso, quod petit baptismum, poterit baptizari. Quia dum petit, præsumitur scire quid petat, & proinde aut instructum esse in fide, aut saltem velle suscipere baptismum sicut Christus instituit, & Ecclesia ministrat, atque adeo velle profiteri illam fidem, & religionem, ad quam baptizando admittit Ecclesia, quod sufficit, vt docet D. Th. *3. par. quæst. 68. art. 8. ad 3.* quia implicitè cognoscitur fides, quam profiteri debet, & adueniente baptismo, in quem consentit profitetur explicitè fidem Trinitatis, cum in forma baptismi fiat explicitè inuocatio ipsius. Vnde præcedit baptismum aliqualis instructio, quæ consistit in cognitione confusa fidei, quam proponit Ecclesia.

4. An autem possit baptizans prætermittere instructionem, quando adest tempus præmittendi ipsam, ne se exponat periculo mortis, vt pote quia pestis grassatur; & si diu in illo moreretur, iminet periculum infectionis. Videtur affirmatiuè respondendum. Tum quia licet ex natura sacramenti sit necessaria instructio fidei, non est tamen necessaria explicita, sed sufficit, si baptizandus velit recipere baptismum eo pacto, quo à Christo institutus est, & ministratur ab Ecclesia, vt dictum est num. præcedenti, & supra quæst.. num. 5. Tum quia licet adsit obligatio ministrandi baptismum constitutis in periculo mortis, quando alicui incumbit ex officio cura salutis ipsorum, quales sunt Parochi, etiam cum periculo mortis, non tamen adest obligatio præmittendi instructionem cum tanto discrimine, cum hæc non sit medium necessarium ad salutem. Imo cum agatur de conferendo baptismo adulto, qui proinde non est subditus Ecclesiæ; & consequenter non spectat ad iurisdictionē Ecclesiæ, neque Parochi habēt specialem obligationem ad baptizandum, sed tantum communem, quam habent cæteri ratione charitatis. Vnde cum charitas neque in tali casu cum periculo vitæ obliget ad baptizandum, cum talis adultus non sit in extrema necessitate, si quidem saluari potest per contritionem, & baptismum in voto, multo minus obligabit ad præmittendam instructionem fidei cum periculo vitæ.

An liceat adulto ob minas mortis prætermittere baptismum.

Quæst. 65.

SVMMA.

1 Quia fieri potest, quod Tirannus, aut parentes infideles minitentur mortem filio adulto, si baptismum suscipiat, ideo dubitatur, an quando censetur, quod huiusmodi minæ sint exequutioni mandandæ, liceat ipsi omittere baptismum ob fugiendum periculum mortis. Et quod liceat differre in aliam opportunitatem non potest reuocari in dubium, vt notant Suarez *disp. 3. de sacram. sect. 3. init.* Granad. *3. par. Controuer. 4. de sacram. tract. 4. disp. 2. num. 8.* Quia cum præceptum baptismi sit affirmatiuum, non obligat cum tanto discrimine: imo non incipit obligare, nisi quando moraliter est possibilis exequutio, & proinde ex graui causa potest differri; non est autem exequutio moraliter possibilis, quando sequitur ex ipsa periculum vitæ. Vnde solum difficultas est, quando moraliter censetur non adfuturam amplius opportunitatem illum recipiendi, vel quia qui vult bap-

baptizari, est in periculo mortis, vel quia non sperat adfuturam amplius copiam ministri; est enim eadem ratio, quia se exponit periculo moriendi absque baptismo.

2 Est autem certum in hac difficultate, vt notat etiam Granad. num. præcedenti citatus, quod potest quisque se exponere periculo mortis, vt recipiat baptismum. Ratio autem est, quia ex graui causa licet exponere propriam vitam, cum hoc non sit se occidere, sed mortem permittere sibi inferri. Vnde potest quis pro conseruanda vita proximi magis reipublicæ necessarii exponere propriam, vt communiter docent cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *ad* 2. *& art.* 5. *ad* 3. *& in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 15. *art.* 5. *ad* 3. Est autem causa grauissima non priuari in perpetuum baptismo, & seruare mandatum diuinum de ipso suscipiendo, & certificare propriam salutem. Imo in hoc interueniet actus charitatis erga seipsum, nam iuxta ordinem ipsius præferenda est salus spiritualis animæ saluti corporis, vt desumitur ex D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. Atque etiam actus fortitudinis. Fortitudo namque firmat hominem in bono virtutis contra pericula grauia vt docet idem D. Th. 2. 2. *quæst.* 123. *art.* 2. Et proinde quia in tali casu exerceretur firmitas animi contra mortem pro obseruantia diuini præcepti esset actus virtutis.

3 An autem teneatur se exponere tali periculo mortis, negat absolutè Granad. 3. *part. controuer.* 4. *de Sacram. tract.* 4. *disp.* 2. *num.* 28. Quia baptismus in re susceptus non est medium absolutè necessarium ad salutem, cum sufficiat baptismus in voto. Et è contra amor vitæ est maximus, & maxima est obligatio conseruandi ipsam, quantum fieri potest prudenter, ergo non tenetur subire manifestum vitæ periculum, vt recipiat baptismum, cum possit per actum contritionis saluari.

4 At Suarez 3. *par. disp.* 31. *de sacram. sect.* 3. ver. De alio periculo, tenet, quod si adultus sit in articulo mortis, non possit omittere baptismum, vt se subtrahat certo periculo mortis. Quia cum præceptum sit iuris diuini, & de re grauissima, & maximè necessaria ad salutem, non potest prætermitti absque grauissima, & euidenti causa; quæ tunc non interuenit, quia cum homo sit in probabili periculo mortis, non est ratio habenda periculi ab extrinseca violentia; quia augmentum periculi, vel illa acceleratio mortis seu certitudo non est tanti momenti, vt per eam sit remedium tam necessarium prætermittendum.

5 Et hoc mihi videtur certum. Quia licet in tali casu posset saluari per contritionem, quia tamen contritio est valde difficilis, & incertum est, an sit vera contritio, ideo ob conseruandam pro aliquo breui tempore vita corporali relinqueret remedium certum salutis spiritualis, pro in certo, & virtualiter plus appretiaret modicum vitæ corporalis, quam vitam spiritualem, & salutem æternam, si quidem ipsam relinqueret in incerto, ratione incerti remedij pro modico tempore vitæ corporalis; quod est contra debitum ordinem charitatis; quæ exigit, vt anima, & quæ ipsam concernunt præferantur corpori. Si quidem anima est multo pretiosior corpore cap. *Cum infirmitas* §. *coeterum. de poenit. & remission. & cap. Præcipimus.* 12. *quæst.* 1.

6 Atque hanc obligationem puto habere locum etiam extra articulum mortis, quando nimirum baptismus esset absolutè prætermittendus; ita vt extra illam occasionem non speraretur amplius adfuturam opportunitatem illam suscipiendi. Ratio est. Quia secundum rectum ordinem charitatis tenemur plus appretiare bonum excellentioris ordinis, quàm inferioris ordinis; siquidem plus participat de motiuo charitatis, quod est bonum excellentius: vt docet D. Th. 2. 2. *q.* 26. *ar.* 9. *in corpore*. Vnde etiam ob hanc rationem bonum commune debet præferri bono cuilibet par-

ticulati, vt notat idem D. Th. p. 2. *eadem quæst. 26. art. 4. ad 3. & art. 3. in corpore*. & publica vtilitas priuatæ præferenda est *l. vnica* §. *fin. C. Renaluit. tollen. & l. Sancimus. C. de sacrosant. Eccl. & l. Actione.* §. *Labeo. ff. pro socio, & Authen. Res, quæ. C. communia de legat.* Vnde subintrat lex naturalis, quæ obligat exponere propriam vitam pro publica vtilitate.

7 In præsenti autem casu concurruntbona excellentioris ordinis cum bonis inferioris ordinis nempe bona spiritualia, quæ conferuntur per baptismum, in quibus includitur vita spiritualis, & regeneratio in Christo, & ea quæ necessario supponunt baptismum, qualis est perceptio sacramentorum, fructus sacrificii: & habere remedium certum pro salute æterna, & reparatione status supernaturalis: qualis non est proprius actus hominis: cum non possimus esse certi, quod sit vera contritio. Ex alia vero parte concurrit vita corporalis, quæ est inferioris ordinis, ergo debet præferri baptismus.

8 Rursus etiam concurrit bonum publicum cum priuato, nempe Congregatio omnium, qui in Christum credant in vna Ecclesia, in vna fide, sub vno capite visibili, in eadem sacramentorum, & sacrificij communione: & incorporatio per modum membri ad idem corpus Ecclesiæ, & ingressus in idem ouile sub eodem pastore: Professio solemnis fidei: Exhibitio debitæ obedientiæ, ita vt grauiter lædatur honor diuinus, si habens sufficientem cognitionem non suscipiat baptismum, per quem solum hæc omnia obtineri possunt, vt notant Suarez *disp. 14. de fide sect. 2. num. 7.* Coninch. *disp. 15. dub. 4. num. 78.* Palaus *par. 1. oper. mor. tract. 4. disp. 1. punc. 13. num. 6.* Ex alio autem capite concurrit bonum priuatum nempe propria vita, & proinde hæc est postponenda. Et sicuti subditus tenetur exhibere debitam obedientiam, & subiectionem Principi etiam cum periculo vitæ; ita etiam quilibet tenetur etiam cum periculo vitæ exhibere debitam obedientiam, & subiectionem Deo, & Christo mediante Ecclesia, & se constituere inter subditos ipsius.

An qui in articulo mortis petit baptizari coram testibus, & moriatur ante baptismum frui possit ecclesiastica sepultura.

Quæst. 66.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Sententia affirmatiua, & eius rationes. num. 3.*
4 *Soluuntur difficultates num. 5. 6. 7. & 8.*

1 PArtem negatiuam tuetur Ioan. Sanchez *in selectis de sacram. disp. 44. num.* 48. Et prob. 1. Concilio Bracharensi 1. *Can.* 35. ibi. *Placuit, vt cathechumenis sine redemptione baptismi defunctis, nec oblationis sancta commemoratio, nec sepeliendi impendatur officium.* ergo cum actioni sepeliendi in loco sacro annexum sit officium diuinum, & hoc non possit concedi, nec etiam poterit concedi ecclesiastica sepultura. Quod autem ecclesiastica sepultura, & officium diuinum ita connectuntur, vt sublato vno, alterum quoque auferatur, & vno concesso, alterum quoque censeatur concessum habetur *ex cap. Alma mater de sent. excommunicat. in 6.* vbi decernitur, quod omnes, qui sepeliuntur in Ecclesia, possint sepeliri cum diuino officio, & missa; & ita notant Henriquez *lib... cap. 53. num. 4.* Suarez *disp. 35. de censur. sect. 1.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 36. num. 2.* Secundò. Non est ingressus per baptismum intra Ecclesiam visibilem, nec ipsum agnoscit, vt

vt filium visibilem, ergo non debet ab ipsa honorari ecclasiastica sepultura.

3. Ecclesiastica sepultura negatur etiam fidelibus baptizatis, licet sacramenta susceperint, tempore interdicti, nisi habeant Bullam cruciatæ. Et etiam iis, qui annuæ confessionis præceptum non impleuerunt, licet signa poenitentiæ ostenderint ex cap. omnis vtriusque sexus. De poenit. & remissionib. ergo multo magis, qui sine baptismo aquæ decedit, quamuis ipsum petierit; quia carere baptismo aquæ est maius impedimentum ad ecclesiasticam sepulturam, quam sit interdictum, aut non impleuisse annuum præceptum confessionis.

2 Hæc tamen opinio mihi probari non potest. Fieri enim potest, quod petens baptismum iustificetur ante ipsius receptionem, & fiat membrum corporis Christi, & pertineat ad Ecclesiam tryumphantem, ergo erit membrum Ecclesiæ licet nondum declaratum, & pro tali acceptatum, quia Ecclesia est corpus Christi, cuius ipse est caput, & qui pertinet ad Ecclesiam tryumphantem, pertinet etiam ad militantem: ergo non est conueniens, quod abiiciatur ab Ecclesia, quia se exponeret periculo abiicendi proprium membrum. Confir. Ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 16. Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influit.* ergo si per contritionem iustificatus est, factus est membrum Christi recipiens influxus ipsius; ergo non est conueniens quod Ecclesia reiiciat membrum Christi, & neget intra se illum recipere, in quem Christus influit.

3 Confir. 2. Ecclesia in concedenda, vel neganda ecclesiastica sepultura non tantum attendit statum fidelitatis, vel infidelitatis, sed etiam statum peccati. Vnde publicis peccatoribus, qui impœnitentes decesserunt, denegatur. cap. *Ex parte de sepulturis*, & cap. *super eo. de raptorib.* & cap. *Non æstimemus.* & cap. *Pro obeuntibus. 13. quæst. 2.* & cap. 2. *de hæreticis in 6.* Et nihilominus si publici peccatores dent signa poenitentiæ conceditur ecclesiastica sepultura per eosdem tex. ergo debet etiam concedi petenti baptismum, quamuis ante mortem non potuerit obtinere; quia non minus dubia est salus publicorum peccatorum, qui poenitentiæ signa dederunt, quam sit infidelis, qui petiit baptismum: nec magis reconciliatus est Ecclesiæ publicus peccator per illa signa poenitentiæ, quam sit incorporatus infidelis per postulationem baptismi; cum vtrique desit signum sensibile nempe sacramentum, vni quidem reconciliationis, & alteri incorporationis.

4 Neque obstant, quæ pro opposita sententia allata sunt. Vnde Ad primum resp. Quod Concilium Bracharense primum fuit Prouinciale; atque adeo decreta ipsius non habent vim extra prouinciam. Deinde solum prohibet pro catechumenis psallendi officium, & oblatio seu sacrificum missæ quæ fuerat introducta non autem Ecclesiasticam sepulturam. Nec à prohibitione vnius fieri debet extensio ad prohibitionem alterius, quia non solum sumus in odiosis, quæ restringi debent, non extendi; sed etiam quia militat diuersa ratio, quæ prohibet extensionem: quia vbi est diuersa ratio debet esse etiam diuersa iuris dispositio *l. Si ita ff. de manumis test. & l. Seruus. ff. de stat. liber. & l. Inter stipulantem. §. Sacram. ff. de verbor. obligat.* Est autem diuersa ratio de sacrificio missæ, & de psallendi officio, ac de Ecclesiastica sepultura: nam cum baptismus sit ianua, per quam quisque ingreditur in Ecclesiam; atque adeo ad participandum in bonis ipsius; non debet admitti ad talem participationem; nisi habuerit ingressum. Præsertim quia sacrificium missæ non potest prodesse catechumeno defuncto ex opere operato, vt cum D. August. *de anima, & eius orig. lib. 1. cap. 9.* Chrysost. *hom. 3. ad Philip.* D. Th. *3. par. quæst. 79. art. 7. ad 2.* Notat Suarez *3. part. tom. 3. disp. 79. de sacram. sect. 10. ver. Primò igitur*, & psal-

len-

lendi officium non potest impendi in virtute meritorum Christi, cum hæc non dispensentur seu applicentur ab Ecclesia, nisi insignitis charactere baptismali: & in sepultura Ecclesiastica hæc locum non habent, & proinde militat diuersa ratio.

5 Quando autem dicitur, quod Ecclesiastica sepultura, & Ecclesiasticum officium, & oblatio sacrificij sunt ita connexa, vt concesso vno, concedatur & alterum: & vno negato, negetur & alterum, hoc in iure falsum est, neque quid tale habetur *in cap. Alma mater. de sentent. excommunicat. in 6.* neque aliquid, quod ad rem faciat. Neque Suarez quem pro se citat in illa *disp. 35. sect. de censur.* hoc dicit: sed solum *num. 8. & 9.* docet, quod cum in cap. *Quod in te de poenit. & remis.* concedatur clericis seruantibus interdictum, quod possint tempore interdicti sepeliri in loco sacro, & in cap. *Alma mater,* concedatur, quod tempore interdicti possint celebrari Diuina officia sine cantu submissa voce, & celebrari ianuis clausis, & sine pulsatione campanarum, exclusis excommunicatis, & interdictis; poterunt pro talibus clericis dicto modo concesso offerri sacrificia, & recitari officium: quod est illatio, quam ipse deducit, & continet quid longe diuersum.

6 Quod autem in iure concedatur Ecclesiastica sepultura, & non officium diuinum, & oblatio sacrificij, habetur ex dicto cap. *quod in te de poenit. & remission.* vbi clericis, qui seruent interdictum, conceditur, vt in coemeterio Ecclesię sine campanarum pulsatione, cessantibus solẽnitatibus omnibus cum silentio tumulentur. Et quamuis Suarez *num. praced. citat.* inferat ex tex. cap. *Alma mater. de sent. excommunica. in 6.* quod possint pro istis clericis offerri sacrificia, & recitari diuina officia, quia dict. tex. aliquid de nouo concedit: attamen aduertit *num. 10. dicta sect.* quod non possunt Psalmi recitari dum per vias corpus defuncti defertur, neque dum sepelitur, neque sepulturam benedici, &c. quia hæc prohibita sunt per capit. Quod in te: neque sunt concessa per cap. Alma mater.

7 Ad 2. resp. non esse ingressum in Ecclesiam visibilem, solemniter recipiendo characterem eorum, qui sunt de Ecclesia; esse tamen ingressum in voto; quod sufficit, vt possit corpus ipsius acceptari ad Ecclesiasticam sepulturam. Quod enim quis debeat esse baptizatus, vt fruatur ecclesiastica sepultura, est conditio quædam requisita ab Ecclesia; vnde cum per ipsum non steterit, quin adimpleretur, si quidem postulauit baptismum, debet haberi pro adimpleta. *l. Quæ sub conditione. §. Quoties. ff. de condit. instit. & l. In iure ciuili. ff. de condit. & demonstr.* Imo cum Deus intuitu illius voti, & contritionis acceperit ipsum ad Ecclesiam tryumphantem, non debet Ecclesia ipsum reijcere ab Ecclesiastica sepultura.

8 Ad 3. neg. conseq. nam non licet inferre, quod si aliquibus fidelibus negatur Ecclesiastica sepultura, sicuti negatur tempore interdicti, & ijs, qui non impleuerunt præceptum annuæ confessionis, debeat etiam negari infideli, qui ante mortem postulauit baptismum, & non potuit obtinere: nam iis negatur in poenam, & ordinatur ad resipiscentiam. In casu autem nostro hæc non habent locum, quia nullum adest delictum puniendum, & ob quod opus sit resipiscentia.

An qui baptizatur in periculo mortis, sit irregularis. Quæst. 67.

S V M M A.

1 *Esse irregularem*
2 *Aduertenda circa hanc irregularitatem. num. 3.*
4 *Explicatur textus.*
5 *An irregularitas sit quoad omnes ordines.*
6 *An sit irregularis qui ob minas mortis inducitur ad suscipiendum baptismum.*

Dif-

7 *Differens baptismum ad longum tempus non est irregularis.*

1 Esse irregularem, qui baptizatur in periculo mortis constitutus habetur expresè ex cap. *Vnico dist.* 57. desumpto ex Concilio Neocæsariensi *cap.* 12. ibi. *Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbiter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est; nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* Et ita notant Doctores in hunc locum cum Glos. Achunna *num.* 2. Roman. *singul.* 421. *sum. confessar. lib.* 3. *tit.* 20. *quæst.* 1. & 2. D. Antonin. 3. *part. tit.* 26. *cap.* 6. §. 1. Syluester. verbo. *Irregularitas. quæst.* 23. Viuald. *in Candelab. tit. de irregular. num.* 45. Couarru. *par.* 2. *de homicid.* §. 2. *num.* 7. Salzedo *in praxi. capit.* 22. Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 8. *num.* 30. Tolet. *lib.* 1. *sum. cap.* 70. *in fine*. Henriquez *lib.* 1. *de irregularit. cap.* 4. *num.* 7. Suarez *disp.* 42. *de censur. sect.* 1. *num.* 5. Ricciul. *de iure personar. Tit. de neoph. cap.* 3. *num.* 2. 6. & 7.

2 Circa quam irregularitatem est aduertendum, quod non est imposita propter culpam, sed propter suspicionem, quod in tali baptizato non adsit vera, & viua fides, vt contra Glos. *in dict. cap. verbo sed ex necessitate* notant Achunna *ibid. num.* 3. Barbosa *num.* 1. Suarez *disp.* 42. *de censur. sect.* 1. *num.* 5. Quod colligitur euidenter ex ipsa ratione, quam assignat text. ibi. *Non enim fides illius voluntaria sed ex necessitate est*, ex quibus verbis colligitur, quod præsumatur suspicio de fide taliter baptizati, quod ex corde non suscipiat baptismum, & profiteatur fidem christianam, sed timore mortis coactus, & proinde fides tanquam ex timore causata, suspecta sit.

3 Secundo est aduertendum, quod hæc irregularitas fundatur in præsumptione. Quod manifeste indicant verba illa. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est. Ex quo fit, quod si non haberet locum huiusmodi præsumptio, vel posset contrariis probationibus, aut præsumptionibus elidi; neque etiam in foro externo haberet locum irregularitas: nimirum vt si quis ante infirmitatem declarasset se velle baptizari, & baptismus dilatus fuisset ob aliquod impedimentum, vel ob necessitatem catechismi, vel ex alia rationabili causa: aut si tunc primo haberet motiua proposita pro conuersione. Cum enim constet de veritate, debet cedere præsumptio. *L. Nuptura, ff. de iure dot. & l. fin. init. ff. quod met. cau. & l. Cum de indebito, ff. de probat.*

4 Quia autem in dicto text. habetur, quod poterit ordinari, si ipsius studium, & fides probabilis fuerit; hoc est, si purgauerit suspicionem per vitam subsequentem, quod metu mortis non fuerit inductus ad suscipiendum baptismum, dubitatur, an tunc sit necessaria dispensatio. Et partem affirmatiuam tenet Suarez *cit. disp.* 42. *de censur. sect.* 1. *num.* 6. Achunna *in dict. cap. vnicum, num.* 6. *dist.* 57. Barbosa *num.* 3. Quia cum sit præsumptio iuris, in qua fundatur irregularitas, debet etiam iuridicè tolli. At rectius non esse necessariam dispensationem tenent Glos. *in dict. tex.* verbo. *Sed ex necessitate*. Maiol. *lib.* 3. *de irregularit. cap.* 9. Quia cum præsumptio sequẽs de iure elidat præcedentẽ *l. Diuus. ff. de integr. rest.* si per subsequentem vitam corruit suspicio, cessat etiam irregularitas, cum cesset fundamentum, in quo fundabatur. Et cum ius declaret, vt in dicto cap. quod possit ordinari, si euacuauerit suspicionem, cùm iuridicè sublata est præsumptio: proinde requiritur solum iudicium Episcopi iudicantis euacuatam fuisse præsumptionem, cum iam sit ipsis concessum tales personas ordinare. Cum autem dispensatio sit relaxatio iuris, non habet locum, nisi quando ius obligat; non obligat autem ad aliquid non faciendum, quando concedit fieri, vt in casu nostro.

Rur-

5 Rursus dubitatur, an dicta irregularitas sit quoad omnes ordines, an vero quoad solum præsbiteratum: Et ratio dubitandi sumitur ex dicto tex. dum ait. *Præsbiter ordinari non debet.* ergo poterit promoueri ad alios ordines. Sed resp. Irregularitatem esse quoad omnes ordines, vt notat Achunna *in dict. cap. vn. num. 5. dist.* 57. Quia hæc est natura irregularitatis, vt inhabilem faciat ad omnes ordines suscipiendos. In tex. autem dicitur, quod non ordinetur præsbiter, quia ponitur præsbiteratus, tanquam id, ad quod coeteri ordines sunt via; & proinde prohibita promotione per inhabilitatem ad ipsum, censetur posita etiam inhabilitas ad alios ordines tanquam ad viam ad præsbiteratum; nam prohibito vno, sunt etiam ea omnia prohibita, per quæ peruenitur ad ipsum. *l. Oratio. ff. de sponsalib. & l. Pupillus.* §. *Sed si per interpositam. ff. de auct. tut.* & cap. *Præterea de offic. deleg.* & cap. *Cum quid prohibetur. de reg. iur. in 6.*

6 Ex dictis colligitur, an sit irregularis is, qui ob minas mortis inducitur ad suscipiendum baptismum. Affirmat enim Maiol. *lib. 3. de irregular. cap.* 10. Suarez *disp.* 42. *de censur. sect.* 1. *num.* 7. & inclinat etiam Achunna in *dict. cap. vnico dist.* 57. *num.* quamuis non audeat affirmare, quia talis irregularitas non est expressa in iure. At puto esse sufficienter expressam in *dict. cap. vnico. dist.* 57. quia ponitur irregularitas pro iis, qui metu mortis baptizantur. Parum autem refert, cum materialiter se habeat, quod iste metus proueniat ab intrinseca ratione ægritudinis, aut ab extrinseca ratione minarum, cum omnes ex metu inducantur, quod facit, vt ratio legis locum habeat in omnibus, nimirum quod horum fides non sit voluntaria, sed ex necessitate. Vnde non extenditur lex, sed cum prehendit etiam eos, qui ob minas mortis inducuntur, vt suscipiant baptismum. *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus ff. de petit. hæred. & l. Illud. C. de sacrosanc. Eccles. & l. His solis. ver. Satis etiam cauta. C. de reuocan. donat.* & est communis regula Doctorum, quos citaui in quæst. moralib. canonin. *quæst.* 147. *num.* 3. & locum habet, etiam si lex sit poenalis, vt ibid. dixi *quæst* 160. *num.* 7. imo etiam si poenalis sit, & correctoria simul, vt tradunt Glos. *in Clemen.* 1. verbo. *Eligatur. de elect. Cardin. ibid.* ver. *Vigesimo secundò quæst.* Ancharan. ver. *Quartò nota.* Imola *num.* 18. ver. *Et ita glos.* Bald. *in Authent. quas actiones. C. de sacrosanct. Eccles.* & alii, quos citaui *dict. quæst.* 160. *num.* 8. dummodo ratio sit expressa in lege, vt in casu nostro. Quia cum ratio sit anima legis, communicat ipsi suam latitudinem, & facit quod sub se complectantur omnia, quibus sic anima aptari potest.

7 Secundò colligitur contra Maiolum *de irregulario lib. 3. cap.* 9. Non esse irregularem, qui per longum tempus differt baptismum, vt notant Suarez *disp.* 42. *de censur. sect.* 1. *num.* 8. Achunna *in dict. cap. vn. num.* 3. *dist.* 57. Quia nimirum licet dilatio sit culpabilis, non sufficit ad contrahendum irregularitatem, cum non sit expressa in iure, neque ex hoc *cap. vnico dist.* 57. colligatur. Si quidem in differente baptismum culpabiliter non habet locum ratio legis, quod fides sit ex necessitate, non ex voluntate: nam quacunque dilatione posita, si cesset metus mortis, fides voluntaria erit, & ideo non habebit locum irregularitas, quia non aderit motiuum suspicandi, quod sit parum firmus in fide, & proinde inhabilis, vt admittatur ad ordines.

De ministro Baptismi in tempore necessitatis.

An instante necessitate quilibet possit baptizare. Quæst. 68.

SVMMA.

1 *Sacerdos quam potestatem recipiat, in sua ordinatione.*
2 *Statuitur sententia affirmatiua.*
3 *Laicus baptizans extra necessitatem valide baptizat.*
3 *Peccat tamen nisi interueniat bona fides.*
4 *Soluuntur obiecta. num 4. & seq.*
12 *Ratio cur extra necessitatem baptizans non competendo ei ex officio baptizare peccet mortaliter.*

1 Qvamuis sacerdotes in sua ordinatione recipientes potestatem in verum corpus Christi, recipiant etiam potestatem iuris dicendi in corpus mysticum pro foro conscientiæ, atque adeo pertineat ad munus ipsorum baptizando incorporare baptizatos Ecclesiæ, & acceptare ad participandum in sacramentis Ecclesiæ, vt norat D. Th. *3. par. quæst.* 67. *art.* 2. *in corpore*, & desumitur ex Clemente Romano *lib.* 3. *constit. Apostol. cap.* 11. ibi. *Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus, nisi Episcopis, & præsbiteris*. & D. Isidoro *lib.* 2. *de Ecclesias offic. cap.* 24. *circa finem*. *Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum, eiusque mysterium, nec ipsis Diaconis explere liberum est*, & ex Concilio Florentino. *in Decreto Eugenii*. ibi. *Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Attamen, quia ex hoc, quod quis sacerdos ordinatur non accipit subditos aliquos, sed ipsi postea assignandi sunt, ideo non possunt hoc munus exercere, sed exercitium conuenit solum Episcopis, & Parochis, vt docent communeter D. Th. *3. part. quæst.* 67. *art.* 4. *ad* 2. Suarez *disp.* 17. *de sacram. sect.* 2. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punc.* 1. Vasquez 3. *par. disp.* 147. *cap* 3. & desumitur ex D. Hieronimo *Dialogo contra Luciferianos cap.* 4. *num.* 20. & Tertuliano *lib. de baptis. cap.* 17. *num.* 114. quatenus docent, quod Præsbiteri non habent ius baptizandi sine auctoritate Episcopi. Ratio autem, est quia licet baptizare non sit actus iurisdictionis, illam tamen supponit in baptizante, quia agitur de aggregando baptizato communitati Ecclesiæ, quod non potest fieri nisi ab eo, qui habet iurisdictonem supra ipsam communitatem pertinentem ad illam diœcesim, vel Parochiam, in qua fit aggregatio. Sicut enim non potest quis aggregare aliquem in ciuem, nisi habeat iurisdictionem supra ciuitatem, cui aggregatur, ita nec aggregare in aliquam communitatem Ecclesiæ, nisi habeat iurisdictionem supra ipsam.

2 Statuendum certum est, quod in casu necessitatis, quilibet, est minister sufficiens baptismi. Ita habetur definitum in Concilio Lateranesi sub Innocentio III. vt habetur in cap. *Firmiter de sum. Trinit.* ibi. *Sacramentum verò baptismi tam paruulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum proficit ad salutem*, & in Concilio Florent. *in Decreto fidei post vlt. sess.* §. *Primum omnium*. ibi. *In casu autem necessitatis non solum sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel mulier; imo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia*, & à Nicolao Papa ad Consulta Bulgarorum *cap.* 104. & refertur in cap. A *quodam Iudæo: de consecrat. dist.* 4. Vbi Pontifex definit, quod baptizatus à Iudæo sit verè baptizatus, si est baptizatus cũ vera forma, & ex cap. *Si quis per ignorantiam* 1. *quæst.* 1. vbi Pontifex decernit. *Non esse habendam rationem hominis baptizantis, siue sit Paganus, siue non, sed spiritus Dei subministrantis gratia baptismi*, & ex Vrbano II. Epist. ad Vitalem præsbiterum, vt referrur in cap. *Super quibus*. 30. *quæst.* 30. ibi. *Super quibus consulit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, vt & baptismus sit, si instante necessitate foemina puerum in nomine Trinitatis*

baptizauerit. Et ratio est, quia cum hoc sacramentum sit maximè necessitatis, sine quo in re sumpto puruuli, & in voto adulti non possunt saluari, debuit ita institui, vt esset, quam maximè fieri posset, facillimum illud obtinere, & proinde debuit institui quilibet viator pro sufficienti ministro, vt si vnus deficeret suppeteret alter, & facile esset vrgente necessitate ministrum baptismi habere obuium.

3 Ex quibus colligitur, quod si extra casum necessitatis ministretur baptismus à laico, aut quouis alio, quamuis ministrans peccaret, nisi bona fide excusaretur, baptismus tamen esset validus, vt sentiunt communiter Theologi, & notat Mærat. *tom. 3. sum. disp. 5. de Baptis. sect. 1. init.* & tradit D. August. *lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13.* circa medium. *Nulla vrgente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est, si autem necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed & si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest non datum dici, quamtumuis rectè dici possit illicitè datum.* Ratio autem est, quia validitas sacramentorum pendet ab institutione Christi, & ideo quoties interueniunt, quæ ex vi institutionis requiruntur, valida sunt, inualida autem, si quid ex ipsis deficiat. Vnde cum secundum institutionem Christi, quilibet sit sufficiens minister baptismi, siue in necessitate, siue extra necessitatem illum ministret cum debita forma, & materia, sacramentum erit validum.

4 Obijcies 1. Ij tantum possunt baptizare, quos Christus instituit ministros baptismi: Instituit autem solum pastores, & prædicatores verbi Dei. Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.* vnde coniunxit baptismum simul cum doctrina, & catechismo. Resp: neg. min. & ad probat. Christum instituisse ministros baptismi, quando instituit baptismum: prius autem fuerat institutus baptismus, quàm Christus diceret verba illa Apostolis, nam *Io. 4.* Apostoli baptizarunt primo anno prædicationis Christi antequam ordinarentur sacerdotes, cum fuerint ordinati solum in vltima cęna, & antequam mitterentur ad euangelizandum. Vnde Matth. vlt. intimatur Apostolis exequutio baptizandi, & quod deberent baptizare etiam Gentiles eos instruendo &c. Quando autem Christus instituit baptismum dedit omnibus potestatem baptizandi, vt constat ex vniuersali traditione Ecclesiæ, & ex deffinitionibus supra *num. 2.* allatis. Et quia mittebat Apostolos tanquam suos delegatos ad fundandum Ecclesiam, tradidit tunc ipsis specialem potestatem, per quam ex officio incorporarent Ecclesiæ credentes, & proinde solum sequitur, quod fuerint speciales ministri baptismi in ordine ad formandum corpus Ecclesiæ. Coniunxit autem predicationem, seu catechismum cum baptismo, non quia vnus, & idem instruere debeat, & baptizare; sed vt ostenderet, necessariam esse pro adultis instructionem in euangelio, antequam baptizentur.

5 Instari potest. Per baptismum introducitur baptizatus in Ecclesiam, cui tamquam membrum incorporatur, ergo licet hoc non sit actus iurisdictionis, supponit, tamen iurisdictionem intra ordinem Ecclesiasticum, ergo Christus ijs tantum commisit baptizare, quibus dedit iurisdictionem intra Ecclesiam. Resp. distinguendo primum cōsequens. Incorporare Ecclesiæ supponit iurisdictionem intra hierarchiam Ecclesiasticam in incorporante, quando id præstat ex officio, quia tale officium fundatur in iurisdictione, concedo: quando id præstat ex commissione, & veluti delegatus, nego: nam tunc non operatur auctoritate propria, sed aliena. In casu autem necessitatis, qui non sunt ministri baptismi ex officio, sunt ministri ex commissione, & ex delegatione, quia Christus in tali casu omnes constituit ministros baptismi tanquam delegatos. Vnde duplex est minister baptismi; vnus ex officio: & alter ex commissione, & delegatione.

Obii-

6 Obiicitur. 2. ex Concilio Compendiensi relato à Brocardo *lib.* 4. *cap.* 74. & Iuone Carnotensi *par.* 1. *cap.* 268. & in cap. *Si præsbiter*. 1. *quæst.* 1. vbi ita habetur. *Si quis præsbiter ordinatus deprehenderis, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur, & omnes, quos prius baptizauit*. Resp. verba illa, Et omnes, quos prius baptizauit, posse facere diuersum sensum, nam potest esse sensus, quod iterum baptizentur quòad cœremonias, & solemnitatem baptismi; & hic sensus bonus est: Et quod iterum baptizentur quòad substantiam baptismi, ita vt repetatur baptismus, quia sacramentum est, & hic sensus non potest subsistere. Imo contrariatur canoni 11. eiusdem Concilij. vbi ita habetur. *Si quis baptizatus est à præsbitero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso baptismo inuocata fuerit, baptizatus est, sicut Sergius* Papa *dixit. &c.* Qui canon refertur etiam *lib.* 5. *Capitular. cap.* 4. Vnde aut dicendum est, verba illa habere priorem sensum, aut esse adulterina, quod & confir. quia illa verba non habentur in cap. *Teoniens. de præsbitero non baptiz.* vbi idem refertur. & ideo in Editione Romana sublata sunt etiam ex dicto cap. *Si quis præsbiter*.

7 Obijcitur. 3. ex cap. *Quos à Paganis. de consecrat. dist.* 4. vbi Gregorius Papa decernit, quod baptizati à Paganis iterum baptizentur. ergo Pagani non possunt licitè baptizare. Resp. Præcipi iterum baptizari, quia non erant baptizati cum vera forma, nam rescribit Pontifex Bonifacio Episcopo, inquiens. *Si ita habetur, vt iterum baptizes in nomine Trinitatis mandamus*. quibus significat, baptismum non fuisse validum non ratione ministri, sed quia non erant baptizati in nomine Trinitatis, & ita notat Glos. ibid. & in cap. *si quis per ignorantiam*. verbo *Paganus*. 1. *quæst.* 1.

8 Obiicitur. 4. ex cap. *Si quis per ignorantiam* 1. *quæst.* 1. desumpto ex D. Isidoro. *Si quis per ignorantiam ordinetur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse vlterius non ordinetur*. Resp. Vel hoc proponi per modum quæstionis, vel per recitationis alicuius opinionis falsæ; & proinde per verba immediate subsequentia reiicitur. Quæ ita habent. *Sed Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat*, vt notat ibid. corrector Gratiani, & Glos. ibid. ait, *sed Romanus, esse verba correctiua illius, quod præmissum est*. Quod manifestè indicat dictio, *sed*, quæ est aduersatiua, ita vt aduersetur iis, quæ præmissa sunt, vt in *l. sed & si in lege init. ff. de pet. hæred.* & in *l. Patris, & filii. ff. de vulg. & pupil. substit.* & notant Ias. in *l.* 2. *num.* 11. *ff. ne quis eam, &c.* & in *l.* 1. §. *Municipes num.* 3. *ff. de acquir. possess.* Bart. *in l. qui quartam. num.* 4. *ff. de legat.* & in *l. Prætoris*. §. *sed, & si nullus. num.* 1. *per illum tex. ff. de prætor.* Dec. *consil.* 335. *num.* 3. Paris. *Consil.* 45. *num.* 8. *vol.* 2. Bouer. *decis.* 155. *num.* 20.

9 Obiicitur. 5. in Concilio Fiberitano, aliàs Elibertino. *can.* 38. qui ita habet. *Peregrè nauigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita vt si superuixerit, ad Episcopum eum producat, vt per manus impositionem perfici possit*. Resp. Ochagauia *de sacram: quæst.* 12. *de baptis. num.* 2. Isambett. 3. *part. quæst.* 68. *disp:* 1. *art.* 4. ver. Ad canonem. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 5. *de baptis. sect.* 1. *obiect.* 2. Concilium tantum velle, quod coeteri debeant præferri non baptizatis, & bigamis. Quæ tamen responsio non congruit textui, nam declarat, qui nam possit in necessitate infirmitatis baptizare, & coarctat ad fideles: qui lauacrum integrum baptismi acceperit, & non sit bigamus. & proinde excludit absolute infideles, & bigamos. tum quia iuxta vulgatam regulam inclusio vnius est exclusio alterius. Tum quia natura clausulæ coarctatiuæ, & taxatiuæ talis est,

est, vt omnia excludat, quæ non continentur sub taxatione. *ex l. 3* §. *Cum Titio. ff. de alimen. leg.* & cap. *Cum Ecclesiâ. de verbor. significat.* & cap. *statutum.* §. *in nullo. De rescrip. in 6.* Archidiacon. Bar. *in l. 1. num. 1. ff. Si quis iüs dicenti.* Roman. *consil.* 512. *nu.* 2. Natta *consil.* 78. *num.* 3. *vol.* Crauetta *consil.* 201. *num.* 4.

10 Itaque respondendum est, quod illud Concilium est prouinciale, & proinde extra prouinciam non extenditur ipsius auctoritas. Imo eius determinatio contrariaretur communi sensui Ecclesiæ, quia licet in veteri Ecclesia dubium fuerit, an paganus posset baptizare, nunquam tamen dubitatum fuit de bigamo. Qua propter talis determinatio reiicienda est tanquam contraria doctrinæ catholicæ, aut in alio sensu accipienda, in quo non sit contraria, qualis esset, si intelligeretur non de solo baptismo secundum substantiam, sed etiam cum cœteris ritibus, & cœremonijs, ita vt permiserit omnibus, exceptis infidelibus, & bigamis, baptizare cum omnibus solemnitatibus in casu necessitatis, quod videtur colligi ex subsequentibus verbis. Ita vt si superuixerit, ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit. Cum enim non iniungat, quod perficientur cœremoniæ consuetæ, sed tantum, vt sic baptizatus perducatur ad Episcopum, vt confirmetur, quod significat dicens, vt per manus impositionem perficiatur: supponit, quod omnes cœremoniæ, & solemnitates baptismi sint expletæ. Accedit etiam, quod dictum Concilium apud Doctores non habet aliquam, auctoritatem, sed reiicitur. Vnde Canus *lib. 5. de locis Theologic. cap.* 4. asserit, Canonem 36. huius Concilii continere errorem. Bellarmin. *lib. 2. de imaginib. cap.* 9. habet Frequenter errasse. Baron. *tom. 1. annal. anno* 57. *num.* 119. *& sequent.* ait. *Concilium in multis irritum esse, & contineret plura, quæ syncæris Ecclesiæ dogmatibus aduersantur, & canonem, quo prohibentur imagines in Ecclesiis, supposititium esse.*

11 Obiicitur. 6. Ex Concilio Carthaginensi *IV. can.* 100. Relato in cap. *Mulier. de consecrat. dist.* 4. vbi prohibetur fœminis ne baptizent. ibi *Vel aliquos baptizare non præsumat.* Resp. intelligi, quod non præsumat baptizare solemniter, & in Ecclesijs, nam Concilium intendit tantum prohibere fœminis exercere actus solemnes, & proinde in præcedenti statuerat, quod mulier, quamuis sancta, & docta non præsumat docere viros in conuentu, hoc est in Ecclesiis, vbi fit conuentus. Et concordat cum eo quod habet Apostolus 1. *Corinth.* 14 *&* 1. *ad Timoth.* 4. vbi præcipit mulieribus, vt in Ecclesiis taceant. Et eodem modo intelligendi sunt Patres, quando dicunt, mulierem non posse baptizare; præcipuè Tertullian. *lib. de velan. Virginib. cap.* 9. *& lib. aduer. hæres. cap.* 41. Epiphan, *hæresi* 42. *&* 79. Nam alias certum est, in casu necessitatis posse etiam mulierem baptizare, vt habetur ex cap. *super quibus.* 30. *quæst.* 3. & ex Concil. Florent. *in decreto fidei supra num.* 2 *relato.*

12 Ex dictis colligitur, peccare mortaliter, qui extra casum necessitatis, quicunque ille sit, si ex officio id non habeat, baptizaret, vt notant. D. Th. *3. par. quæst.* 68. *ar.* 3. *ad* 1. Richar. *in 4. dist.* 5. *art.* 4. *quæst.* 1. Nauar. *cap.* 22. *Manual. numer.* 7. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punc.* 1. Suarez *disp.* 3 *r. de sacram. sect.* 4. ver. *sed quæres.* Laman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. ver. *Dico secundò.* Chellison. 3. *par. quæst.* 67. *art.* 3. Nugn. *difficul.* 3. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap* 25. *de baptis. conclus.* 1. Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori pœnit. num.* 38. *&* 46. Graf. *par.* 2. *decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Filliuc. *tr.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 6. *&* 7. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 5. *num* 9. Ochagauia *de sacram. baptis. quæst.* 12. *num.* 16. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 4. *de Baptis. ar.* 2. *dub.* 1. *conclus.* 1. Villalobos *part.* 1. *sum. trac.* 5. *difficul.* 8. *num.* 6. *&* 7. Fernandez de Heredia. *de sacram. par.* 5. *de baptis. dub.* 1. *num.*

8. *in*

8. *in fine*. Sot. *in* 4. *dist*. 4. *quæst. vn. art*. 2. ver. *circa secundum*. Mercerus *de sacramen. quæst*. 67. *art*. 4. ver. *Quæritur*. Tum quia vsurparet alienum officium in ministratione sacramẽti, quod est peccatum mortale, vt desumitur ex cap. *Interdicimus* 16. *quæst*. 1. Tum quia est peccatum mortale baptizare sine necessitate in domo priuata ex Clemen. *vnica de baptismo*. Et desumitur etiam ex Tertul. *lib. de baptis. cap*. 17. & D. August. *lib*. 2. *contra Epist. Parmeniani cap*. 13. ibi *Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur (nempe baptismus) quod datum fuerit, non potest dici non datum: quamuis rectè dici possit illicitè datum*.

An aliquis possit in casu necessitatis seipsum baptizare. Quæst. 69.

S V M M A

1 *In casu necessitatis nemo potest se ipsum baptizare.*
2 *Ratio vnde petenda.*
3 *Cur detur distinctio personarum inter baptizantem, & baptizatum.*

1 NOn posse aliquem in casu necessitatis, quando nimirum nullus alius adest, à quo baptizari possit, & vrget periculum mortis certum omnino est. Ita enim decernitur ab Alexan. III. *in cap. debitum de baptismo*. vbi interrogatus, an Iudæus, qui in mortis articulo seipsum baptizauit, cum non haberet alium, à quo baptizaretur, esset rebaptizandus, affirmatiue respondet, quia inter baptizantem, & baptizatum debet esse distinctio. Afferri solet ratio, quæ etiam in ipso textu tangitur, quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio: vnde sicuti in generatione carnali idem non potest generare seipsum, sic etiam nec in regeneratione spirituali. Verum si hæc ratio accipiatur tanquam quædam congruentia, vt accipitur in textu, admitti potest, non autem tanquam vera ratio, cum diuersa sit ratio in generatione carnali, & regeneratione spirituali, nam in generatione carnali non præexistit generatus, & ideo non potest generare seipsum. At in spirituali præexistit, nec regeneratio tendit ad esse substantiale regenerãtis, sed ad quoddam esse accidentale: potest autem subiectum perficere seipsum secundum esse accidentale, vt constat in omnibus viuentibus; imo homo potest regenerare seipsum si non quòad vocem, saltem quòad substantiam, vt constat, quando quis iustificatur per baptismum in voto cum actu contritionis.

2 Ratio ergo petenda est ex institutione Christi, sicut petit Pontifex in citato tex. Quia nimirum Christus instituens baptismum, voluit, vt minister esset distinctus à baptizato. Quod declarauit *Matth. vlt*. dum Apostolis commisit, quod alios baptizaret, & dum ipse Christus non à seipso, sed à Ioanne voluit baptizari. Vnde in dicto Cap. habetur. *Cum inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis. Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, memoratus Iudæus est denuo baptizandus, vt ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat. Ad quod etiam designandum ipse Christus non à seipso, sed à Io. voluit baptizari.*

3 Accedit etiam, quod licet baptizare non sit actus iurisdictionis, est tamen actus habentis iurisdictionem supra communitatem Ecclesiæ, vt dictum est *quæst. præcedenti num*. 1. quia est actus, quo mediante, qui baptizatur incorporatur Ecclesiæ, vt fiat membrum illius. Incorporare autem aliquem alicui communitati supponit iurisdictionem supra ipsam. ergo in baptismo debet interuenire incorporans aut ratione iurisdictionis propriæ, aut nomine

nomine illius, qui habet iurisdictionem, & incorporatus, atque adeo distinctio personarum, quia inter incorporantem, & incorporatum debet esse distinctio tanquam inter dantem, & accipientem cap. fin. de institutionib.

An sit seruandus aliquis ordo inter ministros baptismi in casu necessitatis. Quæst. 70.

SVMMA.

1 *Ordo dignitatis vt seruandus.*
2 *Prima opinio tenens esse peccatum mortale inuertere ordinem.*
3 *Secunda opinio negans, & explicatur.*
4 *Tertia opinio tenens esse peccatum mortale si inferiores præferuntur Sacerdotibus.*
5 *Quarta opinio negans.*
6 *Sententia tenenda statuitur.*
7 *Et probatur.*
8 *Sententia statuitur, & probatur.*
9 *Diluuntur obiectiones.*
10 *Explicatur doctrina, num. 11. & 12.*
13 *Soluuntur obiectiones, num. 14.*

1 CONueniunt omnes communiter præsertim infracitādi cum D. Th. *3. par. quæst. 67. ar. 4. in corpore.* quod ordo dignitatis seruandus sit, ita vt dignior præferri debeat, & proinde præsente Episcopo non possit parochus baptizare, & præsente parocho non possit simplex sacerdos, & præsente simplici sacerdote non possit diaconus, & hoc præsente non possit subdiaconus, & præsente subdiacono non possit simplex clericus, & clerico præsente non possit laicus, & viro laico præsente non possit mulier. Ita specialiter Paludanus *in 4. dist. 5. quæst. 2. ar. 1. conclus. 3.* Syluester verbo. *Baptismus 3. num. 1.* Angelus verbo. *Baptismus 5. num. 1.* Armilla *num. 41.* Tabiena verbo. *Batismus 6. num. 1.* Naldus *num. 16.* Viualdus *in candelabro.* tit. *De baptismo num. 40.* Molfes. *part. 1. sum. tract. 4. cap. 1. num. 58.* Rodriquez *par. 1. sum. capit. 25. de baptis. conclus. 1.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 28.* Philiar. *par. 2. lib. 1. cap. 8.* Graf. *par. 2. lib. 1. cap. 4. num. 2.* & alij infra citandi, qui volunt hoc habere locum, quando qui debet præferri non recusat baptizare, quod si recuset debet ex non recusantibus dignior præferri. An autem non seruare hunc ordinem, sit peccatum mortale, non conueniunt.

2 Prima ergo opinio tenet, esse peccatum mortale non seruare hunc ordinem quòad omnes ministros, qui præsentes sunt. Ita Vasquez *3. par. disp. 147. cap. 5. §. Postremo hoc idem.* Turrian. *par. 2. sum. cap. 13. dub. 4. conclus. 2.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 5. de baptis. sect. 5.* ver. *At probabilior.* qui alios citat, sed non omnes rectè. Ochagauia *de sacram. tract. de baptis. quæst. 12. num. 19.* Chellison. *3. part. quæst. 67. ar. 5. dub. 4.* ver. *Dico secundò.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 9. num. 10.* & sequent. Fundatur hæc sententia in eo, quod sit de iure diuino, quod magis aptus præferatur minus apto, quia concedit posse baptizare vnicuique in casu necessitatis, vt subueniatur baptizando, atque adeo concessio est facta secundum mensuram necessitatis, quando autem adest magis aptus, necessitas non exigit, quod minus aptus baptizet, & ideo, nisi seruetur iste ordo violatur in re graui ius diuinum.

3 Secunda opinio tenet, quod inuersio ordinis inter inferiores Diacono non sit peccatum mortale; sed solum quando inferiores Diacono ipsi, aut sacerdoti præferuntur. Ita Reginal. *lib. 27. Praxis fori poenit. cap. 6. num. 44.* Coninch. *de sacram. quæst. 67. art. 5. dub. 2.* Præposit. *3. par. quæst. 67. art. 5. dub. 2. num. 6.* ver. *Ex omnibus.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 2. de baptismo difficul. 3.* ver. *Reginaldus vero.* Auersa *3. part. quæst. 67. sect. 2.* ver. *Quartò præterea.* in fine Nugn. *eadem quæst.*

quæst. art. 5. *difficul.* 2. *conclus.* 3. Ioan. à Cruce *par.* 2. *direct. conscient. quæst.* 2. *de baptis. dub.* 1. *conclus.* 3.

4 Tertia opinio asserit, quod solum sit peccatum mortale ita inuertere ordinem, vt inferiores præferantur sacerdoti, non autem si inter se non seruent ordinem, vnde non erit mortale etiam si laicus præferatur Diacono. Ita *Sotus in* 4. *dist.* 4. *quæst. vn. art.* 2. *ver. circa tertiam*. Suarez *disp.* 31. *de sacram. sect.* 4. ver. *Vnde tertiò addendum.* Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punc.* 1. ver. *Quamnis autem*. in fine. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. ver. *Arbitratur quidem*. Granad. 3. *par. controuer.* 4. *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 6. Bonac. *disp.* 2. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 5. *num.* 11. Angles in Florib. *quæstion.* 3. *de baptis. art.* 1. *difficul.* 2. ver. *Hinc collige*. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 4. *quæsito* 6. *num.* 82. Syluius. 3. *part. quæst.* 67. *art.* 3. Cabrera *art.* 5. Fernandez de Hered. *de sacram. part.* 5. *de baptis. dub.* 1. *num.* 8. Pitigian. *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 1. *ar.* 1. *post* 5. *conclus.* Chamerota *tract.* 2. *de sacram. cap.* 4. *dub.* 5. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 20. Zambran. *in decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 5. *num.* 3. Moscosus *in sum. tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. Io. Henriquez *in compen. cas. conscien. cap.* 31. *num.* 4. Basseus *in Florib. theol. pract.* verbo. *Baptismus.* 3. *num.* 15. Et ita etiam videtur sentire Lezana in verbo. *Baptismus. num.* 2. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 8. *num.* 10.

5 Quarta opinio tenet, quod neque sit mortale anteferre inferiores Sacerdoti, sed solum anteferre illi sacerdoti, cui ex officio incumbit baptizare. Ita Io. *Suarez in Enchirid. cas. conscient. lib.* 5. verbo. *Baptismus.* §. *In necessitate*. & probabile putat Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 4. *de Baptis. ar.* 1. *difficul.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 3. licet probabilius oppositum iudicet.

6 In hac difficultate certum existimo, quod sit peccatum mortale si præsente eo sacerdote, cui incumbit ex officio baptizare alius baptizet, etiam vrgente necessitate, modo ille sit promptus, & velit baptizare. Desumitur ex cap. *Diaconos. Dist.* 93. vbi Gelasius Papa ita statuit. *Diaconos propriam constituimus seruare mensuram; nec vltra tenorem paternis canonibus deputatum quidpiam tentare, permittimus. Nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriè decreuit antiquitas absque Episcopo vel præsbitero baptizare nu audeant, nisi prædictis fortasse ordinibus longius constitutis necessitas extrema compellat*. Quod etiam habetur ex cap. *Constat. De consecrat. dist.* 4. Nomine autem præsbiterorum non veniunt quicunque sacerdotes, sed solum Pastores, qui habent curam animarum; tum quia Pontifex loquitur de ijs, quibus ex officio incumbit baptizare: tum quia Pontifex loquitur de primis ordinibus, atque adeo præsbiterum ponit in vno ex primis ordinibus hierarchiæ Ecclesiasticæ: huius autē ordinis in vnaquaque Ecclesia sunt Episcopus; & Pastores, quibus solis competit iurisdictio ratione officij, & soli habent sibi subiectas oues Christi supremi pastoris.

7 Ratio autem est. Quia vsurpare officium alterius in re graui est notabiliter contra regulas rationis, tum quia lædit ius illius, cuius officium vsurpat in re graui, qualis est administratio sacramentorum; tum quia perturbat ordinem hierarchicum Ecclesiæ, dum se intrudit in alia officia, & impedit ministrum Ecclesiæ, ne fungatur munere suo. Qui autem baptizat eo præsente, & volente baptizare, cui ex officio incumbit vsurpat officium illius, & proinde grauiter peccat, vt desumitur ex cap. *Interdicimus* 16. *quæst.* 1.

8 Secundo tenedum est, quod non sit peccatum mortale inuertere ordinem inter ministros inferiores sacerdote; imo quantum est ex parte obiecti, nullum interuenire peccatum si præsente Diacono alius baptizet, & sic de cæteris. Ratio est. In tantum inuertere hunc ordinem contineret aliquid peccatum, in quantum non haberetur ratio ordinis, & subordinationis, quæ sit inter huiusmodi ministros quòad prælatio-

tionem, & in tantum adesset huiusmodi ordo, & subordinatio, ratione cuius vnus exigeret alteri præferri, in quantum vnus esset aptior altero, & haberet maius ius ad illud officium exequendum. Sed non adest inter ipsos hic ordo, & subordinatio, nec vnus est magis aptus, aut dignior altero in ordine ad baptizandum ergo. Minor ista patet. Quia quando consideratur ordo, ius, exigentia prælationis in ordine ad aliquod munus, habetur tantum ratio eorum, quæ concernunt illud munus, non autem eorum, quæ aliàs dignificant personam, quia cum hæc non concernant munus, materialiter se habent, & non habentur in consideratione, quando agitur de tali munere. Omnes autem inferiores sacerdotibus, sunt æqualiter de iure diuino constituti ministri baptismi priuati in casu necessitatis, nec in ordine ad ministrandum baptismum vnus aliquid habet, quod concernat talem actum, quod non habeat alter, nam quod habeat quis ordines sacros, quod sit mas, etc. non dicit aliquid, quod influat in actum baptizandi, neque auget potestatem, & facultatem. Vnde cum omnes sint æquales in potestate, & facultate, non adest aliqua ratio, cur vnus potius, quàm alter sit præferendus.

9 Dices Diaconus habet ratione suæ ordinationis speciale ius baptizandi, nam quando ordinatur, Episcopus ei dicit, vt habetur ex Pontificali. Romano, quod oportet Diaconum ministrare ad altare, & prædicare. Resp. per hæc verba non significari, quod Diaconus recipiat aliquam habilitatem ad baptizandum in casu necessitatis, quia iam hanc habet, sicut habent cœteri de iure diuino. Sed solum, quod cum ex vi suæ ordinationis constituatur minister sacerdotis, recipiat habilitatem ad baptizandum solemniter ex commissione sacerdotis, cui inseruit. Vnde cum in priuato baptismo non interueniat talis commissio, neq. habet locum dicta habilitas, quæ est in ordine ad baptismum solemnem, & ideo in ordine ad priuatum, non habet specialem habilitatem, quæ non sit in cœteris.

10 Tertiò quod spectat ad sacerdotem, cui non incumbit ex officio baptizare, est valde probabile, quod non sit peccatum mortale, si ipsi Diaconus, aut quiuis alius inferior præponatur. Hoc desumitur ex Concil. Florent. *in Decreto fidei*. §. *Primum omnium* vbi dũ declaratur qui nam sit minister baptismi ita habetur. *Minister huius sacramenti est sacerdos*, Et statim declaratur, de quonam sacerdote intelligatur, cui ex officio competit baptizare. Et postea declarat quod in casu necessitatis quilibet alius potest esse minister. Dictio enim, *Cui* restringit præcedentia ad casum relatum, & proinde hic restringit sacerdotem ad eum, cui ex officio incumbit baptizare, vt in *l. Ex tamen. ff. de legat.* 3. vbi. Bart. Angel. & Tus. §. *Omnium*. Instit. *de ait.* Abbas *in cap. de coetero per illum text, de cler. non resid.* & in cap. *Nonit. num.* 17. *de iudiciis*. Dec. *Consil.* 261. *num.* 1. ver. *His non obstantib.* Menoch. *consil.* 177. *n.* 22. Surd. *decis.* 282. *num.* 6. Vnde habetur, quod vnus sit minister ordinarius baptismi, nempe ille sacerdos, cui incumbit ex officio baptizare, & alius extraordinarius pro casu necessitatis, nempe quicunque alius cui non incumbit ex officio baptizare, atque adeo etiam sacerdos, cui non incumbit tale munus. ergo cum ex his non magis spectet ad vnum, quam ad alium baptizare, inuersio ordinis non continebit aliquid contra regulas rectæ rationis, cum omnes sint æqualiter ministri.

11 Confir. Ex ministris sacramentorum vnus non habet prærogatiuam supra alium, qua ministri sunt, nisi ratione officij, quod facit, vt vnus debeat alteri præferri: nam cœteri qua ministri sunt, habent æqualem facultatem, & proinde in ordine ad ministrationem sacramenti vnus non habet ius prælationis respectu alterius, nisi ob aliquod impedimentum adnexum, quod faciat, vt vnus debeat alteri præferri. Sacerdos autem, cui non incumbit cura animarum

rum, non habet ius baptizandi, nec hoc illi conuenit ex officio, vt docent Tertul. *lib. de baptis. cap. 17. num. 124.* D. Hieronim. *dial. contra Luciferian. cap. 4. num. 26.* D. Th. 3. *par. quæst. 67. ar. 4. ad 2.* & alij communiter: nam si ex officio posset baptizare, posset etiam baptizare solemniter, & extra casum necessitatis; ergo talis sacerdos non habet aliquod ius, ob quod debeat cæteris præferri.

12 Confir. 2. In tantum esset præferendus sacerdos, licet ei non incumbat cura animarum, in quantum esset necessarium, vt debitus honor sacramento exhiberetur: sed ex hoc capite non est necesse, quod præferatur: ergo non debet præferri. *Min.* prob. quia exhibetur sacramento debitus honor, si ministretur ab eo ministro qui est institutus à Christo. Nec enim sacramentum alium maiorem honorem requirit quòad qualitatem ministri, nisi quod sit debitus minister secundum institutionem Christi.

13 Dices sequeretur, quod neque esset peccatum mortale præferre inferiorem sacerdoti, cui ex officio incumbit baptizare; si quidem in casu necessitatis omnes sunt æqualiter ministri. Sicut etiam plures docent, quod in articulo mortis potest simplex sacerdos absoluere præsente proprio sacerdote. Resp. neg. sequel. Si quidem is, cui ex officio incumbit baptizare non solum est minister sufficiens baptismi, sed habet etiam specialem prærogatiuam officij, ratione cuius etiam in illo casu debet præferri. Nec est eadem ratio de absolutione, tum quia est concessum, vt in articulo mortis quisque possit confiteri cuilibet sacerdoti ob consolationem, & satisfactionem propriæ conscientiæ. Tum quia in articulo mortis quilibet sacerdos in iudicio sacramentali pœnitentiæ procedit vt Vicarius Christi, & tanquam Præses, & Iudex, vt habet Concilium Trident. *sess. 14. cap. 5.* & proinde habet totum id quod requiritur ad fideles Deo reconciliandos. At in ministratione baptismi, quamuis sit sufficiens minister, cum tamen non habeat iurisdictionem, non potest ex officio incorporare Ecclesiæ, & proinde incorporat ex ratihabitione ipsius Ecclesiæ. At Sacerdos simplex in articulo mortis ex officio potest reconciliare Deo, cum procedat vt Vicarius Christi: & ideo in ministratione baptismi cedere debent omnes ministri præsente eo, cui ex officio incumbit.

14 Hinc ad fundamentum primæ sententiæ resp. Non constare, quod sit de iure diuino, quod in mistratione baptismi, minister magis aptus præferatur; nec assignari potest, vnde hoc colligatur: imo cum de iure diuino omnes sint ministri pro tempore necessitatis, quilibet potest assumi. Rursus secluso sacerdote illo, cui ex officio incumbit baptizare, vnus non est magis aptus, quã alter. Ad probationem. Quando dicitur, quod ministri baptismi instituti sunt secundum mensuram necessitatis. Resp. intelligi debere, quod mensura in eo consistit, quod sicuti baptismus est maximè necessarius, ita etiam debuit minister esse maxime numerosus; nõ autem, quod quando aliquis minister non est necessarius, non possit baptizare, aliàs nec etiam validè posset batizare; quia pro illo casu non esset institutus minister.

An liceat recipere baptismum ab excommunicato, aut hæretico, dum potest recipi in casu necessitatis à non excommunicato, aut catholico. Quæst. 71.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua tenetur.*
2 *Sententia contrariá affertur.*
3 *Confutatur.*
4 *Extenditur etiam ad hæreticum.*
5 *Obiectio enodatur.*

1 Tenendum est non licere recipere baptismum in casu necessitatis ab excommunicato, aut hæretico, quando potest recipi à non excommunicato, aut catholico, sed esse peccatum mortale. Ita Vasquez 3 *par. disp.* 147. *cap.* 5. Sylvius *ar.* 3. ver. *Satis conuenit.* Crabrera. *arti.* 5. ver. *Præterea*. Suarez *disp.* 31. *de sacram. sect.* 4. ver. *Sed obijcies*. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 2. *de baptis. difficul.* 3. ver. *Addunt* Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 5. *difficul.* 8. *num.* 9. Coninch 3. *par. quæst.* 67. *art.* 5. *num.* 22. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *capit.* 7. *num.* 4. ver. *Illud verò.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vnica. punc.* 9. *num.* 13. Auarsa 3. *par. quæst.* 67. *ar.* 2. ver. *Et rursus*.

2 Est autem contra Scot. *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 2. §. *Quantum ad secundum in fine.* Victoriam *in sum. de sacram. quæst.* 30. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 28. *num.* Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 13. §. 17. *num.* 10. *in fine*, Sayr. *lib.* 2. *de censur. cap.* 2. *num.* 16. qui volunt baptismum potius petendum à sacerdote excommunicato, quàm à laico. Et addit Sayr. quod si duo sint sacerdotes, quorum vnus sit parochus excommunicatus, & alter non parochus, nec excommunicatus, potius à Parocho excommunicato baptismus recipeiendus est.

3 Sed hæc opinio reijcienda est. Quia excommunicatus, qui cunque sit, non potest licitè ministrare sacramenta; nec quis potest sine peccato communicare cum excommunicato, ergo nec etiam ab ipso recipere baptismum non obstante casu necessitatis, quando potest recipere ab alio: Nec obstat quod excommunicatus non impediatur ministrare in casu necessitatis, quia hoc intelligitur, quando ministerium ipsius est necessarium, quia non adsit alius, a quo recipiatur baptismus, nam tunc Ecclesia pro illa actione cēsetur relaxare vinculum excommunicationis; non autem quando necessitas non coarctatur ad ministerium ipsius.

4 Et hoc habet locum etiam quoàd hæreticos, quod etiam admittit Sayrus *num.* 2. citat. nam ad est periculum peruersionis, & proinde, qui ab ipso peteret baptizari, se exponeret tali periculo. Quod si sit ex illis hæreticis, qui male sentiunt de baptismo, posset etiam non rectè baptizare, vnde alteri periculo baptizandus exponeretur, & ideo, si adsit copia alterius ministri, non poterit excusari à peccato mortali, qui talibus periculis se exponit.

5 Dices Sacerdoti conuenit ex officio baptizare, & si sit parochus, habet ius ad baptizandum, ergo licet sit excommunicatus non debet illi præferri non excommunicatus, cum non debeat priuari suo officio, & suo iure, si sit parochus. Resp. neg. quod sacerdoti ex officio conueniat baptizare, quia licet ex vi suæ ordinationis accipiat hanc potestatem; attamen cum ex vi ordinationis non habeat iurisdictionem; nec etiam habet officium baptizandi, sed solum potestatem, quæ potest coniungi cum officio. Quod autem spectat ad Parochum excommunicatum, quamuis habeat ius baptizandi, quia tamen hoc ius est impeditum, & prohibitum exerceri, ideo non fit ipsi aliqua iniuria, si negligatur, & ab alio baptismus recipiatur: sicut non fit, si extra casū necessitatis ab ipso non recipiantur sacramenta. Imo dum Ecclesia prohibet ipsi ministrare sacramenta, alijs quoq; prohibet recipere.

An liceat in casu necessitatis recipere baptismum ab infideli præsente fideli. Quæst. 72.

S V M M A.

1 *Non licere definitur.*
2 *Rationes adducuntur.*

1 Quamuis in ratione ministri non differant, sicut nec etiam hæreticus, cum omnes sit æqualiter

liter ministri, & proinde quantum est ex hoc capite non adsit ratio, ob quam vnus alteri præferri debeat, vt etiam notat Suarez *disp.* 31. *de sacram. sect.*4. ver. *Sed obiicies.* Sicut tamen in hæretico cõsideratur hæresis, ita debet in infideli cõsiderari infidelitas. Ratione ergo infidelitatis tenẽdũ nõ est licere petere baptismũ ab infideli, dũ potest recipi à fideli. Ita Suarez modo citatus. *Conich.* 3. *par. quæst.* 67. *ar.* 5. *n.*22. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. ver. *Illud vero.* Vasquez 3. *par. disp.* 147. *cap.* 5. *circa fin.* Crabrera *ar.* 5. ver. *Præterea.* Nugnus *difficul.* 2. *conclus.* 1. Syluius *ar.* 3. ver. *Satis conuenit.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *punc.* 9. *n.* 12. Auersa 3. *par. quæst.* 67. *sect.* 2. ver. *Et rursus.*

2 Ratio autem est, quia concurrente fideli cum infideli, si præferatur infidelis, redditur baptismus dubius, quia fieri potest qnod infidelis non habeat syncetam intentionem, & quod fingat baptizare, & non vere baptizet: vnde baptizandus exponetur tali periculo. Deinde apud fideles exhiberetur graue scandalum, & occasio malæ suspicionis, si viderent, quod infidelis in tali ministerio adhiberetur, cum posset haberi fidelis.

An peccat, qui baptizat in casu necessitatis, si existat in peccato mortali, nec per contritionem disponatur. Quæst. 73.

S V M M A.

1 *Peccare mortaliter qui teneant.*
2 *Fundamentum talis sententiæ.*
3 *Non peccare mortaliter qui teneant.*
4 *Adducuntur rationes.*
5 *Quid dicendum de Sacerdote.*

1 PEccare mortaliter, qui baptismum ministrat, dum existit in peccato mortali, etiamsi, vrgeat necessitas, docent Durand. *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 6. *num.* 6. Gabr. *quæst.* 1. *ar.* 3. *dub.* 2. Adrian. *quæst.* 3. *de batis.* §. *Ad rationem.* ver. *Si obiiciatur.* Angel. verbo. *Baptismus. num.* 10. Vasquez 3. *part. disp.* 136. *cap.* 3. Coninch. *quæst.* 64. *ar.* 6. *dub.* 1. *num.* 76. Laiman *lib.* 5. *Theo. moral. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Hurtad. *de sacram. in genere disp.* 4. *difficul.* 9. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 8. *de sacram. in genere sect.* 2. Ochagauia. *de sacram. in genere. quæst.* 19. *num.* 6. Chellison. 3. *par. quæst.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. Putean. *dub.* 4. *conclus.* 2. Bauny *tract.* 1. *de sacram. in genere quæst.* 15. ver. *Secundò sequitur.* Isambart. 3. *par. quæst.* 64. *ar.* 5. *&* 6. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tra.* 18. *disp. vn. punc.* 5. *num.* 10. qui tamen hoc limitat ad solum sacerdotem, cum ipsi ex officio conueniat baptizare, & antea cum hac coarctatione traditum fuerat à Palat. *in* 4. *dist.* 5. *disp.* 2. *conclus.* 2.

2 Fundamentum huius sententiæ est, quia etiam si baptismus ministretur vrgente necessitate, adhuc tamen minister concurrit vt minister, ergo si requiritur sanctitas in ministro ex eo, quod se debet conformare cum Christo, qui est principalis minister, & sanctus est, erit etiam necessaria, quando ministrat in casu necessitatis.

3 Secunda sententia tenet non peccare mortaliter. Ita D. Th. 3. *par. qu.* 64. *ar.* 6. *ad* 3. Caiet. *ibid.* §. *Ad tertium dubium.* Nugnus. *difficul.* 1. ver. *De hac re.* Syluius *conclus.* 2. Præposit. *dub.* 1. *num.* 36. Gammach. *cap.* 3. *in fine.* Mercer. *dub.* 1. *num.* 5. Crabr. *disp.* 1. §. 4. *num.* 17. Ricchar. *in* 4. *dist.* 5. *ar.* 3. *quæst.* 3. Sotus *dist.* 1. *quæst.* 5. *ar.* 6. Pitigian. *dist.* 5. *quæst.* 2. *art.* 4. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 3. *quæstion.* 5. *punc.* 3. ver. *Sed notandum.* Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 5. *arti.* 6. *dub.* 11. Sayr. *lib.* 2. *de. sacram. cap.* 7. *quæst.* 1. *ar.* 2. Suarez *dis.* 16. *de sacram. sect.* 4. Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 29. *num.* Victoria *in sumde. sacram. num.* 29. Syluester verbo. *Baptismus.* 3. *num.* 5. Ledesma *par.* 1. *sum.*

capit .6. de sacram. in genere. conclus. 8. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 3. *quæst.* 4. *dub.* 2. *num.* 63. Granad. 3. *par. controuer.* 3. *tract.* 5. *disp.* 7. *num.* 6. Posseuin. *de offic. iur. cap.* 5. *num.* 4. Io. à Curce *part.* 1. *direct. conscient. quæst.* 4. *de sacram. in genere. dub.* 4. Bonac. *disp.* 1. *de sacram. quæst.* 3. *punc.* 2. *num.* 21. & *disp.* 2. *punc.* 6. *num.* 17. Sà verbo *Baptismus. num.* 1. & 15. Heredia *part.* 10. *de sacram. in gen. dub.* 3. *num.* 4. Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 12. Reginal. *lib.* 27. *praxis fori poenit. cap.* 6. *num.* 47. Auersa. 3. *par. quæst.* 67. *sect.* 2. ver. *Negant tamen.* Villalobos *par.* 1. *sum. tract.* 4. *difficul.* 14. *num.* 3. Diana 3. *part. tract.* 4. *de sacram.* Resol. 10. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 4. *de baptis. ar.* 3. *dub.* 2. *conclus.* Marchant. *in. Resol. Pastor alib. de sacram. tract.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 1. Angles *in florib. de sacram. quæst. vlt. de minis. sacram. ar.* 5. *conclus.* 2. Filliuc. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 85.

4 Et hæc posterior sententia tenenda est. Ratio autem est, quia sanctitas in ministro sacramentorum non requiritur ex eo præcisè, quod sacramenta sint sancta, aut quia minister debeat se conformare ministro principali Christo, sed ratione officii, quia cum ex officio illi incumbat ministrare tanquam deputato ab Ecclesia, tenetur sancta sanctè tractare, cum vnusquisque teneatur se exhibere talem, qualem exigit munus, quo fungitur. Qui autem baptizat in casu necessitatis, non baptizat ex officio, & proinde non habet obligationem, se constituendi talem, qualem exigit munus baptizandi, sed baptizat ex necessitate exercens officium charitatis, non ritutem ministri Ecclesiæ; quia licet sit minister baptismi institutus à Christo, non est tamen minister deputatus ab Ecclesia.

5 Et hoc locum habet in sacerdote quoque, cui ex officio non incumbit baptizare. Quia licet ex vi suæ ordinationis habeat facultatem ministrandi sacramenta, hæc tamen facultas non est vltimo completa, & determinata, cum insuper sit necessaria deputatio Ecclesiæ ad illa ministranda, vt illi incumbat ex officio administrare, & ideo non baptizabit ex officio, nec obligabitur talem se exhibere, qualem exigit hoc munus. Non sic autem contingit in ministro baptismi ex officio, quia peccabit mortaliter, si baptizat in peccato mortali, etiam si necessitas vrgeat, nam licet non baptizet solemniter, adhuc tamen quòad substantiam implet munus proprium, quod est per sacramentum incorporare Ecclesiæ, cui ex officio proprio incorporare potest; & proinde adhuc ex officio baptizat, & ideo se debet talem exhibere in illa functione, qualem exigit proprium munus, vt inter alios notat Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 4. *de baptis. arti.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 2.

An cum periculo mortis teneatur quis ministrare baptismum constituto in periculo mortis. Quæst. 74.

S V M M A

1 *Adulti quare non sunt in extrema necessitate baptismi.*
2 *Prima sententia negatiua, & fundamenta.*
3 *Secunda sententia affirmatiua præsertim quòad eos, qui tenentur ex officio.*
4 *Rationes confirmantes sententiam.*
5 *Diluuntur obiecta à n. 6.*
7 *Constitutus in peccato mortali, & non potens conteri non tenetur in hoc casu.*
8 *Nolente qui tenetur baptizare, quilibet alius in hoc casu tenetur.*
9 *In dubio periculi vitæ non tenet hæc obligatio.*

1 Difficultas non procedit quòad adultos, quia cum possint sibi prouidere per contritionem, & baptismum in voto, non sunt in extrema necessitate spirituali, cum possint per seipsos se ab illa eripere, & pro-

proinde charitas non obligat ad ipsis subueniendum,eos, qui aliàs non obligarentur,cum periculo mortis, cum nemo teneatur propriam vitam exponere pro salute spirituali proximi, nisi sit in extrema necessitate spirituali; Vnde dubitatur solum quoàd paruulos, qui nondum peruenerut ad vsum rationis.

2 Prima opinio negat adesse talem obligationem. Ita Sotus *de secreto tegen. memb.* 2. *quæst.* 2. *post.* 6, *conclus.* Sà verbo. *Charitas num.* 4. Io. Sanchez *in select. de saram. disp.* 10. *num.* 9. qui citat quendam Areualum *de correct. frater*. Quorum fundamentum est, quia si adesset talis obligatio mater teneretur subire sectionem vteri, vt baptizaretur infans periclitans in vtero; non teneatur autem subire, vt omnes docent. Addit Io. Sanchez, quod charitas licet obligat, vt præferamus alienam salutem spiritualem propriæ vitæ, in hoc tamen solum sensu obligat, vt nimirum non faciamus aliquid ob propriam salutem corporalem conseruandam; quod positiuè influat in perniciem spiritualis proximi; non autem obligat, vt faciamus totum id, quod est necessarium ad conseruendam vitam spiritualem proximi.

3 Secunda tamen sententia tenet, obligari vnumquemque cum periculo propriæ vitæ baptizare infantem constitutum in articulo mortis. Ita tamen, vt hæc obligatio prius afficiat eos, qui ex officio tenentur procurare salutem paruuli, successiue autem alios. Ita Alensis 3. *part. quæstion.* 189. *memb.* 3. *ad* 1. Gabriel Biel *in serm. Domin.* 24. *post. Pentecos. q. de fuga pest. in corolar.* Maior *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. Bannes 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 5. §. *Et si quæras.* Armilla verbo. *Homicidum. num.* 7. Syluester verbo. *Bellum.* 2. *quæst.* 4. Ledesma 2. *par. sum. tract. de misericor. cap.* 4. *de correct. frater. conclus.* 15. ver. *A cerca desto.* Azor. *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 4. *circa finem.* Suarez *de fide spe &c. disp* 9. *de ordine seruan. in præcep. charit. sect.* 2. *num.* 3. Valent. *tom.* 3. *sum. disp.* 3. *qu.* 4. *punc.* .... Nauar. *cap.* 24. *Manual. num.* 9. Lopez *par.* 1. *instruct. cap.* 67. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 12. *num.* 14. Ochagauia *de sacram. quæst.* 7. *de baptis. num.* 3. Lorca 2. 2. *disp.* 28. *sect.* 3. *memb.* 2. *num.* 32. Capeauil. *de administrat. sacram. cap.* 2. *de baptis. quæst.* 3. Malder. *de virtutib quæst.* 26. *ar.* 5. Tolet. *lib.* 4. *sum. cap.* 10. *num.* 3. Granad. 3. *part. controuer.* 4 *tract.* 4. *disp.* 4. *num.* 5. Benzonus *de fuga tempest. lib.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 26. Coninch. *disp.* 25. *de actib. supernat. num.* 88. Filliuc. *tract.* 28. *num.* 35. Auersa 3. *par. quæst.* 67. *section.* 2. ver. *Sexto deinde.* Petrus Hurtad. *de fide, spe. charit. disp.* 144. *sec.* 3. §. 36. Et habetur passim ex doctr. D. Th. *in* 3. *dist.* 29. *quæst.* 1. *ar.* 8. *quæstion.* 2. *ad* 2. & in *quæstion. disput. quæstion. de charit. ar.* 11. *ad* 9. *& quodlib.* 4. *ar.* 20. *& opus.* 18. *cap.* 14. *&* 16. *&* 1. 2. *quæst.* 73. *ar.* 5. *&* 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 5. *ad* 3. *& quæst.* 44. *ar. vlt. ad* 2. quatenus docet, quod ratione charitatis tenemur anteponere salutem spiritualem proximi propriæ vitæ corporali.

4 Et hæc sententia absolutè tanquam certa tenenda est. Ratio autem est. Quia illud secundum ordinem charitatis est præferendum, quod habet rationem diligibilitatis ex motiuo charitatis, siquidem maior diligibilitas facit, quod res secundum mensuram charitatis debeat pluris appretiari: salus autem spiritualis proximi habet maiorem diligibilitatem ex motiuo charitatis, quam habeat propria salus corporis. Nam cum motiuum charitatis sit Deus vt summum bonum, participatio huius summi boni in consociatione beatitudinis est ratio diligibilitatis ex motiuo charitatis quoàd ea, quæ sunt extra Deum; hæc autem participatio summi boni meliori modo reperitur in anima proximi, quàm in prorio vniuscuiusque corpore, quia beatitudo est formaliter in anima, in corpore autem solum per redundantiam, & ideo minus diligibile est ex charitate proprium corpus, quam anima proximi, & consequenter in con-

concursu vtriusque, postponi debet proprium corpus animæ proximi.

5 Neque obstant, quæ pro prima sententia allata sunt. Vnde ad 1. dicitur. Non licere arguere à muliere prægnante in ordine ad sectionem vteri pro baptizando infante ad obligationem in ordine ad baptizandum iam natum ob diuersitatem rationis. Tum quia qui adhuc est in vtero nondum est in communione consortij humani, vt illi possit subueniri, & ideo nondum est in statu, vt possit aliquem sibi habere obligatum ad subueniendum ex charitate, eo medio, quod ipsi in tali statu applicari non potest, vt dictum est in superioribus; è contra verò qui iam est natus est in commercio humano, & capax baptismi, & ideo potest ratione charitatis exigere, quod sibi subueniatur. Tum quia quando charitas obligat ad subueniendum alicui, obligat solum ad illam actionem, quæ est propriè subuentio, & proinde dum obligat ad subueniendum saluti spirituali infantis, obligat solum ad ministrandum baptismum, si possum ministrare, non antem ad inquirendum infantem periclitantem, vt possim ministrare. Vnde cum scissio vteri non sit ministratio baptismi, sed quid præuium ad reddendam possibilem subuentionem, quæ aliàs est impossibilis, charitas uon obligat ad ipsam, sicut obligat ad ministrationem baptismi etiam cum periculo mortis; quia tunc solum obligat ad subeundum periculum mortis, quando est annexum actioni subuentionis.

6 Ad 2. ex Io. Sanchez resp. Charitatem nos obligare nedum ad ea omittenda, quæ influunt positiuè in perniciem animæ proximi; sed etiam ad ea præstanda, qnæ sunt necessaria ad ipsum subleuandum ab extrema, vel graui necessitate; quia nedum obligat ad vitandum peccatum scandali; sed etiam ad exercenda opera misericordiæ erga indigentes. Et in hoc exigit ordinem seruari, vt magis diligibile ex charitate præferatur minus diligibili, vt subueniatur magis diligibili constituto in extrema necessitate obligat, vt exponatur minus diligile, & ideo vt subueniatur animæ proximi constituti in extrema necessitate spirituali exigit, vt propria vita exponatur periculo mortis. Et hoc est, quod docet D. Th. vt constat ex ratione ab ipso adducta præsertim 2. 2. *quæst. 26. art. 5.*

7 Ex dictis colligitur cum Petro Hurtado *de fide spe, &c. disp.* 144. *sect.* 3. §. 25. Eum, qui scit, se esse in peccato mortali, nec potest facile elicere amorem Dei super omnia, aut actum contritionis, non teneri exponere propriam vitam, vt baptizet infantem constitutum in articulo mortis, aut vt alio modo succurrat proximo constituto in extrema necessitate spirituali. Ratio autem est, quia in tali casu pro salute spirituali proximi exponeret non vitam corporalem tantum, sed etiam salutem spiritualem, siquidem damnaretur, si moreretur. Charitas autem non obligat, vt quis exponat propriam animam pro anima proximi, imò ordo charitatis exigit, vt quisque magis amet seipsum quoad salutem spiritualem, quam proximum, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *in corpore*, & proinde non tenetur propriam animã pro aliena anima exponere. Quare, qui multis peccatis implicati sunt, non tenentur regulariter huiusmodi obligatione, siquidem nec sunt in statu vt possint subuenire cum tali periculo, nec est ita facilè vt disponantur, vt possint rationabiliter subuenire. Vnde computandi sunt inter eos, qui non habent facultatem subueniendi. Hoc tamen limitandum est, vt non habeat locum, si periculum mortis immineat hominibus in odium fidei, tunc enim, quamuis non adsit obligatio confitendi fidem, eo quod non interrogatur, attamen, quia facilè potest se disponere, vt subueniat sine detrimento propriæ salutis; nam in tali casu sufficiet attritio, si contingat occidi, quia martyr erit, nam vita propria testimonium dabit pro fide illam exponendo, vt subueniat constituto in extrema necessitate cõtra intentantes mortem

tem in odium fidei, & ideò cum facilè sit habere attritionem, cessat ratio ob quam impediretur, ne subueniret.

8 Colligitur 2. Obligationem baptizandi cum vitæ periculo vrgere, & afficere alios, si is, cui ex officio incumbit baptizare nolit baptizare, vt notat etiam Capeauil. *de administr. sacram. cap. 2. de baptis. quæst.* 3. ver. *Non solum licebit*. Quia cum minister nolit baptizare, eodem pacto res se habet, ac si non adesset, & proinde stante malitia ipsius, paruulus constituitur in extrema necessitate remedij quòad alios, qui possunt subuenire. Vnde si tempore pestis nollet parochus baptizare paruulum constitutum in periculo mortis, obligatio baptizandi afficeret coeteros. Peccaret tamen Parochus non solum quia omitteret baptizare, sed etiam quia faceret, quod alij grauarentur obligatione, quæ ipsum afficit.

9 Colligitur 3. Quod si dubium sit, an paruulus viuat, non tenetur quis cum periculo vitæ ipsum baptizare sub conditione. Quia vt charitas obliget ad subueniendum proximo constituto in extrema necessitate cum periculo vitæ, debet necessitas esse certa, nec sufficit dubia. In tali autem casu necessitas esset dubia, quia esset dubium fundamentum, nempe vita, in qua fundaretur necessitas, ita etiam dubia redderetur ipsa necessitas.

An ad euitandum periculum mortis, sufficiat ministrare baptismum dubium, quando potest ministrari certus. Quæst. 75.

S V M M A.

1 *Sensus quæstionis explicatur.*
2 *Negatiue respondetur, & probatur numero. 3*
4 *Argumenta opposita resoluuntur num: 5:*

1 QVæstionem à nemine vidi agitatam. Suppono autem, quod quando vrget necessitas baptizandi aliquem, possit ministrari baptismus omnino vndequaque certus, sed ministrando debeat baptizans exponi periculo mortis. Econtra verò possit vitare hoc periculum mortis, si ministret baptismum dubium, & nomine baptismi dubii intelligo, de baptismo dubio positiuè, hoc est, qui probabiliter sit validus, verum probabile quoq. sit, quod non sit validus: quæritur ergo, an ne se exponat tali periculo possit ministrare baptismum dubium. Et negatiuè respondendum est, sed adhuc teneri ministrare baptismum certum non obstante periculo mortis.

2 Ratio autem est, quia charitas obligat ad subleuandum constitutum in extrema necessitate subleuatione efficaci, si possumus, nec satisfit præcepto, si indigens non subleuetur, ita vt reuera desinat esse in illa necessitate, at baptismus dubius non subleuat paruulum ab extrema necessitate spirituali, nam non potest dici absolutè constitutus in statu salutis, sed adhuc relinquetur in statu dubio, ergo non subuenietur subuentione efficaci, & sufficienti, vt dicatur subleuatus ab extrema necessitate.

3 Confir. cessante periculo mortis, baptizans eum baptismo dubio, quando potest adhibere certum, non satisfacit obligationi, quam habet subueniendi constituo in extrema necessitate, ergo nec etiam, quando debet exponi periculo mortis. Conseq. prob. Obligatio charitatis semper est eadem, & semper ad idem obligat, quia obligat secundum mensuram indigentiæ, ergo cum semper sit eadem indigentia, semper ad idem obligabit. Et sicuti non variatur indigentia ex eo, quod subuentioni est annexum periculum mortis, ita nec etiam variatur id, quod pro subuentione debet exhiberi.

4 Dices probabiliter subleuari ab extrema indigentia, & proinde hoc sufficere ad extinguendam obligationem subueniendi. Resp. Probaliter subleuauari

uari, quantum est ex parte iudicij iudicantis de subuentione; non autem quantum est ex parte facti; quia vel baptismus est validus, & tunc est certa subleuatio, vel est inualidus, & tunc nulla est subleuatio. Quia autem indigentia est certa, & requirit remedium certum, cum quo solo extingui potest; ideo non satisfit obligationi, nisi exhibeatur id, quod est remedium certum; nec qui obligatur potest iudicare, se satisfacere propriæ obligationi, nisi exhibeat id, quod cognoscit esse remedium certum.

5 Dices. 2. Exequens opus, quod est probabiliter id, quod exigitur à lege satisfacit obligationi: ergo etiam baptizans baptismo probabili satisfaciet obligationi subueniendi constituto in extrema necessitate. Resp. Disting. anteced. Si lex respiciat tantum operationem, sufficit exhibere opus, quod sit probabiliter tale, non autem si lex exigat non solum operationem, sed etiam effectum, quia si operatio non inferat effectum non erit sufficiens pro adimplenda lege, quia tunc lex per se primo exigit effectum, & operationem solum in ordine ad effectum. Sic qui tenetur alicui subministrare alimenta, non sufficit si subministret alimenta probabilia; nec satisfacit obligationi qui tenetur soluere debitum auri, si soluat tantum quod est probabiliter aurum, nec qui ex voto debet aliquid alicui Ecclesiæ, sufficit, si exhibeat id, quod solum probabiliter est illud, quod vouit; nec qui tenetur succurrere indigenti, satisfacit, si exhibeat id, quod est solum probabiliter cibus.

An Parochus teneatur ministrare baptismum adulto cum periculo mortis. Quæst. 76.

SVMMA.

1 *Affirmatiua sententia additur, & probatur, num. 2.*
3 *Præceptum suscipiendi baptismum est de iure Diuino.*
4 *Obiectionum solutio, num. 5.*
6 *Tempore persequutionis non adest obligatio baptizandi infantes.*
7 *Tempore persequutionis non tenentur Pastores baptizare adultos.*

1 Respond. Parochum teneri ministrare baptismum adulto cũ periculo mortis, si sit constitutus ipse baptizãdus in periculo moraliter certo moriẽdi. Ita DD. docet cõmuniter dum tradunt, quod pastores teneãtur cum periculo mortis succurrere proprijs ouibus non solum constitutis in extrema necessitate, sed etiam in graui. Et specialiter in terminis Baptismi Capeauil. *de administr. sacram. cap. 2. quæst.* 1. & loquentes de baptismo, & confessione Adrian. *in 4. quæst.* 8. de confessione adult. Maior. *dist. 17. quæst. vlt.* Nauar. *quæst.* 24. *Manual. num.* 10. & *cap.* 25. *num.* 133. Philiar. *de officio sacerd. tom. 1. lib. 4. cap.* 3. ver. *dico tertio*. Suarez *disp.* 44. *de sacram. sect.* 3. *num.* 13. ver. *secundo principali*. Benzonus *de fuga lib. 1. disp. 1. quæst. 1. post conclus.* 5. ver. *tertium dictum*. Posseuin. *de offic. Curati cap.* 8. *num.* 34. *&* 36. Filliuc. *tract. 3. cap. 5. num.* 99. Marchin. *de bello diuino part. 3. capit. 1. numer.* 10.

2 Ratio autem est quia Pastores tenentur ratione muneris exponere vitam; vt nimirum vrgente necessitate ouium, & exigente officium ipsorum, exequantur munus proprium iuxta illud Io. 10. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis*, vt notant D. Io. Chrysost. *hom.* 59. *in Io.* D. Gregor. *hom. in*

in dict. locum Io. D. August. *ferm.* 5. *de verb. Domini*, *& ferm.* 149. *de tempore*. *& Epist. ad Honorat.* D. Th. 2. 2. *quæst.* 37. *art.* 5. & interpretes in dict. locum Io. quando autem adultus est in periculo mortis, & petit baptizari, est in graui necessitate quoad baptismum, ergo Pastor ratione muneris tenetur exponere propriam vitam, & succurrere tali necessitati, quia necessitas exigit munus Pastoris sibi impendi. Vnde D.Th. 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 7. ad 4. docet, quod adimpletio quoque operum misericordiæ fiunt de necessitate salutis, quando fiunt debita, vel ob officium iniunctum, vel ob necessitatem indigentis. Vnde, quæ aliàs non essent necessaria ad salutem, fiunt necessaria, si fiant debita ex officio. Et ideo cum respectu aliorum non sit necessarium ad salutem ministrare baptismum adulto constituto in periculo mortis, erit necessarium quòad Pastores, ministratio namque baptismi est debita ratione officij.

3 Confir. Præceptum suscipiendi baptismum est de iure diuino, & vrget præsertim tempore mortis, cum sit de medio omnino necessario ad salutem, iuxta illud *Io. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei*: ergo Pastores tenentur tunc exponere propriam vitam, vt ministrent baptismum. Conseq. prob. Adultus obligatur ad baptismum ex præcepto diuino, & Pastor obligatur pascere oues suas etiam cum periculo mortis quòad ea, quæ sunt necessaria ad salutem, atque adeo tenetur, ad illud ministerium ratione sui officij, quod est necessarium ad habenda media necessaria pro salute: ergo adultus habet ius ad officium Pastoris sibi impendendum, etiam cum periculo mortis ipsius Pastoris; siquidem pro munere suo adimplendo tenetur exponere vitam.

4 Dices, adultum posse saluari cum solo voto baptismi, & ideo Pastorem non teneri exponere propriam vitam, vt ministret baptismum. Resp. neg. consequent. quia licet possit saluari, requiritur tamen contritio, quæ non est ita facilis, nec constat Pastori, an sit adfutura: vnde quantum est de se relinquet adultum in periculo æternæ damnationis. Deinde licet possit saluari cum contritione, & baptismo in voto, non tamen per hoc tollitur, quin sit necessarium officium Pastoris pro adimplendo præcepto diuino, & quod non debeat impendi cum periculo vitæ; aliàs, quia adultus semper potest saluari cum contritione, nunquam Pastor teneretur pro adultis exponere propriam vitam.

5 Dices. 2. Non baptizatos nondum esse subditos Ecclesiæ, & proinde non esse de ouibus Pastoris, cum non pertineant ad ouile Ecclesiæ; & ideo non teneri Pastorem baptizare cum periculo mortis, quia bonus Pastor tenetur solum pro ouibus suis animam ponere. Resp. Non baptizatos, si sint filij Christianorum, esse de ouili Ecclesiæ originatiuè, quia nati sunt de ouibus Ecclesiæ; & ideo debent incorporari ipsi Ecclesiæ, ita vt habeant ius ad talem incorporationem; & proinde est ipsis debitum officium Pastoris, & Pastor tenetur ratione officij incorporate, etiam cum pericalo vitæ, si opus sit. Si vero non sint filij Christianorum, adhuc tenentur præcepto diuino de suscipiendo baptismo, & quia ad Pastorem spectat ex officio illum ministrare, in virtute eiusdem præcepti tenentur ministrare, quia ratione muneris tenentur exhibere media necessaria ad salutem, & incorporare Ecclesiæ, qui volunt incorporari, atque etiam cnm periculo vitæ tenentur exequi munus proprium, si opus sit.

6 Ex dictis infertur, quod tempore persequutionis non tenentur Pastores cum periculo mortis, nec quisquam alius baptizare infantes, ob periculum, quod à Tyranno occidi possint. Quia, si occidantur, saluabuntur ob martyrium, quod tanquam baptismus sanguinis, sufficit pro assequenda salute, & remissione peccatorum, vt docent communiter Patres D. Augus. *lib.* 13. *de ciuit.*

ciuit. Dei c. 7. vbi etiam id probat, & lib. 3. de Symbolo ad Catechum. cap. 4. & Epist. 28. ad Hieronym. & ferm. 8. de sanct. Tertul. in Scorpiaco in fine. Cyprian. Epist. 53. ad Iubaian. Leo serm. 1. de Epiphan. cap. 3. Ambros. in Psal. 118. ad 3. octonar. Et communiter scholastici cum D. Th. 2. 2. quæst. 124. art. 1. ad 1. & quodlib. 6. art. 4. Richar. in 4. dist. 4. art. 2. quæst. 3. D. Bonau. par. 2. art. 1. quæst. 2. & alij eadem dist. Sotus, dist. 3. quæst. vn. art. 11. & alii. Vnde non sunt in extrema, nec in graui necessitate, cum sint habituri certum remedium salutis.

7 An autem teneantur Pastores ministrare baptismum adultis, quando imminet mors ex persequutione Tyrannorum in odium fidei. Videtur negatiuè responden. quia vel permanebunt in confessione fidei, & tunc non indigent baptismo pro salute; Vel deficient, & tunc neq. iuuabit baptismus. Sed tenendum est, quod teneantur ministrare, quia non debent respicere futurum euentum, sed præsentem obligationem. De præsenti autem tenentur etiam cum periculo mortis baptizare, quia vrget præceptum diuinum de suscipiendo baptismo, & ad Pastores pertinet ratione officij exhibere ea, quæ ex parte sui sunt necessaria, vt impleantur præcepta diuina, & cum periculo vitæ, si sint de medijs necessariis ad salutem. Tum quia pertinet ad Pastores, perducere oues ad salutem, & eas adiuuare: vnde instante persequutione tenentur baptizare adultos, vt per gratiam, quæ ratione baptismi tribuitur, adiuuentur ad permanendum in confessione fidei, & non baptizando priuarent ipsos tali auxilio, & proinde essent ipsi quoque in culpa, si deficerent in fide.

An Pastores teneantur ministrare baptismum etiam non petentibus, si sint in periculo mortis.

Quæst. 77.

S V M M A.

1 *Affirmatiua sententia tenetur.*
1 *Tempore pestilentiæ tenentur Pastres inquirere infantes baptizandos.*
2 *Pastores tenentur habere curam de ouibus, & super eas inuigilare.*
3 *Argumentis oppositis satisfit, & num. 4.*
5 *Parochi per se vel per superiores tenentur curare, vt filij hæreticorum baptizentur etiam inuitis parentibus.*

1 Affirmatiuè respondendum est, & proinde tempore pestilentiæ teneri inquirere infantes baptizandos, quia tunc omnes sunt in periculo mortis, præsertim, si nascantur ex matre Infecta. Ita tradunt specialiter Capeauil. de administr. sacramen. cap. 2. quæstio. 8. Marchin. de bel. diuin. par. 3. cap. 1. num. 16. & desumitur ex D. Th. 2.2. quæstion. 33. art. 2. ad 4. vbi docet, quod tenemur inquirere eum, cui debemus aliquid, siue corporale, siue spirituale non expectantes, quod nobis occurrat.

2 Ratio autem est, quia Pastores tenentur habere curam de suis ouibus, & de ipsis inuigilare ne pereat, cum hoc exigat munus ipsorum, si quidem debent eas spiritualiter pascere docendo, & reducendo si aberrent à via salutis, ergo cum teneantur cum periculo vitæ, quando opus, est exequi munus suum, tenebuntur etiam procurare, nè aliquis decedat sine baptismo, & pereat. Confir. debitor tenetur inquirere creditorem, vt ipsi soluat, quod debet, vt notat D. Th. modo citatus, & à fortiori, si dubitet esse in graui necessitate, aut extrema, ergo cum ex officio suo Pastores teneantur soluere omnibus dubitum baptizandi, tenentur eos inquirere, quando possunt probabiliter esse in periculo mortis, vt contingit tempore pestilentiæ.

Di-

3 Dices in periculo mortis posse baptizari à parentibus, aut ab alijs præsentibus, & ideo non obligari parochos cum periculo mortis. Resp. Licet possint baptizari, non tamen per hoc pastores solui obligatione, quam habent, quia obligtio aliorum est obligatio ex charitate, quæ non soluit obligationem illorum, qui ex officio tenentur, sed solum subintrat in defectum ipsorum. Vnde adhuc pastores tenentur implere munus proprium, & baptizare quos non reperunt baptizatos.

4 Dices 2. Esse in præiudicium aliornm, si ob vnius necessitatem parochus se exponat periculo mortis, quia est persona publica obligata omnibus suis subditis, vnde ipso mortuo, alij priuabuntur opera, & officio ipsius in administratione sacramentorum. Respo. hoc nihil concludere, alioquin, nunquam pastor teneretur exponere vitam pro ouibus, quia quociescunque exponeret, pro aliqua persona particulari exponeret. Quare cum teneatur non solum omnibus, sed etiam singulis officium suum impendere, tenetur etiam non solum pro omnibus, sed etiam pro singulis vitam exponere. Ex eo autem quod sit persona publica omnibus obligata, solum sequitur, quod non debeat exponere irrationabiliter extra necessitatē, quando autem exponit rationabiliter, & secundum exigentiam muneris proprij, non cedit in alicuius præiudicium, quia nihil iniustè agit.

5 Ex dictis colligitur, vt notat etiā Capeauil. *de administr. sacram. cap. 2. quæst. 8.* ver. *Pastores teneri.* Parochos vel per se, vel per superiores curare, vt filij hæreticorum baptizentur, si parentes nolint, eos baptizari. Quia in tali casu sunt compellendi, vt offerant baptizandos, aut ipsis inuitis baptizandi sunt, vt de sumitur ex cap. *Si baptizata* ver. *Qui de baptizato. De consecrat. dist. 4.* Vnde cum ad Parochos spectet cura eorum, qui pertinent ad proprium ouile, & hi filij pertineant tanquam incorporandi Ecclesiæ, pertinet ad ipsum curare, vt baptizentur.

An tempore pestilentiæ possit laicus ministrare baptismum, si adsit copia Parochi. Quæst. 78.

S V M M A.

1 *In qua nam pestilentia tenenda sententia affirmatiua.*
2 *Laicus in hoc casu an possit compelli ad baptizandum.*
3 *Laicus ad seruandam vitam Pastoris non tenetur baptizare cum sui periculo ex motiuo charitatis.*
4 *Existens in periculo mortis vt teneatur se offerre ex charitate ad baptizandum.*

1 Affirmatiuè respondendum est, si pestilentia sit talis, vt exponatur periculo vita Parochi ministrando baptismum. Ita Sotus *de iust. & iure lib. 1. quæst. 6. ar. 4.* Ludouicus à S. Io. *part. 1. sum. quæst. 4. de baptis. ar. 6 dub. 1.* Et ratio est. Quia vita parochi est obligata pluribus, & necessaria pro administratione aliorum sacramentorum, quæ non possunt à laicis administrari; vnde cum aliàs prouideatur de baptismo, aderit sufficiens ratio ob quàm vita parochi non exponatur, si laicus baptizet.

2 Est tamen aduertendum cum Soto *in 4. dist. 4. quæst. vn. ar. 1.* Ludouico à S. Io. *par. 1. sum. quæst. 4. de baptis. art. 6. dub. 1. difficul. 2. conclus. 1.* Laicos non posse compelli, ad baptizandum, licet parochus non possit baptizare nisi cum periculo vitæ, quamuis sit necessarius pro administratione aliorum sacramentorum. Et ratio est, quia baptizare spectat ad Parochum ratione proprij officij, vnde ipse tenetur ex iustitia, cœteri autem ad summum tenentur ex charitate: obligatio autem ex charitate non habet locum, quando adest aliunde obligatio ex iustitia

& nisi deficiat obligatus ex iustitia non subintrat obligatus ex charitate.

3 An autem laicus teneatur ex charitate se offerre ad baptizandum ob seruandam vitam Pastoris, vt possit cœtera sacramenta ministrare. Resp. Si etiam laicus debeat vitam exponere, non teneri, quia in pari causa præualet ius laici ad seruandam propriam vitam, quia non tenetur ex officio, & ex iustitia, sicut tenetur Pastor, vt notat etiam Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 4. *de baptis. arti.* 6. *dub.* 1. *difficul.* 2. *in Appen.* Nec vita Pastoris est adeo necessaria pro bono communi, vt obliget personas priuatas ad propriam vitam exponendam vt saluetur vita ipsius, quia eo mortuo potest de alio prouideri, qui eodem modo sacramenta ministret. Imo etiam si non posset de alio prouideri, neque adhuc adesset huiusmodi obligatio, quia per hoc quod laicus exponat propriam vitam pro baptizando, non liberat pastorem à periculo, cum adhuc versetur in eodem periculo ministrando sacramentum pœnitentiæ, & parum refert, quod moriatur in administratione huius, vel illius sacramenti. Non tenetur autem quis exponere propriam vitam pro conseruatione personæ necessariæ communitati, nisi sit eum certò seruaturus.

4 At si quis iam existeret in periculo mortis, vt si esset pestilentia correptus aut versaretur cum pestilentia correptis, teneretur ex charitate se offerre ad baptizandum, quia in tali casu, nullum ipse subiret de nouo periculum, vnde absque graui incommodo, posset personam publicam liberare à periculo mortis. Nec obstat, quod pastor adhuc remanet in periculo mortis, dum ministraret sacramentum pœnitentiæ, quia saltem liberaretur ab aliquo periculo, nempe ab illo, in quo versaretur dum accederet ad baptizandum, quod cum possit fieri absq. graui incomodo charitas obligat ad id præstandum.

An parentes vrgente necessitate possint, & debeant babtizare proprios filios. Quæst. 79.

S V M M A.

1 SI non adsit alius, qui possit baptizare, & infans sit in graui periculo mortis, certum est posse parentes ministrare baptismum, imò etiam teneri. Ita Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 1. *num.* 4. Capeauil. *de admini st. sacram. cap.* 2. *quæst.* 4. Ludouic. à S. Io. *part.* 1. *sum. quæst.* 4. *de baptis. art.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 1. & habetur determinatum in cap. *Ad limina*, 30. *quæst.* 1. vbi decernitur, benè fecisse eum, qui filium suum morientem baptizauit.

2 Ratio autem est, quia Parentem baptizare proprium filium non est ex natura sua malum, cum neque ex obiecto, neque ex fine intrinseco habeat vllam malitiam; alioquin daretur casus, in quo parentes non possent succurrere propriis filiis constitutis in extrema necessitate spirituali, sed solum, quia prohibitum, ergo cum necessitas faciat licitum, quod alias prohibetur. Cap. *Sicut non alii. De consecrat. dist.* 1. faciet etiam licitum, quod parentes baptizent proprium filium.

3 Accedit etiam, quod parentes sunt obligati duplici vinculo erga proprios filios, nempe communi vinculo charitatis, & speciali vinculo pietatis, & ratione vtriusque tenentur subuenire ne-

necessitatibus ipsorum, & specialiter ratione pietatis, quæ obligat ad habendam specialem curam de ipsis: ergo cum sint in extrema necessitate spirituali, quando nondum baptizati sunt in vrgenti periculo mortis, tenentur parentes ratione vtriusque obligationis ipsis succurrere.

4 An autem parentes possint proprios filios baptizare, in absentia solius sacerdotis, si tamen adsint aliqui ex laicis, qui qui possint baptizare; affirmatiua pars videtur colligi ex dicto Capit. *Ad limina 30. quæst. 1.* Nam ibi Pontifex colligit necessitatem baptizandi ex sola absentia sacerdotum. ibi. *Absentia scilicet sacerdotum necessitate cogente baptizasset*, & declarat id rectè factum fuisse. Rursus. Non est verisimile, Quod Ansel. Episcopus voluisset separare patrem, ab vxore, si proprium filium baptizasset, quando à nemine alio etiam laico potuisset badtizari, nam prætendisset punire patrem, quia exhibuisset opus, quod ex lege diuina, & naturali tenebatur exhibere, vnde cum voluerit punire, colligitur, quod licet in absentia sacerdotum, in præsentia tamen aliorum baptizauerit, qui potuissent baptizare. Quod Sanchez *lib. 9. de matrimon. disp. 26. num. 2.* in fine habere locum putat, quando parens periculo motus accurreret in deliberatè, & baptizaret. Alii vero apud ipsum absolutè oppositum tenent.

An parentes baptizantes proprios filios in casu necessitatis, impediantur à petitione debiti. Quæst. 80.

S V M M A.

1 *Sententiam affirmatiuam qui doceant.*
2 *Tenetur, & probatur.*
3 *Extenditur etiam ad baptizantes extra necessitatem ex ignorantia, aut bona fide.*
4 *Debere extendi ad procedentes malitiose qui dicant, & qui negent.*

1 PArentes baptizantes proprios filios vrgenre necessitate nequaquam impediri à petitione debiti tenendum est ranquam certum, vt docent communiter D. Th. *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 1. in corpore.* Palud. *quæst. 1. art. 1. conclus. 7.* Richar. *art. 1. quæst. 1. ad 1.* D. Bonau. *art. 2. quæst. 2. in corpore.* Durand. *quæst. 1. num. 11.* Sotus. *quæst. 1. art. 1. conclus. 2.* Bassolis. *quæst. vn. art. 3. in fine.* Supplemen. Gabr. *quæst. 1. art. 2. conclus. 4.* Sum. Pisanel. verbo. *Impedimentum 6. num. 3.* Angelus verbo. *Matrimonium. 3. Impedimen. 8. init.* Rosella verbo. *Impedimentum. 6. num. 3.* Armilla verbo. *Matrimonium. num. 9.* Syluester verbo. *Matrimonium 8. quæst. 7. dicto 2.* Panorm. *in Cap. Si vir. num. 2, de cognat. spirit.* Turrecrem. *in cap. 1. quæst. 4. num. 13. Causa 30. quæst. 1.* D. Antonin. *3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3.* Nauar. *cap. 16. Manual. num. 34.* Zambran. *in suis decis. cap. 1. de baptis. dub. 18. num. 1. Sum. Confes. lib. 4. tit. 7. quæst. 2.* Monal. *in sum. tract. de matrim. tit. de fraternit. spirit. in fine.* Orbellis *in 4. dist. 42. quæst. 1. §. 2.* Petrus Soto, *lect. 11. de matrim. §. secundum de hac cognat.* Ledesma *de matrim. quæst. 56. art. 1. dub. 3.* Lopez *2. par. Instruct. cap. 51. de matrim. §. dubitari.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 26. num. 2.* Pontius *lib. 7. de matrim. capit. 41. num. 13.* Granad. *3. par. controuer. 4. tr. 2. disp. 5. num. 5.* Præposit. *quæst. 67. art. 6. dub. 2. numer. 7.*

2 Desumitur autem ex Cap. *Ad limina 30. quæst. 1.* vbi hoc expresse deciditur. Et ratio est, quam innuit textus: quia cum coniuges habeant ius petendi debitum, non possunt priuari hoc iure acquisito, nisi in pœnam alicuius delicti, cum nemo absque culpa suo iure debeat priuari. Cap. *Discretionem de eo, qui cogn. consang.* In tali autem casu parentes non solum sunt culpa immunes, sed

sed etiam per officium charitatis, & paternæ pietatis satisfaciunt propriæ obligationi, & proinde non debent suo iure priuari.

3 Et hæc doctrina habet locum etiam quòad eos parentes, qui extra casum necessitatis bona fide baptizant, & per ignorantiam, non tamen crassam, & dolosam proprios filios, vel etiam illos suscipiunt, vt notant Doctores *num.* 1. allati, & habetur determinatum in Cap. *Si vir. in finè de cognat. spirituali.* ibi. *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantes excusare videtur*. Et est iuxta communem regulam, quod bona fides, & quælibet causa excusat à pœna, per ea, quæ tradunt Doctores *in l. Iulianus. ff. de condit. indeb.* Quia nimirum excusat à dolo. *l. Igitur. §. 1. ff. de lib. can. & l. 1. §. fin. ff. de alig.* & *l. 1. ff. de plagar.* Quod ideo addidi, quia si parentes non possent baptizare in absentia sacerdotum, quando sunt alii præsentes, si baptizarent, adhuc excusarentur à pœna, quia haberent causam, ob quam putarent, id sibi licere, vt constat ex dictis quæst. præcedenti *numer.* 4.

4 Imò etiam si ex malitia procederent adhuc non priuarentur iure petendi debitum, vt notant *Glos. in cap. si vir.* verbo. *Debitum. de cognat. spirit.* Archidian. *in cap.* 1. *init.* 30. *quæst.* 1. Ancharan. *ibid.* præposit. *in fine.* Cardinal. *in fin.* Rayner. *in sum. Tit. de cognat. spirit. §. vlt.* verbo. *Contracto*. Durand. *in 4. dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 11. in fine Suarez 3. *par. quæst.* 67. *art.* 8. *§. quo circa*. Coninch. *disp.* 34. *de sacram. dub.* 69. Heredia *par.* 6. *de sacram. baptis. dub.* 2. *num.* 6. Et fundantur in eo, quod pœna non est inducenda, nisi de ea constat, hæc autem pœna ex nullo tex. habetur. imò & Cap. *si vir. de cognat. spirit.* oppositum potius deducitur. Ibi. *Siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere*. Nec obstat ratio tex. quod non debeant separari, nè fraus alicui patrocinetur, vt autem non patrocinetur, sufficit, si teneatur reddere debitum, licet non possit petere, nam ex hoc solum fit ad summum, quod ratio legis non habeat locum quòad petitionem debiti, non autem, quod text. inducat talem pœnam, imò cum non induxerit, censeri debet, noluisse imponi, quia si voluisset expressisset Cap. *Ad audientiam*. 2. *de decimis*. & cap. 2. *de transact.* Oppositum tamen cum pluribus Doctoribus tradit Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 26. *num.* 7. Qui tamen fatentur oppositam sententiam esse probabilem, & tutam.

An vrgente necessitate possit in ministraiione baptismi vnus abluere, & alter proferre verba.

Quæst. 81.

SVMMA

1 *Non posse stabilitur.*
2 *Argumentum Merat. vt non subsistat.*
3 *Posse qui dicant.*
4 *Opposita sententia non videtur omnino reijcienda, num.* 5. *&* 6.
7 *Obiectiones soluuntur, & num.* 8.

---

1 Baptismum in quo vnus abluat, & alter proferat verba, esse inualidum, communiter docent cum D. Th. 3. *par. quæst.* 67. *ar.* 6. *ad.* 3. Syluius ibid. ver. *In responsione*. Mercer ver. *Resp. secundo* Putean. *dub.* 1. Chellison. *dub.* 1. ver. *dico* 1. Cabrera *disp.* 3. *numer.* 3. Nugnus. *difficul.* 3. Alens. 4. *part. quæstion.* 16. *memb.* 6. D. Bonau. *in* 4. *dist.* 5. *ar.* 1. *qu.* 1. Richar. *dist.* 3. *quæst.* 1. *ad.* 1. Durand. *quæst.* 3. Palud. *quæst.* 2. *ar.* 2. Scot *dist.* 6. *qu.* 2. Gabr. *quæstio.* 1. Sotus. *dist.* 4. *art.* 4. Vasquez 3. *par. disp.* 148. *cap.* 4. Coninch. *quæst.* 67. *ar.* 6. *dub.* 1. Isambert. *disp.* 1. *ar.* 6. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum.*

sum. quæst. 4. de baptis. ar. 4. dub. 2. conclus. 1. Auersa. *3. par. quæst. 67. sect.* 1. *ver. Satuendum tamen.* Suarez *disp.* 23. *de sacramen. sect.* 3. Gaspar Hnriad. *de sacram. disp. 2. de baptis. difficul.* 6. Granad. *3. par. controuer. 4. tract. 2. disp. 3. num.* 9. Tanner. *tom. 4. disp. 4. quæ. 2. dub. 1. num. 1. num.* 17. Mærar. *tom. 3. sum. disp. 5. de Baptis. sect.* 3. Filliuc. *tract. 2. cap. 5. num.* 77. Et fundamentum est, quia si vnus ablueret, & alter proferret verba, non verificaretur forma, siquidem forma significat quod ipse proferens ablnat, dum autẽ nõ verificatur forma, sacramentum nõ est validum.

2 Arguit etiam. Mærat. *cit.* quia si talis baptismus valeret, adhuc valeret si vnus proferret medietatem formæ dicendo. Ego te baptizo, & alius aliam medietatem, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Verum non video quomodo hæc consequentia deducatur. Nam est longe diuersa ratio, quia quando vnus applicat materiam abluendo potest applicare nomine illus, qui profert forma, atque adeo ex mandato ipsius, vnde moraliter loquendo ipse applicabit. At si proferat vnam partem formæ, & alius alteram, neuter significabit id, quod debet significare, quia significatio dependet ab interno conceptu mentis, & ideo, quamuis vterque habeat intentionem baptizandi, neuter explicabit per verba talem intentionem, quia ad ipsam explicandam requiruntur omnia verba formæ.

3 Quia tamen nonnulli docent, quod huiusmodi baptismus valeat, vt Caiet. *3. par. quæst. 67. ar. 6. §. In hac difficultate.* Marsil. *in 4. quæst. 4. art. 6. dub.* 11. Ideo nonnulli putant, quod vrgente necessitate possit adhiberi, quãdo aliter ministrari non potest. Ita Mercerus *3. part. quæst. 67. art. 6. ver. Addendum tamen.* Suarez *disp. 23. de sacram. sect. 3.* ver.]Ad vlt. coufir. Fernandez de Heredia *de sacram. par. 5. de baptis. dub. 2. nu. 9.* in fine Capeauil. *de administ. sacramen. capit. 2. de baptis. quæst. 20.*

4 Quod quidem non videtur reijciendum, quamuis enim huiusmodi baptismus dubius sit, dum tamen alio modo ministrari nou potest, satius est; quod iste ministretur, quia melius est baptizari baptismo dubio, quàm nullo modo baptizari. Et si ministretur sub conditione, excluditur attentatio ministri, qua aliàs attentaret baptismum inualidum; Vnde non video, quod in hoc sit aliquod inconueniens.

5 Quod autem baptismus iste sit dubius positiuè, atque adeo adsit aliqua probabilitas pro validitate ex eo, deducitur, quia actus regulariter tribuitur mandanti, non autem exequenti *l. Item eorum. §. Decuriones. ff. quod cuiusque vniuer. nomin.* & *l. Vnum. §. 1. ff. de leg. 2.* & cap. *Super litteris. de rescrip.* & cap. *Cum aliquibus. de rescrip. in 6.* & notant Roman. *Consil. 366.* Surd. *de alimen. tit. 8. priuil. 56. num.* 88. & *decision. 292. numer.* 9. Tusch. *littera A. Conclus.* 144. Marius Antonin. *lib. 3. variar. resol. 19. num.* 5. vnde intrat regula iuris, quod qui aliquid facit per alium, per se ipsum facere videtur. cap. *qui facit. de regul. iur. in 6.* & proinde actio ipsi tribuitur. Vnde etiam in casu nostro, si quis iubeat aliquem abluere, & ipse proferat formam, censebitur ipse abluere, ita vt ablutio ipsi tribuatur.

6 Et hoc sufficit ad verificandam formam. Quia vt verba habeant veram significationem, sufficit, si ablutio tribuatur proferenti, quia cum significatio sit quid morale, non requirit ad verificationem, nisi quod actio sit moraliter ipsius proferentis. Quod adeo verum est, vt actus gestus per alium refundat suum effectum in eum, cuius nomine geritur, vt si quis per procuratorem contrahat cum Berta, consensus procuratoris refundat suam obligationem in eum, cuius nomine fuit exhibitus. Si quis iniungat seruo, vt percutiat clericum, mandans contrahet excommunicationem ex actione clerici. Potest quis per alium iurare cap. *Tibi Domino. dist.* 63. & ipse iuramento remanebit obligatus, non autem iurans:

Ob-

7 Obiicit Mætat. Si baptiſmus hoc pacto miniſtratus eſſet validus vrgente neceſſitate, eſſet etiam validus extra neceſſitatem, quia, quæ ſufficiunt ad validitatem ſacramenti in vno caſu, ſemper ſufficiunt; quod tamen dici non poteſt. Reſp. Eo pacto dici validum in caſu neceſſitatis, quo dicitur extra neceſſitatem, nempe cum aliqua probabilitate, & proinde in vtroque caſu eſſe baptiſmum dubium; extra tamen caſum neceſſitatis non licet vti tali baptiſmo, quia eſt dubius, & non licet vti ſacramento dubio; & ſic baptizatus eſſet de nouo baptizandus ob dubietatem validitatis.

8 Secundo obijcit. Poſſet dici validum eſſe batiſmum ſine vllis verbis ore prolatis, aut in alio liquore, quàm in aqua elementari in extrema neceſſitate, vt ſi nulla adeſſet aqua, aut ſi quis eſſet præſens non poſſet niſi nutibus loqui. Reſp. neg. ſequel. quia quando cum adeſt, qui poſſit loqui, nullo modo, neque cum aliquali probabilitate poteſt haberi forma baptiſmi, quæ eſſentialiter conſiſtit in verbis, & ſignificatione cum expreſſa inuocatione Trinitatis. Quando autē nō adeſt aqua, ſi adſit alius liquor, qui cum aliqua probabilitate cenſeatur aqua, poterit in caſu neceſſitatis adhiberi, vt dictum eſt ſupra ſuo loco. Et proinde cum etiam in caſu præſenti ablutio probabiliter cenſeatur eſſe actio proferentis formam, poterit tali pacto vrgente neceſſitate miniſtrari baptiſmus.

An vnus poſſit ſimul plures baptizare, ſi ijs immineat periculum mortis. Quæſt. 82.

S V M M A.

1 *Vnus in neceſſitate poteſt ſimul plures baptizare.*
2 *Sententia probatur.*
3 *Extra caſum neceſſitatis, qui negent, & qui affirment.*
4 *Sacerdos ex officio baptizans ſimul plures in peccato mortali vnum peccatum mortale committit.*

1 POſſe vnum licitè plures ſimul baptizare, ſi neceſſitas vrgeat docent communiter cum D. Th. 3. *par.* 66. *art.* 5. *ad* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 4. *quæst. vn. ar.* 4. §. *ſecundò ſequitur*. qui addit, quod neque extra caſum neceſſitatis eſſet peccatum mortale ſimul plures baptizare. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſp.* 2. *de baptiſ. difficul.* 7. Coninch. 3. *par. quæſt.* 67. *art.* 6. *dub.* 2. *num.* 51. Auerſa *ſect.* 1. ver. *Denique abſque difficultate.*

2 Ratio, eſt quia in tali caſu interueniunt omnia eſſentialia ſacramenti, nempe ablutio ſingulis applicata, vt ſupponitur, debita forma; quia in tali caſu Miniſter deberet vti numero plurali *Ego vos baptizo*, & proinde verificaretur forma quoad omnes, qui abluerentur; & debita intentio, vt ſupponitur. Et aliàs neceſſitas faceret licitum hunc modum baptizandi, ergo ex nullo capite interueniret aliquid reprehendendum.

3 An autem extra caſum neceſſitatis tali modo baptizare ſit peccatum mortale negat Sotus, vt dictum eſt *nu.* 1. Affirmant tamen Coninch, & Hurtadus *citati*. Quod tamen non ita facilè admittetem, præſertim, ſi adſit aliqua cauſa rationabilis; nam eſt eadem ratio, ac de collatione ordinum, & tamen apud aliquas Eccleſias eſt in vſu, vt quando adeſt magnus numerus ordinandorum, plures ſimul ordinentur, quibus omnibus ſimul porrigatur materia, & forma in numero plurali proferatur. Præſertim quia in tali modo miniſtrandi baptiſmum nullum eſt inconueniens, nec vlla irreuerentia. Nec poteſt dici, qood ſit contra conſuetudinem Eccleſiæ, nam conſuetudo baptizandi vnum ſeorſim ab alio non eſt inducta pri-

priuatiuè quoad oppositum modum, nec cum animo inducendi obligationem, sed quia regulariter vnus tantum occurrit baptizandus.

4. Ex his colligitur, si sacerdos, cui incumbit ex officio baptizare, plures baptizet simul, & existat in peccato mortali, committat vnum, aut multiplex peccatum mortale iuxta numerum baptizatorum. Resp. committere vnicum tantum peccatum. Ratio est, quia licet sint plures baptismi, vt communiter docent, quia sunt plures ablutiones passiuæ, & virtualiter plures formæ, & plures effectus, quia baptismus multiplicatur iuxta multiplicationem subiecti, in quo recipitur, attamen est tantum vna actio baptizandi applicata pluribus subiectis. Vnde, cum ratio peccati desumatur ex irreuerentia contra exigentiam proprij muneris erga talem actionem, vt proinde actus irreuerentiæ habeat pro obiecto talem actionem, cum vnum sit obiectum, erit etiam vnicum peccatum. Sic etiam vnicum tantum committit peccatum, qui furatur rem aliquam, quæ pertineat ad plures dominos, quamuis plures lædat contra iustitiam.

An, si baptizandus sit in mortis periculo, possit dari ministro pecunia, vt baptizet, si aliter nolit baptizare. Quæst. 83.

S V M M A.

1 *Pecunia in pretium sacramenti non potest dari nolenti baptizare in necessitate.*
2 *Potest tamen dari ad vincendam malitiam.*
3 *Obiectio soluitur.*
4 *Quid dicendum quoad iniquum ministrum nolentem in necessitate baptizare nisi ei vendatur aliquod spirituale.*

1 Non posse dari pecuniam ministro, vt baptizet, tanquam pretium sacramenti, etiam si aliàs nolit baptizare, & vrgeat necessitas baptizandi, certum omnino est, quia hoc esset ex natura rei simonia, & intrinsecè malum, nam esset emptio, & venditi rei omnino spiritualis, & in hoc sensu procedunt, qui docent, id non licere, vt D. Th. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. *ar.* 2. & *dist.* 25. *quæst.* 3. *ar.* 3. Richar. *ar.* 2. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 8. Alens. 2. *par. quæst.* 187. *memb.* 3. *ar.* 1. & alii. An autem liceat alio titulo.

2 Affirmatiuè resp. est, & ita docent Gerson *tract. de symbolo ad* 3. *rat.* Adrian. *quodlib.* 9. Sotus *lib.* 9. *de Iust. & iure quæst.* 6. *ar.* 9. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure capit.* 35. *dub.* 7. Capeauil. *de administr. sacramen. cap.* 2. *de baptis. quæst.* 6. Ratio autem est, quia pecunia non datur ministro in pretium sacramenti, sed ad vincendam malitiam ipsius, & reducendum animum ad debitam æqualitatem, qua stante disponatur ad baptizandum, in quo nulla interuenit ratio simoniæ, vt loquendo de electione dixi in *decis. moralib. decisio.* 233. præsertim *numer.* 4. Vnde nec ex obiecto est quid malum, datur enim pecunia liberaliter ad sibi deuinciendum animum mali ministri, in quo potius interuenit exercitium liberalitatis. Nec etiam ratione, quia finis dantis est vincere malitiam illius, & ipsum reducere ad illam dispositionem, quam deberet habere de adimplendo officio charitatis ministrando baptismum.

3 Nec obstat, quod minister accipiat pecuniam tanquam pretium sacramenti, sicut non obstat, quod quis non possit petere mutuum, & soluere vsuras necessitate vrgente, propterea, quod vsurarius illas recipiat in compensationem mutui; quia hoc prouenit ex malitia accipientis, nam datio pecuniæ de se est indifferens, vt possit benè, vel malè acceptari, & ideo si malè accepte-

tur, imputandum est malitiæ acceptantis.

4 Quæres. Quid si iniquus minister nolit in extrema necessitate baptizare, nisi illi vendatur aliquid spirituale? Resp. Si id, quod prætendit sibi vendi, est tantum prohibitum vendi iure positiuo humano, & nolit gratis illud acceptare, poterit vendi, quia in tanta necessitate cessat prohibitio legis cap. *Licet. de feriis*, & cap. *Sicut non alii. de consecrat. dist.* 1. & *l. Aliquando. ff. de offic. proconsul.* & *l. Tutor qui repertorium ff. de administ. tut.* Quod intelligi debet, si id non facit in contemptum religionis, nam si id vellet in contemptum religionis, nullo modo esset licitum, cum esset intrinsecè malum. Si vero, quod petit sibi vendi, est prohibitum vendi iure diuino debet gratis offerri, & si nolit acceptare, nullo modo licebit vendere, quia talis venditio esset intrinsecè mala.

An vrgente necessitate possit Diaconus solemniter baptizare in absentia sacerdotis. Quæst. 84.

SVMMA.

1 *Affirmatiua sententia?*
2 *Negatiua probatur.*
2 *Diaconus in casu necessitatis baptizat non vt Diaconus, sed vt minister necessitatis.*
3 *Probatur sententia negatiua.*
4 *Diaconus addictus Ecclesiæ, cui præest sacerdos, probabile est, quod possit eo absente solemniter baptizare.*

1 AFfirmatiuã sententiam tradit Glos. in cap. *Diaconos* verbo. *Necessitas dist.* 93. quam sequitur Suarez *disp.* 23. *de sacram. sect.* 2. ver. *Resp. duplicem esse*. Cuius fundamentum esse potest, quia tunc subrogatus censetur in locum sacerdotis absentis.

2 At non posse Diaconum solemniter baptizare in casu necessitatis, etiam si sit absens sacerdos, tradunt Coninch. *de sacram. quæst.* 67. *ar.* 5. *dub.* 3. *num.* 27. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 2. *de baptis. difficul.* 4. Et hæc opinio habet firmum fundamentum. Nam tanquam Diaconus non potest baptizare sine commissione sacerdotis, quod aperté decernitur in cap. *Diaconus dist.* 93. ibi: *Absque Episcopo, vel presbitero baptizare non audeant*, hoc est absque auctoritate Episcopi; vel præsbiteri. Quando autem in casu necessitatis baptizat absque commissione, baptizat non tanquam Diaconus, sed tanquam minister necessitatis, quales sunt etiam omnes Laici, quod ex dict. cap. *Diaconos* desumitur. vbi postquam statutum est, quod Diaconi non possint baptizare, subditur; *Nisi prædictis fortasse ordinibus Episcopo, & Presbitero longius constitutis necessitas extrema compellat.* Quod & laicis christianis facere plerunque conceditur. Vnde eodem modo potest baptizare, quo possunt etiam laici; & ideo eo modo solum baptizare, quo potest laicus, seu minister necessitatis.

3 Et ratio à priori est. Quia Diaconus ex vi suæ ordinationis est solum minister sacerdotis, & ideo ratione sui muneris non potest aliquid præstare, in quo non inseruiat sacerdoti. ergo baptizans vrgente necessitate, cum non inseruiat in hoc sacerdoti, non id facit in virtute sui muneris, sed solum, quia sicuti laicus est deputatus minister baptismi priuati. Et proinde ex vi suæ ordinationis habet solum, quod ex commissione sacerdotis possit soléniter baptismum ministrare, non autem iure proprio, cum ius proprium solum extendatur ad recipiendam hanc commissionem.

4 Attamen hoc non obstante, existimarem si Diaconus sit deputatus seruitio eiusdem Ecclesiæ, cui præest sacerdos, posse in absentia ipsius vrgente necessitate baptizare solemniter. Ratio

tio est, quia eo ipso, quod est deputatus seruitio eiusdem Ecclesiæ, censetur habere commissionem tacitam à sacerdote adimplendi munus suum, inseruiendi sacerdoti in ijs, in quibus non potest ipse sacerdos supplere, potest autem Diaconus. Et ideo tunc Diaconus potest ratione sui officij, & tacita commissione sacerdotis baptizare solemniter, quia solum requiritur commissio, nec est necesse, quod sit expressa.

An adsit obligatio baptizandi constitutum in periculo mortis, si baptismus solum cum materia dubia possit ministrari. Quæst. 85.

S V M M A.

1 *Sententia affirmans tenetur.*
1 *Obligante Charite eo modo, quo possumus, tenemur subuenire.*
2 *Obiectionis solutio.*
3 *Quid dicendum, si adsit periculum vitæ in baptizante, & n. 4.*

1 HAnc difficultatem apud neminem vidi resolutam. Tenendum tamen est, non cessare obligationem baptizandi ex eo, quod baptismus possit ministrari solum cum dubia materia; quod etiam dicendum est de forma dubia, vt si quis dubiam tantum formam memoriter teneret. Ratio autem est. Quia quando charitas obligat ad subueniendum proximo constituto in extrema, aut graui necessitate, obligat, vt subueniamus eo modo, quo possumus, ita vt obligatio sit secundum mensuram possibilitatis ad subueniendum. ergo cum non possit subuenire baptismo certò, sed solū baptismo dubio, tenebitur hoc pacto subuenire, quia melius est subuenire aliquo modo, quam nullo modo subuenire.

2 Dices. Charitatem non obligare ad subueniendum, nisi quando subuentio est futura certa, non autem, quando est dubia. Sed hoc dici non potest. Quia charitas respicit subleuationem à necessitate, & proinde habet pro motiuo subleuandi indigentiam proximi; quod autem subleuatio sit sortitura effectum, aut sit frustranda, est per accidens, & proinde charitas obligat ad subleuandum, quocunque tandem modo sit sortitura subleuatio. Sic medicus tenetur adhibere medicinam infirmo grauiter laboranti, quamuis non sit certus de bono effectu medicinæ. In casu autem nostro quamuis baptismus sit dubius, potest tamen fieri, quod sit validus, & proinde cum effectu subueniatur constituto in graui, aut extrema necessitate constituto.

3 Maior difficultas, est, an teneatur quis cum periculo vitæ baptizare, quādo potest tantum adhibere baptismum dubium. Resp. autem, quod si periculum mortis sit tale, vt non sit certò mors sequutura, sed possit etiam vitari, tunc tenetur quisque ministrare baptismum constituto in extrema necessitate aut etiam in graui, si ex officio teneatur ministrare. Cum enim in tali casu sit præponenda salus spiritualis proximi propriæ vitæ, vt docent communiter cum D. August. *lib. 1. de doctr. Christ. cap. 27.* & D. Th. 2.2. *quæst. 26. ar. 5. in corpore, & ad 3.* salus quoque spiritualis dubia præponenda est dubiæ expositioni propriæ vitæ corporalis. Quando autem periculum mortis est, vt relinquatur locus euadendi, expositio vitæ est dubia, quia non est certum, quod amittenda sit. Vnde tempore pestilentiæ aderit obligatio ministrandi etiam baptismum dubium, quia tunc expositio vitæ non est certa, cum non sit certò mors sequutura.

4 Si verò sit mors certò sequutura, tunc non tenetur quis exponere propriam vitam, vt baptizet etiam constitutum in extrema necessitate baptismo dubio. Ratio autem est, quia in ordine

X 2 ne

ne charitatis illud est præponendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *in corpore.* atque adeo id, quod excedit in ratione diligibilis ex charitate. Si autem compararetur propria vita certa cum salute spirituali incerta, atque adeo mors certò obeunda cum baptismo incerto, atque incerto remedio salutis, cum vtraque participent rationem diligibilis ex charitate, excedit eam propria vita certa, quia habet rationem certam diligibilis, & salus dubia spiritualis habet dubiam rationem diligibilis, & proinde ratio certa diligibilis ex charitate debet præponi rationi incertæ diligibilis ex charitate, quia certa pro incertis non sunt dimittenda *l. cum Titio. ff. ad leg. Falcid. & l. non quemadmodum. ff. de iudic.*

De Baptismi repetitione, quando ministratur in periculo mortis.

An baptismus, de quo sit dubium, an fuerit validus, sit reiterandus. Quæst. 86.

SVMMA.

1 *Dubij an sint baptizati, debent rebaptizari.*
2 *Etiam si sint dubij de validitate baptismi.*
3 *Quid agendum in hoc casu cum paruulo, & cum adulto.*
4 *Teneantur Superiores cogere parentes, vt faciant rebaptizare puerum dubiè baptizatum.*
5 *Ecclesia potest compellere taliter baptizatum ad rebaptizandum.*
6 *Etiam si constaret non esse baptizatum.*
7 *Hæc obligatio extenditur etiam ad Patrinum.*

1 EOs de quibus dubium est, an fuerint baptizati, debere baptizari sub conditione habetur ex cap. de quibus. De baptismo, quia cum hoc sacramentum sit medium necessarium ad salutem, quæ debet assecurari, quantum fieri potest, non potest relinqui in dubio, an fuerit applicatum, & ideo vrget præceptum sub mortali baptizandi; quando dubium est, an quis fuerit baptizatus, quo ligantur ij omnes, ad quos spectat cura salutis. Et ita tradunt D. Th. 3. *par. quæst.* 66. *art.* 9. *ad* 4. Nugn. *ibid. conclus.* 1. & 2. Conninch. *num.* 91. & *art.* 4. *dub.* 1. *num.* 23. & 93. Sorus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica art.* 4. *circa finem* Riuald. *de baptis. cap.* 5. *num.* 25. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *puncto* 4. *in fine.* Sà verbo *Baptismus num.* 3. Bonacina. *disp.* 2. *de baptis. quæst.* 2. *puncto* 3. *num.* 10. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub. num.* 1. Posseuin. *de offic. Curati cap.* 6. *de baptis. num.* 25. Suarez *disp.* 22. *de sacram. sect.* 2. ver. *sed quæst. res.* Vasquez 3. *par. disp.* 146. *cap.* 4. *num.* 20. Prepos. *quæst.* 66. *art.* 9. *dub.* 2. *num.* 99. Auersa *sect.* 6. ver. *Sexto tamen.* Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 5. *numer.* 3. Palaus *par.* 4. *theol. moral. disp. vn. punc.* 13. *num.* 3. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de baptis. difficul.* 12. ver. *Hoc supposito.* Angles *in Florib. quæst.* 1. *de baptis. art.* 5. *difficul.* 1. Torreblan. *lib.* 2. *prac. spirit. iur. capit.* 4. *num.* 34.

2 Et hoc extenditur etiam, quando certum est aliquem fuisse baptizatum, sed dubium est, an baptismus fuerit validus, quia stante dubio de validitate, idem est, ac si esset dubium, an fuerit collatus baptismus, quia reuera non confertur, quando inualidus est; & ideo vrget eadem necessitas assecurandi salutem.

3 Ex his fit, quòd quandiu paruulus non est sui iuris, vt possit disponere de iis, quæ pertinent ad propriam salutem, totam obligationem esse penes pa-

parentes, aut eos, qui loco parentum curam gerunt ipsius, quia ad ipsos pertinet etiam cura spiritualis salutis, quando autem peruenit ad vsum rationis tota obligatio transit in ipsum, quia tunc ad ipsum spectat curare propriam salutem. Ad cœteros autem spectat monere de dubio inualiditatis, & de obligatione suscipiendi de nouo baptismum.

4 Colligitur 2. in hoc casu teneri sub mortali siue Parochum, siue Episcopum, siue quemcunque alium pastorem monere, aut etiam cogere eos, ad quos spectat cura paruuli, vt faciant baptismum repeti, Cum enim ad ipsos incumbat animarum cura, tenentur etiam procurare salutem ipsarum, & applicare media necessaria, quæ si omittant, peccant grauiter, quia relinquunt in periculo salutem ipsarum animarum.

5 Colligitur tertio posse Ecclesiam compellere adultum in tali casu, vt de nouo recipiat baptismum. Quia cum in dubio sit melior conditio possidentis, in dubio quod iste sit subditus Ecclesiæ ex eo quod dubium est, an sit baptizatus, & Ecclesia ipsum possideat, vt subditum, potest supra ipsum exercere suam iurisdictionem.

6 Imò etiam si constaret non esse baptizatum posset Ecclesia in ipsum exercere iurisdictionem, quia per id, quòd præsentatus est ad recipiendum baptismum se obtulit Ecclesiæ, & se subiecit iurisdictioni ipsius, & Ecclesia ipsum acceptauit, & per accidens est, & præter intentionem, quod non acceperit characterem baptismi. Quod etiam habet locum si baptismus fuerit priuatus ob imminens periculum mortis, quia in hoc quoque baptismo baptizandus offertur vt recipiendus intra gremium Ecclesiæ, & à baptizante recipitur nomine Ecclesiæ, vnde fit filius ipsius: per accidens autem est, quòd non imprimatur baptismalis character.

7 Colligitur 4. Hanc obligationem extendi etiam ad patrinum, qui suscipit in baptismate, nam ad ipsum quoque spectat cura salutis baptizati à se suscepti. Nec obstat, quod obligatio ipsius sit in ordine ad instructionem fidei, adeo, quòd supponat verum baptismum; quia etiam si baptismus non fuisset validus, quod tamen certum non est, adhuc tamen quicquid de validitate sit, se obligauit ad procurandam salutem baptizati mediante instructione fidei, & hæc obligatio est certa, nec est conditionata, sed absoluta, & per accidens se extendit etiam ad procurandam certitudinem baptismi.

An baptismus collatus cum opinione probabili, debeat reiterari. Quæst. 87.

SVMMA.

1 *Opinione probabili non versante circa essentialia non est repetendus Baptismus.*
2 *Versante circa essentialia est repetendus sub conditione.*
3 *Sententia opposita adducitur.*
4 *Sententia contraria affirmans probatur, & stabilitur. n. 5. & 6.*
7 *Obiectio soluta.*
8 *Confirmatur sententia. n. 9.*
10 *Argumenta opposita soluuntur. numero 11. 12. & 13.*
14 *Fundamentum sententiæ negatiuæ refellitur.*

1 QVando opinio probabilis non versatur circa essentialia sacramenti, sed circa cœtera, non esse iterandum baptismum, sed ad summum supplendum, & repetendum, quod probaliter tantum factum est, certum omnio est, ex capit. 1. & cap. *Presbiter. de sacram. non iteran.* Quia nimirum subsistit sacramentum baptismi, quod ex natura sua iterari non potest. Vnde difficultas est, quando probablitas versatur circa essentialia, siue qui-

quibus sacramentum non potest subsistere.

2 In qua difficultate etiam certum est, quod possit iterari sub conditione, quia, quoties baptismus dubius est, aut est dubium, an quis sit baptizatus, potest repeti sub conditione cap. *de quibus. de baptismo.* cum in hoc nihil inordinatè fiat contra naturam sacramenti, dum adhibetur conditio. Quamuis enim probabilitas adsit in fauorem baptismi, non tamen sufficit, vt baptismus sit certus, & ideo remanet sub dubietate, vnde habet locum conditionalis repetitio; quod enim tantum probabile est, in iure habetur pro dubio, vt dicetur infra.

3 An autem debeat sub conditione repeti, negat Hurtad. *de sacram. disp.* 1. *de baptis. difficul.* 12. ver. *Obseruandam est*. Cuius fundamentum est, quia qui suscepit baptismum secundum opinionem probabilem, iam habet baptismum verum secundum talem opinionem, ergo cum possit quisque sequi opinionem etiam minus probabilem, poterit contentus esse tali baptismo, quia iam impleuit præceptum de baptismo.

4 Communis tamen sententia est in oppositum, asserens talem baptismum non sufficere, sed debere iterari sub conditione. Ita Baccon. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. *ar.* 1. Angelus verbo. *Baptismus.* 4. *numer.* 8. Armilla *numer.* 45. Angles *in florib. quæst.* 1. *de baptis. ar.* 5. *difficul.* 1. Petrus Soto *lect.* 1. *de baptis.* §. *De suscipiente* Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 4. *de baptis. conclus.* 2. *dub.* 1. *dicto.* 2. Rodriquez *par.* 3. *cap.* 25. *in fine.* Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 4. *ver. Rectius ergo.* Suarez 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 9. *difficul.* 2. & *disp.* 21. *sect.* 2. ver. *Sed quæres* Zambran. *in suis decision. cap.* 1. *de baptis. dub.* 1. *num.* 2. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 1. *de baptis. ar.* 8. *dub.* 3. Abbas *in capit.* 2. *numer.* 3. *de baptis.* Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. Ochagauia *de sacram. quæst.* 12. *de baptis. num.* 11. Coninch *de sacram. quæst.* 66. *ar.* 9. *dub.* vn. *num.* 91. Vasquez 3. *par. disp.* 146. *cap.* 4. *num.* 19. Præposit. *quæst.* 66. *art.* 9. *dub.* 2. *num.* 101. Nugn. *conclus.* 1. Posseuin. *de offic. Curati cap.* 6. *num.* 24. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 7. *ar.* 9. *dub.* 3 *propos.* 3. in fine Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 4. ver. *Dubitatio ergo.* Baunius *de sacram. quæst.* 18. *de baptis.* ver. *Tunc autem* Io. à Cruce *par.* 1. *direct. conscient. quæst.* 1. *de Baptis. dub.* 3. Palaus. *par.* 4. *oper. moral. tract.* 19. *disp.* vn. *punc.* 13. *numer.* 4. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 6. ver. *Sexto tamen*. & communiter cum D. Tho. 3. *part. quæst.* 66. *artic.* 6. *ad* 4.

5 Et hæc posterior sententia tanquam certa tenenda est. Licet enim baptismus probabilis sufficiat, ut impleatur præceptum de suscipiendo baptismo, quia actus, qui est probabiliter talis, sufficit pro adimpletione præcepti; si quidem qui sic baptizatur, vere suscepit illud medium, quod tanquam necessarium ad salutem præcipitur ab Ecclesia, nam stat sub probabili opinione, quod sit tale, quale præcipitur. Attamen non satisfacit obligationi, quam habet de procuranda salute, & charitati, qua tenetur seipsum diligere.

6 Huiusmodi namque baptismus, cum subsistet oppositis opinionibus, quarum vna vult esse validum, alia autem non esse validum, secundum se remanet dubius, quia est incertum, cuinam opinioni concordet prout est in se, & à parte rei. Et proinde in iure, quod est probabile, sumitur pro dubio. Capit. *Dominus*. *De secundis nupt.* & Capit. *Inquisitioni*. *De sent. excom.* quia potest esse, & non esse, vt notarit etiam Ancharan. *consil.* 210. *num.* 2. Afflict. *decis.* 149. *in fine.* Socin. *in l. si certis. ff. de reb. dub.* Menochi. *consil.* 110. *num.* 69. Neuizan. *lib.* 5. *Sylua nupt. num.* 74. Ergo qui habet talem baptismum, remanet cum medio dubio propriæ salutis; imò absque medio necessario, quia baptismus dubius non habetur pro vero baptismo, sicut delictum dubium non habetur pro delicto. Cap. *Estote*. *De reg. iur.* & notant Gloss. *in cap. absit.* 11. *quæst.*

queſt. 3. Innocent. *in cap. Dudum*. 2. *de elect.* Alciat. *de præſump. Reg.* 3. *præſump.*1. Hoc autem eſt contra obligationem, quam quiſque habere debet de cura propriæ ſalutis, præſertim, quia in dubiis magis inſpicitur, quòd nocet, quam quod prodeſt, vt notat Barr. *in l. ſi vir. ff. de donat.* Menoch. *conſil.* 395. *num.* 84.

7 Dices poſſe ſaluari per actum contritionis. Verum hoc dici non poteſt quòad paruulos, cum non ſint capaces talis actus; vnde pro ipſis repetendus erit baptiſmus. Deinde neque locum habere poteſt in adultis, quia vt ſaluentur per actum contritionis debent habere baptiſmum in voto. Si quis autem dubitans, an proprius baptiſmus fuerit validus, & potens ipſum repetere, non repetat, non habet votum baptiſmi, quia non vult ſuſcipere, & proinde nec etiam habet veram contritionem, quia non vult ſatisfacere huic obligationi: vnde ſi baptiſmus præteritus non fuit ualidus, remanet ſine medio neceſsario ſalutis.

8 Confir. Qui ſine rationabili, & ſufficienti cauſa exponit periculo propriam uitam corporalem, peccat contra obligationem conſeruandi, & tuendi propriam vitam cum non poſſit ipſam prodigere: ergo etiam contra obligationem, quam debet quiſque habere de cura propriæ ſalutis, qui illam exponit periculo præſertim abſque ſufficienti cauſa, quæ nunquam adeſſe poſſit, vt poſſimus iilum rationabiliter negligere. Qui autem contentus eſt de baptiſmo dubio, exponit periculo propriam ſalutem, quia non ſaluabitur, ſi non erit verus baptiſmus. Et proinde in cap. de quibus. De baptiſmo. Præcipitur baptìzari eos, de quibus eſt dubium, an ſint baptizati, ut nimirum habeant remedium certum ſalutis, quod habet locum, etiam quando baptiſmus eſt dubius, quia eo ipſo, quod eſt dubium, an baptiſmus ſit validus, eſt etiam dubium, an ſint verè baptizati.

9 Confir. 2. Baptiſmus eſt ianua omnium ſacramentorum, ita vt per ipſum baptizatus fiat capax ipſorum, & ſine ipſo non ſit capax: ergo qui eſt baptizatus ſolum cũ baptiſmo probabili, tenetur rurſus baptizari. Conſeq. prob. tum quia tenetur ponere certam capacitatem, & certum fundamentum ad alia ſacramenta, ita vt ſicuti obligatur ad illa ſuſcipienda, ità etiam obligetur ad ſe reddendum capacem indubitatè, & cum certitudine. Tum quia non repetendo baptiſmum ſe exponit periculo reddendi irritam ſuſceptionem ſacramentorum, quia licet remaneat probabiliter capax ipſorum, & quantum eſt ex hoc capite non peccet, quia tamen capacitas, quam habet remanet in ſe dubia, ideo remanet etiam dubia ſuſceptio ſacramentorum, & proinde adeſt periculum irritationis.

10 Dices ad validitatem ſacramentorum ſufficere, ſi aſſumantur, quæ ſecundum prudentem æſtimationem ſint illa, quæ inſtituta ſunt à Chriſto. Quia Chriſtus inſtituit ſolum eſſentialia ſacramentorum, & reliquit, quod ſecundum prudentem æſtimationem determinetur, quod ea, quæ aſſumuntur ad conficienda ſacramenta, ſint illa ipſa, quæ inſtituta ſunt. Quæ autem ſecundum opinionem probabilem ſunt talia, ſunt talia ſecundum prudentem æſtimationem, quia opinio probabilis, cum ſit ſecundum regulas rectæ rationis, eſt prudens æſtimatio. Reſpon. diſting. min. quæ ſunt talia ſecundum opinionem probabilem, ſunt talia ſecundum prudentem æſtimationem probabiliter, non autem certò. Quia cum opinio quantumuis probabilis, non contineat certitudinem, ſed tantum probabilitatem, non importat firmum iudicium, ſed cum formidine, & ideo eſſentialia ſacramentorum, quæ ſunt talia ſecundum opinionem probabilem tantum, non ſunt talia certò, & indubitatè, ſed cum formidine, & dubio, & proinde etiam ſacramenta remanent dubia. Eſſentialia autem ſacramentorum debent eſſe talia certè, & indubitatè, atque adeo ſecundum prudentem æſtimationem certam.

11 Instabis. Quando intellectus sequens opinionem probabilem determinat per modum sententiæ, quod sint vera essentialia sacramentorum secundum institutionem Christi, iam ex vi talis sententiæ remanent certificata, ergo non sunt amplius essentialia dubia, quia certitudo, vel dubietas attenditur in ordine ad cognitionem, & iudicium, seu prudentem æstimationem, & proinde dum assumuntur, vt certificata ex tali sententia, non erit opus reiterare sacramentum. Resp. neg. assumptum, quia cum certitudo, & dubietas debeat attendi in ordine ad iudicium, & prudentem æstimationem, non possunt habere maiorem certitudinem in ordine ad praxim, quàm possit illis tribuere iudicium, & prudens æstimatio, seu sententia illa, qua intellectus iudicat de veritate ipsorum. Cum ergo hæc sententia, seu prudens æstimatio, non sit certa, quia non consistit in iudicio certo, sed probabili, quod est mixtum cum formidine, ideo neque essentialia sacramentorum, vt determinata per tale iudicium censenda sunt certificata, sed solum probabilia, atque adeo adhuc dubia, & proinde non poterunt assumi tanquam certa.

12 Dices 2. In sacramento pœnitentiæ peccatum dubium positiuè, seu quod est tantum probabiliter peccatum, est materia sufficiens, nec potest in dubium reuocari, quod cum ipso non conficiatur verum sacramentum, ergo etiam in baptismo, & cœteris sacramentis idem est dicendum, & proinde non erit repetendus baptismus ministratus cum opinione probabili circa essentialia. Resp. neg. consequen. Quia est diuersa ratio de sacramento pœnitentiæ, & baptismo, atque cœteris. Sacramentum namque pœnitentiæ ministratur per modum iudicij, vt definit Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & ideo non requirit aliam materiam, nisi illam, quæ sufficiat in ordine ad iudicialem absolutionem. Pro iudiciali autem absolutione non requiritur delictum, quod sit tale in se, sed sufficit, si sit tale in conscientia, & confessione pœnitentis. Vnde Concil. Trident. citato loco definit, quod debent confiteri omnia peccata mortalia, quorum quisque conscientiam habet; quia nimirum considerantur peccata secundum ordinem ad conscientiam, & proinde sufficit probabile iudicium; quod aliquid sit peccatum, vt possit supponi iudicio sacramentali, quia verè exhibetur aliquid, à quo in ordine ad conscientiam potest impendi absolutio, quia stante tali probabili iudicio, verè, & à parte rei conscientia sentit se esse ligatam tali peccato, vnde reuera adest vinculum. Quod præsertim locum habet, quia peccata non attenduntur, nec imputantur secundum se, sed in ordine ad iudicium conscientiæ, & proinde ex conscientia erronea fit, quod id, quod est peccatum, non imputetur, & imputetur, quod secundum se non est peccatum.

13 Instabis. Quando primò pueri perueniunt ad vsum rationis pertinet ad prudentem æstimationem confessarii iudicare, an exhibeant sufficientem materiam pro sacramento pœnitentiæ, non solum remotam, sed etiam proximam; & quando probabiliter iudicat, quod exibeant, potest ministrare sacramentum pœnitentiæ: ergo sufficit opinio probabilis circa essentialia sacramenti, & proinde quando secundam talem opinionem est ministratum, non est reiterandum. Resp. neg. secundam partem antecedentis, quia sacramentum poenitentiæ requirit verum dolorem sensibiliter manifestatum tanquam materiam proximam, qui si non interueniat, sacramentum erit nullum. Vnde quamuis relictum sit prudenti æstimationi confessarii iudicare de hoc dolore, debet tamen in hoc prudenter procedere, ita vt nisi habeat moralem certitudinem de hoc dolore, non possit absoluere, sed solum sub conditione, si habeat solam probabilitatem, quia tunc materia proxima redditur dubia.

14 Ad fundamentum oppositæ senten-

tentiæ. Resp. esse quidem baptismum verum secundum talem opinionem probabilem, sed non esse baptismum certum; & ideo repetendum esse. Ad probationem. Licere sequi opinionem probabilem relicta etiam probabiliori, quando agitur de euitando peccato, quia illa sufficit, vt non peccetur, non autem, quando agitur de ijs assequendis, quæ consistunt in facto, quia tunc opinio probabilis non facit, quod assequamur, ea quæ debemus assequi, si aliàs non sint talia, non enim opinio, qua opinamur esse talia, facit, quod sint talia, si aliàs non sint. Et ideo quando procedimus secundum probabilem opinionem, non assequimur id, quod intendimus assequi, si contingat, quod talis opinio non sit vera, nec satisfacimus obligationi assequendi, quando obligamur assequi in re, cum assequamur solum in opinione. Vnde semper remanemus dubij de assequutione; nec prouidemus nostræ indigentiæ, quando indigemus realitate rei. Rursus possumus sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, quando vtrinque concurrit probabilitas; non autem, quando ex vna parte concurrit probabilitas, & ex alia certitudo: quia hoc est contra regulas prudentiæ, cum stultum sit certa pro incertis mutare, atque adeo contentus esse incerto, cum possit haberi certum *l. Cum Titio. ff. Ad leg. Falcid.* & *l. Quemadmodum. ff. de iudic.* quod locum habet, quando agitur de probabilitate facti, si quidem tunc probabilitas reddit incertam assequutionem finis, atque adeo etiam incertum implementum obligationis, quando obligatio non solum respicit actionem, sed etiam effectum actionis, quam tenemur in re ponere.

An infans expositus, & in articulo mortis constitutus debeat sub conditione baptizari. Quæst. 88.

Pasqualig.

S V M M A

1 Conueniunt omnes esse baptizandum sub conditione, si non afferat secum schedulam baptismi, quia tunc prudenter præsumitur, quod non sit baptizatus, cum soleant semper, quando baptizati sunt secum afferre schedulam in testimonium baptismi ita presertim infra citandi. Limitant tamen hanc doctrinam Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vn. arti. 9. §. Fit præterea.* Vasquez *3. par. disp. 146. cap. 4. num. 26.* vt non habeat locum, quando infans expositus est in ea ætate, in qua omnes solent esse baptizati, quia tunc præsumitur prudenter, quod sit baptizatus. Quod tamen non esse admittendum constabit ex dicendis.

2 Rursus etiam certum est, quod si infans esset expositus inter infideles, aut hæreticos, quamuis haberet schedulã pro testimonio baptismi, deberet baptizari sub conditione, quia tale testimoniũ tanquã personarũ suspectarum non esset admittendum, & probabiliter, atque prudenter potest præsumi, aut quod non si baptizatus, aut quod non sit baptizatus vero baptismo. Et ita inter alios notant Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vn. ar. 9. §. Fit præterea.* Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 2. capit. 5.* Vasquez

quez 3. *par. disp.* 146. *cap.* 4. *num.* 26. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 13. *num.* 6. Vnde difficultas remanet de eo, qui affert schedulam in testimonium baptismi.

3 Prima ergo, & communis sententia tenet, non esse rebaptizandos etiam sub conditione. Ita *Sotus in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. arti.* 9. *post.* 4. *argum.* §. *Fit præterea* Suarez *dispu.* 22. *de sacramen. sect.* 2. *in fine*. Bartholom. ab Angelo *in Examine confess. dial.* 2. *de Baptis.* §. 127. Graf. 2. *par. decis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 37. Viuald. *in Candelab. Tit. de baptis. cap.* 5. *numer.* 25. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *num.* 3. Bonac. *disp.* 1. *de sacram. quæst.* 2. *punc.* 1. *num.* 40. Coninch *de sacram. quæst.* 66. *ar.* 9. *dub.* 1. *num.* 94. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *capit.* 5. *num.* 3. ver. *Dubium iuris.* Vasquez 3. *par. disp.* 146. *cap.* 4. *num.* 26. Præpos. *dub.* 2. *nu.* 102. Cabrera. *num.* 9. Chellison. *dub.* 2. ver. *Notandum est primo*. Putean. *dubi.* 2. ver. *Colliges secundo.* Io. à Cruce *par.* 1. *direct. conscient. quæst.* 1. *de baptis. dub.* 2. *conclus.* 2. Ledesma *par.* 1. *sum. tra. de baptis. cap.* 5. ver. *Dig olo tercer.* Palud. *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 4. Hurtad. *de sacramen. dispu.* 1. *de baptis. difficul.* 12. Ochagauia *de sacram. quæst.* 11. *de baptis. num.* 8. Auersa 3. *par. quæst.* 66. *sect.* 6. ver. *de infantib.* Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 13. *num.* 6. Villalob. *par.* 1. *tract.* 5. *difficult.* 7. *num.* 4. Henriquez *lib.* 2. *sum. cap.* 31. *num.* 1. Tanner. 3. *par. disp.* 4. *quæstion.* 2. *dub.* 4. *num.* 113. Syluester. verbo. *Baptismus.* 4. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 149. D. Antonin. 3. *par. tract.* 14. *cap.* 13. §. 12. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 246. Granad. 3. *par. controuer.* 4. *tract.* 1. *disp.* 8. *num.* 10. Rosella verbo. *Baptismus. num.* 7. Tabiena ibid. Marsil. *in* 4. *quæst.* 4. *art.* 4. *dub.* 7. Gabr. *dist.* 4. *quæst.* 2. *ar.* 3. *dub.* 4. Richar. *arti.* 4. *quæst.* 4. Llamas 1. *par. Methodi curæ anim. cap.* 12. §. 53. Comit. *lib.* 1. *Respon. moral. quæst.* 1. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 5. *num.* 2.

4 Horum fundamentum est primo. Nè iterum quis baptizetur sufficit testimonium vnius testis. ergo sufficiet etiam schedula, quia saltem æquiualet testimonio vnius testis. Secundum. Cum infans sit ex positus inter fideles, qui venerantur baptismum, & sciunt esse omnino necessarium ad salutem, non est credibile, quod in re tam graui, aut decipere voluerint, aut negligentes fuerint. ergo talis schedula facit moralem certitudinem de baptismo. Tetiò debet assignari discrimen inter expositum cum schedula, & sine schedula, non potest aurem assignari, nisi vnus non sit absolutè rebaptizandus, & alius rebaptizandus sub conditione.

5 Secunda tamen sententia tenet absolutè, esse rebaptizandos sub conditione. Ita Torreblanca *lib.* 2. *pract. iur. spirit cap.* 4. *num.* 35. Leander *de Sanctiss. Sacramen. tom.* 1. *de sacram. tract.* 2. *de baptis. quæst.* 4. Marchantius *in Resol. Pastoral. tract.* 2. *de sacramen. cap.* 2. *quæsito* 4. Quinranaduennas *in singularib. de sacram. tract.* 1. *sing.* 9. Et ita determinatum fuisse post sedulas consultationes doctissimorum theologorum in Cordubensi Ecclesia, & in Hispalensi Archiepiscopatu testatur Quintanaduen. cit. & in Synodo Cameracensi, ita definitum fuisse, refert, Marchant. *loco citato*. Et similiter hoc ipsum determinatum fuit in Concilio Medionalensi III. sub. S. Carolo. *Tit. de baptis. infant. in fine.* ibi. *Infans expositus licet appensum collo scriptum habeat, quo ille bapizatus significetur; si tamen re deligenter prærequisita, quemadmodmum in Concilio Romano, adhuc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur. Situ es baptizatus, ego te iterum non baptizo. &c.*

6 Et hæc posterior sententia tenenda est, tanquam conformis sanctionibus Ecclesiasticis, & solidissimo fundamento innixa nam primo in Rituali Pauli V. §. De *baptis. paruul.* decernitur, quod *Infantes* expositi, & inuenti, si re diligenter inuestigata de eorum

rum baptiſmo non conſtet, ſub conditione baptizentur. Ergo ne baptizentur ſub conditione, debet conſtare de eorum baptiſmo. At ex vi dictæ ſchedulæ non conſtat, quod fuerit baptizatus, ſi quidem, vt aliquid conſtare dicatur, requiritur legitima probatio cap. Cum olim. *de verbor. ſignificat.* & cap. 1. *de reſtit. in integr.* & *l. fin. C. De reb. credit.* & notant Angel. *in l. Ita Stipulatus. ff. de verbor. obligat.* Imola. *ibid.* Alexan. *in l. Qui Romæ.* §. *Angerius. ff. de verbor. obligat.* Feder. de Senis *Conſil.* 157. Maſcard. *de probat. concluſion.* 75. *nume.* 21. Tuſch. *littera C. concluſ.* 782. *num.* 1. Imo debet res eſſe ita, vt nullus dubitandi locus relinquatur, vt notat Roman. *Conſil.* 329. *numer.* 10. Quod quidem non habetur ex vi ſchedulæ, quæ eſt priuata ſcriptura ſine teſtibus, & ſubſcriptione, quæ nihil omnino probat, nec vllam fidem facit. l. Nuda. C. *de probat.* & *l. Inſtrumenta domeſtica.* & *l. Exemplo.* & *l. Rationes. C. de fide inſtrumen.* & cap. Scripta. *de probat.* & notant Socin. ſen. *Conſil.* 33. & *Conſil.* 41. *lib.* 1. Socin. iun. *Conſil.* 77. *num.* 126. *lib* 1. Rolan. *Conſil.* 2. *num.* 138. *lib.* 1. Alexan. *Conſil.* 23. *num.* 6. *lib.* 5. Menoch. *Conſil.* 807. *numer.* 32. & communiter Doctores in Authen. *Si quis in aliquo. C. de eden.* Imo nec etiam facit præſumptionem, vt tradunt Bart. *in l.* 1. *C. de iuram. calum.* Dec. *in cap.* 2. *not.* 4. *de fide inſtrumen.* alios citans Crauet. *de antiq. temp. partic.* 4. *par.* 1. *princip. numer.* 13. Iaſ. *in l. Poſt diuiſionem. init. C. de iur. & fac. ignor.* Menoch. *Conſil.* 1. *numer.* 327. Ratio vero eſt, quia ſcriptura reſoluitur in fidem humanam, & in teſtimonium hominis, quod mouet ad credendum; non poteſt autem mouere intellectum ad aſſenſum præſertim firmum, niſi ſciamus cuius teſtimonium ſit, & poſſimus perpendere, an mereatur fidem; ſi quidem teſtimonium habet vim ex veritate, & ſcientia dicentis.

7 Quo ſtante non ſaluatur, quod decernitur in VI. Synodo. *Can.* 84. ibi. *Quoties non inueniuntur firmi teſtes, qui illos abſq. vlla dubitatione baptizatos eſſe dicant; nec ipſi propter ætatem de ſibi tradito myſterio aptè reſpondere poſſint, debent baptizari.* Schedula autem prædicta non poteſt dici firmum teſtimonium firmi teſtis. Tum quia cum ſit ignota qualitas teſtis, eſt etiam ignota qualitas teſtimonij, & proinde non poteſt iudicari de firmitate. Tum quia firmitas importat conſtantiam, ita vt excludat omnem vacillationem ſecundum D. Th. *in* 3. *diſt.* 33. *quæſt.* 3. *ar.* 3. & proinde teſtimonium non poteſt dici firmum, niſi tale ſit, quod vndique habeat certitudinem, quia ſi alicunde deficit, erit vacillans. quod non habet locum in dicta ſchedula, cum ex pluribus capitibus poſſit vacillare, vt conſtabit ex dicendis.

8 Nec etiam ſaluatur, quod ſtatuitur in Concilio Cartaginenſi relato *in cap. Placuit. diſt.* 4. ibi. *Placuit de infantibus, quoties non inueniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubio teſtentur &c.* abſque vllo ſcrupulo eos baptizandos eſſe. Neque ex vi ſchedulæ habentur certiſſimi teſtes, neque certiſſimum teſtimonium. Nam non poteſt aliquid eſſe certum, niſi ſit clarum, & manifeſtum 11. *quæſt.* 3. Ita vt non poſſit deduci in dubitationem *l. Ornamentorum. ff. de auro, & argen. leg.* nec poſſit ſubeſſe fallentiæ, vt notat Bald. *in l. Hac conſultiſſima. C. qui teſt. fac. poſ.* Si enim ſemel admittit dubiũ, non eſt amplius certum; quia certum ita opponitur cum dubio, vt nullam poſſit admittere dubietatem. Quis autem non videat, quod dicta ſchedula non excludit omnem dubietatem, nec poteſt reddere intellectum firmum in ſui aſsenſum?

10 Confir. Talis ſchedula non ſolum impotens eſt ad cauſandum certum aſſenſum de baptiſmo: ſed etiam ſubeſt pluribus motiuis dubitandi. Et primò, quia non poteſt, qui baptizauit examinari, quomodò baptizauerit, & qua materia, & forma, quod examen neceſſario fieri debet, quando quis vrgente periculo mortis domi baptizatur,

tur. Secundo. quia pueri expositi non baptizantur vt plurimum ab obstetricibus, sed à mulieribus rudibus, quæ non callent formam baptismi, quia partus ipsorum occultatur, quantum fieri potest, vnde iure dubitari potest, an sit ritè baptizatus. Tertio quia tales personæ non apprehendunt grauitatem rei, atque necessitatem baptismi, vnde possunt dicere, esse baptizatum, & qui exponit, apponere schedulam, quamuis non sit baptizatus.

11 Confir. 2. Baptismus ministratus cum opinione probabili vrgente necessitate, est repetendus, vt dictum est supra. quia nimirum manet dubius, ergo est etiam repetendus, quando inuenitur infans cum schedula. Conseque prob. quia etiamsi admittatur talis schedula, vt faciens fidem, non facit rem omnino certam, sed ad summū probabilem; vnde etiam ad summum remanet probabile, quod sit baptizatus. Stante autem sola probabilitate, quod sit baptizatus, remanet dubium, quod sit baptizatus, & proinde subintrat dispositio cap. de quibus. de baptismo, quod baptismus sub conditione repetendus sit. Præsertim quia agitur de remedio adeo necessario, & de salute æterna, quæ omnino, quantum fieri potest asse curāda est, & ex vno capite concurrit periculum, quod non sit baptizatus, aut saltem validè, & ex alia parte nulla fit iniuria sacramento, nec aliquid malè præsumitur, quia vt inquit D. Leo Magnus. *Epist. decret.* 93. *cap.* 15. *Non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.* Nam, vt ibid. ait. Quod non ostenditur gestum, ratio non finit, vt videatur iteratum.

12 Ad 1. resp. Vt quis non baptizetur, sufficere dictum vnius testis, quando constat de qualitate ipsius, quod nimirum sit fide dignus, & talis conditionis, vt non possit errare testificando, & cognoscat grauitatem rei, de qua testatur, & proinde habeat debitam scientiam, & cognitionem, & possit examinari circa circūstantias rei, vt cōstet, an testimonium firmum sit, & irrefragabile; quod non habet locum in schedula, cuius auctor ignoratur; & ideo non solum inhabilis est ad causandam moralem certitudinem, sed etiam ad faciendam aliquam fidem per ea, quæ tradit Tusch. *Littera* S. *conclusion.* 74. *num.* 7. & 8.

13 Ad 2. Constat ex dictis. nam qui scripsit schedulam potuit esse persona vilis, & non apprehendens grauitatem rei, & proinde non est omnino inuerisimile, quod ex leuitate animi & aliquo leui fine mentitus sit. Aut si non est mentitus, potuit decipi à fœminis, quæ potuerunt mentiri, ne viderentur negligere salutem spiritualem infantis, & aliàs accelerent exportationem, nè partus deprehendatur, vel etiam potuerunt errare in baptizando.

14 Ad 3. discrimen inter expositum cum schedula, & absque schedula in eo consistere, quod qui habet schedulam exhibet aliquod indicium, quod fuerit baptizatus, non tamen sufficiens, vt non repetatur baptismus, quia agitur de præiudicio animæ, expositus autem absque schedula non exhibet tale indicium.

15 Ex dictis colligitur. Quod etiam si expositus habeat schedulam subscriptam, cuius tamen auctor ignoretur, aut mortuus sit, ita vt non possit fieri recognitio, adhuc baptizandum esse sub conditione, quia talis schedula, licet habeat subscriptorem, nihil probat, cum non possit fieri recognitio, & examinari qualitas subscribentis, vt docent Castrens. *consil.* 407. *lib.* 1. Socin. *consil.* 33. *num.* 2. Tusch. *littera* S. *conclus.* 74. *num.* 8. & *conclus.* 76. *num.* 15. vbi dictam doctrinam extendit, vt habeat locum, etiam si aliqui fide digni testarentur, se recognoscere characteres, & formam, & testarentur, auctorem schedulæ esse fide dignum. Imo etiam si facta collatione characterum, de manu illius scripta appareat. neque enim adhuc probat, nisi testes deponant, se vidisse, illam scri-

scribi. Vnde non sufficeret, vt certum redderet baptismum, sed adhuc de nouo sub conditione esset ministrandus.

16 Colligitur secundo, quod licet sufficiat vnus testis, qui tamen nullam patiatur exceptionem, & de visu testetur, ad probandum baptismum ad effectum, ne iterandum sit, si quidem sufficit, dum extraiudicialiter proceditur. Cap. Cum itaque. Cap. Paruulis. De consecrat *dist.* 4. & notant Bart. *in cap. licet num.* 3. & *in cap. Veniens. nu.* 8. *de testib.* Speculat. *Tit. de testib.* §. *Restat. num.* 8. Mascar. *lib.* 1. *de probat. quæst.* 11. *num.* 14. *& lib.* 2. *conclus.* 303. *numer.* 1. Attamen si agatur de probando baptismo ad alios effectus, nempe suscipiendi ordines, obtinendi beneficia &c. requiritur fides Ecclesiæ ex libris Parochiæ, in quibus baptizati notantur. vt tradunt Mascard. *lib.* 2. *de probat. conclus.* 673. *num.* 1. *&* 2. Gratian. *discept. forens. cap.* 155. *num.* 3. Aut sufficiens probatio per testes saltem duos. cap. si quis testes §. *vbi numerus.* 4. *quæst.* 3. & cap. *fin.* 35. *quæst.* 7. & cap. In omni negatio; & cap. Licet. de testib. Quia tunc publicè proceditur, atque adeo requiritur sufficiens probatio, qualis in iudicio necessaria est, præsertim cum agatur de interesse alterius.

An qui vrgente necessitate baptizatur ab obstetricibus, aut ab alijs laicis, siue viris, siue fœminis, sint iterum sub conditione baptizandi. Quæst. 89.

SVMMA.

1 *Status quæstionis explicatur.*
2 *Inquirendum in casu de materiâ, & forma, ac intentione,*
3 *Absolute qui teneant esse baptizandos sub conditione.*
4 *Sententia tenenda stabilitur. num.* 5. *&* 6.
7 *Parochi tenentur sub mortali examinare diligenter baptizantes in hoc casu.*
8 *Diligentia Parochi debet esse exacta moraliter.*
9 *Cognita peritia baptizantis non debet iterari baptismus.*

1 DIfficultas procedit quòad has personas, quia dubitari potest, quod committant aliquem errorem quòad essentialia baptismi, non autem quòad sacerdotes, aut clericos, qui saltem sint talis conditionis, vt instructi sint, nec moraliter possit præsumi error. Et absolute non esse repetendum baptismum ministratum ab obstetricibus, aut aliis laicis docent Castro *lib.* 1. *de lege pen. cap.* 7. Victoria *in sum. de sacram. quæst.* 36. Zerola *in praxi.* verbo. *Irregularitas.* §. 12. Quod tamen reijciendum est, cum fieri possit, quod aliquis error commissus sit, qui etiam de præhendi poterit, si examinentur, & qui baptizarunt, & qui baptismo præsentes fuerunt. Vnde sic relinquere baptizatum esset relinquere in maximo periculo.

2 Itaque alij docent, inquirendum esse, an in baptismo adhibita sit legitima forma, & vtrum baptizans habuerit legitimã intentionem; & reperiatur omnia ritè processisse, non esse repetendum baptismum, sed solum, si adsit rationabile dubium de aliquo essentiali defectu. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. ar.* 9. Nauar. *cap.* 27. *Manual. nu.* 426. Suarez *de sacram. disp.* 31. *sect.* 6. ver. *de quo precepto.* Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 5. *nu.* 3. Coninch *de sacram. quæst.* 66. *ar.* 9. *dub.* 1. *n.* 94. Bartholom. ab Angelo *in exam. confess. dial.* 2 *de Baptis.* §. 128. Tolet. *lib.* 2. *sum. cap.* 21. *numer.* 3. Bonac. *disp.* 1. *de sacram. quæstion.* 2. *punc.* 1. *num.* 37. Marchant. *in quæst. Pastoralib. de sacramen. tract.* 2. *de Baptis. cap.* 2. *quæsito* 4. Bonac. *disp.* 1. *de sacramen. quæst.* 2. *punc.* 1. *num.* 39. Palaus *par.*

4. oper.

4. *oper. moral. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 13. *num.* 7. Præposit. 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 9. *dub.* 2. *num.* 102. Quod etiam habetur ex Catechismo Romano *par.* 2. *cap.* 2. §. 43. & ex Synodo Granatensi anno 1572. *Tit. de baptis. num.* 4. & in Decretis Mediolanens. Eccles. *tit.* 25. *de baptis. cap.* 31.

3 Denique alij tenent absolutè baptismum esse repetendum sub conditione. Ita Bart. *in l. Si quis. C. Ne baptis. reiter.* asserens esse bonum consilium rebaptizare sub conditione baptizatum domi ob periculum mortis. Syluius 3. *par. quæst.* 66. *ar.* 9. *dub.* 2. Quintanaduenans *de sacram. tract.* 1. *de Baptis. singular.* 5. *num.* 2. asserens fere omnes sic baptizatos esse de nouo baptizandos sub conditione; & excipit solum baptizatos ab obstetricibus ita benè instructis, & expertis in administratione baptismi in his casibus, vt nulla sit suspicio, quod baptismus malè administratus sit. Et habetur etiam ex Pastorali Melchinensi, vbi id absolutè præcipitur, & ex Synodo Iprensi sub Martino Rythouio. *tit.* 12. *cap.* 5.

4 In hac difficultate vnum certum existimo, nimirum baptismum non esse repetendum, quando, qui baptizauit in examine absque vlla trepidatione, & inconstantia rectè respondet, & ex ipsius responsione constat baptismum fuisse legitimè ministratum; & insuper adsunt aliqui testes, aut saltem vnicus conformis, qui idem deponat; reddat rationem absque vlla titubatione sui dicti; ex qua manifestum fiat baptismum legitimum fuisse, & sit testimonium personæ grauis, quæ non patiatur aliquam exceptionem. Tunc enim euacuatur omnis suspicio, quæ posset oriri de baptismo non legitimè ministrato, quia dictum vnius confirmatur dicto alterius, vnde consurgit plena probatio cap. *In omni negocio.* & cap. *Licet. de testibus.* & saluatur, quod decernitur in Concilio Cartag. *relata in cap. Placuit. de consecrat. dist.* 4. quod infantes non sint baptizandi, quoties inueniuntur certissimi testes testantes esse baptizatos. Et proinde *in actis Eccles. Mediolan. tit. de Baptis. cap.* 30. præcipitur, quod Obstetrix quando baptizat, curet, quoàd fieri potest, vt duæ saltem mulieres, ac mater præsertim, si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant. & *cap.* 31. quod Parochus examinet testes de verbis prolatis, vt constet, an forma baptismi rectè prolata sit, an verò secus, vt proinde oporteat repetere baptismum.

5 Extra verò hunc casum existimo, omnes sic priuatim baptizatos ob periculum mortis esse de nouo baptizandos sub conditione. Et ratio est, quia extra dictum casum baptismus remanet semper probabiliter dubius, ergo est repetendus sub conditione. Anteced. patet. Quia laici præsertim mulieres non perfectè sciunt formam baptismi, nec cognoscunt, quænam verba essentialia sint, & quænam mutatio reddat irritum sacramentum; nec percipiunt necessitatem non variandi formam in essentialibus. Aut si perfectè instructæ sint, vt obstetrices, facilè fieri potest, quod in facti contingentia perturbentur, videntes periculum mortis, & abstractæ à confusione adstantium, vt proinde malè pronuncient formam, aut aliquid ommittendo, aut aliquid addendo, & postea putent se rectè protulisse, quia putent se protulisse sicut memoriter tenent, & interrogatæ, quam formam protulerint repetant veram formam tanquam tunc sic prolatam; aut etiam si cognoscant, se non ita formam pronunciasse, asserant tamen, se pronunciasse, vel nè videantur errasse, & quia putent parum referre, quod forma in aliquo mutata sit; vel si obstetrices sint, nè prohibeantur fungi in posterum tali munere. Vnde experientia docet, quod plures obstetrices consueuerunt errare in forma baptis. quarum nonnullarum meminit Quintanaduenas. *cit. Singul.* 5. *tract.* 1. *de baptis. num.* 5. *& sequen.* Vnde ex his omnibus capitibus oritur probabilis, & rationabilis suspicio, quod baptismus non fue-

fuerit validus, & proinde validitas ipsius non remanet certa, si quidem quælibet probabilis ratio dubitandi, nisi euacuetur, sufficiens est ad excludendam certitudinem, quæ consistit in indiuisibili nullam admittens rationem dubietatis.

6 Conseque.autem prob., Quoties baptismus non est certus, & proinde remanet dubius, debet repeti sub conditione cap. *de quibus. de baptismo.* & *ex VI. Synodo. can.* 83. vbi. *Requiruntur firmi testes certificantes baptismum.* & ex Concil. Cartaginensi. relato *in capit. Placuit de consecrat. dist.* 4. vbi requiritur, quod baptismus certus sit ex certissimis testibus. Baptismus autem, de quo in præsenti agimus, non est certus, quia ij, exquibus desumit suam certitudinem, non habent qualitatem testis certissimi.

7 Ex dictis colligitur Parochos teneri sub peccato mortali, examinare diligenter, an baptismus domi ministratus, legitimus fuerit, nec sufficere, quod sciant, quod baptizatus fuerit, vt docent Victor. *in sum. de sacram. tit. de Baptis. quæst.* 36. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 25. *de baptis. num.* 5. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 1. *num.* 10. Barbosa *de offic. Parochi cap.* 18. *num.* 37. Quintanaduen. *in singul. de sacram tract.* 1. *de baptis. singul.* 6. *num.* 1. & desumitur *ex Cap. Placuit*, & *cap. si nulla.* & *cap. paruulos*, & *cap. cum itaque de consecrat. dist.* 4. Et ratio est, quia agitur de regrauissima, & parochus exponit se periculo relinquendi paruulum sine baptismo. Vnde cum ex officio teneatur procurare salutem animarum, tenetur etiam in materia adeo graui adhibere debitam diligentiam, vt videat, an baptismus validus fuerit.

8 Colligitur secundo, quod licet diligentia adhibenda à Parocho non debeat necessario esse exacta metaphysicè, vt notant Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vn. art.* 9. Reginal. *lib.* 27. *Praxis fori poenit. cap.* 7. *num.* 14. debet tamen esse exacta moraliter, vt docet Quintanaduen. in *Singul. de sacramen. tract.* 1. *de baptis. singul.* 7. *num.* 3. & habetur ex Leone Papa relato *in cap. cum itaque de Consecrat. dist.* 4. ibi. *Quoties talis persona inciderit (cuius baptismus dubius sit) sollicita primum examinatione discutite, & longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, vt nemo poenitus sit, qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis.* Ratio autem est, quia diligentia debet esse proportionata rei, de qua agitur, ita vt eo maior sit, quò maior est grauitas, & necessitas rei, baptismus autem excedit in grauitate rei, & necessitate omnia alia media, quæ ordinantur ad salutem, & proinde requirit etiam diligentiam excedentem omnes aliàs diligentias, atque adeo exactam moraliter.

9 Colligitur 3. Quod si Parochus perspectam habeat diligentiam, & peritiam obstetricis in baptizando in periculo mortis, quia nimirum deprehenderit ex testium depositione, quod pluries rectè baptizauerit, nec soleat in huiusmodi euentibus perturbari, si ipsi constet, quod in baptismo, de quo tunc agitur, non fuerit perturbata, non debebit repetere baptismum, quia stante peritia obstetricis sæpius probata, est moraliter certum, quod legitimè baptizauerit.

An baptizatus vrgente necessitate ab infidelibus, aut hæreticis sit iterum baptizandus. Quæst. 90.

S V M M A.

1 *Baptismus ministratus ab infideli, aut hæretico quomodo validus.*
2 *Esse iterandum, qui doceant.*
3 *Quomodo in hoc casu procedendum, n.* 5.
4 *Obiectio soluta.*
6 *Hæreticus conuersus quando rebaptizandus.*

Cer-

1 Certum omnino est baptismum ministratum ab infidelibus, aut ab hæreticis, validum esse, si seruent, quæ sunt essentialia baptismi, vt definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur *in cap. firmiter. de sum. Trinit.* In *Concilio Florent. in decreto fidei*, & in *Trident. sess. 4. cap. 4. de Baptis.* & dictum est supra, cum ageretur de ministro baptismi, & proinde passim in iure canonico statuitur, quod baptizati ab his personis, non sint iterum baptizandi, vt in *Cap. Romanus*, & *cap. A quodam*, & *cap. si qui*, & *cap. Quamuis*, *& cap. Hi de quibus. De consecrat. dist.* 4. Quia nimirum baptismus validè ministratus non est repetendus. Vnde dictæ determinationes procedunt ex præsumptione baptismi validi, & quia validitati ipsius non obstat qualitas personæ, & proinde decernitur, quod non sit repetendus ex eo capite, quasi ex inhabilitate ministri sit inualidus. Difficultas autem est, an sit repetendus sub conditione ob suspicionem, quod sit malè ministratus.

2 Quod igitur baptizati ab hæreticis, & infidelibus sint iterum sub conditione baptizandi ob suspitionem, quod baptismus non sit legitimè collatus, docent Præposit. *3. par. quæst. 66. art. 9. num. 99.* ver. *Ex quibus patet* Syluius *Quæsito* 3. Molan. *tract. 4. theol. cap. 3. num.* 30. Quintanaduen. *in singularib. de sacram. tract. 1. de baptis. singul. 3. num. 3.* & determinatum fuit quòad baptizatos ab hæreticis in Concilio prouinciali Meclinensi approbato à Paulo V. anno 1608.

3 Cum distinctione tamen procedendum est: nam si adsint testes fide digni deponentes, quod baptismus legitimo modo sit ministratus ab infideli, vel hæretico, tunc non est neque sub conditione repetendus. Cum enim testes faciant constare, quod baptismus ministratus fuerit cum debita materia, & debita forma, non relinquitur suspicandi locus, quod fuerit inualidus, & proinde habet locum dispositio Concilij Cartaginensis. *in capit. Placuit. de consecrat. dist.* 4. & *VI. Sinodi can.* 84. quod non sit repetendus baptismus, quando de ipso deponunt firmi, & certissimi testes.

4 Dices baptismum reddi suspectum ratione intentionis, quia potuit baptizans non habuisse debitam intentionem. Resp. In hoc casu non reddi suspectam intentionem, quia cum habeamus actum externum, quem adhibet Ecclesia ex institutione Christi in baptizando, & omnis actus externus humano modo exercitus debeat prouenire ab actu interno correspondente, atque adeò ab intentione, quam exigit finis intrinsecus illius actus, necessario præsumitur intentio exercendi illum actum, & cum talis actus externus sit id, quod facit Ecclesia, aderit intentio faciendi quod facit Ecclesia, quamuis possit interuenire etiam alia praua intentio ex aliquo fine extrinseco operantis, quæ tamen non vitiat quòad efficaciam sacramenti priorem intentionem. Actus enim declarat animum, & intentionem agentis *l. Paulus ff. Rem ratam hab.* & *cap. dilecti. 2. de appellat.* & notant Dec. *ibi notab.* 2. Socin. Iun. *consil. 98. mer. 13. lib. 1.* Gram. *consil. criminal. 13. num. 3.* Et ob hanc causam præcipitur in iure canonico, quod baptizati ab infidelibus, non debeant rursus baptizari, si cum vera materia, & forma baptizati sint, vt visum est *num.* 1.

5 At si non adsint testes deponentes, quod baptismus sit legitimè ministratus, erit repetendus sub conditione tanquam suspectus de validitate: Et hoc est conforme communi doctrinæ, quam tradunt Paludan. *in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 1. conclus.* 2. Sotus *dist. 3. quæst. vn. art. 6.* Syluester verbo. *Baptismus 4. q. 9.* D. Antonin. *3. par. tit. 14. cap. 13. §. 12.* Zambran. *in suis decis. cap. 1. de baptis. dub. 5. num.* 2. quod licet sufficiat vnus testis ad testificandum de baptismo, non tamen sufficere, si sit suspectus præsertim in fide, & religione. Quod contingit, quando solum Iudæi, infideles, aut hæretici testantur de baptismo.

6 Ratio autem est, quia, quamuis Infideles, aut hæretici, habeant intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, probabile tamen est, & prudenter suspicari potest, quod committant defectum aliquem circa essentialia, aut ex superstitione, aut ex errore, quod constat in hæreticis præsertim nostri temporis, qui etiamsi admittant sacramentum baptismi, errant tamen vt plurimum circa essentialia. Et semper præsumi potest praua eorum intentio decipiendi, præsertim cum soleant irridere ritus Ecclesiæ Catholicæ. Hoc autem sufficit ad reddendum baptismum suspectum, atque adeo sub conditione repetendum, quia tunc sub conditione repetendus est, quando remanet dubius iuxta *cap. de quibus. De baptismo*, & cap. *Placuit.* & *cap. cum itaque. De consecrat. dist.* 4. & VI. *Synodi. can.* 84.

7 Ex dictis colligitur. Quod quando quis ex hæresi conuertitur ad fidem catholicam, est de nouo baptizandus, nisi constet, quod habeat legitimum baptismum, & proinde inspiciendum est, an ij apud quos natus est soleant vti in baptismo vera materia, & forma. Quod si apud illas nationes natus sit, quæ mixtæ sunt ex pluribus sectis hæreticorum, quarum aliquæ non habent verum baptismum, hoc sufficiens motiuum erit, vt possit, imò debeat iterum sub conditione baptizari, cum facile sit, quod baptizatus sit ab eo, qui non habet verum baptismum.

An quando baptismus repeti potest sub conditione, adsit etiam obligatio repetendi. Quæst. 91.

S V M M A.

1 *Adesse obligationem tenetur, & probatur. & num. 2.*
3 *Afficere Parochos hanc obligationem demonstratur.*
4 *Afficere parentes, & eos qui curam habent infantium.*
5 *Quomodo afficiat cæteros.*
6 *Natus in Scotia, & in hæretica secta educatus cur rebaptizatur.*
7 *In dubio de sufficienti causa rebaptizandi quid agendum.*
8 *Religiosi non habent specialem obligationem supra alios rebaptizandi, vel Baptizandi.*

1 Dicendum est, esse subconditione repetendum, quoties repeti potest. Ita *Vasquez 3. part. disp.* 146. *capit.* 4. *numer.* 28. Præposit. *quæst.* 66. *ar.* 9. *dub.* 2. *num.* 10. Conich *dub. vn. conclus.* 2. *numer.* 101. Auersa *sect.* 6. ver. *Sexto tamen.* Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 19. *disp. vn. punc.* 13. *num.* 10. Quitanaduen. *in singular. de sacram. tract.* 1. *de Baptis. singul.* 14. Gaspar Hurtad. *de samen. disp.* 1. *de Baptis. difficul.* 12. Et desumitur ex *cap. de quibus de Baptis.* vbi decernitur, quod baptizentur sub conditione, quorum baptismus dubius est. Ibi autem sumitur dubium non solum negatiuè, sed etiam positiuè, quia quando solum probabile est, quod quis baptizatus sit, aut quod validus fuerit baptismus, reuerà remanet dubium, an sit baptizatus. Et ita accipi debet, vt concordet cum *cap. Placuit. de consecrat. dist.* 4. & cum *can.* 84. *VI. Synodi* vbi decernitur, quod repetatur baptismus, quoties non est certus ex testibus firmis, & certissimis.

2 Ratio autem est, quia quando baptismus iterari potest, non est certus, sed dubius. Stante autem dubietate de valore, aut existentia ipsius consurgit obligatio ad ponendam certitudinem ipsius, quia est necessarium necessitate medij ad salutem; & hæc necessitas est de baptismo secundum suam veram, & existentialem realitatem. Quæ namque sunt necessaria necessitate medij ad salutem, cadunt sub obligationem secundum suum esse cer-

tum, & reale, ita vt non extinguatur obligatio quousque ponantur secundum suum esse certum. Quia, sicut quilibet tenetur se promouere ad salutem, ita vt nunquam extinguatur obligatio, nisi quòad effectum se promouerit, ita etiam nunquam extriguitur obligatio ad ponenda, quæ sunt necessaria necessitate medij, quousque ponantur secundum effectum, & suam realitatem, quia tunc solum promouent, quando reuera in re existunt. Et proinde quando baptismus est dubius, non est extincta obligatio, sed adhuc vrget, vt reddatur certus.

3 Ex dictis colligitur. Parochos obligari ex officio ministrare baptismum ijs omnibus, in quibus sub conditione repeti potest; imo etiam teneri, curare, vt baptizentur, vt inter alios notant Vasquez *3. par. disp. 146. cap. 4. numer. 28.* Coninch *quæst. 66. ar. 9. dub. vn. num.* 101. Zambran. *in suis decis. cap. 1. de baptis. dub. 1. num.* 7. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 1. de baptis. difficul. 12. ver. Obseruandum* Palaus *par. 4. tract. 19. disp. vn. punc. 13. num.* 10. Quintanaduen. *in singul. de sacramen. tract. 1. de baptis. singul. 14. num.* 1. Ratio autem est, quia vnusquisque habet ius ad perfectam participationem sacramentorum, & si non est ingressus in Ecclesiam, ad ingrediendum absolutè, & cum certitudine: vnde Parochus tenetur ex suo officio ad perfectam administrationem, & ad certificandum vnumquemque de ingressu in Ecclesiam, quando aliàs dubius est, quia tanta est obligatio Parochi in ordine ad sacramenta ministranda, quantum est ius aliorum ad exigenda.

4 Colligitur 2. Parentes quòad suos filios, & eos omnes, quibus infantum, & puerorum cura incumbit, teneri procurare, quod baptizentur sub conditione, quando ipsorum baptismus est dubius. Tenentur enim hi omnes ponere in tuto salutem spiritualem eorum, qui curæ suæ commissi sunt, & procurare media necessaria, iuxta illud Apostoli Ad *Timot. capit. 5. si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior.* Cum enim pueri nondum sint proprij arbitrij compotes, & proinde non possint sibi prospicere in ordine ad salutem, incumbit hoc onus ijs, sub quorũ cura sunt, si quidem debent supplere in ijs; in quibus ipsi non valent sibi prouidere.

5 Colligitur 3. Cœteros omnes, ad quos non pertinet cura, nec officium administrandi sacramenta, teneri ex charitate baptizare eos, quorum baptismus dubius est, in defectu eorum, ad quos pertinet baptizare, siue non adsint, siue nolint baptizare. Qui enim habet baptismum dubium, est in graui necessitate, & in extrema, si non habeat vsum rationis; vnde cum charitas obliget ad succurrendum proximo cõstituto in graui necessitate, qnando id fieri potest sine notabili incommodo, tenebitur vnusquisque baptizare, præsertim si vrgeat periculum mortis, & ita notant Hurtad *de sacramen. disp. 1. de baptis. difficul. 12. ver. Obseruandum est.* Quintanaduen. *in singularib. de sacram. tract. 1. de baptis. singul. 14. num. 6.*

6 Colligitur 4. Quemdam natum in Scotia, & in hæretica secta educatum à parentibus, fuisse prius sub conditione baptizandum, quando hæresim abiurauit, quàm ad alia sacramenta admitteretur. Nullum namquam testimonium de suo baptismo habebat, cum nec ipse recordaretur, se esse baptizatum, nec aliunde haberi posset, & aliàs natus esset inter hæreticos, quorum plurimi non admittunt baptismum aut si admittunt, errant circa essentialia. Vnde aderat vehemens præsumptio, quod aut baptizatus non esset, aut non legitimè, & proinde stante tali præsumptione, non poterat prudenter, atque adeo nec licitè admitti ad alia sacramenta, antequam sub conditione baptizaretur.

7 Colligitur. 5. Quando dubitatur, an adsit sufficiens causa repetendi baptis-

tiſmum ſub conditione, quia videlicet aliqui ſentiant, quod dubium, quod habetur de baptiſmo, non ſit alicuius conſiderationis; alij vero, quod ſit ſufficiens, vt poſſit repeti baptiſmus: tunc ſequendum eſt iudicium alicuius viri docti, vt notat etiam Quintanaduen. *in ſingularib. de ſacram. tract. 1. de baptiſ. ſingulari. 14. numer. 6. in fine*. Cuius iudicio debebit acquieſcere etiam parochus, quamuis aliter ipſe ſentiret, quia iudicium viri docti exiſtimantis baptiſmum eſſe dubium eſt ſufficiens motiuum ad repetendum baptiſmum, quia facit probabilem dubietatem ipſius. Quod ſi viri docti diſsentiant inter ſe, ſequenda eſt illa pars, quæ tenet, quod dubium ſit ſufficiens pro repetitione baptiſmi; quia hæc pars fundat rationabile motiuum, ad iudicandum, quod baptiſmus verè ſit dubius & proinde repetendus. Et ideo tunc aderit obligatio repetendi non ſecus, ac quando miniſtratus eſt cum opinione probabili, ſi quidem ex iudicio taliter ſentientium remanet dubius baptiſmus, & repetendus.

8 Colligitur 6. contra Quintanaduen. *in ſingularib. de ſacram. ſingular. 14. num. 6.* Religioſos non habere ſpecialem obligationem ſupra alios ad baptizandnm eos, qui indigent baptiſmo, vel quia adſit dubium de eorum baptiſmo, vel quia ſimpliciter non ſint baptizati, ſicut nec etiam in ordine ad alia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſed ſolum teneri ex charitate, ſicut obligantur cœteri. Quia licet ex inſtituto habeant incumbere ſaluti proximorum, quia tamen hoc voluntariè faciunt, & ſunt voluntarij coadiutores Prælatorum, & Parochorum, ideo non contrahunt aliquam ſpecialem obligationem, neque etiam ratione inſtituti, quia ex inſtituto habent, non quod incumbant abſolutè ſaluti proximorum, ſed quod voluntariè incumbant. Vnde cum ſimus in facultatiuis non inducitur aliqua præſcriptio, aut conſuetndo obligans, vt deſumitur ex *cap. Poſſeſſiones. 16. quæſt. 1.* & notant *Gloſ. in l. Solent. in fine. ff. de offic. proconſul. & leg.* Bar *in l. Cum de in rem verſo. circa finem. de vſur.* Cynus *in l. 2. C. quæſit con. conſuet.* Panorm. *in cap. Abbate de verbor. ſignificat.* Innocent. *in cap. cum Eccleſia Sutrina de cau. poſſeſ.* Coepol. *de ſeruit. vrban. prædior. capit. 2.* rubr. *de furno. quæſti. 2.* Iacob. de S. Georgio. *in ſuo tract. feud. in Gloſ.* verbo. *Et cum molendinis* Ias. *in Repet. leg. quominus. ver. Tertiò principaliter. ff. de fl.* Nec obſtat, quod Regulares obtinuerint plura priuilegia, ita vt videantur ratione ipſorum obligati ad incumbendum ſaluti proximi, quia vel illa obtinuerunt intuitu laborum iam præteritorum; vel ſi intuitu etiam actualis incumbentiæ, non per hoc tamen induxerunt aliquam obligationem, nam licet cauſa finalis conceſſionis fuerit, quod incumbant ſaluti proximi, nō tamen priuilegia obligauerut ad incumbendum, ſed ad ſummum ſequeretur, quod non incumbendo ceſſarent priuilegia ex ceſſatione cauſæ finalis, quando ab eius exiſtentia dependerent in conſeruari.

An dubitans de validitate proprij baptiſmi teneatur ad repetendum baptiſmum. Quæſt. 92.

S V M M A.

1 *Verè dubius de baptiſmo tenetur rebaptizari.*
2 *Baptizatus cum opinione probabili de validitate non tenetur.*
3 *Teneri, qui doceant.*
4 *Affirmatiua ſententia tenetur, & probatur num. 5.*
6 *Fundamentum oppoſitæ ſententiæ confutatur.*
7 *Quando adſit obligatio rebaptizandi.*
8 *Qui tenetur, vt dubius, rebaptizari, non poteſt recipere interim vllum Sacramentum.*

---

1 Conueniunt omnes, præsertim infracitandi, quod quando quis est verè dubius de proprio baptismo teneatur iterum baptizari, quia agitur de re maximi momenti, & proinde debet, aut deponere dubium, si deponi potest, aut ponere in tuto suam salutem suscipiendo baptismum, cum sit necessarius necessitate medij. Stante enim tali dubio non est extincta obligatio ponendi medium necessarium pro salute; nec potest prosequi assequutionem ipsius suscipiendo alia sacramenta, quia susciperet ipsa cum dubio, an posset suscipere, & se exponeret periculo sacrilegij accedendo ad ipsa cum incapacitate: solum difficultas est, an teneatur iterum suscipere, quando suscepit cum opinione probabili.

2 Prima sententia asserit non teneri baptizatum cum opinione probabili de validitate sacramenti iterum suscipere baptismum, quamuis possit suscipere. Ita Vasquez *3. par. disp. 146. num. 29.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 1. de Baptis. difficul. 12. ver. Obseruandum.* Quia licet minister teneatur sequi tutiorem partem in ministrandis sacramentis, non tamen suscipiens tenetur suscipere secundum tutiorem partem, sed potest suscipere secundum probabilem opinionem. Vnde cum satisfecerit præcepto baptismi, dum suscepit secundum probabilem opinionem, non tenetur amplius suscipere.

3 At teneri iterum baptizari tradunt. Coninch. *de sacram. quæst. 66. art. 9. dub. vn. num. 104.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 13. num. 11.* Præposit. *3. part. quæst. 66. art. 9. dub. 2. num. 101. ver. Sed contrarium.* Auersa *sect. 6. ver. Tenebitur quoque.* Ochagauia *de sacramen. quæst. 11. de baptism. n. 11.* Quintanaduan. *in singularib. de sacram. singulari 13. num. 2.* Granad. *controuer. 4. de sacram. tract. 1. disp. 4. num. 7.*

4 Et hæc sententia absolutè tenenda est. Ratio autem est. quia, qui est tantum probabiliter baptizatus, non habet baptismum certum: & proinde non est certus, quod sit incorporatus Ecclesiæ, tenetur autem esse certus de hac incorporatione, ita vt teneatur eam certam reddere, quando non est certa, quia inter Ecclesiam, & baptizatum interuenit pactum, seu quasi quidam contractus, quo Ecclesia se obligat baptizato ad ministranda sacramenta, & curanda, quæ concernunt salutem spiritualem ipsius, & è contra, quo baptizatus se tradit Ecclesiæ, & se subijcit iurisdictioni ipsius: Sicuti ergo obligatio Ecclesiæ erga ipsum est certa, & illam exercet exhibendo id, ad quod tenetur, ita etiam incorporatio, & subiectio ex parte baptizati debet esse certa, quia pactum mutuum debet æqualiter partes, & æquali certitudine obligare.

5 Confit. Baptismus est fundamentum eorum omnium, quæ ordinantur ad consequendam salutem æternam: ergo debet esse certus, ita vt quisque quantum est de se teneatur ipsum certum facere, quando aliàs dubius est. Conseq. prob. Tenetur quisque certam facere propriam salutem, quantum de se est, nam relinquere in dubio est contra charitatem, qua tenetur diligere se ipsum. Non potest autem certam facere, quantum de se est, nisi ponat certum fundamentum, supra quod illam ædificet: ergo cum baptismus sit fundamentum, tenetur ipsum certum facere, quando non est talis, aliàs ædificaret supra incerto fundamento propriam salutem, nec ipsum certum faceret, quantum in se est.

6 Ad fundamentum oppositæ sent. resp. licere sequi opinionem probabilem, quando agitur de operatione, & de mensuranda honestate ipsius, quia operatio conformis opinioni probabili, est etiam conformis rectæ rationi, atque adeo honesta. Non autem quando agitur de obligatione ad ponendum certum aliquem effectum, quia cum tunc obligatio non respiciat solum operationem, sed etiam sit ad ipsum effectum, ita vt effectus in re cadat sub obligatione,

ne, non extinguitur obligatio, nisi in se ponatur effectus: vnde si operatio non sit efficax ad ipsum ponendum, quamuis ordinetur ad ponendum, non implet obligationem: sic non impletur obligatio succurrendi proximo constituto in graui necessitati, nisi sequatur effectus subuentionis, quamuis fiat aliquid ordinatum ad subueniendum, sed impediatur effectus. Vnde quando non est certum, quod sit positus effectus, nec etiam est certum, quod sit impleta obligatio, & proinde semper vrget, quandiu certi simus de effectu. Obligatio autem suscipiendi baptismum respicit ipsum effectum in re.

7 Ex dictis colligitur, quod quando quis, aut est dubius de proprio baptismo, aut scit se ipsum suscepisse secundum opinionem probabilem, tenetur statim, cum primum potest, de nouo suscipere, vt notant Vasquez *3. par. disp. 146. num. 39.* loquens de baptismo dubio Auersa *quæst. 65. sect. 6.* ver. *Tenebitur* Reginal. *lib. 27. Praxis fori poenit. num. 55.* Villalob *par. 1. sum. tract. 5. difficul. 12. nu. 13.* Quintanaduen. *in singularib. de sacram. tract. 1. de Baptis. sing. 13. num. 3.* Ratio autem est, quia stante baptismo dubio, aut solum probabili, non est impleta obligatio suscipiendi baptismum, cum non habeatur certus effectus, qui requiritur, vt constat ex dictis: vnde semper vrget talis obligatio in adulto: Cum enim teneatur se conuertere in Deum, vt in finem supernaturalem, ita vt talis obligatio incipiat cum vsu rationis, nec possit se conuertere, nisi per baptismum saltem in voto ingrediatur Ecclesiam, tenetur, quam primum potest exequi, quod habuit in voto, & prosequi suam conuersionem in Deum, per tendentiam ad ipsius assequutionem; atque adeo ponere, quàm primum potest fundamentum talis tendentiæ.

8 Colligitur 2. Eum, qui tenetur de nouo suscipere baptismum, vel quia dubius fuerit, vel ministratus cum sola opinione probabili, non posse interim suscipere aliquod sacramentum, vt notant Coninch. *de sacram. quæst. 66. art. 9. dub. 1. conclus. 3. & 4.* Auersa *sect. 6.* ver. *Tenebitur.* Et ratio est, quia cum non sit certus de suo baptismo, sed incertus, se exponeret periculo recipiendi sacramenta sine debito fundamento contra institutionem Christi. Nec sufficit, quod probabiliter putet, se esse baptizatum, quia in tali casu probabilitas non iuuat, quia homo non fit capax aliorum sacramentorum ex probabilitate baptismi, sed ex ipso baptismo, qui habuerit effectum: vnde cum sciat, dubium esse, an baptizatio habuerit suum effectum, scit etiam dubium esse, an sit capax aliorum sacramentorum, & proinde cum dubio capacitatis accederet ad alia sacramenta.

Quæ praxis seruanda, vt baptizatus vrgente necessitate, de nouo baptizetur sub conditione ob dubietatem prioris baptismi. Quæst. 93.

S V M M A.

1 *Modus adhibendus in baptismo sub conditione.*
2 *Dispositio in adulto requisita.*
3 *Conditio an exprimenda.*
4 *Locus, in quo est rebaptizandum.*
5 *An quilibet possit esse minister. num. 6.*
7 *Nouitius, aut Religiosus rebaptizandus à suo superiore, aut ab alio ex eiusdem commissione.*

---

1 Modus adhibendus, quando sub conditione ministratur baptismus ponitur in *cap. de quibus de baptis.* est autem talis *Si baptizatus es, non te baptizo. Sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo.* Non est tamen necesse hoc totum proferre, sed po-

potest etiam sine peccato adhiberi sola vltima pars, *si non es baptizatus, ego te baptizo*, vt notant etiam Abbas, & alij Doctores *in hunc textum*. Suarez *disp. 22. de sacram. sect. 2.* ver. *sed quares* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 2. cap. 5. num. 3.* ver. *Porro*. Vasquez *3. par. disp. 146. cap. 4. init.* Coninch. *de sacram. quæst. 66. art. 9. dub. vn. num. 98.* Palaus *par. 4 theol. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 13. num. 12.* Et ratio, quia sufficit, si actui baptizandi apponatur conditio, nam tunc remouet intentionem ab actu, si præcessit verus baptismus, & ipsa existente facit actum absolutum.

2 Circa autem dispositionem requiritur in adulto illa ipsa, quæ necessaria in baptismo absoluto, vt notant etiã Auersa *3. par. q. 66. sect. 6.* ver. *Tenebitur quoque* Quintanaduen. *in singularib. de sacram. tract. 1. de baptis. singul. 16. num. 4.* Et ratio, quia si prior baptismus fuit validus, baptismus secundus erit tantum conditionatus, & proinde non erit baptismus, quia non conficitur sacramentum, quia actus conditionatus non est actus *l. si quis sub conditione. ff. Si quis omis cau. test.* & consequenter non exiget præuiam confessionem, cum quod non est non possit aliquid exigere, præsertim quia cum baptismus absolutus non exigat, nec etiam conditionatus exigeret, quia si aliquid esset, sequeretur naturam baptismi absoluti. Si vero prior baptismus fuit nullus, iam peccata postea commissa non subduntur clauibus Ecclesiæ quæ se extendunt solum ad peccata baptizatorum, sed delenda sunt per baptismum.

3 An autem exprimenda sit conditio, an vero sufficiat, quod mente concipiatur. Non esse necessario exprimendam, sed sufficere, mente concipi, docet Bonacina *disp. 2. de sacram. quæst. 2. punc. 5. numer. 20.* qui alios citat, apud quos tamen hoc non reperi, Dicastil. *de sacram. tract. 2. disp. 1. dub. 7. num. 183.* Alij vero dicunt, quod si dubium de baptismo sit notorium, debet conditio exprimi, si verò occultum, sufficere si menre concipiatur. Ita Suarez *disp. 22. de sacramen. sect. 2.* ver. *Sed quares.* Henriquez *lib. 2. sum. cap. 31. num. 2.* Ledesma *par. 1. sum. capit. 5. conclusion. 2.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 5. difficul. 7. cap. 3.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 2. cap. 5. num. 4.* in fine. *Cateauil. de administ. sacram. cap. 1. quæst. 1.* ver. *Sexto* Granad. *3. par. controuer. 4. tract. 4. disp. 8. num. 6.* Coninch *de sacram: quæst. 66. ar. 9. dub. vn. num. 98.* *Castro palaus par. 4. tract. 19. disp. vn. punc. 13. nu. 11.* Brancat. *de sacram. disp. 15. ar. 7. num. 90.* Denique alii volunt, quod semper debeat conditio explicari in forma. Ita Abbas *in cap. 2. num. 3. de baptis.* Vasquez *3. par. disp. 146. cap. 3.* Ochagauia *de sacram. quæst. 11. de baptis. num. 5.* Leander *de sacramen. tom. 1. tract. 2. quæst. 43.* Quintanaduen. *in singul. de sacram. tract. 1. de baptis. singul. 18. num. 5.* Et quidem, si loquamur ex natura rei, sufficiet, si conditio mente concipiatur, vt etiam dictum est in superioribus, quia cum sacramentum dependeat ab intentione ministri, eo ipso, quod concipit mente conditionẽ, reddit suum actum conditionatum. Quia tamen *in cap. de quibus. De baptis.* præscribitur, quod conditio in forma exprimatur, ideo semper erit exprimenda. Præsertim quia sacramenta sunt sensibilia signa, quæ secundum se habent efficaciam ex opere operato, & ideo debent etiam in esse sensibili conditionato modo se habere, quoties sub conditione ministrantur.

4 Quod autem spectat ad locum aduertunt esse vitandum scandalum, & proinde si occasio repetendi baptismum non sit publica, sed secreta, esse baptismum repetendum secreto in Ecclesia ianuis clausis, iis solum præsentibus, qui de necessitare debent interuenire, quibus erit declaranda causa, cur baptismus repetatur. Ita notant Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 2. cap. 5. in fine*. Palaus *par. 4. oper. moral. tra. 19. disp. vn. punc. 13. num. 12.* Quinta-

tanaduen.*in singularib.de sacram.tract.* 1. *de baptis. singul.* 18. *num.* 3.

5 De ministro autem dubitatur, an quilibet possit esse minister sacramenti baptismi, quando sub conditione ministratur. Et affirmatiuè respon. Quintanaduen.*in singular.de sacramen. tract.* 1. *de baptis. singul.* 17. *num.* 3. & sequent. Quia licet Parochus, & sacerdos sint ministri ex officio, sunt tamen tantum respectu baptismi solemnis, non autem respectu priuati: conditionalis vero non est baptismus solemnis, nec absolutè baptismus, sed solum conditionaliter, supplens defectum, qui putatur adesse. Sic etiam ad reualidandum matrimonium sub conditione non est necessaria Parochi præsentia. Nec baptizare sub conditione est absolutè prohibitum, sicut est prohibitum baptizare, cum non sit vsurpare munus alienum, quia non absolutè baptizatur.

6 Verum hanc doctrinam non puto habere locum extra casum necessitatis. Quia licet quilibet sit sufficiens minister baptismi; est tamen solum in casu necessitatis, extra quem non potest nisi ordinarius minister baptizare, vt dictum est supra, quia cum baptizare sit incorporare Ecclesiæ, supponit in baptizante iurisdictionem in Ecclesia. Quæ requiritur etiam in baptizante sub conditione, quia actus qui exercetur potest fieri absolutus, si nimirum contingat verificari conditionem. Eadem autem facultas requiritur ad actum conditionatum, quando potest fieri absolutus, quæ requiritur ad actum absolutum; vnde qui non potest absolutè donare, nec etiam donare potest sub conditione. Vnde cui prohibetur actus absolutus, prohibetur etiam conditionatus, quando potest euenire conditio. Deinde cum in baptismo conditionali suppleatur defectus, qui dubitatur adesse quoad essentiam baptismi, is solus potest supplere, qui potest facere actum argum ex cap. Præsbiter. De sacram. non iteran. Nec est eadem ratio de præsentia parochi in matrimonio, quia parochus non est minister, sed pertinet eius præsentia ad solemnitatem.

7 Ex dictis colligitur. Quod si aliquis religiosus, aut nouitius baptizandus esset sub conditione deberet baptizari à suo superiore, vel ab alio sacerdote de eius commissione. Superior enim est ordinarius ipsius, & habet iurisdictionem supra aliquam communitatem Ecclesiasticam, & ideo potest incorporare Ecclesiæ eos, qui post incorporationem sunt futuri subditi ipsius.

De Patrino pro baptismo priuato in periculo mortis.

An quando vrgente necessitate ministratur baptismus priuatus, sit necessarius patrinus. Quæst. 94.

SVMMA.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Sententia negatiua, & probabilior, num. 3.*
4 *Fundamenta opposita sententiæ refelluntur.*

1 PRima sententia tenet etiam in priuato baptismo, quādo vrgente necessitate ministratur, esse necessarium Patrinum. I a Zambran. *in suis decis. cap. 2. de baptis. dub.* 18. *num.* 7. Fundamentum ipsius est, quia *in cap. De eo* & *cap. Ad limina.* 30. *quæ.* 1. assignatur duplex causa contractæ cognationis spiritualis in baptismo priuato; baptizatio scilicet, & susceptio. Quod non haberet locum, si non requireretur Patrinus. Deinde quia patrinus non solum requiritur propter solemnitatem baptismi, sed etiam, vt sit, qui instruat baptizatum, & coadiuuet spiritualem regenerationem, quod locum habet etiam in baptismo priuato. Denique, quia saltem puer non potest

teſt commodè baptizari, niſi ſit, qui illum teneat, quando abluitur, ergo dicendum eſt, quod Eccleſia generaliter voluerit adhiberi patrinum tam in ſolemni, quàm in priuato baptiſmo.

2 Secunda ſententia tenet non eſſe neceſſarium. Ita Henriquez *lib.* 2. *ſum. capit.* 18. *in fine*. Sotus *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 1. ver. *Profectò*. Rodriquez *par.* 1. *ſum. cap.* 226. *num.* 8. Suarez 3. *part. quæſt.* 67. *arti.* 8. ver. *Vltimo dubitari poteſt.* circa med. Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſp.* 62. *num.* 15. Auerſa 3. *par. quæſt.* 67. *ſect.* 3. ver. *Secundo tamen in fine.* Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſp.* 18. *de matrim. difficul.* 6. Caſtropalaus *part.* 8. *oper. moral. tract.* 19. *diſp. vn. punc.* 11. § 2. *num.* 12. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 5.

3 Hæc poſterior ſententia mihi videtur probabilior, & tenenda. Ratio autem eſt, quia ſuſceptio, atque adeo Patrinus in baptiſmo priuato non habet locum, ergo non præcipitur ab Eccleſia, cum non præcipiat id, quod non poteſt habere locum. Quod ſuſceptio, atque adeo patrinus in priuato baptiſmo non habeat locum, ex eo deducitur, quia ſuſceptionis actus eſt per modum cuiuſdam contractus, in quo Eccleſia baptizatum, quem per baptiſmum facit ſuum, tradit patrino inſtruendum, & committit curæ illius quòad ſpiritualia, quæ concernunt ſalutem animæ, & patrinus ipſum ſuſcipit de manu baptizantis, & acceptat ſub propria cura obligans ſe Eccleſiæ in ordine ad prædicta. Vnde patrinus dicitur fideiuſſor pro baptizato ex D. Dionyſ. *capit.* 2. *de Eccleſias hierar.* & ex D. Auguſt. *ſerm.* 215. *de tempore.* & *ex cap. Vos ante de conſecrat. diſt.* 4. Et fidei doctor ex eodem D. Auguſt. *Epiſt.* 23. Et Sponſor ex Tertull. *lib. de baptiſ. cap.* 14. & ex Concil. Pariſienſ. 1. *lib.* 1. *cap.* 54. In priuato autem baptiſmo, cum non fiat in facie Eccleſiæ, non poteſt habere locum hic contractus, quia neque Eccleſia, neque aliquis nomine ipſius tradit patrino baptizatum, neque ſuſcipit fideiuſſionem patrini.

4 Neque obſtant, quæ pro oppoſita ſententia allata ſunt; nam ex illis tex. nihil deducitur quòad præceptum adhibendi patrinum in baptiſmo priuato, ét ſi quid deduceretur, ſolum deduceretur, quod ſi adhiberetur, contraheret cognationem ſpiritualem. Verum neque hoc deducitur. Nam *cap. de eo* 30. *quæſt.* non procedit de baptiſmo priuato, cum ex nullo verbo id colligi poſſit, & ideo debet intelligi de baptiſmo ſolemni. *In cap. autem. Ad limina*, licet ſit ſermo de baptiſmo priuato, non tamen inde colligitur, quod ſuſceptio inducat cognationem ſpiritualem; ſed ſolum in narratiua dicitur, quod pater baptizans proprium filium vrgente neceſſitate, eum proprijs manibus tenens ſuſcepit. At Pontifex in reſponſione, ſeu diſpoſitione prætermittit hanc ſuſceptionem, vt pote quæ non faciebat ad rem pro inducenda cognatione ſpirituali, & ſolum reſpondet difficultati ortæ ratione baptiſmi, decernens, quod in tali caſu baptiſmus non induceret ſpiritualem cognationem.

An in priuato baptiſmo; ſi adhibeatur patrinus, contrahat cognationem ſpiritualem. *Quæſt.* 95.

S V M M A.

1 *Qui teneant contrahi cognationem.*
2 *Qui negent.*
3 *Sententia negatiua tenetur & probatur. numer.* 4.
5 *Fundamentum oppoſitum confutatur.*
6 *Obiectionis ſolutio.*
7 *Suſcipiens in priuato baptiſmo animo exercendi munus veri Patrini, & contrahendi cognationem, non contrahit.*

Pri-

1 PRima sententia tenet, in priuato quoque baptismo ex necessitate ministrato, patrinum, si adhibeatur contrahere cognationem spiritualem. Ita Angelus verbo. *Matrimonium. 3. Impedim. 7. numer. 21.* Viuald. *par. 1. Candelab. tit. de matrimon. num. 154.* Lopez *2. par. Instruct. cap. 51. de matrim.* §. *Ex quo corollaria.* Ledesma *de matrim. dubi. 44. in fine.* Armilla verbo. *Matrimon. numer. 14.* Nauar. *cap. 22. Manual. nu. 40.* Zambran. *in suis decis. capit. 1. de baptis. dub. 18. num. 4.* & sequent. Suarez *3. par. quæst. 67. ar. 8.* ver. *Vltimò dubitari.* Coninch. *disp. 32. de sacramen. dub. 2. num. 2.* Pontius *dub. 7. de matrim. cap. 40. num. 3.* Auersa *3. part. quæst. 67. sect. 3. ver. Secundo tamen.* Sà verbo. *Matrimonium. num. 5.* Laiman. *5. lib. theol. mor. tract. 2. cap. 9. nu. 5.* ver. *Dico secundo.* Couaruu. *4. par. decret. cap. 6.* §. *4. num. 4.* Quorum fundamentum est, quia canones generaliter loquuntur de patrino, seu susceptore, nec distinguunt inter baptismum solemnem, atque priuatum; vnde nec nos debemus distinguere, & Concil. Trident. *sess. 24. cap. 2. de refor. matrim.* nihil in hoc innouauit.

2 Secunda tamen sententia tenet non contrahere spirituale cognatione. Ita Sotus *in 4. dist. 42. quæst. 1. ar. 3. circa finem.* ver. *Profectò rationes* Gallegus *de cognat. spirit. cap. 11. num. 6.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 226. conclus. 2.* Vega *par. 1. sum. cap. 33. casu vlt. in fine.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 62. num. 15.* Granad. *3. par. controuer. 4. tract. 2. disp. 5. num. 4.* Gaspar Hurtad. *disp. 18. de matrimon. difficul. 6.* Palaus *par. 4. oper. moral. tra. 19. disp. vn. punc. 11.* §. *2. num. 12.*

3 Et hæc sententia mihi videtur tenenda, & habet fundamentum in iure, ex quo colligitur requiri solemnitatem baptismi pro contrahenda huiusmodi cognatione spirituali. Nam vt plurimum, quando de ea agitur, additur aliquid, vnde colligatur solemnitas baptismi, ratione cuius contrahatur cognatio spiritualis, vt in *capit. 1. 30. quæst. 1.* ponitur, quod baptismus celebratus fuerit Sabbato Paschali, atque adeo solemniter, & cap. *Si quis filiastrum*, & *capit. dictum est. eadem. Causa & quæst.* dicitur, quod suscepti sint baptizati coram Episcopis. Vnde videtur ius coarctare hanc cognationem spiritualem ad baptismum solemnem; & proinde non est admittenda in baptismo priuato.

4 Et ratio est, quia in baptismo priuato non habet locum actus proprius susceptionis, in quo talis cognatio fundatur. Quia licet aliquis teneat baptizandum, dum abluitur, hoc tamen fit tantum corporaliter, & materialiter; non autem eo modo, quo institutum est ab Ecclesia. Nam actus susceptionis institutus ab Ecclesia, vt notat etiam Suarez *3. par. quæst. 67. art. 7.* ver. *His articulus* in fine, propriè in eo consistit, quod susceptor recipiat baptizatum de manu baptizantis, qui ipsum tradit nomine Ecclesiæ, & committit curæ ipsius, & ipse se obligat ad habendam curam illius, & pro ipso spondet, vt dictum est *quæst. praceden. num. 3.* & initur quasi quidam contractus inter Ecclesiam, & susceptorem. Quæ cum non interueniant in baptismo priuato vt ibid. dictum est; deficit fundamentum spiritualis cognationis.

5 Ex quibus solutum manet fundamentum oppositæ senten. Quamuis enim canones non distinguant de baptismo priuato, & solemni, sed generaliter loquantur, supponunt tamen solemnitatem, ex qua ortum habeat talis spiritualis cognatio; Et cum aliquando exprimat aliquid, ex quo constat loqui de baptismo solemni, vt ostensum est *num. 3.* per hos textus alia iura explicanda sunt. quia lex obscura accipitur secundum sensum alterius legis claræ iuxta communem regulam interpretandi leges, quam inter alios tradunt Azor. *par. 1. lib. 5. cap. 16. quæstion. 9.*

Salas *disp. 21. de legib. sect. 3. reg. 10.* Merol. *tom. 2. moral. theol. disp. 4. cap. 9. dub. 2. num. 14.*

6 Dices baptizans in priuato baptismo contrahit cognationem spiritualem. ergo etiam susceptor. Resp. neg. consequentiam. Cum sit diuersa ratio, nam baptizans, vere administrat sacramentum, & proinde adest vera regeneratio spiritualis, ratione cuius, tanquam ex fundamento, & radice consurgit cognatio spiritualis; at quando quis in priuato baptismo suscipit baptizatum non interuenit verus actus susceptionis præscriptus ab Ecclesia, vt dictum est, qui sit radix cognationis spiritualis.

7 Ex dictis autem sequitur. Quod si quis in priuato baptismo suscipiat baptizatum non animo exercendi munus patrini, & contrahendi spiritualem cognationem, non tamen per hoc contrahet; aut erit verus patrinus, vt notant Sanchez, Hurtadus, Palaus *num.* 5. citati. Nam cum neque Ecclesia, neque aliquis nomine ipsius consignet baptizatum susceptori, & consequenter non interueniat illa obligatio, & fideiussio, quæ ab Ecclesia acceptetur, & quasi contractus, non interuenit verus actus susceptionis, & proinde illa susceptio est nulla tanquam si non adesset, & non potest generare cognationem spiritualem, quia quod nullum est, nullum producit effectum *l. Non putauit. §. Non quaris. ff. de bonor. possess. contrab. & l. Si aut nullum. C. de legit. hared. & l. Non dubium. C. de legib. & cap. illud. de iure Patr.*

An quando quis baptizatur solemniter, & superuenit periculum mortis, ita vt non possit expectari patrinus, nec sit aliquis, qui possit hoc munere fungi, possit baptizans esse etiam patrinus. Quæst. 96.

S V M M A.

1 *Obligatio adhibendi Patrinum in baptismo solemni.*

2 *Baptizans cur nequeat esse susceptor.*

1 Supponendum est, adesse obligationem adhibendi patrinum in baptism solemni sub mortali ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ vniuersalis stabilita, vt desumitur ex D. Dionys. *de Ecclesias. Hierarch. capit.* 2 D. August. *lib. 1. de peccator. merit. cap. 34. & serm. 163. de tempore & Ep.st. 23.* Tertul. *lib. de Baptis. cap. 3. & 18.* & passim in iure Canonico *vt cap. vos autem. & capit. Non plures. & capi. In catechismo de consecrat. dist. 4.* & toto *Tit. de cognat. spirit. & capit. quamuis. eodem. Tit. in 6.* & in *Concil. Trident sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.* Hoc autem stante dubitatur, an pro implendo huiusmodi præcepto, possit baptizans exercere etiam munus patrini, saltem quando nullus alius adest, qui possit illud exercere, aut velit.

2 Et negatiuè respondendum est, quia baptizare, & suscipere sunt officia, quæ requirunt distinctionem personarum, nam baptizans repræsentat Ecclesiam; & nomine ipsius incorporat baptizatum coetui fidelium, & postea consignat susceptori erudiendum, & instruendum. Susceptor verò acceptat baptizatum sub propria cura, & fit sponsor, seu fideiussor pro ipso, vt constat ex dictis *duabus quæstionib. præcedentib.* ergo requiritur distinctio personarum, quia requiruntur consignans & consignatarius, dans, & accipiens, inter dantem autem, & accipientem debet esse distinctio. *cap. fin. de instit.* Et proinde in tali casu ex defectu personæ potentis hoc munus implere, non po-

poterit præceptum obseruari.

An quando in casu necessitatis fuit quis baptizatus cum probabili opinione, & postea solemniter rebaptizatur sub conditione, patrinus contrahat cognationem spiritualem. Quæst. 97.

S V M M A

1 *De iure antiquo quid statutum in hoc?*
2 *De iure nouo probabilis est sētentia negatiua.*
3 *Colligitur ex Tridentino.*
4 *Imo etiam secluso Tridentino.*
4 *Conditiones requisita ad contrhaendam cognationem. num. 5.*
6 *Quomodo difficultas habeat locum.*
7 *Probabile quomodo sit in secundo baptismo nullam contrhai cognationem & probatur. num. 8.*

1 Certum est secundum ius antiquum contrahere cognationem spiritualem imperfectam ratione catechismi, quæ quidem impedit, sed non dirimit matrimonium, iuxta *cap. contracto. De cognat. spirit.* & *cap. per catechismum eodem Tit. in 6.* & notant communiter cum D. Tho. *in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 2. ad 3.* Durand. *quæst. 1. ar. 2. num. 8.* Richar. *ar. 1. quæst. 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 10. num. 2.* Quia nimirum catechismus est initium, & professio futuri baptismi, & proinde est incoeptio regenerationis spiritualis per fidem, & proinde etiam incipit quædam coniunctio, & propinquitas spiritualis, non secus ac carnalis incipiat in sponsalibus.

2 At de iure nouo, quamuis plures, quos refert Sanchez *lib. 7. de matrimon. disp. 10. numer. 11.* affirment perseuerare hanc cognationem spiritualem, & afferre idem impedimentum pro matrimonio contrahendo; probabilissimum tamen est, fuisse sublatam per Concilium Tridentinum. *sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.* vt docent Durand. *in 4. dist. 42. disp. vn. proposit.* 8. Henriquez *lib. 2. sum. cap. 15. num. 4.* & *cap. 18. num. 2. in fine.* & *lib. 12. de matrim. cap. 2. numer. 1.* Veracoux *par. 1. speculi. art. 22. in fine.* & *art. 55.* Sà verbo *matrimon. num. 4. de impedim.* Bartholom. Ledesma *de matrimon. dub. 46. in fine.* Petrus Ledesma *par. 1. sum cap. 13. de baptis. dub. 2. post 5. conclus.* & *de matrim. quæst. 56. ar. 3. §. In huius expositionem.* Sanchez *dict. lib. 7. de matrim. disp. 10. num. 12.* asserens modo esse communem opinionem. Reginal. *lib. 31. Praxis fori poenit. num. 190.* Rebel. *par. 2. de obligat. iust. quæst. 18. num. 20.* & sequent. Gutierez *de matrim. capit. 84.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 4. cap. 10. num. 121.* Bonac. *de matrim. quæst. 3. punc. 5. §. 2. n. 3.* Valer. *in different. vtriusq. fori verbo Baptismus differen. 2. num. 2.* & sequent. Ludouicus à S. Io. *part. 1. sum. quæst. 5. de Baptis. ar. 3. dub. 4.* Barbos. ad *sess. 24. Concil. Trident. capit. 2. numer. 41. de reformation. matrimon.*

3 Quod ex eo colligitur, quia, Concilium Trident. dicta *sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.* corrigit ius antiquum, & ibi nominat personas, & casus, in quibus contrahitur talis spiritualis cognatio, & coarctat ad susceptionem de baptismo, nullam faciens mentionem de catechismo, & in fine concludit. Omnibus inter aliàs personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Vnde cum non sit recedendum à præcisis verbis concilii, quòad hoc, vt decernit Pius V. *in motu proprio sub 4. Kalen. Decemb. 1566.* non est admittenda amplius hæc cognatio spiritualis ex catechismo.

4 Imo secluso etiam Concilio Tridentino talis cognatio non habet amplius locum. Pro cuius intelligentia

est aduertendum, quod antiquitus catechimus fiebat ante baptiſmum, ita vt baptiſmus ſolum poſt aliquot dies ſuccederet catechiſmo, & diuerſus erat patrinus catechiſmi à patrino baptiſmi, vt colligitur ex *cap. In catechiſ. de conſecrat. Diſt.* 4. ibi, *In catechiſmo, & in baptiſmo, & in confirmatione vnus patrinis fieri poteſt, ſi neceſſitas cogat. Non eſt tamen conſuetudo Romana ſed per ſingulos ſinguli ſuſcipiant*. Ex quo colligitur, quod ad contrahendam cognationem ex catechiſmo, requirantur duę conditiones. Prima eſt, quod, catechiſmus præcedat baptiſmum, ita vt ſi ſubſequatur, illam non cauſet. Quod Romæ fuiſse concluſum per Abbreuiatores Apoſtolicos teſtatur Hieronim. Paul. *in practica Cancellar. Tit. ſumma. doctrin.* ver. *Baptizatus fuit.* quæ habetur poſt praxim benefic. Rebuf. vbi etiam teſtatur, fuiſſe datam declaratoriam ſub plumbo, quod non contrahatur ſpiritualis cognatio, & notant Armilla verbo. *Baptiſmo. numer.* 35. Vega. *cap. de baptiſ. caſu* 24. Et ratio eſt, quia non eſt inducenda conſanguinitas ſpiritualis, & impedimentum matrimonij, niſi exprimatur in iure, ex nullo autem tex. habetur, quod catechiſmus, quando fit poſt baptiſmum, & ſeparatim ab ipſo inducat talem cognationem.

5 Altera conditio, eſt, quod catechiſmus fiat ſeparatim à baptiſmo, quia ſit fiat ſimul cum ipſo, tanquam factus vnico contextu reputatur pro eodem actu; & cum ſit quid præambulum ad baptiſmum, habetur tanquam quid acceſſorium ipſius, & proinde non inducit diuerſam cognationem ab ea, quæ inducitur per baptiſmus, vt notant Abbas in *cap. dilectus. num* 10. *de capel. Monach.* Valer. *in different. vtriuſq. fori.* verbo. *Baptiſmus. differ.* 2. *num.* 3. Quod etiam conſtat ex Praxi Cancellar. nam in diſpenſationibus pro cognatione ſpirituali contracta ex baptiſmo, nulla fit mentio de cognatione ex catechiſmo, quæ tamen eſſet exprimenda, ſi contraheretur, vt notat Hieronim. Paul. citatus numer. præcedenti. Hoc ergo ſtante dubium remanet, an quando reiteratur baptiſmus, quia collatus priuatim dubius eſt, contrahatur cognatio ſpiritualis à Patrinis.

6 Difficultas autem habet locum, ex ſuppoſitione, quod præmiſſus baptiſmus ſit probabiliter validus, & ſecunda uice miniſtretur ſub conditione, nam ſi conſtet, fuiſse nullum, certum eſt contrahi in poſteriori baptiſmo ſpiritualem cognationem. Quando ergo prior baptiſmus eſt probabiliter validus, relinquitur in facultate ſuſcipientis decernere, an per ſecundum baptiſmum ſit inducta cognatio ſpiritualis. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſp.* 62. *num.* 7. Et ratio eſt, quia cum adſit opinio probabilis, quod prior baptiſmus ſit validus, ſecundum ipſam poſterior baptiſmus non conficietur; quia miniſtratur ſub conditione: vnde deficiet fundamentum ſpiritualis cognationis, & ideo ſi ſuſceptor ſequatur opinionem, quod prior baptiſmus fuerit validus, decernere poterit, quod ex ſecundo nulla ſit contracta ſpiritualis cognatio. E contra autem, ſi teneat priorem baptiſmum non fuiſſe validum, tenebit poſteriorem valere, atque adeo inducere cognationem ſpiritualem.

7 Verum licet hæc probabilia ſint, eſt tamen etiam probabile, quod abſolute in poſteriori baptiſmo nulla contrahatur cognatio ſpiritualis. Quod eſt conforme opinioni illorum, qui volunt, quod rebaptizans ſcienter ſub conditione tamen, non contrahit irregularitatem, vt tradunt Suarez *diſp.* 31. *de ſacram. ſect.* 6. *dub.* 5. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 65. *num.* 9. Auila. *de cenſur. par.* 7. *diſp.* 7. *dub.* 3. Bartholom. ab Angelis *in examin. confeſſar. dial.* 2. S. 129. Sylvius 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 9. *quæſito* 1. Cabrera *numer.* 17. & 19. Nugn. *concluſ.* 6. Tribar. *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 8. *diſp.* 24. *ſect.* 2. Valer. *in differen. vtriuſque. fori.* verbo *Irregularitas. differ.* 2. *num.* 1. Fernandez *par.* 2. *theol. moral. cap.* 19. S. 1. *numer.* 1. &

& alii apud ipsos Militat enim eadem ratio in hoc casu. Quia non est inducenda coguatio spiritualis, nisi sit expressa in iure. In tali autem casu non habetur expressa in iure; nam in iure ponitur tantum cognatio spiritualis ratione baptismi absolute, non autem ratione baptismi ministrati sub conditione, qui non est baptismus simpliciter, sed sub conditione.

8 Et ratio est, quia actus conditionatus non est simpliciter, & absolutè talis. Sic creditor conditionatus non est propriè creditor, vt communiter Doctores *in l. 1. ff. si cert. pet. vbi Dec. in 1. lect. num.* 29. Ripa *nu.* 101. *Curt. Iun. num.* 72. Ias. *in l. Qui Romæ §. Item duo fratres num.* 25. *ff. de verbor. obligat.* Et contractus conditionalis non est propriè contractus, vt notat Aretin. *consil.* 11. *num.* 2. Menoch. *consil.* 63. *numer.* 3. Quia nimirum conditio continet incertitudinem *l.* 1. *ff. de condit. & demonstr.* vbi Bart. & cœteri Doctores. Et proinde stante tali incertitudine actus sub conditione factus non est propriè, & absolute actus; atque adeo quando leges loquuntur de aliquo actu, non se extendunt ad conditionatum, præsertim quando restingendæ sunt.

De solemnitate Baptismi, seu cœremonijs in ordine ad eos, qui sunt in preiculo mortis.

An tempore pestilentiæ liceat ministrare batismum sine solemnitate, & extra Ecclesiam. Quæst. 98.

S V M M A.

1 *Omittere cæremonias Ecclesiasticas absque causa est peccatum mortale.*

2 *Cæremoniæ non sunt de necessitate sacramenti.*

3 *Affirmatiua sententia stabilitur.*

4 *Enodantur obiectiones. num.* 5.

1 OMittere absque causa cœremonias, quæ ab Ecclesia in ministratione baptismi solent adhiberi, certum est esse peccatum mortale, vt notant Suarez *de sacramen. disp.* 31. *sect.* 5. ver. *Tertium caput.* Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 2. *capit.* 8. *num.* 4. Auersa 3. *par. quæst.* 71. *sect* 1. ver. *Certum est autem.* Capeauil. *de administr. sacram. cap.* 1. *quæst.* 47. ver. *Dices secundo.* Reginal. *lib.* 26. *Praxis fori poenit. numer.* 58. Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 11. *numer.* 4. Filliuc. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 89. Valent. *tom.* 4. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punc.* 4. Bonac. *disp.* 2. *de sacram quæst.* 2. *punc.* 7. *num.* 18. Quia agitur de re graui, quæ pertinet ad religionem, & quæ magnopere, & cum summo zelo custoditur ab Ecclesia vniuersali, vnde D. August. *lib.* 19. *contra Faus. cap.* 11. inquit. *Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas*; tales autem sunt huiusmodi cœremoniæ, nam ipsis perficitur cultus diuinus, & mysterium sacramentorū. Imo si quis pluries tales cœremonias prætermitteret absque causa, esset suspectus de hæresi, quia significaret, se consentire in hæresim, quæ reiicit has cœremonias, & quam damnat Concilium Tridentium. *sess.* 7. *can.* 13. *de sacram. in genere.*

2 E contra autem huiusmodi cœremonias non esse de necessitate sacramenti certum omnino est. Vnde D. Clemens. *lib.* 7. *constit. Apost. cap.* 23. inquit. *Si non fuerit oleum, neque vnguentum Chrismatis, satis est aqua.* Sed etiam solum de necessitate præcepti, & proinde vrgente necessitate posse ommitti, vt communiter docent, & praxis confirmat, vt fit in baptismo priuato. Et ita specialiter notat Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 11. Suarez *disp.* 15. *de sacramen. sect.* 1. Bellarmin. *lib.* 2. *de sacram. cap.* 26. Reginal. *lib.* 26.

pra-

praxis fori penit. numer. 59. Nugnus 3. *par. quæst.* 65. *ar.* 4. Ledes. *par.* 1. *sum. cap.* 12. *de baptis. conclus. vlt.* Conich. 3. *par. quæst.* 66. *num.* 99. Bonac. *disp.* 1. *de sacram. quæst. vlt. punc. vn. num.* 2. Capeauil. *de administr. sacram. cap.* 12. *de baptis. quæst.* 14. Zambran. *in suis decis. cap.* 1. *de baptis. dub.* 17. *num.* 2. Auersa 3. *par. quæst.* 71. *sect.* 1. ver. Certum est. Difficultas autem modo est an pestilentia sit sufficiens causa baptizandi extra Ecclesiam priuato modo absque solemnitate, suplendo postea tempore congruo solemnitatem prætermissam.

3 Et affirmatiuè responden. est vt docet etiam Ludouic. à S. Io. *part.* 1. *sum. quæst.* 4. *de Baptis. arti.* 6. *dub.* 1. *difficul.* 3. *conclus.* 1. & 2. Quia licet prohibeatur baptismus extra Ecclesiam, vt in Clement. vn. de baptis. excipitur tamen casus necessitatis. ibi. Aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi. Vnde quotiescunque periculosum est deferre baptizandum ad Ecclesiam, cessat præceptum baptizandi in Ecclesia, & proinde potest in priuata domo baptizari. Tempore autem pestintiæ adest periculum in accessu ad Ecclesiam non solum pro ipso baptizando, sed etiam pro cœteris, quia in tali tempore omnis conuersatio periculosa est, & proinde solet prohiberi egressus è domo, & omnis conuentus personarum, nè tali occassione pestilentia magis serpat. Vnde Abbas *in cap. dilecti* 1 *De dolo, & contumac*, ait quod etiam habitare in loco infecto est tentare Deum.

4 Dices. tempore pestilentiæ etiam, qui se domi continent sunt in periculo, ergo parum refert ad vitandum periculum, quod non accedant ad Ecclesiam; quia siue accedant, siue non accedant, semper sunt in periculo. Resp. neg. consequentiam. Quia dum se domi continent sunt tantum in periculo communi eorum, qui morantur in loco infecto, at accessus ad Ecclesiam continet nouum periculum, quia fieri potest, quod ex illo concursa personarum aliquis sit infectus, & inficat alios, & proinde ob vitandum huiusmodi periculum licebit priuatim baptizare.

5 Dies 2. Posse differri baptismum, si infans sit sanus quousque pestilentia cesset. Resp. Non posse, licitè differri, quia quamuis infans appareat, aut etiam sit sanus, potest ex improuiso infici, & mori, vnde cum tempus sit periculosum respectu vniuscuiusque non potest relinqui sine remedio necessario salutis.

An sint supplendæ cæremoniæ, & solemnitates prætermissæ, quando quis in periculo mortis baptizatur priuatim. Quæst. 99.

S V M M A.

1 *Esse supplendas certum est.*
2 *Obligatio suplendi non obligat sub mortali*
3 *Obligatio suplendi obligat sub mortali. probatur. num. 4.*
5 *Cur ex natura rei sit obligatio supplendi.*
6 *Confirmatur. num. 7.*

1 ESse supplendas tradunt communiter Richar. *in* 4. *dist.* 6. *ar.* 6. *quæst.* 1. Viual. *in Candelab. tit. de baptis. cap. vlt. num.* 18. Victoria *de sacram. tit. de baptis. num.* 38. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 10. Bonac. *disp.* 2. *de sacram quæst.* 2. *punc.* 7. *num.* 21. Coninch *de sacram. quæst.* 66. *ar.* 9. *num.* 99. & alii infracitandi, desumiturque ex *cap. Hanc. regulam* & *cap. spiritus sanctus.* §. *Ecce* 1. *quæst.* 1. & *capit. cum ve-*

venissent init. de sacra unctione & *cap. 1. & cap. presbiter. de sacramen. non iteran.* ex quibus locis habetur, quod debent suppleri cæremoniæ, quæ in administratione sacramentorum omissæ sunt; & constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ tales cæremonias supplet.

2 Hoc autem stante difficultas est, an talis obligatio obliget sub peccato mortali, an tantum sub veniali. In *decis. moralib. decis.* 431. retuli sententiam Posseuini de officio Curati *cap.* 6. *num.* 31. asserentis secluso contemptu non esse peccatum mortale non supplere; secus autem si ex contemptu non suppleantur, quia nimirum non sunt necessariæ,

3 At adesse obligationem sub peccato mortali ad eas supplendas tradunt Sotus *in 4. dist. 6. quæst. 2. ar. 3. ad 3.* Viguer. *cap. 16. Instit. theolog.* §. 1. *ver. 6. in fine.* Zambran. *in suis decis. cap. 1. de baptis. dubi.* 17. Auersa 3. *part. quæst.* 71. *sect.* 1. *ver. Certum est autem.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract.* 19. *disp. unica puncl.* 12. *num.* 21. Et hæc sententia tanquam certa tenenda est.

4 Ratio autem est, quia in iure canonico, vt habetur ex textib. *num.* 1. allaris, præcipitur, quod suppleantur cæremoniæ, & solemnitates, quæ in ministratione sacramentorum imprimentium characterem fuerunt omissæ, quando aliàs sacramenta fuerunt valida. Hoc autem indicat obligationem grauem, quia cum cæremoniæ istæ non sint necessariæ ad valorem sacramenti, non essent repetendæ quando aut ex necessitate, aut ex negligentia essent omissæ, nisi essent aliquid graue; vnde cum Ecclesia præcipiat repetendas tanquam aliquid graue, erit mortale non supplere. Quod etiam confir. ex praxi, quæ optimè interpretatur obligationes omnes, vt notant Bald. *in cap. 1. de feud. sine culp. non amitten.* Natta *consil.* 167. *num.* 7. Rolan. *consil.* 2. *num.* 7. *vol.* 2. Imo etiam constituit ius *l. De quibus ff. de legib.* & *l. Nullis ff. quod cuius. vniuers. &c.* & *l. Obseruare.* §. 5. *ff. de offic. proconsul.* omnes namque fideles censent adesse obligationem grauem supplendi dictas cœremonias, & proinde nullus prætermittit, nec superiores permittunt, quod prætermittantur, quod certè non contingeret, si obligatio afficeret tantum sub veniali.

5 Ex natura autem rei necessarium est supplere has cœremonias, quia in baptismo suscipitur fides Christi, & baptizatus fit membrum viuum Christi, & incorporatur Ecclesiæ, & licet hæc quoad substantiam habeantur per ipsum sacramentum baptismi, quatenus validum est; non tamen habetur publica in corporatio in Ecclesiam, atque adeo nec acceptatio in corpus mysticum Christi, nec publica professio fidei facta coram Ecclesia, qualis debet in baptismo interuenire, vt desumitur ex D. Dionys. *cap. 2. de Ecclesiast. hierar.* Clemen. Roman. *lib. 7. constit. cap.* 41. Cyprian. *lib. 1. Epist.* 6. Ambros. *lib. 1. de sacram. cap. vlt.* Vnde omittere has cœremonias, esset omittere publicam incorporationem in Ecclesiam, & publicam professionem fidei, quæ in dictis cœremoniis, & solemnitatibus continentur, quod est quid valde graue, cum importet publicam professionem religionis.

6 Confir. Inter baptizatum, & Ecclesiam interuenit quasi quidam contractus, quo mediante baptizatus se obligat Ecclesiæ in ordine ad professionem religionis christianæ, cuius obligationes suscipit, & se tradit ipsi tanquam subditum. Et e contra Ecclesiæ se illi obligat ad ipsi ministranda media necessaria in ordine ad salutem, & dat ipsi ius ad exigenda sacramenta; ergo debet talis quasi contractus celebrari cum forma præscripta ab Ecclesia, ita vt sit publicus, qualis ex natura sua debet esse, ergo omittere solemnitatem, qua talis quasi contractus fit publicus erit peccatum mortale, quia licet subsistat baptismus quoad substantiam; non subsistit tamen formaliter substantia talis quasi contractus, sed ad summum radi-

dicaliter, cum non interueniat tanquam acceptans nomine Ecclesiæ, qui intra ipsam habet iurisdictionem, vnde prætermitteretur declaratio subiectionis respectu Ecclesiæ, & debiti obsequii in re graui.

7 Confir. 2. Sine baptismo nemo est capax sacramentorum Ecclesiæ, & consequenter Ecclesia non potest ea ministrare, nisi iis, quos per baptismum recepit in suos, & sibi incorporauit. ergo vt possit ministrare sacramẽta, debet prius recognoscere baptizatos tanquam sibi incorporatos, aliàs imprudenter administraret, si ministraret iis, quos non agnosceret sibi incorporatos; hoc autẽ fit mediante solemnitate baptismi, quando baptismus priuato modo fuit ministratus, quia tunc in facie Ecclesiæ non constat de incorporatione per baptismũ, neq. præcessit actus acceptationis. ergo qui prætermittit solemnitatem baptismi, prætermittit incorporationem, quæ fiat in facie Ecclesiæ, atque adeo non se reddit capacem in facie Ecclesiæ sacramentorum, quod est quid valde graue in ordine ad professionem, & exercitium Christianæ religionis.

An quando supplentur solemnitates baptismi post priuatum baptismum, sint etiam adhibendi exorcismi. Quæst. 100.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua Comitoli.*
2 *Affirmatiua sententia. num. 3.*
3 *Exorcismus ad quid ordinetur.*
4 *Solutio argumenti oppositi.*
4 *Declaratur D. Augustinus.*

1 NOn esse adhibendos exorcismos, quando præcessit baptismus priuatus, & postea supplentur solemnitates in Ecclesia tradit Comitolus *lib. 1. Respon. mor. quæst. 12.* addens sacrilegum fore, & maximum irrogatum iri iniuriam sacramento, si adhibentur ad profligandum dæmonem. Cuius fundamentum videtur esse, quia exorcismi adhibentur ad expellendum dæmonem, aut obsidentem, aut inhabitantem per peccatum, neutro autem modo possunt adhiberi, quia nec baptizatus obsidetur, nec inhabitat per peccatum, cum sacramentum præcedens deleuerit omne peccatum. Vnde D. August. *lib. 1. de peccatorum meritis cap. 34.* ait, loquens de paruulo, qui baptizatur. *Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?*

2 At esse adibendos tradunt Richar. *in 4. dist. 6. arti. 6. quæst. 1.* Viual. *in candel. tit. de Baptis. cap. vlt. num. 18.* Victor. *in sum. de sacram tit. de Baptis. num. 38.* Laiman *lib. 5. theol. mor. tra. 2. cap. 8. num. 10.* Sà verbo *Baptismus num. 5.* Bonac *disp. 2. de sacram. quæst. 2. punc. 7. nu. 21.* Coninch *de sacram. quæst. 66. ar. 9. num. 99.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 19. disp. vn. punc. 12. num. 21.* Auersa *3. par. quæst. 71. sect. 1. ver. Certum est autem.* Et habetur ex Rituali Romano, vbi præscribitur, quod adhibeantur.

3 Et hæc sententia absolutè tenenda est, & prorsus reiicienda tanquam falsa opinio Comitoli. Et ratio est, quia exorcismus ex genere suo est ordinatus ad expellendum dæmonem, vnde tot titulis expelli potest, quot homines inuadere potest. Potest autem inuadere non solum obsidendo, vt contingit in obsessis, seu arreptitiis, & inhabitando per peccatum, ita vt titulo peccati retineat dominium supra hominem, sed etiam aggrediendo per tentationes, & insidias mediis concupiscentiis insurgentibus contra rationem quarum diabolus dicitur regnare in homine vnde D. August. *quæst. 79. & 83. Satanas etiam si corpori, aut corporis sensibus parcit, ideo parcit, vt ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho maio-*

maiori dominetur. Hoc autem modo non exit Satanas, sed potius in intima ingreditur, vt in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus secundum principem potestatis mundi huius, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Non enim sensus corporis eorum turbabat, aut eorum corpora collidebat, sed in eorum voluntate, seu potius cupiditate regnabat. Quando ergo quis iustificatur per baptismum, quia non extinguitur fomes, atque adeo remanent rebelles cupiditates, in quibus Satanas in poenam peccati originalis degat, licet expellatur dæmon quòad in habitationem per peccatum; non tamen expellitur, quòad dominium tentandi, & insidiandi mediantibus cupiditatibus. Exorcismi ergo adhibiti post baptismum ordinantur ad expellendum dæmonem vt insidiatorem, & dominantem in prauis cupiditatibus.

4 Hinc solutum manet argumentum pro opposita sententia, nam exorcismi non solum ordinantur ad expellendum dæmonem obsidentem, aut inhabitantem per peccatum, sed etiam aggredientem per insidias. Quando autem D. August. *lib. 1. capit. 34. de peccator. merit. & remis.* inquit. *Quid in illo (paruulo) agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?* arguit contra Pelagianos, qui non admittebant peccatum originale in paruulis, & probat esse admittendum ex sensu Ecclesiæ, quæ cum adhibeat exorcismos in baptismo, necesse est, quod paruulus, qui baptizatur, pertineat ad familiam diaboli, aliàs ipse non expelleretur per exorcismos. Quamuis autem paruulus iam baptizatus non amplius pertineat, non est tamen totaliter subtractus à potestate diaboli, quia in poenam peccati remanet subiectus insidijs ipsius.

De sacramento Confirmationis quòad constitutos in periculo, aut articulo mortis.

An adultis constitutis in periculo mortis ministrari possit sacramentum confirmationis. Quæst. 100.

S V M M A.

1 *Susceptio sacramenti confirmationis non est de præcepto.*
1 *Præceptum non inducendum, nisi de ipso constet.*
2 *Confirmatio necessaria pro pugnaturis contra hostes fidei.*
3 *Confirmationis sacramentum ministrandum etiam constitutis in articulo mortis.*
4 *Lex ieiunij pro ministro confirmationis quando vrgebat, fuit dispensata, quando ministrandum erat sacramentum morituris.*
5 *Sacramentum confirmationis dat morituris perfectionem spiritualis ætatis.*
6 *An constituti in periculo mortis, teneantur suscipere sacramentum confirmationis.*
7 *Quomodo Confirmatio respiciat pugnam pro fide.*

1 Supponendum est. Non adesse aliquod præceptum suscipiendi sacramentum confirmationis, & proinde non peccare mortaliter, qui illud non suscipit secluso contemptu. Ita D. Th. *3. par. quæst. 72. ar. 8. ad 4.* Syluius *ibid. quæsito vn.* Mercer. *propos. 2.* Nugnus *dubi. 2. conclus. 2. & 3.* Coninch *dub. vn. num. 88.* Sotus *in 4. dist. 7. quæst. vn. ar. 8.* Adrian. *in quæst. de confir. ar. 1. §. Et si argumenta.* Nauar. *cap. 22. Manual. numer. 9.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 1. num. 6.* Suarez *disp. 38. de sacramen. sect. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 5. quæst. 2. punc. 3.* Rodriquez *part. 1. sum. capit. 60.* Ledesma *par. 1. sum. cap. 8. de confir. conclus. 2.* Victoria *in sum. de sacram. tit. de confir. num. 47.* Couaruu. *lib. 1. Variar. Resol. cap. 10. num. 5.* Zambran. *in suis decis. cap. 2. de confir. dub. 4. numer. 1.*

Laiman *lib* 5. *theol. moral. tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 21. Estius *in* 4. *dist.* 7. §. 18. Fernandez de Hered. *de sacramen. par.* 2. *de confir. dub.* 1. *num.* 6. Bonac. *disp.* 3. *de sacram. quæst. vn. punc.* 2. *num.* 1. Vasquez 3. *par. quæst.* 90. *art* 3. *dub.* 4. Gaspar Hurtad. *de sacramen. difficul.* 11. *de confir.* ver. *Sotus verò* Isambert. 3. *par. quæst.* 7. *disp.* 72. *ar.* 1. *propos. vlt.* Granad. *contrauer.* 3. *tract.* 2. *disp.* 1. *num.* 4. Præposit. *art.* 8. Auersa *sect.* 6. ver. *Communis tamen.* Ochagauia *de sacram. quæst.* 12. *de confir. n.* 3. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 20. *disp. vn. punc.* 8. *numer.* 5. Conich. *de sacram. quæst.* 72. *art.* 8. *num.* 83. Angles *in florib. quæst. de confir. art.* 4. *conclus.* 4. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib.* 1. *tract.* 2. *de confir. num.* 12. Ratio autem est, quia non est inducenda obligatiò præcepti, nisi de illa constet, non constat autem, adesse aliquod præceptum, siue diuinum, siue Ecclesiasticum de suscipienda confirmatione. Imo id etiam constat ex Praxi Ecclesiæ, quæ nec determinauit tempus, in quo susciperetur, sicut determinauit in aliis sacramentis, nec cogit ad suscipiendum, nec etiam in tempore mortis inuestigat, an moribundus susceperit. Hoc autem supposito, dubitatur, an adultis constitutis in periculo mortis, possit ministrari sacramentum confirmationis.

2 Videtur negatiuè respondendum. Quia morituri non indigent effectu huius sacramenti, quia cum non sint pugnaturi pro fide, nec etiam debent roborari per hoc sacramentum. Vnde Melchiades. Papa *Epist. ad Episcop. Hispan.* relatus in cap. *Spiritus Sanctus. de consecrat. dist.* 5. habet. *Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum, est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et quamuis continuo transituris sufficient regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat, mox in pace beati sæculi recipiendos. Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem.*

3 Attamen tenendum est, posse ministrari sacramentum confirmationis etiã constitutis in periculo, aut articulo mortis. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 72. *ar.* 8. *ad* 4. Coninch. *ibid. nu.* 83. Mercer. *propos.* 1. *num.* 3. Alens. *par.* 4. *quæst.* 28. *mem.* 2. *ar.* 1. D. Bonau. *in* 4. *dist.* 7. *ar.* 3. *quæst.* 1. Suarez *disp.* 35. *de sacramen. sect.* 2. *in fine*. Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. *quæstio* 3. Zambran. *in suis decis. capit.* 2. *de confir. dub.* 5. *numer.* 4. Adrian *in* 4. *quæstio. de confir. art.* 1. Io. Sanchez *in select. de sacramen. disp.* 40. *numer.* 4. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 30. Palaus *par.* 4. *moral. tract.* 20 *disp. vn. punc.* 7. *num.* 10. Vgo Victorin. *lib.* 2. *de sacram. part.* 7. *capit.* 3. Quintanaduen. *in singular. de sacram. tract.* 2. *de confir. singul.* 2. *num.* 3. Viguer. *cap.* 16. *instit. theol.* §. 2. *ver.* 5. Tabiena *verbo.* Confirmatio *sacram. numer.* 7. Dicastil. *de sacram. tract.* 3. *de confir. disp. vn. dub.* 9. *numer.* 93.

4 Hoc autem desumitur ex capit. *Vt Episcopi. de consecrat. dist.* 5. vbi statuitur, quod Episcopi ministrent sacramentum confirmationis ieiuni. Dispesantur tamen *ibid.* in hac lege, quando ministrandum est infirmis, aut morte periclitantibus. *Vt Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manuum spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis, & morte periclitantibus.* Si ergo concilium putat, legem de ieiunio esse relaxandam, vt possint Episcopi morituris hoc sacramentum ministrare, iam agnoscit etiam aliquam necessitatem, ob quam lex cessare debeat, vt tale sacramentum possit ministrari.

5 Ratio autem est, quia licet hoc sacramentum non sit necessarium pro salu-

salute consequenda, nec ad roborandos morituros contra hostes fidei, est tamen necessarium ad conferendam perfectionem ætatis spiritualis, vt docet D. Th. *3. part. quæst. 72. art. 8. in corpore*. quia sicut per baptismum anima spiritualiter nascitur, ita per confirmationem recipit perfectionem spiritualis ætatis, vnde priuata hoc sacramento patitur detrimentum spiritualis perfectionis, & priuatur illa gratia, quam conferret sacramentum, atque adeo etiam gloria correspondente, & ornamento spiritualis characteris.

6. An autem constituti in periculo mortis teneantur suscipere sub mortali sacramentum confirmationis affirmat Adrian. *in 4. quæstion. de confir. art. 1.* restringit tamen, quando adest consuetudo obligans ad suscipiendam confirmationem. Sed non extare talem consuetudinem, & proinde, neque constitutos in periculo mortis, obligari, asserit Zambran. *in suis decis. cap. 2. de confir. dub. 5, num. 4.* quod omnino est tenendum. Imo etiamsi adesset consuetudo, in illo casu non obligaret, quia vt plurimum non potest haberi commoditas suscipiendi tale sacramentum, & proinde consuetudo non se extenderet ad constitutos in periculo mortis, sed solum ad eos, qui possent accedere ad tale sacramentum suscipiendum, quando ministratur.

7 Neque obstat, quod in oppositum *num. 2.* allatum est, nam sequeretur, quod inter fideles, vbi nulla est occasio pugnandi pro fide, non deberet ministrari confirmatio, si aliquid inde probaretur. Licet ergo confirmatio detur ad roborandum in fide contra hostes, non tamen requirit, quod fit contra ipsos pugnandum, quia per se tendit ad spirituale robur, quatenus dicit quamdam spiritualem perfectionem animæ, quæ perfectio est ipsi conueniens, & debita, vt sit in suo statu perfecta, & per accidens se habet, quod istud robur sit exercendum, vel non exercendum contra hostes. Neque ex Melchiade Papa aliud colligitur, nisi quod hoc sacramentum est necessarium victuris, ob futuras occasiones pugnæ, non autem dicit, quod non debeat ministrari morituris. Sed solum quod si moriantur conseruata innocentia accepta per baptismum, confirmantur morte confirmatione tamen inpropria, quatenus non possunt amplius peccare.

An pueris morituris ministrari possit sacramentum confirmationis, etiam si non habeant vsum rationis. Quæst. 101.

S V M M A.

1 *Antiquitus infantes statim post baptismum confirmabantur.*

1 *Sacramentum confirmationis ex sola conuenientia, non autem ex præcepto non ministratur infantibus.*

2 *Consuetudo non ministrandi Confirmationem infantibus, non obstat, quin possit ministrari iisdem morituris.*

2 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum.*

3 *Infantibus morituris potest ministrari sacramentum confirmationis.*

4 *Confirmatio tribuit incrementum vitæ spiritualis, quo non debent carere morituri.*

5 *An & quando confirmandus debeat esse instructus in fide.*

---

1 SVpponendum est, antiquitus solitum fuisse infantibus statim post baptismum ministrari sacramentum confirmationis, vt desumitur ex Tertul. *de baptis. cap. 7. & 8.* Rabano *lib. 1. Instit. Cler. cap. 30.* Alcuinio *de Ecclesias. Offic. capit. de sabbato sancto.* D. August. *lib. de Ecclesias. dogmat. cap. 52.* & ex libro, cui titulus *Ordo Romanus.* Tit. *de Sabbato sancto* & tradit Vicecomes *de antiquis baptis. ritib. lib. 5. cap. 30.* vt desumitur etiam ex cap. 1. & cap. *de his vero*. De con-

secrat.

ferat dist. 5. Vnde constat non esse contra naturam huius sacramenti, quod ministretur infantibus, neque adesse aliquod præceptum diuinum, siue Ecclesiasticum de non ministrando. Quod autem modo non soleat apud plures Ecclesias ministrari, non prouenit, quia de hoc sit aliquod præceptum, sed quia magis censetur expedire, quod non ministretur ante vsum rationis, vt habetur ex Catechismo Romano *sub Pio V. par.* 2. *cap.* 3. *nume.* 14. ibi. *Illud etiam obseruandum est, omnibus quidem post baptismum confirmationis saramentum posse administrari: sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis vsum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, vsque ad septimum certè hoc sacramentum differre maximè conuenit.*

2 An autem, vbi non est consuetudo administrandi hoc sacramentum pueris ante vsum rationis possit administrari, si sint in periculo mortis, partem negatiuam videtur tenere Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *quæstio.* 2. *punc.* 2. ver. *Item ex eodem fundamento.* quatenus absolutè docet, non esse confirmandos infantes ante vsum rationis. Verum etiam si adsit consuetudo, non per hoc sequitur, quod neque in periculo mortis possit licitè ministrari. Tum quia talis consuetudo non esset consuetudo obligans, sed consuetudo conuenientiæ, vt desumitur ex Catechismo Romano *num. præced.* allato. Tum quia, etiam si esset consuetudo obligans, non se extenderet ad constitutos in periculo mortis, quia consuetudo non extenditur de casu ad casum, vt notant Curt. iun. *consil.* 171. *númer.* 10. ver. *Sed tunc subintrat.* Socin. iun. *consil.* 101. *num.* 13. *lib.* 2. Paris *consil.* 25. *num.* 26. & *consil.* 27. *num.* 47. *lib.* 1. Natta *consil.* 46. *num.* 2. Surd. *decis.* 87. *num.* 2. Et ideo consuetudo non ministrandi confirmationem ante vsum rationis in casu sanitatis, non deberet extendi ad casum periculi mortis.

3 Itaque tenendum est, posse pueris constitutis in periculo mortis ministrari sacramentum confirmationis, etiam si non habeant vsum rationis. Ita D. Th. 3. *par. quæstion.* 72. *ar.* 8. *ad* 4. Nugn. *ibid.* ver. *Contra istam conclus. in fine.* Alens. *par.* 4. *quæst.* 28. *mem.* 2. *ar.* 1. D. Bonauen. *in* 4. *dist.* 7. *art.* 3. *quæst.* 1. Viguer. *cap.* 16. *Instit. theolog.* §. 2. *ver.* 5. Laiman. *lib.* 5. *theolog. moral. tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Zambran. *in suis decis. capit.* 2. *de sacram. confir. dub.* 5. *num.* 4. Granad. 3. *par. controuer.* 5. *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 10. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 20. *disp. vn. punc.* 7. *num.* 10. *verbo.* Confirmatio *nu.* 5. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 7. *de sacram. confir.* ver. *Neq. hinc inferas* Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 2. *num.* 37.

4 Ratio autem est. Quia hoc sacramentum est ordinatum ad perficiendam animam speciali modo, quia, vt ait D. Th. *num. præced. cit.* sicut baptismus tribuit animæ vitam spiritualem; ita cofirmatio tribuit incrementum in hac vita spirituali, & speciale robur, ex quo fit, quod fortis fiat in sui conseruatione contra hostes fidei, dum persequutionibus infestatur, vt negata fide pereat etiam vita spiritualis. Et ideo est sacramentum necessarium pro acquirenda huiusmodi perfectione vitæ spiritualis, & proinde non est conueniens, si fieri possit, quod morituri careant huiusmodi spirituali perfectione, cum sit complementum vitæ spiritualis, vt anima, quæ immortalis est, obtineat suam completam perfectionem.

5 Dices confirmandus debet esse instructus in fide, vt habetur ex Pontificali Romano *edito iussu Clemen. VIII. Tit. de confirmat.* ibi. *Nullus christianæ fidei documentis non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum confirmationis, vel ad tenendum confirmandum.* Resp. Pontificale ibi loqui de adultis confirmandis, vt constat ex verbo, *Ingerat se*, quod denotat ex propria deliberatione accedere ad hoc sacramentum suscipiendum, & hos vult non esse confirmandos, nisi sint instructi in fide,

de, quia cum possint instrui, est conueniens, quod præcedat instructio fidei, pro qua propugnanda accipiunt robur in hoc sacramento. Et ob hanc causam idem statuitur etiam *in decretis pro Ecclesia Mediolanensi lib. 3. tit. 27. cap. 31.* Alias si opus esset absolutè præcedere instructionem, non adhiberetur Patrinus, quia adhibetur, vt instruat confirmandum, quando indiget instrui.

An damnatis ad mortem sit ministrandum sacramentum Confirmationis. Quæst. 102.

S V M M A.

1 *Damnatis ad mortem conuenit ministrari sacramentum confirmationis.*

2 *Sacramentum confirmationis facit perfectum christianum.*

2 *Plenitudo sanctitatis, & virtutis confertur in confirmatione.*

3 *Confirmatio dat robur contra aggressiones dæmonis.*

4 *An sacramentum confirmationis possit ministrari extra Ecclesiam.*

4 *An si esset ministrandum solum in Ecclesia possit ministrari damnatis ad mortem.*

1 Qvamuis non adsit obligatio ministrandi damnatis ad mortem sacramentum confirmationis, vt pote quia non est sacramentum necessitatis, est tamen valde conueniens, quod ministretur. Ita in specie tradunt Vivald. *in Candelab. tit. de extrem unc. num.* 41. testans, se vidisse hoc practicari à quodam Episcopo, Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 40. *num.*4. Quintanaduen. *in singul. de sacram. confir. singul.* 2. *num.*2. testans de praxi obseruata in hoc à Cenetiensi Episcopo. Et idem sentent ii, qui indifferenter volunt morituris esse ministrandum hoc sacramentum, quos retuli *quæst.* 100. *num.* 3. quibus addendi sunt Filliuc. *tract.* 3. *capit.* 2. *num.* 29. Gaspar Hurtad. *de sacramen. confir. difficul.* 10. Præpos. 3. *par. quæst.* 72. *ar.* 8. *numer.* 38. ver. *Deduco tertio.* Bauny *de sacram. tract.* 3. *de confirmat. quæst.* 12. ver. *Dico secundo.*

2 Ratio autem est, quia non debent priuari perfectione spiritualis vitæ, & illo speciali robore spirituali, quod tribuit hoc sacramentum, vt dictum est in superioribus. Et quia hoc sacramentum facit perfectum christianum, vt ait Clemens Papa *Epist. ad Iuliam.* ibi. *Nisi confirmatus perfectus esse christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos.* & cap. *omnes de consecrat. dist.* 5. Vrbanus Papa habet. *Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni christiani inueniantur; quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur.* Imo non futuros christianos, habetur ex cap. *Vt ieiuni. Eadem dist.* quia qui non est confirmatus censetur non esse firmus in professione fidei. Ita enim habet. *Quia nunquam erit christianus, nisi confirmatione Episcopali erit Chrismatus.* Quia nimirum in confirmatione plenitudo quædã sanctitatis, & virtutis communicatur, vt habetur ex cap. *Nouissimè eadem dist.* nam de vnctione chrismatis, quæ fit in confirmatione dicitur. *In secunda quoque vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientia, & virtutis venire in hominem declaretur.* Vnde nemo priuandus est his perfectionibus, cum habeat ius ad ipsas recipiendas.

3 Confir. Licet non habeant pugnare contra hostes fidei, habent tamen pugnare contra inuisibiles hostes non solum fidei, sed etiam humani generis, nempe dæmones, & tunc maxime vrgent tentationes, quãdo quis est moriturus, præsertim ex iudicis sententia; vnde tunc præcipuè opus est robore, & virtute. Sacramentum autem confirmationis dat robur etiam pro superandis

randis insidijs, & tentationibus dæmonis, vt habetur ex catechismo Rom. *Pii V. par. 2. cap. 3. num. 19.* ibi. *Chrismatis sacramento fideles aduersus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus robustiores fiunt, & eorum animus in fide omnino confirmatur.* Vnde etiam D. Cyprian. *serm. de vnct. Chrism.* habet. *Huius vnctionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus diuinitus datur; consilium, & fortitudo coelitus illabitur; & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur.*

4 Dices Sacramentum confirmationis debet sub graui culpa ministrari in Ecclesia, vt docent Nugns. *3. part. quæst. 72. arti. 12. ver. Secundus ritus.* Granad. *controuer. 5. tract. 2. disp. 2. num. 3.* & alij, ergo non poterit ministrari damnatis ad mortem, præsertim quia deberet ministrari in carcere, qui est locus indecens. Resp. non adesse præceptum ministrandi hoc sacramentum in Ecclesia, & proinde posse in alio loco ministrari præsertim ex causa, vt docent Palud. *in 4. dist. 4. quæst. 3.* Sà *verbo.* Confirmatio. *num. 1.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 6. num. 7. in fine.* Suarez *disp. 37. de sacram. sect. 2. num. 2.* Bonac. *disp. 3. de sacramen. quæst. vn. punc. 2. numer* 14. Barbosa *part. 2. de potest. Episcopi allegat. 30. num. 13.* Castro Palaus *par. 4. oper. mor. tract. 20. disp. vn. punc. 10. numer. 6.* Ragucius *in Lucerna Paroch. de sacram. confir. quæsito 37. num. 1.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 40. num. 4. ver. Quod si Episcopus adire.* Gaspar Hurtad. *de sacramen. confir. difficul. 14. ver. Sexto confirmatio.* Filliuc. *tract. 3. capit. 3. num. 62.* Leander *tom. 1. de sacramen. tract. 3. quæst. 13.* Quintanaduen. *in singul. de sacram. tract. 3. de confir. sing. 2. num. 4.* Coninch. *de sacram. quæst. 72. ar. 7. num. 75.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 2. de confir. num. 8.* Quia non adest aliquod præceptum, quod solum in Ecclesia ministretur, sed præscribitur Ecclesia tanquam locus magis decens. Si tamen concurrat aliqua rationabilis causa, erit decens, quod extra ipsam quoque ministretur. Imo quicunque locus erit decens, quando alibi non poterit ministrari. Et sicut damnatis ad mortem ministratur Eucharistia, in illo eodem loco poterit cum decentia ministrari confirmatio. Adde quod ineap. *Vt Episcopi. De consecrat. dist. 4.* dispensatur, vt possint Episcopi non ieiuni ministrare hoc sacramentum, quando agitur de ministrando morte periclitantibus, nè illo priuentur. Vnde ob eadem causam, si adesset præceptum de ministrando in Ecclesia, cessaret, nè morte damnati, & morituri priuarentur tali sacramento.

An amentibus possit ministrari sacramentum Confirmationis si sint in periculo mortis. Quæst. 103.

S V M M A.

1 *Amentibus an ministrandum sacramentum confirmationis. & num. 3.*

2 *Quid si post vsum rationis incidant in amentiam.*

4 *Amentes ab infantia sunt capaces sacramenti confirmationis.*

4 *Finis sacramentorum, & confirmationis.*

5 *Quando amentibus post vsum rationis ministranda confirmatio.*

5 *Confirmatio est connexa cum baptismo, & qui vult baptismum, censetur velle Confirmationẽ.*

6 *Consuetudo non confirmandi amentes an obliget.*

6 *An eadem ratio de consuetudine non ministrandi Eucharistiam amentibus.*

7 *An in perpetuo amentibus cesset finis Confirmationis.*

---

1 AMentes, si sint tales perpetuò, non esse confirmandos, siue sint in periculo mortis, siue ex-

extra ipsum, docent Sotus. *in 4. dist. 7. quæst. 1n. ar. 8.* Marsilius *quæst. 5. art. 4.* Marat. *tom. 3. sum. disp. 7. de confir.* ver. *Quinta assertio.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 5. quæst. 2. punc. 2.* Sà *verbo.* Comfirmatio *num. 5.* Chamerota *de sacram. tract. 3. cap. 6. dub. 3.* Ledesma *part. 1. sum. capit. 7. de confirma. in fine.* & alij. Quorum fundamentum est, quia cessat in perpetuò amentibus causa finalis confimationis, quæ est roborare ad pugnandum contra hostes fidei,cessante autem causa finali cessat etiam effectus.

2 Alij verò docent, non esse sacramentum confirmationis ministrandum ijs, qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, nisi habeant lucida interualla. Ita Brunius *de sacram. coact. 3. de confir. quæst. 12.* ver. *Dico quarto.* Et fundamentum est, quia sacramenta non sunt ministranda inuitis, aut inparatis. Quando autem quis post vsum rationis incidit in amentiam, non constat, quod habeat desiderium huius sacramenti, nec quod sit paratus per debitum dolorem de peccatis, & ideo non poterit ipsi hoc sacramentum ministrari.

3 Tenendum tamen est, quod perpetuò amentes, siue sint tales à natiuitate, siue post vsum rationis, sint confirmandi. Ita docent Suarez *de sacramen. disp. 35. sect. 2.* ver. *Dicendum.* Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 3. capit. 5. quæsito 2.* Pitignan. *in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 8.* Nugnus *3. par. quæst. 72. art. 8. conclus. 7.* Syluius *ibid.* Coninch. *numer. 83.* Præposit. *num. 37.* ver. *Deduco secundo.* Zambran. *in suis decis. cap. 2. de sacram. confir. dub. 5. num. 3.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 6. difficul. 6. num. 2.* Bartholom. ab Angelo *in Exam. confessar. Dialogo 3. de sacram. confir.* §. 58. Palaus *part. 4. oper. mor. tract. 20. disp. vn. punc. 7. num. 8.* Barbos. *de potest. Episcopi par. 2. allegat. 30. numer. 21.* Diana *part. 3. tract. 4. Resol. 20.* Mercer. *de sacram. quæst. 72. art. 8. propos. 1. num. 2.* Auersa *3. part. quæst. 72. sect. 6.* ver. *Quartò necesse.* Genuens. *in Manuali Pastor. cap. 54. num. 4.* Coninch. *de sacram. quæst. 72. ar. 8. num. 83.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 4. dub. 2. num. 39.* Didacus de Narbona. *de ætate anno septimo. quæst. 4. num. 12.*

4 Ratio autem est, quia si perpetuò amentes sint tales ante vsum rationis, non habent aliquid, quod obstet susceptioni huius sacramenti, & aliàs sunt capaces sicut fuerunt baptismi, quia adhuc censentur esse voluntates ipsorum in voluntatibus parentum, cum nunquam proprij arbitrij compotes fuerint. Vnde non debent priuari fructu huius sacramenti, & illa perfectione spiritualis ætatis, quam tribuit. Finis namque sacramentorum est perfectio spiritualis hominis, propter quam instituta sunt à Christo, & ideo debet Ecclesia imitari Deum, qui omnia producit ad perfectionem, nam Dei perfecta sunt opera, & se conformare intentioni Christi perficiendo homines, quantum fieri potest per sacramenta, præsertim quando agitur de statu perfecto vitæ spiritualis. Et militat specialis ratio in confimatione, quia in hac accipit homo characterem perfecti christiani, cum quo conueniens est decedere, ex hac vita insignitum.

5 Si verò inciderunt in amentiam post vsum rationis, adhuc tale sacramentum ministrari debet, nisi constet fuisse in statu peccati mortalis. Nam cum sacramentum confirmationis sit cōnexum cum sacramento baptismi, & ordinetur ad perficiendum, quod est inchoatum in baptismo, & solum morte superueniente separari possint, vt habet Melchiades Papa Cap. *De his vero.* De *consecrat. dist. 5.* eo ipso quod quis suscipit baptismum, intendit etiam virtualiter suscipere confirmationem, aut si infans baptizatus est, eò ipso, quod perueniens ad vsum rationis ratum habet baptismum, censetur velle etiam, quæ cum baptismo connexa sunt, & pertinent ad complementum perfecti christiani. Vndè quando incidit in amentiam præsumitur voluntas interpretatiua suscipiendi confirmationem, præsertim, quia agitur de suscipiendo benefi-

cio,

cio,& de commodo spirituali suscipientis. Et similiter præsumuntur etiam sufficienter dispositi, quando non constat, quod fuerint in statu peccati mortalis, cum in amentiam inciderunt.

6 Nec dici potest, quod consuetudo Ecclesiæ sit in contrarium, quia talis consuetudo, vbi est, non obligat, vt notant Suarez. Præposit. & alij ex citatis *num.* 3. Quia non est inducta, ex animo se obligandi, sed quia, cum hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, ij, sub quorum cura amentes erant, neglexerunt offerre confirmandos. Nec est eadem ratio de consuetudine non ministrandi Eucharistiam amentibus; quia hæc requirit maiorem dispositionem, quia non sufficit attritio, sed debet homo esse in statu gratiæ iuxta illud Apost. 1. Ad. Corinth. cap. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* Deinde consuetudo non ministrandi Eucharistiam est introducta tanquam necessaria pro seruanda debito reuerentia sacramento, & proinde tanquam obligans, quia cum in susceptione Eucharistiæ sit necessaria propria actio suscipientis, nempe manducatio, esset exponere sacramentum irreuerentiæ.

7 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respon. In perpetuò amentibus cessare finem extrinsecum sacramenti confirmationis, nempe pugnam contra hostes fidei, quia non sunt capaces pugnandi. Non cessare tamen finem intrinsecum, qui est spiritualis perfectio, qua vita spiritualis roboratur, & spiritualis character militiæ christianæ, quo ornantur baptizati. Hic autem finis sufficit, vt locum habeat sacramentum, in quo sortitur suum primarium effectum, nam effectus pugnandi contra hostes fidei est per accidens, & per modum finis extrinseci, quo cessante non cessat causa.

An in aliquo casu teneatur quis in articulo mortis suscipere sacramentum Confirmationis. Quæst. 104.

SVMMA.

1 *Constitutus in articulo mortis cum conscientia peccati mortalis, si non potest aliud sacramentum recipere, an teneatur recipere Confirmationem.*

2 *Potens in articulo mortis petere, & recipere confirmationem, potest etiam confiteri.*

1 Teneri aliquando constitutum in periculo mortis, asserit Ochagauia *de sacram. quæstion.* 12. *de sacram. confir. numer.* 4. Nimirum quando haberet conscientiam peccati mortalis, & non posset recipere aliud sacramentum, quia tunc cum sola attritione existimata contritione posset mediante hoc sacramento saluari, & esset maxima temeritas relinquere remedium ita facile, & expectare contritionem, quæ valde difficilis est.

2 Verum sine fundamento asseritur talis obligatio, quia si teneretur suscipere hoc sacramentum, teneretur etiam petere; & proinde posset etiam, & teneretur petere sacramentum pœnitētiæ, tanquam per se necessarium. Et qui posset administrare sacramentum confirmationis, posset etiam illum absoluere à peccatis; vnde nunquam dari potest casus, in quo quis possit confirmari, & non possit suscipere sacramentum poenitentiæ, & consequenter, in quo obligatur sub mortali suscipere sacramentum confirmationis, vt notat etiam Auersa *3. part. quæst. 72. sect. 6.* ver. *Illi autem canones.*

An

An si moribundus, aut morti damnatus petat confirmari à proprio Episcopo, teneatur Episcopus ministrare sacramentum. Quæst. 105.

S V M M A.

1 *Episcopus an teneatur moribundis ministrare sacramentum confirmationis, si illud petant.*
2 *Episcopus tenetur opportunis temporibus ministrare Confirmationem.*
2 *Episcopus obligatur ministrare confirmationem secundum consuetudinem.*
2 *Lex non obligat, nisi prout declaratur à consuetudine.*
3 *Quale ius habeant subditi petendi sacramenta à pastore.*
4 *An peccet Episcopus non ministrans Confirmationem, quando circa ministrationem adsunt vtrinque opiniones.*

Teneri sub peccato mortali Episcopum ministrare subditis moribundis, aut damnatis ad mortem sacramentum confirmationis, si illud petant, docet Quintanaduēnas *de sacramen. singlu.* 2. *nu.* 5. & affert Decretum Eccles. Mediolanens. *lib.* 3. *tit.* 27. *capit.* 27. vbi decernitur. *Si quis, cum periculosè ægrotat, se Chrismatis sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat, tunc Episcopus si eò loci est, vbi ille ægrotat, ne sine hoc sacramento decedat, cum charitate paterna inuisat, & confirmet.* Cuius fundamentum est. Quia tenetur Episcopus opportunis temporibus ministrare sacramentum confirmationis, & si omittat, peccat mortaliter, vt docent communiter Syluester *verbo.* Confirmatio. *num.* 3. Bonac. *disp.* 3. *de sacram. quæst. vn. punc.* 1. *nu.* 2. Granad. 3. *par. controuer.* 5. *tract.* 2. *disp.* 2. *nu.* Pasqualig. 4. Leander *tom.* 1. *de sacram. tract.* 3. *quæst.* 7. Tempus autem mortis est maximè opportunum, quia aliàs moribundus irreparabiliter priuaretur fructu, & spirituali perfectione, quam confert hoc sacramentum.

2 Verum oppositum tenendum existimo, neque Episcopos obligari sub mortali ad ministrandum hoc sacramentum morituris, aut morti damnatis. Ratio autem est, quia licet ex officio teneantur ministrare hoc sacramentum, & subditi habeant ius ad ipsum petendum, non obligantur tamen, nisi secundum quod consuetudo interpretatur obligationem, quia lex non obligat, nisi secundum, quod accipit interpretationem ab obseruantia cap. *dilectus. de consuet.* & Clemen. *Exiui*. §. *Item quia de verbor. signficat.* & *l. Minime*, & *l. Interpretatione. ff. de legib.* Praxis autem, & obseruantia declarat, quod non teneatur Episcopus administrare hoc sacramentum, quoties subditi illud petunt, sed solum statutis temporibus.

3 Vnde solutum manet fundamentum in oppositum, nam subditus non habet ius petendi sacramenta à Pastore, nisi secundum mensuram obligationis eiusdem Pastoris, quia hoc ius, & obligatio Pastorum sibi mutuò correspondent, & ideo cum Episcopus non teneatur ministrare quocunque tempore, nec etiam subditus potest quocunque tempore petere, præsertim quando deberet Episcopus accedere ad domum confirmandi, quia cum sit aliis occupationibus detentus, non semper ei vacaret accedere. Neque quod affertur ex Decretis Ecclesiæ Mediolanensis, conuincit, quia id statuitur per modum exhortationis, non per modum præcepti; & ideo neque in prouincia Mediolanensi adest hæc obligatio, vt etiam praxis declarat.

4 Ex dictis colligitur. Quod si Episopus prætermittat ministrare sacramentum confirmationis, quando Doctores inquirunt, an possit ministrari, & vtrinque adsunt pro vtraque parte sententes, nullo modo peccaturū, quia in ta-

tali casu potest amplecti, quam opinionem libuerit: vade poterit nolle ministrare perpetuò amentibus, sequendo opinionem illorum, qui nolunt ministrandum esse, vt notant etiam Diana part. 3. tract. 6. Resoluf. 93. ver. Nota etiam. Auersa 3. par. quæst. 72. sect. 6. ver. Quartò. Nec esse.

De constitutis in periculo, aut articulo mortis quoad sacramentum Poenitentiæ.

De subiecto capaci sacramenti pœnitentiæ in ordine ad periculum, & articulum mortis.

An sacramentum poenitentiæ sit ministrandum pueris constitutis in periculo, & articulo mortis, quando dubitatur, an habeant vsum rationis. Quæst. 106.

S V M M A.

1 *Habentes vsum rationis tenentur præcepto confessionis sacramentalis.*

2 *Vsus rationis quando incipiat.*

3 *Expleto septennio præsumitur quisque capax doli, & potens peccare.*

3 *Qui expleuerunt septennium obligantur ex debito.*

4 *Pueri expletò septennio sunt capaces confessionis sacramentalis præsertim in mortis periculo.*

5 *Capacitas peccandi non sufficit, vt quis sit capax sacramenti pœnitentiæ, & quid vltra requiratur.*

6 *Pueris ministrandum sacramentum pœnitentiæ sub conditione etiam in mortis articulo, nisi constet de sufficienti capacitate.*

7 *Id etiam seruandum septennio expleto.*

1 SVpponendum est, omnes, postquam peruenerunt ad vsum rationis, teneri præcepto confessionis sacramentalis, vt definitur in cap. *Omnes vtriusque sexus de poenit. & remis.* & in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Et proinde quicunqque habentes vsum rationis, & constituti in periculo mortis, aut articulo, sunt capaces sacramenti poenitentiæ, cum aliàs tunc cessent resetuationes, & impedimenta, si tamen sint debitè dispositi.

2 Secundò supponendum est. Vsum rationis regulariter incipere septennio completo, vt notant Panorm. *in cap. omnis. nu. 9. de poenit. & remis.* & *in cap. 1. num. 4. de delict. puer.* Mandos *de ætat. min. cap. 4. num.* 2. Gutierez *de matrim. cap. 2. numer.* 1. ver. *Et septennium* Archidiacon. *in cap. illud.* 15. *quæst.* 1. Hostiens. *in cap. Exhibita de homicidio.* Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst.* 1. *arti.* 3. *in fine*. Heneriquez *lib.* 4. *sum. cap.* 5. *num.* 2. D. Antonin. *par.* 2. *sum. tit.* 9. *cap.* 8. Corduba *in sum. quæst.* 60. *dist.* 4. Sanchez *lib. 1. de matrim. disp.* 16. *num.* 2. & 10. Zambran. *in suis decis. capit. 4. de poenit. dub.* 3. *num.* 4. & 5. Bonac. *quæst. 1. de matrimon. punt. 4. num.* 1. Narbona *in Annalib. iur. anno 7. quæst. 2. num.* 7. Torreblan. *lib. 14. pract. iur. spirit. c. 6. nu.* 55. & communiter præsertim Theologi cum D. Th. *in 4. dist. 27. ar. 2. quæstion.* 2.

3 Et proinde quando quis expleuit septennium, præsumitur doli capax, & posse peccare. *l. Apud Celsum. §. Denique Iulian. ff. de dolo mal.* & *l. Pupillum ff. de reg. iur.* & *l. Impuberem ff. de furt.* & *l. Qui iurasse. ff. de iureiur.* & *l. Impuberem. ff. ad leg. Cornel. de fal.* & *l. Et si quemcunq. §. Sed & si infans ff. ad leg. Aquil.* & *§. penul.* Instit. *de obligat qua ex delic. nasc.* & alibi passim in iure præsumuntur capaces doli, & quod possint benè, & malè agere. Vnde

de fit, quod obligentur ex debito ex dicta *l. Pupillum, qui. ff. de reg. iur.* & *l. Impuberem. ff. de furt.* & *l. Excipiuntur. ff. ad Senat. consul. Syllan.* & notant Glos. *in l. Si quis in tantam. C. Vnde vi.* vbi etiam Bart. Et proinde pro vsu rationis, & capacitate doli adest præsumptio iuris. Difficultas modo est, an sint capaces sacramenti poenitentiæ præsertim in articulo mortis.

4 Posse autem confiteri, & esse capaces absolutionis sacramentalis, præsertim in articulo mortis, docent communiter D. Th. *in 4. dist. 27. quæst. 2. ar. 2.* Sotus *dist. 18. quæst. 1. arti. 3.* Henriquez *lib. 4. sum. capit. 5. num. 2.* Medina *lib. 1. sum. cap. 12. §. 2. casu 6.* & *capit. 14. §. 41.* Corduba *in sum. quæst. 60.* Nauar. *cap. 21. Manual. numer. 88.* Vasquez *3. par. quæst. 90 art. 2. dub. 4.* Pesant. *in addit. quæstion. 10. disp. 4.* Nugn. *quæst. 6. arti. 5. dub. 1.* Coninch. *disp. 5. dub. 5. num. 50. conclusion. 1.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 9. punc. 4. in fine.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 7. capit. 10. num. 9.* Pitigian. *in 4. dist. 17. quæst. vn. ar. 1. & 2. conclus. 1.* Filliuc. *tract. 7. capit. 3. quæsito 10. numer. 66.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 3. num. 4.* Capeauil. *de administratione sacram. cap. 3. de poenit. quæst. 14.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 5. sect. 2. punc. 4. num. 2.* Torreblanca *in pract. iur. spirit. lib. 14. cap. 6. num. 55.* Narbona *in anno 7. annal. iur. quæst. 7. num. 14.* Syluester *verbo. confessio. 2. quæst. 5.* Suarez *disp. 36. de sacram. sect. 2. numer. 6.* Facundez *pracep. 2. Eccles. lib. 1. cap. 3. num. 12.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 5. num. 7.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 23. disp. vn. punc. 20. num. 2.* Fundamentum, est quia cũ in illa ętate præsumatur vsus rationis, & regulariter adsit, censendus est quilibet capax sacramenti poenitentiæ, nisi de opposito constet, quia non potest elidi præsumptio capacitatis, nisi per probationem in contrarium.

5 Verum. Hæc doctrina patitur difficultatem, quia licet ætas septennij completi præsumatur capax doli, atque peccati, non tamen statim sequitur, quod sit capax sacramenti poenitentiæ, nam ad sacramentum poenitentiæ requiritur non solum capacitas peccandi, sed etiam capacitas dispositionis debitæ, quæ difficilior est, & perfectiorem cognitionem requirit, quàm requirat peccatum. Siquidem vt quis peccet, sufficit cognitio discernens inter turpe, & honestum, vt autem quis congruenter disponatur, requiritur dolor de peccatis, qui sit saltem vera attritio, & propositum non peccandi de coetero. Est autem satis difficile, quod puer, quamuis discernat inter bonum, & malum, concipiat attritionem ex debito motiuo, cum vix ex motiuis humanis, & ex obiecto præsenti in illa ætate soleat moueri, & quod formet firmum propositum non peccandi de coetero, & quod apprehendat necessitatem, horum actuum, & sciat formare.

6 Itaque debet in hoc confessarius procedere cum multa prudentia, & si ipsi non constat, quod puer sit sufficienter dispositus, non debet absolutè ministrare sacramentum poenitentiæ, sed solum sub conditione. Hoc enim pacto prouidetur & necessitati poenitentis, & etiam reuerentiæ debitæ sacramento. Quia si puer exhibet veram materiam proximam cum remota; & habet debitum propositum, remanet absolutus, si autem non exhibet, non irritatur sacramentum, quia conditio adhibita remouet intentionem ministri à confectione sacramenti. Et hæc praxis seruanda est, siue puer sit in articulo mortis, siue extra ipsum, vt notant etiam Medina *lib. 1. sum. cap. 12. §. 2. casu. 6.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 3. num. 14.*

7 Similiter etiam. Quando expleto septennio, & vltra ipsum facto congruenti examine, adhuc remanet dubium, an puer habeat vsum rationis, aut an sit congruenter dispositus per dolorem, & habeat sufficiens propositum non peccandi de coetero, debet

sacramentum poenitentiæ ministrari sub conditione etiam in articulo mortis, quia hoc pacto neque confitenti infertur aliquod præiudicium, cum reuera percipiat sacramentum, si est capax; neque sacramento, quia ad euitandam irreuerentiam exigit ministrari sub conditione, quando non sumus certi, an possit absolutè ministrari iuxta cap. *De quibus*. *De baptismo*. Nec obstat, quod post septennium præsumatur vsus rationis, quia hoc procedit in foro externo, in foro autem conscientię attenditur veritas, & ideo cum iudicium sacramenti poenitentiæ procedat secundum forum conscientiæ attendenda est veritas.

An pueris ante septennium ministrari possit sacramentum pœnitentiæ, si sint in periculo, aut articulo mortis. Quæst. 107.

S V M M A.

1 *Vsus rationis aliquando præcedit septennium.*
1 *Sine voluntate libera non est peccatum.*
2 *Puero in periculo mortis debet ministrari poenitentia, si probabiliter habeat vsum rationis.*
3 *An quando probabilius est habere vsum rationis sit absolutè absoluendus.*
4 *An in dubio vsus rationis sit sacramentaliter absoluendus.*
5 *Quæ praxis seruanda cum pueris ante septennium extra periculum mortis quòad absolutionem.*
6 *Parentes &c. tenentur vocare confessarium pro pueris moribundis post quinquennium.*
7 *Quod dicitur de pueris proportionaliter valet in amentibus quòad sacramentum poenitentiæ.*

1 Solet aliquãdo vsus rationis accelerare in pueris, ita vt ante septennium ad ipsum perueniant, præsertim si educatione, & disciplina iuuentur. Quia sicut potest postponere primum septennium, ita etiam potest præuenire, vt notant Gutierez *de matrimon. cap. 2. num. 4.* Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 16. num. 2.* Narbona *Anno 7. annal. iur. quæst. 2. numer. 9.* Et experentia constat, nam quotidie experimur, aliquem puerum ante septennium pollere vsu rationis, & habetur notabile exemplum ex D. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap. 18.* vbi narrat, puerum quinquennem, eo quod blasphemus esset, subreptum à dæmone è manibus parentum; quod certè Deus non permisisset, nisi in illis blasphemiis peccasset, atque adeo nisi habuisset tale iudicium, quod sufficiens fuisset ad voluntatem peccandi, cum sine voluntate libera non sit peccatum *l. Diuus. ff. ad l. Cornel. de Sicar. & l. Si quis ff. ad l. Iul. maiest.* & *l. Is, qui cum telo. C. de sicar.* & *l. Si quis non dicam. C. de Episcop. & cler.*

2 Si ergo constet, quod puer ante septennium habeat vsum rationis, aut saltem probabile sit, debet ipsi ministrari sacramentum poenitentiæ. Ita Ledesma *2. par. 4. quæst. 5. ar. 5. dub. 9. dicto 2.* Victoria *in sum. de sacram. quæst. 139.* Medina *lib. 1. sum. cap. 12. §. 2. casu 6.* & *§. 41.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 3. num. 6.* Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 6. cap. 5. num. 7.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 23. disp. vn. punc. 20. §. 2. num. 4.* Torreblanca *in pract. iur. spirit. lib. 14. cap. 6. num. 59.* Narbona *Anno 7. annal. iur. quæstion. 2.* Ratio autem est, quia eo ipso, quod habet vsum rationis, est capax peccati, atque adeo poenitentiæ, quæ consequitur peccatum, ergo est etiam ipsis ministrãdum sacramentum poenitentiæ, cum sit institutum pro remedio peccati commissi post baptismum, vt decernit Concilium Trident. *sess. 14. cap. 2.* & sit secunda tabula post naufragium, vt habet. *ibid. can. 2.* nec debet exponi periculo damnationis æternę, si forte habe-

beret conſcientiam peccati mortalis. Et hoc habet locum, etiam ſi puer confiteatur tantum peccatum veniale, quia eſt ſufficiens materia pro ſacramento, & aliàs fieri poteſt, quod ſit in peccato mortali, quod non agnoſcat, aut tunc non aduertat, à quo indirectè abſoluetur. Quod notant Medina *hoc num.* citat. Zambran. *num.* 8. *dubii citati*.

3 An autem quando confeſſarius magis probabiliter credit, puerū habere vſum rationis, teneatur abſoluere absolutè, & abſque conditione. Affirmant Ledeſma, Medina, Victoria *n. præced.* citati, & ſequitur Zambran. *ibid. citat. in numer. ſequenti dicti dub.* 3. Capeauil. *de adminiſtr. ſacram. cap.* 3. *de ſacram. poenit. quæſt.* 14. ver. *Reſp. Illo in caſu* etiam ſi confiteatur ſolum peccatum veniale. Verum probabilius puto, non teneri abſolutè abſoluere, imo teneri apponere conditionem, quia licet probabilius ſit, habere vſum rationis, adhuc tamen incertum eſt, an ſciat concipere verum dolorem de peccatis, qui ſit ex corde, & verum propoſitum non peccandi de coetero, quia cum vſus rationis non ſit perfectus, quamuis diſcernat inter bonum, & malum, non tamen ita facile erit percipere, quid ſit offendiſſe Deum, quid ſit habere verum dolorem de peccatis, qualis diſpoſitio requiratur, vt ſacramentum poenitentiæ ſit validum; & quamuis inſtruatur, & congruenter interrogationibus reſpondeat, fieri poteſt, quod ore tantum reſpondeat, & non percipiat, quod dicit. Vnde ad vitandam ex hoc capite inualiditatem ſacramenti expediens erit, apponere conditionem, quia hoc pacto prouidetur ſaluti pueri, & excluditur periculum irritationis ſacramenti.

4 Si verò dubium ſit, an puer habear vſum rationis, quia vtrinque adſint motiua ad iudicandum, tunc debet ipſi miniſtrari ſacramentum poenitentiæ ſub conditione. Debet enim inſtrui, quantum fieri poteſt, & curandum eſt, quod confiteatur ſaltem aliquod peccatum veniale, vt habeatur materia pro ſacramento. Ita Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 12. §. 2. *caſu* 6. & *cap.* 14. §. 41. Zambran. *in ſuis deciſ. cap.* 4. *de poenit. dub.* 3. *numer.* 8. Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 7. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 23. *diſp. vn. punc.* 20. §. 2. *num.* 4. Ratio autem eſt, quia cum agatur de ſalute ſpirituali pueri, debet poni in tuto, quantum fieri poteſt, & proinde debet applicari remedium ſub conditione, quando adeſt aliqua probabilitas, quod poſſit habere ſuum effectum.

5 Ex dictis colligitur, quod etiam extra mortis articulum miniſtrari poteſt ſub conditione ſacramentum poenitentiæ pueris ante ſeptennium, ſi adſit aliqua probabilitas, quod habeant vſum rationis, vt docent Medina *num. præced. citat* Zambran *in ſuis deciſ. cap.* 4. *de poenit. dub.* 3. *numer.* 9. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 7. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 23. *diſp. vn. punc* 20. §. 2. *num.* 4. Stante enim illa probabilitate de vſu rationis, eſt capax probabiliter ſacramenti, atque adeo habet etiam ius probabile ad ipſum: vnde non debet ipſi denegari id, ad quod habet probabile ius, cum hoc non cedat in alicuius detrimentum, & conditio appoſita præcaueat irritationi ſacramenti. Et præſertim quia non eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ miniſtrare ſacramenta ſub conditione.

6 Colligitur 2. Parentes, & eos, ad quos puerorum cura incumbit, ſi ſint in articulo mortis, teneri vocare, ſi quinquennium expleuerint, confeſſarium doctum, & prudentem, qui conſideret, an ſint capaces ſacramenti poenitentiæ, & miniſtret ſaltem ſub conditione, ſi poteſt miniſtrari. Cum enim ad ipſos ſpectet cura horum puerorum, tenentur ipſis prouidere neceſſaria non ſolum in ordine ad corpus, ſed etiam in ordine ad ſalutem animæ. Et ſi id negligant, quia agitur de re grauiſſima, peccant mortaliter, nec poſſunt excuſari, niſi euidens ſit, quod puer in illa ætate non habeat vſum ratio-

tionis. Nec possunt excusari ignorantia, quia tenentur scire, & de facto sciunt, confessionem esse necessariam ad salutem, & omnes, qui habent vsum rationis posse peccare; & quod ipsi tenentur procurare dictis pueris remedia salutis.

7 Tertiò colligitur. Quod dictum est de pueris proportionaliter esse intelligendum etiam de amentibus, de quibus dubitatur, an habeant aliquem vsum rationis, vt sunt furiosi, stupidi, & alij huiusmodi. Hi enim inducendi sunt, præsertim si sint constituti in periculo mortis, vt confiteantur aliquod saltem peccatum, si non possint omnia confiteri, si quidem non habent tale iudicium, vt possint excutere conscientiam; atque quantum fieri potest, excitandi sunt ad dolorem, & propositum non peccandi de coetero, & absoluendi sub conditione, quia consulendum est ipsorum saluti, quantum fieri potest.

An heretico negatiuo damnato ad mortem debeat ministrari sacramentum poenitentiæ. Quæst. 108.

SVMMA:

1 *Hæreticus negatiuus quis sit, & cur damnetur.*
2 *Cur secundum aliquos non ministrandum sacramentum poenitentiæ, secundum alios ministrandum. num. 3. & 4.*
5 *Forum externum in quo differat ab interno.*
6 *Diuersò modo procedit. Est tribunal veritatis. Tribunal Dei.*
7 *Præsumptiones non habent locum in foro conscientiæ.*
8 *In foro conscientia statur confessioni poenitentis, & dictum ipsius habetur pro certo.*
6 *Iudex potest remittere hæreticum negatiuum foro sacramentali.*
10 *Quando Ecclesia non admittat inpoenitentes ad participationem sacramentum.*
11 *Heretico negatiuo damnato ministrandum sacramentum poenitentiæ.*
11 *Forum externum non potest impedire media necessaria ad salutem.*
12 *Quid si hæreticus negatiuus commiserit delictum hæretis.*
12 *Reus pronunciata sententia non tenetur fateri delictum.*
12 *Prolata sententia iudex desinit esse iudex, & functus est munere suo, nec potest vltra interrogare.*
13 *Hoc idem valet etiam in crimine hæresis.*
14 *Nulli moribundo negandum sacramentum poenitentiæ.*
15 *Moribundus admitti potest ad sacramentum poenitentiæ licet non admittatur ad publicam reconciliationem.*
16 *An hæreticus negatiuus ob tollendum scandalum teneatur fateri delictum.*
16 *Præsumptio stat pro iudice.*
17 *An iudex qui damnauit hæreticum negatiuum teneatur ministrare pænitentiam ipsi petenti, si alij desint.*

1 NOmine hæretici negatiui intelligitur ille, qui conuictus de hæresi, persistit in negatiua. Quia autem Ecclesia habet ex actis, & probatis certitudinem de crimine ipsius in foro externo, ideo, dum negat delictum, & affirmat animum catholicum, præsumit ipsum mentiri, quia non habet testimonium eius animi catholici, & proinde habet pro impoenitente, & obstinato. Quod non contingit, quando confitetur delictum, quia confessio coniuncta cum attestatione resipiscentiæ manifestat poenitentiam. Quæritur modo, an stante tali præsumptione impoenitentiæ possit ipsi ministrari sacramentum poenitentiæ.

2 Prima opinio tenet, non posse ministrari. ita Sanchez *lib. 3. in decal. num.* 10. Suarez *disp.* 23. *de fide sect.* 2. *num.* 5. Et fundamentum est, quia cum non sit reconciliatus Ecclesiæ, non debet admitti ad participandum in sacramentis. Deinde quia si crimen verum est, tenetur tollere scandalum, & ipsum fateri: vnde, si non tollit, est ve-

verè impoenitens, & proinde non potest ipsi ministrari sacramentum poenitentiæ, quia censetur mori in hæresi. [illegible]

3 Secunda opinio est opposita asserens; debere ipsi administrari sacramentum poenitentiæ. Ita Portel *in dub. Regul. verbo.* Reus. 2. *post. verbum. Correctio fratrum. numer. 3. in addit.* ver. *Si reus iam damnatus est*. testans ita practicari à iuris doctis. Quia, inquit, est eadem ratio de reo damnato ob crimen hæresis, & de coeteris reis; vnde si hi non coguntur manifestare crimen, sed absoluuntur, nec etiam iste cogi debet, sed absoluendus est.

4 Tertia opinio asserit; posse ipsi priuatim iudice inconsulto ministrari sacramentum poenitentiæ; non autem auctoritate iudicis accersentis sacerdotem, vt ministret. Hoc tamen limitat, quando Reus est verè innocens, siue hoc constet sacerdoti, siue solum id fiat ab ipso reo, quia in foro sacramentali standum est confessioni ipsius poenitentis, nisi in eodem foro de falsitate conuincatur. Ita Petrus Hurtad. *de fide disp.* 86. *sect.* 2. §. 29. *&* 30.

5 Pro resolutione autem huius difficultatis est aduertendum; quod forum externum nedum est diuersum ab interno, seu à foro conscientiæ, sed etiam diuerso modo procedit. Est enim diuersum, quia in foro externo siue ciuili, siue Ecclesiastico iudicant homines tanquam homines, atque adeo auctoritate humana. At in foro conscientiæ iudicat quidem homo, non tanquam homo, sed tanquam repræsentans Deū, atque adeo interponitur auctoritas diuina, qua remittuntur peccata, ita vt Deus sit, qui remittit peccata, & sacerdos ministerium exerceat. cap. *Verbum Dei. De poenit. dist.* 1. vbi Glos. *verbo. Iudex.* Vnde dixit Franc. *in cap. 2. de poenit. & remission.* Quod forum poenitentiale non sequitur naturam fori contentiosi. Et quod forum poli, & forum fori differunt, sicut cœlum à terra asserunt Gomez *ad reg. de non indican. quæst.* 14. ver. *Breuiter.* Gutier. *lib.* 4. *can. quæst. cap.* 10. *num.* 8.

6 Hinc autem sequitur, quod diuersimodè procedant, nam forum externum sequitur præsumptiones, & ijs innititur in ferendo sententiam *l. fin.* C. Quod *met. cau. & l. si extraneus. ff. de condit. ca. da.* & cap. *quia verisimile. De præsump.* vbi communiter Doctores. At forum conscientiæ inhæret puræ veritati *Cap. Filius.* De testam. & notant Doctores Bald. *in l. Rogasti. §. si tibi. num. 5. ff. si cert. pet.* Mantica *de tacit. & amb. lib. 4. tit. 20. num.* 56. Et proinde est tribunal veritatis, & æquitatis naturalis, vt notant Gutierez *lib. 2. Canonicar. quæst. cap.* 25. *num.* 14. alios citans. Dec. *in cap. quia quæsitum. num.* 41 *de offic. de leg.* Menoch. *lib.* 1. *de arbitr. quæstion.* 80. *numer.* 15. Imo est idem ac tribunal, & iudicium diuinum, vt habet D. Th. 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *in* 1. *argum.* atque vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Christus è *terris ascensurus ad coelum Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, &c.* Constat autem quod vnum, & idem est tribunal vicarij, & illius, cuius est vicarius.

7 Vnde præsumptiones non habent locum in foro conscientiæ, nec leges, quæ fundantur in præsumptione, vt communiter docent Gutierez. *liber.* 2. *canonic. quæst. cap.* 18. *num.* 66. Menoch. *lib.* 1. *præsumpt.* 80. *numer.* 1. Gratian. *Discep. Forens. cap.* 33. *num.* 25. Parloder. *lib. 3. ver. quotidian. different.* 12. *init. &* §. 1. Mantica *lib.* 2. *coniect.* 14. *num.* 14. Moneta *de commut. vlt. volun. cap.* 5. *numer.* 248. Valer. *de different. vtriusq. fori verbo.* Lex. *different.* 12. Portel. *in dub. Regul. verbo.* Lex. *num.* 9. Io. Sanchez. *in select. de sacram. disp.* 48. *numer.* 55. Bonac. *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. *punc.* 7. §. 3. *num.* 6. *&* 8.

8 Imo quia in foro conscientiæ confessio est voluntaria, statur ipsi, & quod profert pœnitens, habetur pro vero, & ipsi creditur, non secus ac si esset notorium, vt notant D.Th. *Opusc.* 12. *ar.* 6. Glos. *in cap. significasti.* 2. verbo,

bo. *Credendum. de homicid.* per text. cap. *Illud. de cler. excommunicat. minist.* Nauar. *cap.* 2. *Manual. in fine.* Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disp.* 45. *numer.* 2. Couaruu. *lib.* 1. *Variar. cap.* 1. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 20. *num.* 6. Moneta *de commut. vlt. volun. cap.* 5. *num.* 248. Valer. *de differ. vtriusque fori verbo* Poenit. *differ.* 5. Barbosa *in l. Si ab hostib.* §. *Fin. numer.* 44. *ff.* Soluto *matrimonio.*

9 Ex his ergo sequitur, non subsistere distinctionem, quam adhibet tertia opinio, quod nimirum possit sacerdos ex se audire confessionem hæretici negatiui, non autem auctoritate iudicis arcessentis, quia cum iam iudex compleuerit iudicium suum, atque adeo functus sit munere suo *l. Iudex. ff. de re iudicata*; atque adeo iudicium humanum non habeat amplius locum, potest remittere reum foro poenitentiæ sacramentalis, seu iudicio, & tribunali diuino: neque in hoc præiudicat foro externo, quia iam iudicium ipsius est completum. Et cum reus sit capax vtriusque iudicii, debet vtrique ipsum supponere, præsertim quia diuerso modo proceditur in foro sacramentali, ac in foro externo, vt dictum est, & ideo fieri potest, quod etiam diuerso modo iudicandum sit de reo in foro conscientiæ, ac in foro externo, & proinde debet iudex ipsum tradere sacerdoti, vt ipsum iudicet, quemadmodum iudicandus est.

10 Dices. Ecclesia non admittit impenitentes ad participationem sacramentorum, ergo nec debet admittere hæreticum negatiuum, cum habeatur pro impoenitente. Resp. Ecclesiam non admittere impoenitentes ad participationem sacramentorum, qui sunt verè impoenitentes, non autem, qui sunt impoenitentes solum in præsumptione fori externi, nam hos admittit ad sacramentum poenitentiæ, & eos iudicat secundum ipsorum confessionem. Vnde si reperit non esse reuera impoenitentes, ministrat sacramentum poenitentiæ præsertim in articulo mortis, in quo cessat omne impedimentum canonicum obstans absolutioni sacramentali, nec habet locum aliqua reseruatio, vt declarat Concil. Trident. *session.* 14. *cap.* 7. *de sacram. poeni.*

11 Itaque absolutè tenendum est, hæretico negatiuo damnato ad mortem ministrandum esse sacramentum poenitentiæ, si tamen congruè dispositus sit. Ratio autem est quia forum externum, & præsertim Ecclesia nec debet, nec potest impedire salutem alicuius, imo tenetur eam procurare, quantum potest; ergo non potest alicui denegare remedia necessaria ad salutem, imo tenetur subministrare, cum quisque habeat ius ad ea petenda; & si neget, iniustè aget. ergo cum forum externum, & forum conscientiæ diuersimode procedant, & fieri possit, quod damnandus in vno sit absoluendus in altero & è contra, tenetur Ecclesia subiicere reum, si vult subiici, iudicio sacramentali poenitentiæ, vt in ipso iudicetur, & recipiat remedium salutis, si vult recipere, & si est capax, aliàs denegaret media ad salutem.

12 Et hæc doctrina extendenda est cum Portel. pro secunda sententia allato, etiam si reus reuera commiserit delictum hæresis; dummodo enim illa in foro conscientiæ detestetur, & poeniteat, quamuis in foro externo permanserit in negatiua, poterit absolui. Ratio autem est, quia communior opinio, & melioribus innixa fundamentis, tenet, quod reus, qui in iudicio negauit delictum, pronunciata sententia, & complero iudicio non teneatur amplius fateri veritatem. Ita Nauar. *cap.* 25. *Manual. num.* 38. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 4. *par.* 2. *dub.* 2. *num.* 36. & *par.* 3. *dub.* 15. *num.* 213. Rodriquez *de ordine iudiciar. cap.* 10. *numer.* 2. Sà *verbo.* Iudiciales actus. *de peccatis rei numer.* 5. Sayr. *lib.* 12. *Clau. reg. cap.* 17. *num.* 15. Salzedo *in Addit. ad Pract.* Diez. *capit.* 126. ver. *Tertio.* Philiar. *de offic. Sacer. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 8. Segara Daualos *in direct. iud. par.* 2. *cap.* 14. *num.* 36.

Quos

Quos sequitur Sanchez *lib. 3. in decal. cap. 7. num. 11.* Villalob. *par. 2 sum. tract. 16. difficul. 3. num. 4.* Pitigian. *in pract. crimin. can. capit. 3.* Celestin. *in compen. theolog. moral. tract. 1. cap. 22. dict. 1.* Diana *par. 2. tract. 1.* Miscellan. *Resol. 26.* Quia nimirum, cum sit completum iudicium, iudex desinit esse iudex. *l. Iudex ff. de re iudic.* & ideo cessat etiam ius ipsius ad exigendam manifestationem veritatis à reo, atque adeo obligatio rei ad manifestandam, quia talis obligatio est relatiua ad ius iudicis. Et sicut iudex *Vsque ad prolationem sententiæ debet vniuersa rimari, & potest interrogare de facto, quoties dubitationis aliquid occurrit.* Cap. *Cum Io.* De *fide instrument.* Ita à contrario sensu prolata sententia cessat ius interrogandi atque adeo etiam obligatio rei manifestandi veritatem. Quod præsertim verem est, quia cessat finis manifestandæ veritatis, qui est, vt iudex possit ad sententiam procedere damnando, vel absoluendo, si quidem iam protulit sententiam, & ideo cessant etiam, quæ sunt ordinata ad talem finem.

13 Quare poterit confessarius sequendo hanc opinionem tanquam fauorabilem poenitenti, si dispositus sit, ipsi ministrare sacramentum poenitentiæ, absque eo, quod publicè fateatur crimen hæresis, si nolit fateri, nè subeat infamiam. Nec enim hoc crimen excipi debet, sicut excipit Sanchez, quia rationes, quæ absoluunt reum ab hac obligatione in aliis criminibus, procedunt etiam, quando agitur de hæresi. Et sicut, qui negauit aliud delictum in foro externo, non sequitur, quod sit impoenitens pro illo delicto in foro interno, ita nec qui negauit delictum hæresis in foro externo, sequitur quod sit impoenitens in foro interno, diuerso enim modo procedunt vterque forus, vt dictum est, & ideo iudicium, quod fertur secundum vnum forum, non debet ferri secundum aliud, cum facta diuerso modo possint apparere in vno foro, ac in alio.

14 Et pro his, quæ dicta sunt, mi- rificè faciunt, quæ habet Iulius Papa cap. Si presbiter. 26. *quæst. 6.* ibi. *Si presbiter poenitentiam morientibus abnegauerit, reus erit animarum, quia Dominus dicit, quacunque die conuersus fuerit peccator vita viuet, & non morietur. Vera enim confessio in vltimo tempore esse potest, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est.* Et quæ habet Coelestin. Papa *Epist. 7. ad Episcop. Galliæ.* relatus in cap. *Agnouimus eadem causa, & quæst.* ibi. *Agnouimus poenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem inueniri, vt de Dei bonitate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere &c.* Et plura alia habet, quæ digna sunt consideratione.

15 Nec obstant, quæ pro prima opinione allata sunt. Ad 1. enim resp. Non reconciliatos Ecclesiæ non debere admitti ad participationem sacramentorum Ecclesiæ, si sint extra articulum mortis, quia tunc debent prius reconciliari. In articulo autem mortis debent admitti ad sacramentum poenitentiæ, etiam si non admittantur ad reconciliationem publicam Ecclesiæ, & in foro externo, si id petant, quia sufficit, si priuatim reconcilientur, vt habetur ex Cap. *Qui recedunt. 26. quæst. 6.* ibi. *Placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit reconciliationi secundum definitiones Patrum*, nec est necessaria solemnitas reconciliationis. Hæc autem priuata reconciliatio fieri potest à quolibet sacerdote, qui reperit poenitentum dispositum, nec est necessaria publica detestatio hæresis, cum requiratur solum pro solemni reconciliatione. Vnde licet quis in foro externo sit cõuictus de hæresi, cum tamen neget hœresim habuisse, non tenetur retractare publicè, quia negatio excusat, nam solum est necessaria retractatio, quando hæresim confessus est.

16 Ad 2. resp. non teneri fateri crimen, etiam si verum sit, vt constat ex dictis *num.* 12. Neque ex hoc sequitur aliquod scandalum, quia communiter sciunt, reos negare delictum, & habentur tanquam pusillanimes, qui confitentur. Neque sequitur scandalum; quia existimetur, quod moriatur impoenitens, tum quia fieri potest, quod licet conuictus de hæresi, non sit tamen hæreticus, cum diuersimode procedat forum externum, ac internum & in foro externo possit constare tanquam verum, quod in foro interno est falsum, vt constat ex supradictis. Tum quia ex ipso; quod se subiicit iudicio sacramentali, euacuat suspicionem impoenitentiæ. Neque sequitur scandalum, quia præiudicet iudici, denunciatori, aut testibus, quia præsumptio stat pro sententia iudicis. Cap. *Consanguinei*; & cap. *Causam*. *De re iudic.* Vnde potest vnusquisque iudicare, quod tam judex, quàm reus rectè procedant, cum fieri possit, quod factum in foro conscientiæ aliter se habeat, ac constet in foro externo.

17 Ex dictis colligitur, quod iudex ipse Ecclesiasticus, qui damnauit hæreticum negatiuum, & tradidit brachio sæculari, tenetur audire confessionem sacramentalem ipsius, si non adsit alius sacerdos, & ipsum absoluere, si iudicet esse capacem absolutionis, vt notat etiam Petrus Hurtad. *De fide. spe, &c. disp.* 86. §. 30. *in fine*. Ratio autem est, quia agitur de salute æterna, vel damnatione æterna: vnde est in grauissima necessitate spirituali; & proinde subintrat obligatio ex charitate subueniendi constituto in tali necessitate, & stante tali obligatione nihil obstat, quominus possit etiam in foro poenitentiali fungi munere suo.

An sit ministrandum sacramentum pœnitentiæ illi, qui non vult suscipere sacramentum extremæ vnctionis. Quæst. 109.

S V M M A.

1 *An nolens suscipere extremam vnctionem, illam contemnat.*

2 *Sacramentum poenitentiæ ministrari potest nolenti sumere extremam vnctionem.*

2 *An adsit præceptum sumendi extremam vnctionem.*

3 *Omissio eorum, quæ non sunt in præcepto, licet conducant ad salutem, non arguit contemptum.*

1 Difficultas procedit secluso cõtemptu, quia si adesset contemptus, interueniret peccatum mortale, & proinde non esset dispositus ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, dum perseueraret in tali proposito. Secluso autem contemptu adhuc videtur negatiuè respondendũ, quia negligit media ordinata ad salutem, ex quibus multum vtilitatis percipere potest; vnde dum ex proposito non vult recipere tale sacramentum, & est sui compos, præsumitur contemnere, vt notat Ludouicus à S. Io. *part.* 1. *sum. quæst. vn. de sacram. extrema vnction. art.* 7. *dub.* 2. *conclus.* 2.

2 At tenendum est, posse ministrari sacramentum poenitentiæ illi, qui non vult recipere sacramentum extremæ vnctionis. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 97. ver. *Sed his*. Quæ resolutio inseruit pro iis, qui abhorrent vnctiones, vt contingit in quibusdam infidelibus, quando conuertuntur ad fidem. Ratio autem est, quia licet nonnulli teneant, adesse præceptum suscipiendi hoc sacramentum, communis tamen sententia tenet, non adesse. Ita D. Th. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 3. *ar.* 1. Richar. *ar.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. & alii *ibid.* Syluester *verbo*. Vnctio. *quæst*... Victor. *in sum. de sacram.* tit *de extrem. vnct. quæst.* 219. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 20. *numer.* 3. Suarez *de sacram. disp.* 49. *sect.* 1.

1. Nauas. *cap.* 22. *Manual. numer.* 19. Laiman. *lib.* 6. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 7. *num.* 1. Couaruu. *Cap. Alma mater. par.* 2. §. 2. *num.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *ar.* 1. Palud. *quæst.* 3. Sà *verbo*. Extrema vnctio. *num.* 5. Coninch. 3. *par. disp.* 19. *de extr. vnct. dub.* 10. Nugn. *quæst.* 23. *supplem. ar.* 2. *difficul.* 1. Auersa *quæst. vnica de sacram. extr. vnct. sect.* 9. ver. *Communis tamen*. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. punc.* 8. *num.* 1. Cum igitur non adsit præceptum suscipiendi, nolens suscipere; non peccat, atque adeo non se reddit indignum sacramento pœnitentiæ, si aliàs sit dispositus.

3 Ad rationem in oppositum resp. non posse præsumi contemptum, tum quia suscipit alia sacramenta, & proinde cum veneretur Ecclesiam, & institutionem sacramentorum, non debet præsumi, quòd contemnat hoc sacramentum; tum quia potest habere aliquod speciale motiuum, quamuis non rationabile, non suscipiendi. Tum quia omissio eorum, quæ non sunt in præcepto, non arguit contemptum. Esset tamen hortandus talis infirmus, quod susciperet huiusmodi sacramentum, vt hoc quoque medio consuleret propriæ saluti.

An iudex teneatur prolungare tempus damnato ad mortem, si intra debitum noluit suscipere sacramentum poenitentiæ & quid si prolungato adhuc nolit.
Quæst. 110.

S V M M A.

1 *Iudex tenetur concedere debitum tempus damnatis ad mortem suscipiendi sacramentum pœnitentiæ.*
2 *Damnati ad mortem sunt in grauissima necessitate spirituali, ideo subueniendum.*
2 *Si damnatus ad mortem noluit confiteri intra tempus concessum, tenetur iudex prorogare.*
2 *An teneatur ex iustitia, an solum ex charitate.*
3 *Quid si concessa noua dilatione adhuc nolit pœnitere, & confiteri.*
4 *An in tali casu teneatur iudex commutare pœnam mortis in aliam.*

1 TEneri iudicem concedere tempus damnatis ad mortem suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, certum est apud omnes, & docent Henriquez *lib.* 8. *de Eucharis. cap.* 5. *num.* 4. Nauar. *capit.* 25. *Manual. num.* 23. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *numer.* 225. Suarez *disp.* 39. *de sacram. sect.* 3. *in fine.* Facundez *lib.* 5. *in* 5. *præcep. decal. cap.* 16. *n.* 2. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 14. *de delict. nu.* 6. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 68. *num.* 1. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 82. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 8. *numer.* 238. Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *qu.* 5. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. num.* 70. Camerot. *de sacram. cap.* 10. *de Eucharist. dub.* 1. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. Euchar. quæst.* 6. *punc.* 1. *num.* 6. Et id statuitur *in Clemen.* 1. *de poenit. & remis.* ibi. *Cum secundum stat. vta canonica vltimo deputandis supplicijs negari, si petant, non deceat, poenitentiæ sacramentum; abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, iustitiarios omnes, & dominos temporales, vt ab huiusmodi desistant abusu, hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi. Locorum ordinariis nihilominus iniungentes, vt eos ad hoc cum primum commodè poterunt, diligenter monere; & si necesse fuerit, Ecclesiastica censura compellere non omittant.* Vbi Pontifex supponit, adesse obligationem permittendi, quod possint recipere sacramentum pœnitentiæ, & contrariam consuetudinem abusum

appellat. Ratio autem est. Tum quia in illo tempore vrget præceptum diuinum suscidiendi tale sacramentum, & proinde non possunt iudices impedire exequutionem talis præcepti. Tum quia agitur de salute spirituali proximi, quam non possunt impedire, imo, cum sint in grauissima necessitate spirituali, tenentur ipsis subuenire non solum ratione charitatis, vt tenentur omnes, sed etiam ratione officii, quia reus damnatus est sub potestate iudicis, & ideo ad ipsum spectat procurare necessaria præsertim ad salutem spiritualem.

2 Si autem reus intra tempus consuetum concedi morte destinatis nolit suscipere sacramentum pœnitentiæ, dubitatur, an teneatur iudex concedere aliquam dilationem. Et affirmatiuè respondendum est. Ita Bonac. *disp.* 4. *de sacram. Eucharis. quæst.* 7. *punc.* 1. *num.* 6. Quintanaduen. *de sacram. tract.* 3. *de poenit. sing.* 27. *num.* 6. Ratio autem est, quia tunc reus est in grauissima necessitate spirituali, quia actus contritionis est ipsi moraliter impossibilis, nam cum nolit confiteri sua peccata, & recipere sacramentum pœnitentiæ, non est dispositus ad pœnitentiam, ita vt possit sperari, quod conteratur, ergo tenetur iudex ex charitate ipsi succurrere concedendo aliud tempus ad experiendum, si forte resipiscat. Quia licet prodegerit tempus concessum, adhuc tamen est ipsi subueniendum, sicuti est subueniendum ex obligatione constituto in grauissima necessitate corporali, licet ex propria culpa dilapidauerit sua bona. Dixi teneri ex charitate, quia cum concesserit tempus congruum, & consuetum concedi, non tenetur ex iustitia concedere dilationem, nisi forte resipiscens petat cōfiteri, quia tunc ex officio tenetur subuenire, cum teneatur curare, quæ spectant ad salutem spiritualem ipsius, non autem ad experiendum, an velit resipiscere.

3 Sed quid, si concessa congruenti dilatione vltra tempus consuetum, adhuc nolit damnatus ad mortem pœnitere, & recipere sacramenta? Resp. non teneri iudicem, reum liberare à morte, sed posse exequi sententiam. Ita Sotus *lib.* 5. *de iust. & iure quæst.* 1. *ar.* 2. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. numer.* 71. ver. *Prima est.* Bonac. *disp.* 4. *de sacram. Eucharis. punc.* 1. *num.* 7. Quintanaduen. *de sacram. tract.* 3. *de poenit. sing.* 27. *num.* 11. Ratio est, quia iudex fecit, quantum in se est, ne damnatus ad mortem faceret iacturam salutis spiritualis, & ideo, si moritur impœnitens; ipsi soli imputandum est. Nec enim tenetur eum a morte liberare, tum quia quilibet nollet pœnitere, vt à morte liberaretur; Tum quia aperiretur via delictis, siquidem esset securus, quod non puniretur morte, nam haberet remedium euadendi, quod vergeret in maximum detrimentum reipulicæ.

4 Dices. In tali casu posse iudicem commutare pœnam mortis in aliam pœnam, quæ æquiualeat. Resp. nullam esse pœnam, licet perpetuam, quæ æquiualeat morti, præsertim in apprehensione hominum, & quæ possit æqualiter deterrere à delictis, vnde ob bonum publicum expedit, nè fiat talis commutatio. Deinde dato, quod æquiualeret, non teneretur iudex commutare, quia, cum ex iustitia debita sit, potest illam exequutioni mandare, nec malitia rei debet impedire iustitiam.

An liceat aliquando aliquem morte punire absque eo, quod ei concedatur tempus sumendi sacramentum pœnitentiæ. Quæst. 111.

SVMMA.

1 *Licere aliquando aliquem punire non concesso tempore sacramentalis confessionis.*
2 *Dilatio pro confessione sacramentali morte puniendi concessa an possit esse causa alicuius periculi.*

3 *An*

3 *An ratione defensionis liceat morte punire non concesso tempore pro sacramentali confessione.*

4 *Princeps quando possit iubere aliquem occidi.*

4 *Quando liceat prævenire paratum aggredi.*

4 *Ius defensionis dat ius ad media necessaria.*

4 *Bonum commune præferendum priuato.*

---

1 AFfirmatiuam sententiam tradunt Petrus Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 3. num. 226.* Facundez *lib. 5. in 5. præcep. decal. cap. 16. num. 6.* qui citat etiam Lessium, sed hic auctor loquitur in alio sensu, vt dicetur infra. Volunt ergo, quod, si periculum adsit, ne reus euadat, & inde maxima damna reipublicæ, vel Principi, vel innocentibus timeantur, vt proditiones ciuitatis, mortes ciuium, incendia segetum, rebelliones, & euasioni etiam optima custodia non potest occurri, sufficiat, quod concedatur tempus pro contritione, nec sit necesse concedere confessionem. Quia tunc res eodem pacto se habet, ac si non adesset copia confessarij. Et quia non tam proceditur via iuridica ad punitionem, quàm via ordinaria defensionis propriæ, & proximi, nec tàm de puniendo crimine, quàm de malo futuro impediendo, in quo casu possunt principes, & iudices auctoritate ipsius iubere interfici auctores.

2 Hæc tamen doctrina non potest habere locum, si res moraliter consideretur. Est enim moraliter impossibile, quod tantilla dilatio, in qua vnum, aut alterum peccatum reus confiteatur, & absoluatur (in quo casu ita practicari posse, conueniunt Doctores in similibus casibus, & etiam inferioris necessitatis) afferat talia damna, qualia sufficiant, vt denegetur sacramentum pœnitentiæ in casu præsertim, in quo ob maximam mentis perturbationem valde difficilis est contritio. Et proinde Syluester. *verbo. Iudex. quæst. 13. dict. 6.* asserit concedendam esse reo commoditatem confessionis, etiam si prævideatur quod sit euasurus, aut ab alijs abripiendus sit.

3 Nec locum habet defensio, quia tunc solum ratione necessariæ defensionis licet occidere impœnitentem, quem scimus moriturum in peccato mortali, quando est actualis aggressor, aut quando est paratus aggredi. Reus autem, cum sit in potestate curiæ, neque est aggressor, nec pararus aggredi, quia est sub actuali cœrcitione iudicis. Et moraliter impossibile est, quod non possit ita cautè custodiri pro aliquo breui tempore, vt non elabatur, præsertim, quia possunt tantisper detineri benignis verbis, qui venirent eum abrepturi.

4 Solum ergo posset princeps, aut iudex auctoritate principis iubere, eum occidi, qui non est sub potestate cœrcitiua Curiæ, & paratus est inferre grauia damna communitati, in quo sensu loquitur Lessius *lib. 2. de iust. & iure cap. 29. dub. 11. num. 98.* citatus à Facundez pro sua opinione. In hoc enim casu ille est re vera aggressor, & proinde procedi potest via necessariæ defensionis, & anteuertere damna, quæ paratus est inferre, si quidem licet prævenire paratum aggredi, quando probabiliter grauia damna timentur, vt habetur ex doctrina, quam tradunt Ias. *in l. 3. num. 9. ff. de inst. & iure.* Imola *consil. 103. vol. 1.* Baldus *in consil.* Schismatis *posito in Rubr. C. Si quis aliquem test. proh.* Grammat. *consil. 18. num. 2.* Carret. *in pract. crimin.* Tit. *de homicid. §. Circa tertium. num.* 4. Mynsiger. *consil. 27. n. 3. 4. & 7. decad. 3.* Vesemb. *consil. 19. num. 6. vol. 1.* Obrect. *de defens. neces. cap. 2. numer.* 19. Afflict. *Ad constit. Neapol. part. 1. lib. 1. Rubr. 11. num. 21.* cum Glos. *in l. Si de posses. C. de vi.* Quia nimirum defensio habet pro obiecto, & fine conseruationem, & proinde dat ius ad media necessaria pro ipsa obtinenda, vnum autem ex medijs necessarijs est auertere damna, quæ imminent ex parato ad aggrediendum. Quod præcipuè habet lo-

locum in casu præsenti, quia damna imminent contra bonum commune, bonum autem commune est præferendum bono priuato, vt communiter docent cum D. Tho. 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 4. *ad* 3. & passim habetur in iure. *l. Sancimus*, *C. de sacrosanc. Eccles.* & Authen. *Res*, *quæ*, C. Communia *de legat.* & alibi.

An amentes, qui ante amentiam exhibuerunt signa doloris, possint absolui. Quæst. 112.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Vsus actualis rationis vt requiratur ex Conc. Carthag. num.* 4.
3 *Soluuntur obiectiones, num.* 4.
4 *Sacramentum pœnitentiæ est per modum Iudicii.*
5 *Præhabitis pœnitentiæ signis potest amens quocumque tempore absolui.*
6 *Signa sufficientia quæ.*

1 Affirmatiuè respondendum est, ita docent Vasquez 3. *part. quæst.* 91. *ar.* 2. *dub.* 2. *num.* 33. Sà *verbo. Absolutio num.* 10. Bonac. *disp.* 5. *de sacramen. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. *num.* 9. ver. *Eodem pacto.* Bassæus *in florib. theol. pract.* verbo. *Absolutio. num.* 13. *in fine.* Ratio est. Quia in tantum non possent absolui, inquantum hoc sacramentum requireret in suscipiente vsum rationis. Sed non requirit, quod actu absoluendus illum habeat, sed sufficit, si habuerit, & tunc se disposuerit ad recipiendam absolutionem: ergo.

2 Qnod non requiratur actualis vsus rationis habetur ex Concil. Carthaginensi *VI. can.* 36. relato in cap. *Is qui.* 26. *quæst.* 6. ibi. *Si infirmus pœnitentiam petens obmutuerit, vel in phrænesim inciderit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem.* Qui in phrænæsim incidit, amittit vsum rationis, & tamen per dictum Concilium suscipere potest sacramentum pœnitentiæ, si ante phrænesim exhibuit signa poenitentiæ, ergo pro illo suscipiendo non requiritur actualis vsus rationis; & proinde etiam amentibus ministrari poterit, si antequam inciderent in amentiam, ostenderint signa poenitentiæ.

3 Dices. Non posse sacramentaliter absolui, quia signa poenitentiæ ab illis exhibita ante amentiam, non sunt in ordine ad claues. Verum hæc responsio reiicitur, quia signa poenitentiæ sunt in ordine ad destructionem peccati, si quidem poenitentia ex intrinseco suo ordinatur ad destruendum peccatum, atque adeo sunt in ordine ad remissionem, cum per solam remissionem possit destrui peccatum, ergo sunt in ordine ad claues, atque adeo in ordine ad subiiciendum peccatorem iurisdictioni Ecclesiæ, conseq. prob. Cum sint in ordine ad obtinendam remissionem, sunt in ordine ad ipsam obtinendam eo modo, quo obtineri potest, ergo cum non possit obtineri, nisi peccator se subiiciat clauibus, quia hoc sacramentum est necessarium lapsis post baptismum, vt habet Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de poenit.* in fine, ita vt neque contritio obtineat remissionem peccatorum sine huius sacramenti voto, quod in ipsa includitur, atque adeo sine voluntate subiiciendi se clauibus, vt etiam idem Concil. ead. *sess. cap.* 4. talia signa erunt in ordine ad claues, & ad se ipsis subiiciendum.

4 Dices 2. Non adesse materiam sacramenti, quia illa signa, quæ possent esse sufficiens materia non amplius existent, neque de præsenti potest amens habere dolorem. Sed neque hoc dici potest, nam qui in phrænesim incidit, non potest habere actualem dolorem

rem de peccatis, nec adsunt amplius signa doloris, in quibus subsistat externa accusatio, sed sufficit, quod habeat testimonium ab iis, qui fuerunt præsentes, suæ voluntatis, vt possit absolui, vt statuit Concilium Cartaginense *allatum num.* 2. ergo idem dicendum de amentibus. Ratio autem est, quia cum sacramentum poenitentiæ sit per modum iudicii, sufficit, si in ipso interueniant, quæ sunt substantialia iudicio. Vt autem feratur sententia, sufficit si delictum deducatur in iudicium vel per propriam confessionem rei, vel per testes, nec est necessarium ad substantiam iudicii, quod sententia statim feratur, ac delictum est sufficienti modo delatum in iudicium. Cum ergo quis ante amentiam dat signa poenitentiæ; cum sint in ordine ad Claues, vt dictum est, iam poenitens se subiicit sacerdotalibus clauibus, & postea per testes talis subiectio probatur in iudicio. vnde fit capax sententiæ absolutionis, quę potest sequi in tempore sequenti, quia sufficit, quod causa sit delata in iudicium. Et propterea Concil. Arausican. 1. *can.* 11. *relatum in cap. Qui recedunt* 26. *quæstion.* 6. decernit, quod subito obmutescens potest pœnitentiam accipere, *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, non requirens præsentem voluntatem se subiicendi clauibus, sed solum præteritum testificatum.*

5 Ex dictis colligitur, quod si signa pœnitentiæ præcesserunt amentiam, poterit amens in quocunque tempore amentiæ, quantumuis longe distet ab initio amentiæ, absolui, quia cum amentia priuet vsu rationis, & libero arbitrio, claudit vitam rationalem, & firmat in illo statu, in quo hominem repetit, qui toto amentiæ tempore durat. Vnde cum superueniente amentia quis est dispositus pro recipienda sacramentali absolutione, & habet aliquam exteriorem accusationẽ de peccatis in ordine ad claues, manet in hoc statu toto amentiæ tempore, & proinde semper est capax sacramenti pœnitentiæ, quia sufficit quod accusatio moraliter duret, & per testes sit deducta in iudicium.

6 Colligitur 2. Illa pęnitentiæ signa sufficere, quæ sufficiunt etiam in moribundis, qui loquelam, & sensus amiserunt: vnde sufficiet, etiam quod petierit sacerdotem, vt confiteretur. Licet enim talia signa non sufficiant, quando adest vsus rationis, dum tamen superuenit amentia, fiunt sufficientia, quia tunc omnis alia confessio, & expressior accusatio fit impossibilis, & hoc sacramentũ ministrari potest, quocunque modo possibile est, dummodo substantialia saluentur.

An sit ministrandum sacramentum pœnitentiæ ijs, qui ex vi morbi reincidunt in blasphemias, &c. Quæst. 113.

S V M M A.

1 *Sententia affirmans.*
2 *Sufficienter dispositus quomodo agnoscatur.*
3 *Parochus, & qui tenetur ministrare, tenentur in hoc casu ex iustitia ministrare.*
4 *Quid in dubio.*

---

1 Dicendum est: Esse ministrandum, etiam si pluries reincidant in tale peccatum, si tamen congrue dispositi sint. Ita Capeauil. *de administ. sacram. quæst.* 18. *de poenit.* Prob. In tali casu constitutus in periculo mortis tenetur præcepto diuino ad confessionem, quia etiamsi illam præmiserit, dum tamen de nouo peccat, de nouo insurgit obligatio confitendi; ergo vt possit satisfacere pręcepto, est ipsi sacramentum ministrandum si aliàs dispositus sit.

2 Quæres vnde cognoscetur, quod sit

sit sufficienter dispositus præsertim, quando crebro reincidit. Resp. Id colligi posse, si ostendat dolorem de peccato commisso, & animum paratum ad resistendum tentationi, quantum de se poterit cum Dei auxilio, si de nouo superuentura sit. Nec obstat crebra reincidentia, quia cum ex vi morbi impellatur, adscribenda est non malitiæ, sed potius fragilitati, atque adeo etiam in dubio censendum est, quod verè poeniteat,

3 Ex his colligitur. Parochum, siue quemuis alium, cui incumbit ministratio sacramentorum, teneri ex officio atque adeo ex iustitia talibus ministrare sacramētum poenitentiæ toties quoties relabuntur, vt notat etiam Capeauil. *num. 1. citat.* Quia obligatio ministrandi, & obligatio recipiendi sunt correlatiua, & posita vna consurgit altera, & ideo cum constitutus in periculo vitæ teneatur stante relapsu poenitentiæ sacramentum recipere, tenentur etiam quibus incumbit, ministrare. Nec possunt excusari, nisi sciant, quod sequuto relapsu, subsequatur vera contritio de peccato, & aliàs occupati sint in administratione sacramentorum magis necessaria: coeteri autem, quibus non incumbit ministratio sacramentorum, tenebuntur ex charitate seruatis tamen regulis, cum quibus solet obligare.

4 Colligitur. 2. In dubio quod hæ blasmephiæ prodeaut ex pleno iudicio rationis, atque adeo an sint peccata mortalia, tenebuntur, quibus incumbit ministratio sacramentorū, ministrare sacramentum poenitentiæ. Nam etiam in dubio, quod quis peccauerit atque adeo, quod obligetur præcepto confitendi, habet ius ad ministerium sacerdotis, qui ex officio tenetur inseruire: si quidem habet ius ad ponendam in tuto propriam salutem per media instituta à Christo, & quæ solent exhiberi ab Ecclesia. Tale autem est sacramentum poenitentiæ.

An sit ministrandum sacramentum pænitentiæ illi, quem Confessarius paulo ante vidit ebrietate obrutum. Quæst. 114.

SVMMA.

1 *Ebrio recuperato vsu rationis tenetur Confessarius ministrare pœnitentiam.*
2 *In tali casu danda est absolutio sub conditione.*

1 Certum est. Quod si confessarius illum reperiat, recuperasse vsum rationis, & se disponere ad poenitentiam, debere ipsi administrare sacramentum, vt notat etiam Capeauil. *de administr. sacramen. quæst. 19. de poenit.* Nam cum per pœnitentiam conuertatur, fit capax absolutionis, potest autem cum Dei auxilio semper conuerti, quandiu viuit. Quod autem reuersus sit ad vsum rationis, colligi poterit ex confessione ipsius, sicut etiam ex responsionibus ad interrogationes factas, si nimirum rectè ad ipsas respondeat, ita vt ex responsione declaretur, quod eas percipiat. Solum difficultas est, quid faciendum in dubio de vsu rationis, præsertim si non agnoscat proprium statum, & difficilè loqui possit, & intelligere, & solum det aliqua signa imperfecta poenitentiæ.

2 Dicendum est. In tali casu esse absoluendum sub conditione. Ita Capeauil. cit. num. præced. & ij omnes, qui tenent, quod sufficiant quæcunque signa poenitentiæ, vt possit moribundus absolui, quos suo loco referimus. Ratio est. Quia charitas obligat, vt succurramus non solum constitutis in extrema necessitate, sed etiam in graui-

ui necessitate omni illo meliori modo, quo succurri potest. ergo cum in præsenti casu succurri possit per sacramentum poenitentiæ collatum sub conditione, erit succurrendum. Confir. Minister sacramentorum debet ex quauis probabili ratione inclinare administrāda sacramenta, vt notant etiam Palud. *in 4.quæst.9.dist.* 4. Capeauil. *de administr. sacram. quæst. 9 de poenit.* Quia administratio sacramentorum est fauorabilis, cum sit in fauorem animarum; & proinde amplianda est, vt habeat locum ex quacunque rationabili causa. In præsenti autem casu adest rationabilis causa, quia probabiliter administrari potest sacramentum poenitentiæ.

An Confessarius possit absoluere constitutum in periculo mortis, si sit complex criminis cum ipso. Quæst. 115.

S V M M A.

1 *In iure communi nulla est prohibitio nè complex absoluat.*
2 *Sententia affirmans stabilitur. num. 3.*
4 *Soluitur obiectio.*
5 *Extenditur doctrina etiam præsentibus aliis non complicibus.*

1 DE iure communi nulla est difficultas, quia nulla adest prohibitio, & ideo si poenitens congrue dispositus sit poterit absolui à sacerdote, cum quo peccauit, siue poecato carnis, siue quocunque alio. Solum difficultas procedit de iure municipali aliquarum diocesum, in quibus specialiter prohibetur, ne sacerdos possit absoluere complicem peccati, vt in Synodo Leodiensi. *Tit. de poenit. & confess. capit.* 4. & in Mediolan. *part.* 2. *Actor. Mediolan. Synodo* 11. *Tit. Monita exequut. decret. &c.* & in *Concil.* 7. *prouin.* In quo est notandum. Quod si prohibitio non tollit iurisdictionem à confessariis, quamuis confessarij peccent absoluendo, & incurrant poenas, quæ sunt impositæ, absolutio tamen valida erit; secus tamen si prohibitio tollat iurisdictionem, vt in Dioecesi Mediolanensi. Quod tamen non extendit ad confessarios Regulares, etiam si decretum auferat iurisdictionem, quia, cum sint exempti, non subsunt decretis synodalibus, & prouincialibus, vt alibi dictum est, nec habent iurisdictionem ab Ordinario, sed à Summo Pontifice, vt alibi quoque ostendi, & proinde non potest ipsis auferri à quocunque inferiori.

2 Dicendum est. Posse confessarium absoluere complicem peccati constitutum in periculo mortis. Ita Capeauilla *de ministr. sacramen. quæst.* 20. *de poenit.* Bonac. *disp.* 5. *de sacramen. quæst.* 7. *punc.* 5. § 5. *numer.* 15. Homobon. *vol.* 1. *respons. moral. par.* 4. *super censur. respons.* 76. Bossius *discep. moral.* 2. *dub.* 5. *num.* 48. Mazzuchel. in simili *de casib. reseruat. disp.* 1. *quæst.* 4. *num.* 109. Et sequitur ex communi regula, quod huiusmodi prohibitiones non habeant locum vrgente necessitate. Vnde si ex officio illi incumbat ministrare sacramenta, tenebitur etiam ministrare, & si non incumbat tenebitur ex charitate:

3 Prob. Talis prohibitio censetur facta in ædificationem, non autem in destructionem, quia potestas Ecclesiæ est solum potestas ædificandi. Si autem extenderetur etiam ad casum necessitatis, esset in destructionem, quia esset contra charitatem, quod autem est contra charitatem, est in dustructionem, nam charitas ædificat. Confir. Si esset seruanda huiusmodi prohibitio in tali casu, contingere facile posset, quod poenitens moreretur absque confessione, & proinde prohibitio esset irrationabilis, vt pote magis damnosa, quàm vtilis. ergo esset nulla, si esset e-

tiam pro tali casu; nam de ratione legis est, quod sit vtilis cap. Erit autem. Dist. 4. ita vt si fiat inutilis, & multo magis damnosa, non sit vera lex, nec habeat vim obligandi.

4 Dices. Talis prohibitio aufert iurisdictionem, ergo etiam si aliàs sit irrationabilis, absolutio erit nulla, cum sit actus iurisdictionis. Resp. neg. consequentiam. Quia etiam si prohibitio auferret iurisdictionem, non tamen anferret pro casu necessitatis, & si auferret, etiam pro ipso esset nulla, & inualida, & proinde nullum sortiretur effectum, vnde adhuc pro illo casu remaneret iurisdictio, & saltem ab vniuersali Ecclesia censeretur concessa pro illa necessitate, vt declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.*

5 Quæres. An hoc locum habeat etiam si adsint alij sacerdotes, à quibus absolui possint. Resp. affirmatiuè. Quia hæc prohibitio est per modum cuiusdã reseruationis, qua tale peccatum reseruatur non complicibus. In articulo autem mortis cessat omnis reseruatio, & prohibitio, qua prohibetur ne aliquis absoluat. Vnde omnes in illo casu possunt absoluere quoscunque poenitentes à quibus cunque peccatis, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *capit.* 7. *in fine de poenit.* & ideo quilibet sacerdos etiam non approbatus habet iurisdictionem pro illo casu, etiam ad præsentiam approbatorum, vt suo loco dicetur.

De materia proxima Sacramenti poenitentiæ quoad constitutos in periculo, vel articulo mortis.

An in periculo, vel articulo mortis pro sacramento pænitentiæ sufficiat attritio cognita, vt attritio. Quæst. 116.

SVMMA.

1 *Attritio cognita sufficit pro sacramento pœnitentiæ extra mortis articulum.*

2 *Attritio disponit in sacramento ad reconciliationem cum Deo.*

2 *An in articulo mortis sufficiat attritio cognita, & num. 4.*

3 *Non possumus pro opinione probabili relinquere certum.*

5 *Sacramentum pænitentiæ habet per se vim remittendi peccata in subiecto disposito.*

5 *Homo in quocunque statu per attritionem disponitur sufficienter pro sacramento pænitentiæ.*

6 *Si attritio cognita non sufficeret in articulo mortis, nec etiam sufficeret putata contritio.*

6 *Materia sacramenti non dependet a nostra opinione.*

7 *Sacramentum pænitentiæ habet vim reconciliandi cum Deo.*

7 *Confessarius verè peccata per sacramentum relaxat.*

8 *Ex vi contritionis peccata statim remittuntur.*

9 *Si in articulo mortis esset necessaria attritio putata contritio, semper esset necessaria.*

10 *An in articulo mortis requiratur attritio putata contritio ex vi alicuius præcepti.*

11 *Posita remissione peccatorum per sacramentum cessat omnis obligatio adhibendi alia media.*

12 *An sit in opinione, quod in articulo mortis sufficiat attritio cognita.*

1 Difficultas procedit de illa attritione, quæ est vera attritio, & quæ sufficit pro sacramento poenitentiæ extra mortis periculum. Quod autem sufficiat extra mortis periculum attritio cognita, vt attritio, nec sit necessarium, quod putetur contritio, docent D. Th. 3. *part. quæst.* 80. *art.* 4. *ad* 2. & *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. & *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. & *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 1. *ad* 3. Scot. *dist.*

dist. 14. *quæst.* 4. *art.* 3. Capreol. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 4. *Duran.* Palud. *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 2. Pitigian. *par.* 4. *quæst.* 4. *art.* 7. D. Antonin. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. §. 5. Ricar. *art.* 3. *contra Luther.* Bellarmin. *lib.* 2. *de poenit. cap. vlt.* Zerola *de poenit. cap.* 6. *quæst.* 2. Camerota *tract.* 6. *de contrit. dub.* 2. Canus *Relect. de poenit. part.* 5. *ad* 2. Henriquez *lib.* 1. *de poenit. cap.* 22. *numer.* 5. Syluester *verbo.* Confessio 1. *quæst.* 21. Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punc.* 3. *asser.* 4. & *disp.* 7. *quæst.* 8. *punc.* 3. ver. *Est igitur.* Suarez *disp.* 20. *de sacram. poenit. sect.* 1. *conclus.* 3. Vasquez 3. *par. quæst.* 92. *art.* 1. *dub.* 2. Roffens. *art.* 5. *contra Luther.* Marsil. *in* 4. *quæst.* 12. Nugn. *in supplem.* 3. *part. quæst.* 9. *art.* 1. *dub.* 3. Conich. *de sacram. quæst.* 62. *art.* 1. *dub.* 1. Tolet. *lib.* 3. *sum. cap.* 10. Becan. *de saccam. poenit. cap.* 35. *quæst.* 6. & 7. Candid. *in Disquisit. moral. tom.* 1. *disquisit.* 24. *art.* 11. Reginal. *lib.* 5. *Praxis fori poenit. num.* 40. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. poenit. quæst.* 5. *sect.* 1. *punc.* 3. *num.* 10. Filliuc. *tract.* 7. *num.* 144. Azor. *part.* 1. *instit. moral. lib.* 2. *cap.* 12. *in fine.* Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 50. *conclus.* 1. Lopez *part.* 1. *instruct. cap.* 9. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 1. Laiman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 2. ver. *In lege autem.* Auersa 3. *part. quæst.* 11. *de sacram. poenit. sect.* 4. ver. *Dicendum tamen.* Isambert. *de sacram. poenit. disp.* 14. *ar.* 4. & *sequentib. præsertim* 15. vbi latè, & communiter, qui scripserunt post Concilium Tridentinum, in quo *sess.* 14. *cap.* 4. definitur, quod attritio sit donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, licet nondum inhabitantis, & quod si voluntatem peccandi excludat, sufficiat ad iustificationem cum sacramento poenitentiæ, ibi. *Et quamuis sine sacramento poenitentiæ per se ad iustificationem peccatorem perducere nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiæ impetrandam disponit.* Vnde non video, quomodo post hanc declarationem possit amplius oppositum substineri. Solum difficultas est, an etiam in periculo, & articulo mortis sufficiat cum sacramento poenitentiæ, an vero requiritur, quod sit putata contritio.

2 Prima sentent. asserit, in tali casu non sufficere attritionem cognitam, vt attritionem, sed requiri, quod saltem sit putata contritio. Ita Suarez *disp.* 15. *de poenit. sect.* 4. *num.* 17. ver. *Tandem vero,* & *disp.* 5. *de fide spe, &c. sect.* 3. *num.* 3. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 8. *punc.* 4. *circa finem.* ver. *Nunc autem.* Coninch. *disp.* 3. *de sacram. poenit. dub.* 1. *num.* 6. & 7. Nugnus. *in supplem. ad* 3. *part. quæst.* 2. *de partib. penit. art.* 3. *dub.* 2. Zerola *de poenit. cap.* 7. *de contrit. quæsito.* 24. ver. *Dico.* 5. Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de sacram. poenit. dub.* 1. *num.* 4. 16. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 13. ver. *Rursus cum certa.* Sanchez. *lib.* 1. *sum. cap.* 9. *num.* 34. *in fine.* Lessius *lib.* 3. *de iust. & iure cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 43. *in fine.* Granad. 3. *part. Controuer.* 7. *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 17. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 6. *dub.* 3. *numer.* 66. & 68. Præposit. 3. *part. quæst.* 2. *de contr. dub.* 5. *num.* 57.

3 Fundamentum huius sententiæ est. Quia quod attritio putata contritio sufficiat pro sacramento poenitentiæ est certum, quod autem sufficiat attritio cognita vt attritio, est opinio probabilis, ergo non possumus pro opinione probabili relinquere certum, quia hoc esset contra charitatem, quia tenemur diligere nos ipsos, si quidem nos exponeremus periculo non recipiendi gratiam, atque adeo æternæ damnationis.

4 Secunda sententia asserit, sufficere attritionem cognitam vt attritionem. Ita Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 2. *numer.* 7. ver. *Tertium certum est.* Facundez *lib.* 2. *in* 2. *Præcep. Eccles. cap.* 4. *numer.* 13. Becan. *de sacram. capit.* 35. *num.* 3. Coninch *de sacram. disp.* 3. *de poenit. dub.* 1. *num.* 5. Bonac. *disp.* 5. *de sacramen. quæst.* 5. *sect.* 1. *punc.* 2. *num.* 5. ver. *Dixi quando.* Faber *de poenit. in* 4. *sent. dist.* 14.

quæst. 2. *disp.* 8. *cap.* 3. *num.* 71. Marchin. *de peste. par.* 2. *capit.* 5. *num.* 3. Diana *par.* 5. *tract.* 4. *Resol.* 98. ver. *Sed contrariam*.

5 Hæc posterior sententia mihi videtur omnino certa, nam tanquam conclusio deducitur ex duobus principijs de fide, & proinde habet certitudinem theologicam. Horum autem principiorum primum est. Sacramentum poenitentiæ in virtute absolutionis habet vim per se remittendi peccata, ita vt non sit sola declaratio, quod sint remissa, si poenitens sit debitè dispositus. Ita definit Concilium Tridentinum, *sess.* 14. *cap.* 6. *& can.* 9. *de sacram. poenit.* Alterum autem principium, quod inseruit argumento pro minori, est; Homo poenitens per solam attritionem secũdum se consideratam, in quocunque statu sit, siuè sanus, siue moribundus, sufficienter disponitur ad Dei gratiam recipiendam in sacramento pœnitentiæ. Ita declarat Concilium Tridentium *eadem sess.* 15. *cap.* 4. ibi. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis paccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento poenitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiæ impetrandam disponit.* Vbi est aduertendum, quod Concilium hic procedit declarando, & proinde facit certum id, quod declarat. Ex his autem principijs sequitur conclusio certa certitudine theologica, quod moribundus habens solam attritionem cognitam vt talem, sit sufficienter dispositus, & recipiat remissionem peccatorum in virtute sacramenti poenitentiæ.

6 Confir. Si attritio cognita vt attritio non esset sufficiens pro sacramento poenitentiæ, siue in articulo mortis, siue extra ipsum, nec etiam sufficeret si putaretur esse contritio, quia per id, quod putaretur non fieret talis: hoc autem dici non potest, quia sequeretur, quod esset necessaria vera, & perfecta contritio quod tamen est falsum. Sequel. maior. prob. Attritio ita est dispositio poenitentis ad recipiendum effectum sacramenti, vt simul sit etiam materia proxima sacramenti, ita vt dolor, qui sufficit pro dispositione, sufficiat etiam pro materia proxima, & è contra dolor sufficiens pro materia, sufficiat etiam pro dispositione. Materia autem sacramenti, & dispositio non pendet à nostra opinione, sed debet esse talis in re, & in seipsa; vnde si aqua non esset vera aqua naturalis, aut ablutio non esset vera ablutio, licet putaretur talis, non conficeretur sacramentum, ergo si attritio secundum se non esset materia, & dispositio sufficiens, nec etiam esset, si putaretur contritio.

7 Sequel. quoque minoris prob. quod nimirum sequeretur, quod esset necessaria perfecta contritio, est euidens; quia, si attritio in re non sufficit, erit necessarius alius dolor perfectior, qui non est alius, quàm contritio. Quod autem non sit necessaria contritio est etiam certum, quia sacramentum poenitentiæ habet ex opere operato remittere peccata; vnde in Concilio Florentino *sess. vlt. in Decreto Eugen.* declaratur, quod effectus sacramenti poenitentiæ est remissio peccatorum, & in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. dicitur. *Sanè verò res, & effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Dec.* & *can.* 9. definit, absolutionem sacramentalem non esse nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti; sed esse actum iudicialem, quo absoluitur poenitens à peccatis, & proinde de fide est, quod sacerdotes verè absoluant à peccatis, sicut

cut etiam significant verba ipsa formæ, quæ proinde debent operari, quod significant. Vnde huiusmodi sacramentum est per se sacramentum mortuorum, ex sua institutione ordinatum ad viuificandos homines mortuos per peccatum, & ideo rectè dici secundam tabulam post naufagium, definit Idem Concil. Trident. *can.* 2. *de poenit.* & *can.* 3. Quod illa verba, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* sunt intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento poenitentiæ.

8 Hæc autem omnia corruerent, si sacramentum poenitentiæ requireret tanquam dispositionem contritionem. Nam ex vi contritionis statim remittuntur peccata iuxta illud Ezech. 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* & determinationem Concilii Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. ibi. *Doct. præterea etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq. Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur &c.* Vnde sacramentum poenitentiæ, sicut per se requireret contritionem præuiam vt dispositionem, ita per se supponeret remissa peccata. Vnde per se nec esset sacramentum mortuorum, nec haberet efficaciam remittendi peccata, nec sacerdotes haberent potestatem remittendi peccata, nec in absolutione exercerent actum iudicialem, quæ omnia damnata sunt in Concilio Tridentino, vt constat ex dictis.

9 Confir. 2. Si moribundus deberet habere saltem attritionem putatam contritionem, ne se exponeret periculò non recipiendi remissionem peccatorum, & damnationis æternæ, etiam extra articulum mortis teneretur quisque in sacramento poenitentiæ habere attritionem putatam contritionem, hoc autem neque Doctores oppositæ sententiæ admittunt, & stante determinatione Concilij Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi de quia supra, non potest admitti: ergò nec in articulo mortis erit necessaria. Sequel. prob. Extra articulum mortis, qui cum sola attritione cognita accederet ad sacramentum poenitentiæ, se exponeret periculo faciendi irritum sacramentum, atque adeo peccaret, quia peccat, qui se exponit periculo peccandi. Vnde ratione huius peccati commissi in ipsa actuali susceptione sacramenti, semper sacramentum esset inualidum, etiam si aliàs sufficeret attritio, & ideo ex hoc capite esset necessaria saltem attritio putata contritio.

10 Resp. Suarez cit. pro priori sententia. Ex vi sacramenti poenitentiæ non requiri attritionem putatam contritionem, sed erroneum esse dicere, quod cum sacramento non sufficiat attritio cognita ad obtinendam gratiam. Sed requiri ex vi præcepti naturalis erga se ipsum, quo quisque obligatur habere contritionem, quod præceptum homo implet etiam per attritionem putatam contritionem, quia pro implendo præcepto, sufficit, si faciat, quantum in se est. Quod si aduertens prætermittat, ac peccat mortaliter, & aut non requirit gratiam per sacramentum, cum accedat indispositus, aut amittit, si acquisiuit, dum non implet præceptum.

11 Verum hæc responsio nullo pacto subsistere potest. Nam erroneum est dicere, quod attritio cognita vt talis non sufficiat cum sacramento poenitentiæ ad obtinendam gratiam, & remissionem peccatorum; ergo erit etiam erroneum dicere, quod in articulo mortis non sufficiet, sed requiratur vlterius contritio, quia remissis peccatis non est amplius necessarium aliud medium pro obtinenda remissione. Confirm. Quod cum sola attritione cognita obtineatur remissio peccatorum in sacramento poenitentiæ est certum certitudine theologica, vt constat ex dictis *numer.* 1. *& sequen.* ergo moribundus non tenetur ponere aliud medium in ordine ad salutem pro obtinenda remissione peccatorum, quia in tantum teneretur ponere, in quantum posset es-

eſſe dubium, an ſufficeret ſola attritio cognita, & ratione charitatis ad ſeipſum teneretur prouidere, & tollere hoc dubium. Confir. 2. Ponere huiuſmodi obligationem eſt reducere in dubium, an ſacramentum poenitentiæ ſit ſufficiens medium pro obtinenda remiſſione peccatorum. Certum eſt enim, quod ſaluatur quicunque peccator, qui in articulo mortis obtinuit remiſſionem peccatorum. Vnde cum erroneum ſit dicere, quod pro validitate, & effectu ſacramenti non ſufficiat attritio cognita, dum ponitur noua obligatio ad contritionem pro aſſecuranda ſalute, ponitur dubium, an ſacramentum pœnitentiæ ritè miniſtratum, ſit ſufficiens pro remiſſione peccatorum contra illud 10. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*; & contra definitionem Concilij Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 3. de poenit.* ibi *Sanè res, & effectus huius ſacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo.* & *cap. 5.* Sacerdotes *ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quò pro poteſtate clauium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient*, & *can. 9. de poenit.* Abſolutionem non eſſe nudum miniſterium, & declarationem, ſed actum iudicialem, quo homini relaxantur peccata.

12 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ neg. aſſumptum. Nam, vt conſtat ex dictis, non concurrit opinio probabilis cum ſententia certa, quia non eſt probabile ſolum, quod ſufficiat attritio cognita in ſacramento pœnitentiæ ad obtinendum remiſſionem peccatorum, ſed eſt omnino certum ex declaratione Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 4.* Vnde, qui cognoſcit, ſe ſolum habere attritionem, remanet certus, quod cum ſacramento pœnitentiæ recipiet remiſſionem peccatorum; & proinde non ſe exponet alicui periculo, neque peccabit contra charitatem, qua tenetur diligere ſeipſum.

An conſtituti in periculo, aut articulo mortis obligentur præcepto aliquo ad actum contritionis, ſi ſuſcipiant ſacramentum pœnitentiæ.

Quæſt. 117.

S V M M A.

1 *Præceptum contritionis obligat in articulo mortis, quando non poteſt ſuſcipi ſacramentum pœnitentiæ.*
2 *Pœnitentia ordinatur ad delenda peccata.*
3 *An conſtitutus in articulo mortis teneatur conteri, ſi confiteatur.*
4 *Quod nam remedium ſit neceſſarium pro peccato.*
5 *Reconciliatio cum* Deo *per quid obtineatur a peccatore.*
6 *Contritio eſt medium ad impetrandum reconciliationem cum Deo.*
6 *Quando ſufficiat formam, & conditionem impleri per æquipollens.*
7 *Qualis nam virtus ſit pœnitentia, & quando obliget.*
8 *Quam certitudinem poſſit habere peccator de remiſſione offenſæ.*
9 *Ad quid obligetur peccator ratione charitatis erga ſe conſtitutus in periculo mortis.*

1 CErtum eſt, vrgere præceptum contritionis, quando in periculo, vel articulo mortis non poteſt ſuſcipi ſacramentum pœnitentiæ, nam tunc tenetur quiſque prouidere propriæ ſaluti eo medio, quo poteſt. Vnde ſolum dubitatur, an adſit præceptum de contritione, quando ſuſcipitur ſacramentum poenitentiæ. Affirmatiuam autem ſententiam tradunt Suarez 3. *par. diſp. 15. de ſacram. pœnit. ſect. 4. num.* 18. Valent. *tom. 4. ſum. diſp. 7. quæſt. 8. punc. 4. circa finem* ver. *Neque verò ſequitur.* Coninch.

diſp.

disp. 3. *de poenit. dub.* 3. *numer.* 32. Ochagauia *de sacram. tract.* 1. *de poenit. quæst.* 16. *num.* 6.

2 Fundantur in eo, quod Virtus poenitentiæ est specialis virtus ordinata ad delenda peccata, ergo cadit sub præcepto, supposito, quod quis mortaliter peccauerit, & nondum per talem actum poenituerit de peccato, quia peccator tenetur habere veram poenitentiam de peccato mortali, quæ solum saluatur in contritione, & ideo, si in periculo mortis quis habet peccatum, de quo per contritionem non pœnituerit, tenetur talem actum exercere. Deinde constitutus in periculo mortis non potest esse certus, an per sacramentum poenitentiæ sit consequutus remissionem peccatorum, cum semper dubitare possit, an aliquid ex parte sui, vel ex parte ministri defuerit, ergo vt tollat tale dubium, tenetur exercere actum contritionis. 3. Omittere talem actum esset contra charitatem, qua quis tenetur diligere se ipsum, siquidem posset facere securam per ipsum propriam salutem, & negligeret.

3 Secunda sententia negat, adesse talem obligationem. Ita Nauar *cap.* 1. *Manual. num.* 27. Henriquez *lib.* 1. *de poenit. cap.* 26. *numer.* 6. vbi alios citat *in schol. littera.* R. Vasquez 3. *par. quæ.* 86. *ar.* 2. *dub.* 6. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 3. *de sacram. poenit. ar.* 9. *dub.* 1. *conclus.* 1. Facundez *lib.* 2. *in* 2. *Præcep. Eccles. cap.* 5. *num.* 14. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 3. *de poenit. difficul.* 4. *in fine.* Villalob. *par.* 1. *sum. tracta.* 9. *difficul.* 21. *numer.* 4.

4 Hæc posterior sententia absolutè tenenda est, supposito quod adsit facultas confitendi sacramentaliter. Ratio autem est, quia non adest alia obligatio pro salute assequenda, & certificanda, nisi adhibendi media instituta à Christo, & proposita ab Ecclesia. Attritio autem cum sacramento poenitentiæ est sufficiens medium pro obtinenda remissione peccatorum, atque adeo pro certificanda salute institutum à Christo, & propositum ab Ecclesia, vt declaratur in Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Ergo hoc posito, extinguitur omnis alia obligatio, cum sit iam posita sufficiens poenitentia, & reconciliatio cum Deo. Neque charitas, qua quis tenetur diligere seipsum, obligat vltra id, quod constituit Christus tanquam sufficiens ad reconciliationem cum Deo.

5 Confir. In tantum in articulo mortis vrget præceptum contritionis, in quantum vrget obligatio reconciliationis cum Deo, ita vt si quis non haberet conscientiam peccati mortalis, non teneretur ad ipsam. Quando autem suscipit sacramentum poenitentiæ cum attritione, obtinet reconciliationem cum Deo, ita vt certum sit, reconciliari, vt declarat Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. obtenta autem reconciliatione cum Deo, non esset necessaria alia poenitentia, & contritio; quia contritio est solum necessaria ad impetrandum veniam peccatorum, vt habet Trident. *modo citatum*; & poenitentia solum indigemus, quando inquinati sumus mortali peccato, vt idem Trident. eadem *sess.* 14. *cap.* 1.

6. Confir. 2. Contritio ordinatur ad impetrandam veniam peccatorum, tanquam medium ad finem, & obtinendam reconciliationem cum Deo, & proinde cadit sub obligatione, in quantum cadit sub obligatione iste finis. ergo cum finis iste possit obtineri per aliquid æquipollens, si hoc medium adhibeatur, non erit necessarium adhibere medium contritionis, quia quando aliquid præscribitur in ordine ad aliquem certum finem, etiam si præscribatur tanquam forma, & conditio, sufficit, si adimpleatur per aliquid æquipollens, & quod finis quomodo cunque habeatur. *l.* 3. *C. de lib. præter.* & *l.* 3. §. *Conditio. ff. de adimen. leg.* & notant Rebuf. *in l. Quod iussu. in præfat. num.* 20. *ff. de re iudic.* Tirraquel. *lib.* 1. *de Retr.* §. 30. *glos.* 1. *num.* 11. Brun. *de for. & solem. in Rubr. Ex quib. conf. for. solem.* Puteus *decis.* 100.

100. *num.* 6. *lib.* 2. Duran. *decis.* 289. *num.* 8. Rota *decis.* 453. *num.* 1. *par.* 3. *Recent. apud Farinac.* Confessio autem sacramentalis æquipollet contritioni, imo ita æquipollet, vt nisi contritio habeat confessionem in voto; non possit delere peccata, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap* 4. & ideo adhibita sacramentali confessione obtinetur finis, qui cadit sub obligatione, & cessat obligatio contritionis.

7 Ad 1. in oppositum neg. consequ. Quia poenitentia non est virtus simpliciter, sed virtus occasionata, quia nimirum non habet locum absolutè, & simpliciter, sed tantum ex occasione peccati, vt desumitur ex D. Th. 3. *par. quæstion.* 85. *art.* 1. *& ar.* 6. *in corp. in fine*. Soto *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *ar*.... Marsil. *quæst.* 10. *ar.* 1. Alensi 4. *par. quæst.* 54. *memb.* 1. Medina C. *de poenit. quæst.* 1. & conueniunt communiter. Vnde sicut non habet locum, nisi supposito peccato, ita nec ad ipsum obligamur, nisi supposito peccato, & non remisso. Et ideo, quando est remissum per sacramentum poenitentiæ, cessat omnis alia obligatio poenitentiæ, quæ sit contritio.

8 Ad 2. Non posse esse certum certitudine infallibili, qui suscepit sacramentum poenitentiæ, quod sint remissa peccata, posse tamen esse certum certitudine morali, quæ sufficit, sicut sufficit in cœteris. Nec maiorem certitudinem posset habere, si eliceret etiam actum contritionis, nam adhuc posset dubitare, an illa esset vera contritio. Idem dubium esset etiam de baptismo, quia posset dubitare, an aliquid defuerit, quod pertineret ad validitatem, præsertim ex parte ministri; vnde sicut ex hoc capite non solum non adest obligatio repetendi baptismum, sed nec etiam repeti potest, cum non sit rationabile dubium, ita nec etiam adest obligatio eliciendi contritionem ad tollendum dictum dubium.

9 Ad 3. neg. Sequel. quia, cum sit adhibitum medium confessionis sacramentalis; quæ est sufficientissima pro obtinenda reconciliatione cum Deo, charitas non obligat ad aliquid alind. Accedit etiam, quod salus non potest fieri magis tuta, aut certa per actum contritionis, quã fiat per confessionem sacramentalem, nam vt dictum est, idem dubium, quod suboriri potest stante confessione sola, potest habere locum posita etiam contritione; vnde per ipsum non reddetur certus.

De Confessione seu accusatione peccatorum, quoad pœnitentes constitutos in periculo, aut articulo mortis.

An constituti in periculo, vel articulo mortis teneantur præmittere examen conscientiæ confessioni. Quæst. 118.

S. V M M A.

1 *Examen conscientiæ debet præcedere confessionem, & quando.*
2 *Quanta diligentia in ipso adhibenda.*
3 *Quando à constitutis in pericuo mortis possit omitti.*
4 *An possit omitti ob graue incommodum.*
4 *An possit compensari per interrogationes confessarij.*
5 *Iudex tenetur interrogare reum.*
5 *Confessarius tenetur interrogare poenitentem.*
5 *An, & quando extra periculum mortis possit poenitens omittere examen conscientiæ.*

---

1 ESse necessarium præuium examen conscientiæ ex iure diuino, & ex natura sacramenti pro confessione, colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. vbi decernit, esse de iure diuino, quod omnia, & singula peccata in specie manifestentur in sacramentali confessione. Hoc autem non potest obtineri, nisi

niſi prænio examine conſcientiæ. Vnde cum finis cadet ſub præcepto diuino, cadet etiam medium neceſſarium pro obtinendo fine, vt inter alios notant Soto *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *ar.* 4. *in fine* Heneriquez *lib.* 5. *de poenit. cap.* 5. Ledeſma *par.* 1. *ſum. cap.* 16. *de poenit. concluſ.* 6. Nauar. *capit.* 29. *Manual. num.* & alii *numer. ſequenti* citandi. Hoc autem debet intelligi, ſuppoſito, quod tantum temporis elapſum ſit, ex quo vltimo confeſsus eſt, vt non poſſit vnico intuitu ſtatum propriæ conſcientiæ inſpicere; aut niſi ita cautè viuat proprias actiones continuò, dum operatur, expendens, vt certus ſit, ſe non habere conſcientiam peccati mortalis; nam in his caſibus ceſſat finis examinis, atque etiam obligatio ad ipſum.

2 Cum autem Confeſſio ſacramentalis ſit magni facienda, quia agitur de ſalute ſpirituali animæ, tenemur adhibere talem diligentiam, quæ ſufficiet ad reuocanda in memoriam peccata, & proinde, quæ ſit talis, qualis ſolet adhiberi in negotio arduo, & quod noſtra valde interſit, vt notant communiter Doctores Nauar. *cap.* 9. *Manual. num.* 10. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæ.* 2. *ar.* 4. *in fine.* Zerola *de poenit. capit.* 7. *quæſtion.* 35. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſtion.* 11. *punc.* 1. Vaſquez 3. *par. quæſt.* 91. *ar.* 1. *dub.* 6. Nugn. *in ſupplemen. quæſt.* 9. *ar.* 2. *dub.* 1. *difficul. vn.* ver. *Circa octauam concluſ.* Peſant. *q.* 10. *de integr. confeſs. diſp.* 5. Coninch *diſp.* 7. *de poenit dub.* 9. Henriquez *lib.* 5. *de poenit. cap.* 5. Suarez *diſp.* 23. *de poenit. ſect.* 10. *numer.* 3. Reginal. *lib.* 4. *praxis fori poenit. numer.* 9. & 10. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 4. *quæſito.* 10. *num.* 14. Bonacina *diſp.* 5. *de ſacram. poenit. quæſtion.* 5. *ſect.* 2. *punc.* 2. §. 1. *numer.* 2. Caſpens. *part.* 2. *theol. diſp.* 4. *de poenit. ſect.* 12. *num.* 110. Quinraduen. *de ſacram. tract.* 1. *de baptiſ. ſing.* 7. *num.* 2. Hæc tamen diligentia habet ſuam latitudinem, nam debet eſse maior, iuxta diuerſas circunſtantias, quæ concurrunt in poenitente: nam ſi ab vltima confeſſione præceſſit longum tempus, ſi ſit debilis, & *labilis* memoriæ, ſi negocia periculoſa tractauit, ſi ſolitus eſt plura peccata, & in diuerſo genere committere, tenetur maiorem diligentiam adhibere, quia hæc omnes ſunt circumſtantiæ, quæ requirunt maiorem diſcuſsionem conſcientiæ.

3 Difficultas autem modo eſt, an tale examen ſit neceſſarium, quando quis conſtitutus eſt in periculo mortis. In qua difficultate certum eſt apud omnes, quod non eſt neceſsarium, quando non poteſt adhiberi, vt quando periculum mortis ita vrget, vt non concedat tempus congruum pro ipſo, vt contingit tempore tempeſtatis, & quando imminet naufragium, aut quando milites ſunt ingreſsuri prælium, aut quando moribundus eſt ita morti propinquus, vt non ſit diutius differenda abſolutio ſacramentalis; quia ſi in his caſibus ceſsat obligatio de integritate confeſſionis, vt conſtabit ex dicendis, ceſſabit etiam obligatio de examine. Vnde remanet difficultas, quando adeſt tempus præmittendi examen, & conſtitutus in periculo mortis obligatur ad integritatem confeſſionis.

4 Dicendum eſt, poſse poenitentem excuſari, ne præmittat examen conſcientiæ, quando in diſcutienda conſcientia pateretur incommodum alicuius conſiderationis, & confeſsarius in audienda confeſſione ſuppleret per interrogationes defectum examinis. Ratio eſt. Quia licet in confeſſione ſacramentali exerceatur iudicium, in quo iudicandus eſt poenitens quòad conſcientiam, & proinde neceſse ſit, quod in ipſo omnia, & ſingula peccata in ſpecie declarentur, vt poſſit confeſsarius congruam ſententiam ferre, & congruam ſatisfactionem iniungere, vt habet Concil. Trident. *ſeſs.* 14. *cap.* 5. Hoc tamen iudicium æquè benè exerceri poteſt, ſi peccata innoteſcant iudici, & proferantur à poenitente ad interrogationem confeſſarij. Et ſi confeſsarius vtatur diligentia interrogando circa ea, in quibus poenitens verſi-

similiter potuit peccare iuxta qualitatem, & conditionem ipsius, potest habere sufficientem notitiam conscientiæ poenitentis; imo tunc poenitens audiendo interrogationes, & respiciendo ad propriam conscientiam, illam examinat, & proinde coniungitur examen cum confessione, ergo hoc erit sufficiens, quia iam haberur finis, ob quem præmitti debet examen; vnde cum obligatio ad examen sit solum tanquam ad medium, cessante necessitate medij, cessat etiam obligatio ad ipsum.

5 Confir. Iudex tenetur interrogare reum, & rectè cognoscere causam, antequam de illa iudicet, nisi reus ipse ea proferat, quæ necessaria sunt pro debita cognitione; vnde debet vniuersa rimari, & interrogare reum, quoties iudicat id necessarium esse cap. *Cum Io. de fide instrument.* Confessarius autem in sacramento poenitentiæ exercet officium iudicis, vt habet Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. Vnde tenetur inquirere de peccatis, eorumque circumstantiis, vt habetur, ex cap. *omnis vtriusq. sexus de peonit. & remis.* & docent communiter Doctores Henriquez *lib.* 5. *de poenit. cap.* 3. *numer.* 10. Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 10. *in fine*, & *disp.* 32. *sect.* 3. *num.* 3. Nauar. *cap.* 9. *Manual. num.* 6. Zerola *de poenit. cap.* 9. *quæsito* 8. Vasquez 3. *part. quæst.* 93. *ar.* 3. *dub.* 7. Nugn. *in suppl. quæst.* 9. *ar.* 2. *post.* 1. *dub.* ver. *Circa octauam.* Reginal. *lib.* 2. *Praxis fori poenit. num.* 14. & communiter, ergo potest poenitens in dicto casu omittere examen conscientiæ, & se remittere ad interrogationes confessarii, & comittere conscientiam diligentiæ ipsius, habens paratam voluntatem respondendi ad omnia. Erit tamen necessarium, quod manifestet confessario, quod non præmisit examen, & quod sit paratus respondere interrogationibus ipsius.

6 Et dictis colligitur. Posse constitutum in statu sanitatis accedere ad sacramentum poenitentiæ, & validè confiteri, etiam si modicam diligentiam adhibuerit in examinanda conscientia, vt notat etiam Bonacina *disp.* 5. *de sacramento poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. §. 1. *nu.* 6. ver. *Ex quo fit.* Imo etiam si nullum examen præmiserit, dũmodo tamen confessarius suppleat interrogationibus, & diligenter scrutetur conscientiam poenitentis, & poenitens interrogatis respondere paratus sit. Quia in hoc casu non omittur examen conscientiæ, sed miscetur simul cum accusatione peccatorum; nam sicuti examinando conscientiam, percurreret recordatione proprias actiones, & eas consideraret, an continerent aliquod peccatum, ita similiter, dum confessarius percurrit interrogationibus actiones poenitenris, & poenitens respondet, reperit, in quo deliquerit, & de omnibus, in quibus deliquit, se accusat, vnde non omittitur medium necessarium pro integritate confessionis.

An morti proximo ministrari possit sacramentum pœnitentiæ, si in genere solum se accuset de peccatis. Quæst. 119.

S V M M A.

1 *Sententia negans.*
2 *Confessarius exercet officium iudicis erga pœnitentem.*
1 *Pœnitens dicens se peccasse quam notitiam tribuat confessario.*
2 *Confessio in genere an proponat materiam sufficientem. & num.* 9.
3 *Confessio in genere sufficit, quando alia haberi non potest.*
3 *Dicit materiam remotam, & proximam sufficientem pro sacramento.*
4 *Ex vi sacramenti non requiritur maior determinatio in materia quam sit in forma absolutionis.*
5 *Contritio in genere extra sacramentum delet omnia peccata.*

Con-

6 *Confessio in genere potest esse materia partialis sacramenti poenitentiæ.*
6 *Materia partialis sacramenti pœnitentiæ potest esse etiam totalis.*
7 *An explicatio peccatorum in specie sit de essentia sacramenti pœnitentiæ.*
7 *Cur necessaria.*
7 *Dictio*, Etiam, *est extensiua.*
8 *Cur expressio peccatorum in specie sit necessaria ex natura iudicij in sacramento pœnitentiæ.*
9 *Confessio in genere tribuit notitiam necessariam, & sufficientem pro iudicio sacramentali.*
10 *Subijcit peccatū iudicio sacramentali secundum eam rationem, secundum quam debet subijci.*
11 *In confessione in genere remittuntur directè omnia peccata.*

---

1 NVnquam sufficere, quod quis se accuset tantum in genere de peccatis, dicendo, se peccasse, sed necessariam esse explicationem alicuius peccati in specie, tradunt Nauat. *cap.* 26. *Manual. numer.* 28. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 25. Abulens. *in cap.* 16. *Matth. quæst.* 79. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ar.* 5. Lopez *par.* 1. *instruc. capit.* 18. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 9. *ar.* 5. *dub.* 2. Canus *Relect. de poenit. par.* 5. §. *At inherendo.* Conrad. *in Respon. cap.* 10. *Reg.* 6. Maior *in* 4. *dist.* 14. *quæston.* ... Angles *in florib. quæst. de confes. ar.* 2. *difficul.* 11. ver. *Sola generalis confessio.* Nugn. 3. *par. quæst.* 9. *supplem. art.* 3. *post dub.* 1. Aluarez 1. 2. *disp.* 80. Coquetius *de confes. per. litteras.* Medina *lib.* 2. *sum. capit.* 8. Pedrazza *in sum. cap.* 7. *in fine.* Vega *tom.* 1. *Speculi curat. cap.* 12. *de sacram. poenit.* §. 29. *num.* 220. Bartholom. Ledesma *de sacram. poenit. difficul.* 18. Sum. corona *par.* 3. *tract. de simon. in fine* & *cap.* 6. *de sacram. poenit.* §. *de confess.*

2 Prob. In confessione confessarius exercet officium iudicis, & absoluendo profert sententiam absolutionis, & proinde debet procedere cum cognitione causæ, & inquirere, quod pro recta iudicii administratione necesse est manifestari, ergo non potest impertiri absolutio, nisi exprimatur aliquod peccatum in specie. Conseq. est Concilii Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* vbi ex ratione iudicii infert necessitatem tanquam de iure diuino manifestandi omnia, & singula peccata in specie. Secundo. Ex eo, quod quis dicat, se peccasse, nullam tribuit sacerdoti notitiam, quam non haberet. Si quidem omnes peccatores sumus: iuxta illud 1. Io. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, ergo non adest vera confessio, quæ est pars sacramenti poenitentiæ. Tertiò. Vt conficiatur sacramentum poenitentiæ requiritur aliquid supra quod directè cadat absolutio, & quod per ipsam remittatur. Per confessionem autem in genere nihil proponitur particulare, circa quod versari possit actio absolutionis; si quidem absolutio debet versari circa ea, quæ homo comisit, atque adeo circa ea, quæ singularia sunt. Quarto. Nihil directè posset remitti per absolutionem: non peccatum in genere, quia non est remissibile, nec singula, aut aliquod peccatum in specie, quia directè solum remittitur, quod per confessionem subijcitur clauibus, ergo absolutio non sortiretur aliquem effectum.

3 Secunda sententia asserit, posse ministrari sacramentum poenitentiæ ei, qui morti proximus confitetur tantum in genere, & non potest aliter confiteri Ita Palud. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *ar.* 2. D. Antonin. 3. *par. tit.* 10. *cap.* 2. Syluester. *verbo.* Confessor. 3. *quæston.* 3. Angelus *verbo.* Confessor. 4. *num.* 8. Corduba *lib.* 5. *de Indulgen. quæst.* 49. Ruard. *ar.* 3. contra Lutherum. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. Bellarmin. *lib.* 2. *de poenit. cap.* 7. *in fine.* Alcocer *in sum. cap.* 11. Viual. *in Candelab. tit. de absolut. numer.* 71. Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 1. *numer.* 5. Henriquez *lib.* 6. *de poenit cap.* 10. *num.* 7. Pitigian. *in* 4. *dist.* 17. *quæst. vn. ar.* 8. *conclus.* 4. Valent.

lent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 11. *punc.* 1. *post.* 6. *assert. casu* 1. Iribarre *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *disp.* 16. *sect.* 5. Salas 1. 2. *tract.* 8. *sect.* 5. *num.* 56. Turrian. *de poenit. quæstion.* 9. *ar.* 2. *disp.* 3. *dub.* 1. Driedo *de captiu. & redempt. tract.* 2. *cap.* 4. Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 2. *sect.* 4. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. §. 4. *num.* 7. Candid. *tom.* 1. *disquisit.* 24. *ar.* 25. *dub.* 6. Tit. *An possit absolui.* Alphons de Leone *de offic. confess. recollect.* 6. *num.* 125. Vasquez 3. *par. quæst.* 91. *ar.* 2. *dub.* 1. Coninch *disp.* 7. *de poenit. dub.* 10. *nu.* 97. Becan. 3. *part. cap.* 37. *de poenit. quæst.* 2. *conclus.* 2. Auersa *quæst.* 10. *sect.* 16. ver. *Statuendum tamen* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 9. *de poenit. difficul.* 9. ver. *Paludanus verò.* Mercer. 3. *par. quæst.* 9. *de poenit. art.* 2. *dub. vn.* ver. *Dices primo.* Chellison. *eadem quæstion. dub.* 5. Medina, C. *de poenit. quæst. de peccat. oblit.* Io à Cruce *part.* 2. *direct. conscient. quæst.* 3. *de confess. dub.* 8. Fernandez *par.* 3. *examin. theol. moral. cap.* 7. §. 6. *num.* 18. Victorel. *in addit. ad cap.* 6. *Possevini de offic. cur. num.* 13. Villalob. *par.* 1. *sum. tr.* 9. *difficul.* 34. *num.* 6. Et desumitur etiam ex D. Th. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *ar.* 1. *ad* 1.

4 Et hæc sententia tanquam certa tenenda est. Ratio autem est, quia interueniunt omnia essentialia requisita pro sacramento, ergo potest confici sacramentum præcipuè, cum sit sacramentum maximæ necessitatis. Anteced. prob. Ex parte materiæ, nihil aliud requiritur, nisi dolor extrinsecè manifestatus tanquam materia proxima, & peccatum tanquam materia remota: hic autem interuenit dolor extrinsecè manifestatus, quia supponitur adesse debita dispositio in poenitente, & etiam externa confessio, dum confitetur, se in genere peccasse, & proinde peccatum in genere vt ligans animam proponitur soluendum, quod sufficit pro materia remota, quantum pertinet ad validitatem sacramenti. Illa enim materia remota sufficit, supra quam potest cadere absolutio, ita vt verificetur; verificatur autem supra peccatum in genere: tum quia peccatum, qua peccatum est, ligat animam, & proinde anima est solubilis ab ipso; tum quia forma non exprimit absolutionem à tali, & tali peccato in specie, sed à peccatis in genere, nam sacerdos dicit, *Absoluo te a peccatis tuis*, non autem à peccato furti, &c. Non requiritur autem maior determinatio in materia, quantum est ex vi validitatis sacramenti, quàm exprimatur in forma.

5 Confir. Extra sacramentum poenitentiæ contritio generalis delet omnia peccata, etiam si peccator non recogitet de omnibus in particulari, sed solum detestetur in generali offensam Dei; ergo in sacramento poenitentiæ sufficit ad validitatem, quod in confessione sensibili generaliter proponantur peccata. Conseq. prob. quia illa accusatio interior, quæ fit coram Deo in ordine ad obtinendam remissionem per contritionem, sufficit pro sacramento poenitentiæ, si fiat exterior, & sensibilis, quia est vera accusatio, & pro validitate sacramenti non requiritur nisi vera accusatio. Tum quia sicuti condonatio Dei cadit supra accusationem interiorem, ita absolutio sacramentalis supra exteriorem, vnde sicuti interior est capax absolutionis interioris, ita facta exterior erit capax absolutionis exterioris.

6 Confir. 2. Confessio peccati in genere potest esse materia partialis sacramenti poenitentiæ, vt si nimirum quis recordetur, se peccasse mortaliter, sed non recordetur in qua specie, vt desumitur ex D. Th. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *ar.* 1. Maior *dist.* 17. *quæst.* 3. Nauar. *cap.* 10. *Manual. num.* 7. Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 1. *numer.* 8. Quia nimirum in tali casu poenitens habet conscientiam peccati mortalis, & proinde secundum Concilium Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. tenetur illud subijcere

clauibus, vnde cum non possit subijcere in particulari, debet subiicere in generali. Quod autem potest esse materia partialis in sacramento pœnitentiæ, potest etiam esse materia totalis, quando non adest alia, aut non potest haberi. Vnde si quis haberet tantum conscientiam peccati moralis in genere teneretur ipsum solum subiicere clauibus, vt posset absolui, quia quidquid est materia partialis in hoc sacramento est capax absolutionis, & proinde etiam se solo potest sufficere.

7 Confir. 3. Explicatio omnium peccatorum in specie non pertinet ad essentiam sacramenti pœnitentiæ, sed tantum est de præcepto diuino, vt docent Paludan. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 2. Suarez *disp.* 23. *de pœni. sect.* 1. *num.* 5. *&* 10. Coninch. *disp.* 7. *de poenit. dub.* 1. *& dub.* 10. *conclus.* 2. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 2. Quod colligitur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. dum ponit institutionem sacramenti pœnitentiæ, & institutionem integritatis confessionis tanquam diuersas. ibi. *Ex institutione sacramenti poenitentiæ iam explicata vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* vbi notanda est dictio, *Etiam*, quæ est extensiua, & augmentatiua, itaut trahat, & explicet, quod prius non fuerat dictum. *l.* 1. C. *de testib.* & notant Paris. *Consil.* 46. *num.* 30. *vol.* 4. Riminal. *Consil.* 246. *num.* 83. *vol.* 3. Menoch. *consil.* 336. *num.* 17. Surdus *decis.* 8. *num.* 12. Duran. *decis.* 60. *num.* 27. Rota *decis.* 557. *num.* 1. *part.* 1. *Recent. apud Farinac.* & *decis.* 311. *num.* 1. *par.* 3. *Recent.* seu *par.* 1. *Posth. apud Farinac,* &. *decis.* 30. *num.* 22. *part.* 5. *Recent.* Vnde significat, quod institutio integritatis confessionis trahatur tamquam diuersa ad institutionem sacramenti pœnitentiæ. Rursus expressio peccatorum in specie, non pertinet ad iudicium, sed ad cognitionem causæ, quæ est quid præuium ad iudicium, & est instituta à Christo, vt sacerdos possit debitam æquitatem seruare in pœna iniungenda, vt habetur ex Tridentino *loco citato*. *Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in poenis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Sacramentum autem secundum sua essentialia non consistit in cognitione causæ, sed in ratione iudicij absolutiui, ergo expressio peccatorum in specie non erit pars essentialis sacramenti, cum non sit pars essentialis iudicij, sed solum quid præuium ad sacramentum necessariũ pro cognitione causæ, & pro adæquanda pœnitentia, ergo quando non potest haberi, adhuc haberi potest sacramentum secundum suas partes essentiales.

8 Hinc facilè soluuntur argumenta in oppositum. Ad 1. namque negatur Consequent. Ad prob. Respon. Concilium Tridentinum ex natura iudicij inferre, necessariam esse specificam expressionem peccatorum, & proinde institutam esse à Christo, non tanquam partem essentialem sacramenti, sed tanquam aliquod præuium requisitum necessarium pro exercendo iudicio vt coastat ex dictis *num. præcedenti*. Vnde non sequitur, quod non possit exerceri hoc iudicium, quando non potest haberi hæc specifica expressio peccatorum, quia vt exerceatur, & conficiatur sacramentum, sufficit, si interueniant partes essentiales iudicij, & sacramenti. Quare hæc expressio non pertinet ad iudicium quòad modum essentialem, quo exerceri debet, sed solum quòad modum integralem, ideo ea deficiente, solum deficit iudicium quòad aliquid integrale, non autem quòad essentiale.

9 Ad 2. neg. sequel. nam ex eo, quod quis in genere se accusat de peccatis in genere tribuit sacerdoti notitiam in foro sacramentali poenitentiæ, quam antea non habebat, quia quod sciat vnumquemque esse peccatorem, est cognitio extraiudicialis. Rursus talis

lis accusatio operatur quod sacerdos, ne dum sciat poenitentē peccasse, sed etiā, quod sciat eum agnoscere suum peccatum, & de ipso dolere, & poscere iudicium, seipsum subiiciendo clauibus. Hæc autem est illa notitia, quam poenitens tenetur subministrare sacerdoti, vt possit confici sacramentum; vnde si quis haberet vnicum peccatum mortale, quod esset in specie notum sacerdoti, non posset absolui, nisi vlterius ipsum notificaret, quia iudex non potest iudicare in virtute cognitionis extraiudicialis, præsertim in foro conscientiæ, in quo requiritur confessio rei, sed requiritur iudicialis.

10 Ad 3. neg. min. nam obiecta applicari debent secundum illas rationes, secundum quas sunt formaliter obiecta, vt circa ipsa actio versari possit, si quidem ratio formalis est illa, quæ ponit debitam proportionem, & quæ facit, quod sint per talem actionem attingibilia. Peccata autem sunt remissibilia, secundum quod habent rationem peccati, seu offensæ diuinæ; & ideo secundum hanc rationem applicari debent, vt supra ipsa cadere possit absolutio, & remissio. Prout autem sunt tale, vel tale peccatum in specie, se habent materiali modo, & ideo non est necesse, quod secundum suas speciales rationes singilatim applicentur, quantum est ex vi sacramenti. Sic etiā in contritione non est necesse, quod contritio attingat specialiter singula peccata in specie secundum proprias ipsorum rationes, sed sufficit, si attingat ingenere offensæ Dei, quam detestetur. Et in hoc seruatur debita proportio, quia sicut absolutionis verba significant absolutionem à peccatis in genere, ita etiam ad sui veritatem non requirunt per se, nisi peccatum in genere. Hinc in tali casu homo directè absoluitur à singulis peccatis, quia singula substernuntur absolutione, non ratione suæ speciei, sed secundum rationem offensæ Diuinæ. Et absolutio versatur circa aliquid singulare, quia non cadit supra peccatum in genere, prout est aliquid abstractum à singularibus, sed cadit supra peccata particularia in confuso sumpta, & prout dicunt rationem offensæ Diuinæ.

11 Ad 4. neg. quod assumitur, nam vt constat ex modo dictis *num. praecedenti*, remittuntur singula peccata, & ad prob. in contrarium resp. quod directè remittitur, quod subiicitur clauibus; quādo autem quis confitetur in genere, se peccasse subiicit clauibus peccata in particulari non distinctè secundum suam speciem, & numerum, sed in confuso, secundum tamen illam rationem explicitam, per quam sunt remissibilia, & ideo absolutio cadit supra ipsa singillatim sumpta in confuso tamen, & prout dicunt rationem offensæ diuinæ, quod sufficit, vt sortiatur suum effectum, vt constat etiam in contritione.

An si moribundus loqui non possit, sed tantum nutibus petat absolui, sit capax sacramenti pœnitentiæ?

Quæst. 120.

S V M M A.

1 *Sententia negans cum suis fundamentis.*
2 *Nutus, & signa sufficiunt pro sacramentali absolutione, si moribundus loqui non possit.*
3 *Nutus, & signa sunt sufficiens materia pro sacramento pœnitentiæ.*
4 *Pœnitens non tenetur se accusare de peccatis in confessione nisi eo modo, quo potest.*
5 *Signa doloris exhibent, quod est necessarium pro iudicio.*
5 *Quæ sint substantialia pro iudicio.*
6 *Signa doloris quomodo sint accusatio de peccatis.*
7 *Quomodo signa doloris habeant rationem confessionis.*
8 *Quomodo subijciant peccata clauibus.*
9 *An poenitens qui solum exhibet signa doloris sit absoluendus sub conditione.*

Quan-

9 *Quando adhibenda conditio in sacramento pœnitentiæ.*

---

1 NEgatiuam sententiam tradunt Sotus *in dist.* 18. *quæst.* 2. *ar.* 6. *ad* 1. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 18. Canus *Relect. de poenit. par.* 1. §. *At in hærendo.* Medina *par.* 2. *sum. cap.* 8. *& cap.* 19. Reg. 6. Conrad. *par.* 1. *resp. casuum conscient. quæ.* 10. Angles *in florib. quæst. de confess. ar.* 2. *difficul.* 10. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 36. *numer.* 25. Pedrazza *in sum. cap.* 7. Nauar. *cap.* 26. *Manual. num.* 17. Abulens. *in cap.* 16. *Matth. quæst.* 79. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 9. *ar.* 5. *dub.* 2. Nugnus 3. *par. quæst.* 6. *supplem. ar.* 3. Loquet. *de confess. per litter. capit.* 7. *numer.* 21. Aluarez 1. 2. *quæst.* 19. *ar.* 3. *disp.* 80. Fundamentum huius sententiæ est quia in hoc casu deficit pars essentialis sacramenti, nempe confessio, nam licet quis nutibus petat absolui, non confitetur peccata, nec in specie, nec in genere, ergo cum deficiat pars materiæ necessaria, non potest impendi absolutio, nec confici sacramentum. Confir. in tali casu datur solum voluntas confitendi, non autem confessio, non sufficit autem voluntas confitendi, sed requiritur actualis confessio, sicut non sufficit voluntas habendi dolorem, sed requiritur realis dolor. Confir. 2. Signa, & nutus nihil proponunt absoluendum, cum non proponant aliquod peccatum, sed ad summum declarant dolorem, ergo non potest habere locum absolutio, cum possit solum supra peccata tanquã supra materiam cadere.

2 Secunda sententia asserit, sufficere nutus, & signa, vt possit moribundus absolui. Ita D. Th. *Opus* 65. §. *De extrema vntione.* & *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 1. D. Antonin. 3. *par. tit.* 10. *cap.* 2. Sylucster *verbo.* Confessor. 3. *num.* 16. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 10. *num.* 7. Suarez *disp.* 23. *de sacram. predit. sect.* 1. *num.* 5. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 11. *punc.* 1. *post.* 6. *asser. casu* 1. Vasquez 3. *par. quæ[illegible]ion. ar.* 2. *dub.* 1. Corduba *lib.* 3. *quæ[illegible].* 2. *post.* 7. *proposit.* & *quæstion.* 39. *p[illegible].* Alcozer *in sum. cap.* 11. Toler. [illegible] *cap.* 8. *nu.* 2. Vinald. *in Cond[illegible]* Ti[illegible] *de Absolutione num.* 71. Laiman [illegible]*ib.* 5 *theol. moral. tract.* 6. *capit.* 8. *n[illegible].* 4. Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 2. *sect.* 3. Conich. *de sacram. disp.* 7. *de poenit. dub.* 10. & *Opus. de absolut. morib. numer.* 2. Ruard. *tom.* 1. *contra Luther. ar.* 5. *post init.* Becan. *de sacram. cap.* 37. *quæst.* 2. *conclus.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 5. *num.* 56. Pitigian. *in* 4. *dist.* 17. *artic.* 8. Iribarne *dist.* 18. *quæst.* 1. *disp.* 16. *sect.* 5. Io. Medina C. *de confess. quæst. de absolut. aboblitis.* Turrian. *de poenit. quæst.* 9. *ar.* 2. *disp.* 30. *dub.* 1. Angelus *verbo.* Confessio 4. *num.* 8. Driedo *de captiuit. & redemp. tract.* 2. *capit.* 4. Corduba *lib.* 5. *de Indulgent. quæst.* 39. *par.* 2. Rodiquez *par.* 1. *sum. cap.* 59. *num.* 8. Alphonsus de Leone *de offic. confessar. recollect.* 6. *num.* 121. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. §. 4. *num.* 7. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 9. *difficul.* 37. *num.* 5. Candid. *tom.* 1. *disquisit.* 24. *art.* 25. *dub.* 6. Tit. *An possit absolui* Diana *part.* 3. *tract.* 3. *resol.* 1. Pharaon. *de sacram. poenet. tract.* 1. *sess.* 16. *casu* 15. Regius *in Resolut. casu* 39. *num.* 4. Megal. *par.* 1. *instit. lib.* 1. *cap.* 11. *numer.* 8. Reginal. *de prudent. confessar. cap.* 21. *par.* 2. *num.* 16. Fernandez *in instruct. docum.* 4. *num.* 32. Raguccius *in lucer. paroch. tit. de Absolut. quæst.* 97. Thomas à Iesu *in Tribunali conscient. cap.* 11. §. 10. Auersa 3. *part. quæst.* 10. *de sacramen. poenit. sect.* 16. *ver. Secundo hinc sequitur.* Capeauil. *de administ. sacram. cap.* 3. *de poenit. quæst.* 10. Ralud. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *ar.* 2. Gaspar Hurtad. *de sacram. disp.* 9. *de poenit. difficul.* 9. Mercerus *de sacramen. quæst.* 9. *de poenit. dub. vnico.* Chelison. 3. *par. quæst.* 9. *de poenit. dub.* 5. ver.

ver. *Secunda opinio ait.* Mærat. *disp.* 28. *de sacram. poenit. sect.* 2. Isambert. *disp. item* 18. *de sacram. poenit. ar.* 10. 10. Cruce *part.* 2. *direct. conscient. quæst.* 2. *de confes. dub.* 8. Fernandez *par.* Exami. *theol. moral. cap.* 7. §. 6. *num.* 8. Victorrel. *ad cap.* 6. *Posseuini de off.* Curati. *num.* 13. Syluius 3. *par. quæst.* 9. *supplem. ar.* 2. *quæsito* 4. ver. *Secundus casus*. Ochagauia *de sacram. poenit. tract.* 2. *de confes. num.* 6. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 5. *de poenit. ar.* 19. *dub.* 6. *in conclus.* Petrus Marchant. *in Tribunali sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 7. ver. *Respondeo secundo.* Cælestin. *in comp. theol. moral. tract.* 1. *capit.* 21. Iacob. Marchant. *in resolut. pastoralib. de sacram. tract.* 5. *cap.* 6. *quæsito* 8. Lublinus *part.* 1. *sum. verbo.* Absolutio. *numer.* 12.

3 Hæc posterior sententia tanquam communissima, & innixa auctoritati Conciliorum, de quibus infra, cum ostendetur sufficere signa doloris exhibita etiam in absentia sacerdotis absque vlla difficultate tenenda est. Ratio autem est, quia tunc impendi potest absolutio pœnitenti, quando exhibet sufficientem materiam supra quam cadat absolutio: qui autem non potens loqui exhibet signa doloris, exhibet sufficientem materiam: Siquidem materia sacramenti pœnitentiæ sunt peccata, & dolor de ipsis, ita tamen vt sensibiliter manifestentur confessario eo modo, quo manifestari possunt. Illa autem doloris signa manifestant dolorem, nam significatum manifestatur in signo; & manifestant etiam peccata eo modo, quo possunt manifestari, quia dolor de peccatis manifestatus accusat ipsa peccata. Cum ergo interueniet materia sufficiens, potest impendi absolutio.

4 Quod autem sufficiat, quod pœnitens se accuset vt peccatorem eo modo, quo potest conueniunt omnes, qui excusant ab integritate materiali confessionis, quando non potest haberi: & colligitur etiam ex eo, quia hoc sacramentum est institutum à Christo pro ijs, qui labuntur post baptismum, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de poenitentia*, ita vt sit ipsis necessarium ad salutem, vt habet *eadem sess. cap.* 2. *in fine*: ergo pro ipso conficiendo non debet requiri alia explicatio peccatorum, quàm illa, quæ possibilis est pœnitenti, aliàs non haberet remedium necessarium ad salutem.

5 Confir. Signa doloris exhibent totum id, quod est necessarium ad substantiam iudicii: ergo, cum sacramentum pœnitentiæ se habeat per modum iudicij, poterit confici validè, quoties exhibentur talia signa, quia quæ sufficiunt ad substantiam iudicij, sufficiunt etiam ad substantiam sacramenti: Antecced. prob. Ad substantiam iudicii sufficiunt Iudex, Reus, Accusator, & delictum, ita vt si reus confiteatur, non sit necessarium aliquid aliud. In tali autem casu hæc omnia interueniunt, nam pœnitens est reus, & exhibendo signa doloris accusat se tanquam peccatorem, dolentem de peccatis, & fatetur signis, se deliquisse, ergo sacerdos tanquam iudex in hoc iudicio potest proferre sententiam absoluendo reum pœnitentem, quia habentur omnia essentialia ad iudicium.

6 Ad fundamentum oppositæ sentent. resp. Non deesse confessionem, vt constat ex modo dictis. Cum enim signa doloris sint manifestatiua ipsius doloris concepti ex peccatis commissis, manifestant etiam ipsa peccata; cum dolor ex peccatis conceptus non possit manifestari, nisi simul peccata innotescant; & cum talia signa fiant in ordine ad obtinendam absolutionem, subijciunt clauibus pœnitentem tanquam peccatorem, & proinde tanquam absoluendum per ipsarum potestatem.

7 Ad 1. Confir. negandum est, quod assumitur. Nam illa signa non solum ostendunt voluntatem confitendi, sed etiam sunt confessio. Si quidem confessio, quæ requiritur pro hoc scaramento, non est aliud, quam accu-

cusatio dolorosa, qua poenitens, se accusat tanquam peccatorem dolentem de peccatis commissis: & proinde sufficit pro ipsa illa externa manifestatio, qua confessario manifestentur peccata, & dolor de ipsis: nutus autem, & alia huiusmodi signa vtrumque manifestant, & ideo sufficiunt, quando alia manifestatio non potest haberi.

8 Ad 2. confir. neg. assumptum, nam, vt constat ex dictis, nutus, & alia signa manifestatiua doloris, ita manifestant dolorem, vt simul etiam manifestent peccata, & illa subijciant clauibus, si non explicitè, & singula in specie, saltem in confuso. Cum enim dolor sit actus voluntatis dolentis, necessario debet tendere in aliquod obiectum, de quo doleat voluntas. Et quia potest voluntas dolere de diuersis obiectis, dum illa signa doloris diriguntdr ad confessarium, aut ad Deum, determinantur in esse sensibili, vt sint signa doloris concepti ex peccatis & proinde ostendendo dolorem, accusant etiam peccatum.

9 An autem in tali casu poenitens absoluendus sit absolutè, an verò sub conditione. Resp. esse absolutè, & absque conditione absoluendum, vt notat etiam Marchant. *in tribunali sacram. tract.* 4. *tit.* 4. *quast.* 3. *dub.* 7. ver. *Resp. secundo*. Ratio est. Quia tunc tantum debet adhiberi conditio, quando dubitatur de sufficientia materiæ, hic autem non potest dubitari, tum quia adest certa materia proxima sensibiliter manifestata; nempe dolor, & etiam remota, nam manifestantur peccata licet in confuso, in particulari tamen, quia dolor non est signum peccati ingenere, & in abstracto, sed peccati commissi, atque adeo singularis, & determinati; vnde etiam materia remota est determinata. Tum quia omnes ferè doctores conueniunt, quod sit materia sufficiens, quia consensus reddit rem moraliter certam.

An si moribundus, qui loqui non potest, nec audire, oculos in Coelum eleuet suspirans, vel ad imaginem aliquam respiciat, & similia signa deuotionis exhibeat præsente sacerdote, possit absolui. Quæst. 121.

S V M M A.

1 Partem negatiuam tuentur Megal. *par.* 1. *instit. lib.* 1. *capit.* 11. *num.* 8. Thomas à Iesu *in Tribunali conscientiæ. capit.* 2. §. 10. *in fine*. Io. Franciscus Suarez *in Enchirid. cas. conscient. lib.* 5. *verbo*. Confessor. §. *Petes confessarium*. Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 1. *num.* 11. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. §. 4. *num.* 6. Fundamentum autem huius sententiæ est. Quia signa doloris, & contritionis non sufficiunt pro obtinenda absolutione, nisi adhi-

beantur in ordine ad claues petendo confessionem, aut vocando sacerdotem verbis, aut signis: dicta autem signa non sunt in ordine ad claues. Confir. Licet in huiusmodi signis sit aliqua confessio peccatorum, non tamen est confessio, quæ fiat sacerdoti, & qua poenitens in iudicio se accuset; requiritur autem confessio, quæ sit accusatio iudicialis coram sacerdote.

2 Secunda sententia asserit; dicta signa sufficere ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Ita Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 6. cap. 8. num. 4.* Zambran. *in sus decis. cap. 4. de poenit. dub. 2. num. 24.* Capeauil. *de administr. sacram. cap. 3. de poenit. & cap. 11.* Pharaon, *de sacram. poenit. tract. 1. sess. 16. casu 15.* Bartolom. à S. Fust, *de sacram. poenit. lib. 4. de confess. quæst. 201. ver. Sed coeteri. vlt. edit. Neapol.* Peyrin, *in formular. Littera A. cap. 6. nu. 7.* Torreblan. *in pract. iur. spirit. lib. 14. cap. 11. num. 6.* Isambert. *3. par. disp. 18. de sacram. poenit. ar. 10. ver. Quæres quid.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 5. sect. 2. punc. 2. num. 8. ver. obserua tamen.*

3 Hec posterior sententia nihil videtur probabilior. Ratio autem est, quia quando interueniunt signa sensibilia testificantia dolorem conceptum ex peccatis commissis in ordine ad obtinendam remissionem, habetur sufficiens materia pro sacramento pœnitentiæ, In hoc autem casu habentur talia signa, ergo. Maior patet, quia talia signa sunt sensibilis confessio pecca'i eo modo, quo fieri potest, & est ordinata ad forum sacramentale pœnitentiæ ex sui natura, si quidem solum inseruit talis confessio pro obtinenda remissione in sacramento poenitentiæ, non autem extra sacramentum, vnde peccatum ponitur in cõfessione in ordine ad tribunal poenitentiale Ecclesiæ, & proinde D. August. *serm. 48. de tempore. init.* habet. *Tunditur pectus, vt arguatur, quod latet in pectore, & euidenti pulsu, vt occultum castigetur peccatum.*

4 Minor quoque probatur. Dicta signa sunt signa doloris, & poenitentiæ conceptæ de peccato, & conuersionis in Deum ad implorandum eius auxilium, vnde cum peccator non possit conuerti in Deum nisi per poenitentiam, erunt signa poenitentiæ; ergo cum poenitentia, & contritio ordinetur ad destructionem peccati, erunt signa doloris ordinata ad obtinendam remissionem, quia peccatum non potest destrui, nisi per remissionem; quod præsertim verum est, quia sunt coniuncta cum conuersione poenitentis in Deum. ergo cum sint sensibilia sunt etiam ordinata ad obtinendam remissionem sensibili modo, hoc est per signum sensibile, quod est absolutio.

5 Confir. Illa signa testantur extrinsecus, & sensibiliter accusationem conscientiæ, qua morti proximus accusatur intrinsecus, & dolorem respondentem accusationi, ergo habetur sensibilis materia sufficiens pro sacramento poenitentiæ, Siquidem accusatio conscientiæ, qua quis accusat seipsum de peccatis commissis fit manifesta, & sensibilis per illa signa. Rursus. Illa signa poenitentiæ adhibentur à moribundo in ordine ad remedium; ergo cum sint ex natura sua ordinata ad manifestandum alteri, sunt etiã ordinata ad quærendum remedium ab alio, atque adeo per sacramentum poenitentiæ, quod est vnicum remedium.

6 Confir. 2. Circumstantiæ declarant, & faciunt præsumi, quod illa signa sint ordinata ad obtinendam absolutionem sacramentalem, nam circumstantiæ qualificant actum, & ipsum determinant, ergo faciunt etiam, quod talia signa sint sufficiens materia pro sacramentali absolutione. Anteced. prob. Tum quia constitutus in aliquo periculo, quærit ex naturali instinctu ab ipso liberari, vt experientia patet; vnde, cum moribundus sit in periculo salutis spiritualis, illa signa erunt ordinata ad liberationem, atque adeo ad remedium, quod non est aliud, nisi absolutio sacramentalis. Tum quia in

in illo articulo vrget præceptum poenitentiæ; & ideo præsumi debet, quod illa signa deuotionis sint ordinara ad implendum præceptum; cum quilibet præsumatur prudenter agere, & satisfacere propriæ obligationi. Tum quia in illo articulo, quilibet præsumitur memor propriæ salutis, & proinde velle ipsi consulere, quantum potest, atque adeo velle adhibere remedia necessaria.

7 Ex his facilè dissoluitur fundamentum oppositæ sententiæ. negandum est enim, quod talia signa non sint ordinata ad claues, & ad obtinendum sacramentalem absolutionem. Nam vt adhibeanrur signa doloris, & contritionis in ordine ad claues, non est necesse quod explicitè, & formaliter ordinentur ad ipsas; sed sufficit, si ordinentur virtualiter, aut interpretatiuè; quia actus moralis censetur ordinatus in illum finem, ad quem dicit virtualem ordinem; & voluntas interpretatiua sufficit, vt aliquid dicatur volitum, vt passim constat in moralibus; illa autem signa tanquam expressa ob remedium peccati, & ex conuersione in Deum, virtualiter ordinantur ad claues; & præsumptiones faciunt innotescere voluntatem interpretatiuam absolutionis, vt constat ex dictis.

8 An confir. resp. Illam confessionem peccati, quæ fit per illa signa doloris, & deuotionis, non fieri quidem sacerdoti determinato, quia etiam si adsit, fieri potest, quod non agnoscatur à moribundo. Sed fieri coram Ecclesia, & cuicunque sacerdoti in confuso. Nam fiunt, vt constat ex dictis, ad obtinendum remedium ab extrinseco, atque adeo ab eo, qui potest ipsum exhibere, neque enim extrisecus fierent, nisi ab alio desideraretur remedium. Vnde in tali casu sufficiunt, quia poenitens non tenetur se subiicere clauibus, nisi eo modo, quo potest; & quia cum accusatio censeatur facta coram Ecclesia, censetur facta etiam coram quocunque sacerdote tanquam ministro Ecclesiæ. Si autem sacerdos sit præsens, & agnoscatur à moribundò, confessio censetur facta ipsi sacerdoti, determinate.

9 Ex dictis colligitur. Quod si morioundus merè exhiberet dicta signa doloris, & deuotionis & nihil cogitaret de absolutione sacramentali, adhuc posset absolui, quia ad sacramentum poenitentriæ non requiritur expressa voluntas subiiciendi se clauibus, sed sufficit ipsa subiectio per accusationem sui ipsius quòad peccata commissa, atque adeo illa sola volunras sufficit, qua fiat ista subiectio; tunc enim habetur totum id, quod ex parte poenitentis est necessarium ad sacramenrum. Cum autem dicta signa sint virtualiter, atque etiam interpretatiuè ordinata ad absolutionem sacramentalem, siquidem ex natura sa ordinantur ad ipsam vt ad remedium, & circumstantiæ faciant præsumi interpretatiuam voluntatem, ideo moraliter sunt subiectio, qua poenitens se subiicit clauibus.

An si quis genuflectens ante sacertem corripiatnr apoplexia, ita vt sensibus destituatur, antequam incipiat confiteri, possit absolui. Quæst. 122.

S V M M A.

1 *Opinio negans.*
2 *Qui genuflectit ante confessarium peccata expiaturus absolui potest, si statim sensibus destituatur.*
3 *Quomodo genuflexio ante confessarium habeat vim confessionis.*

1 NEgatiuā sententiam tradit Coquet. *tract. de absolut. per litter. capit. 7. numer. 21*

 Quia

Quia in tali casu deficit prorsus materia sacramenti, supra quam cadat absolutio; Cum enim nec etiam in genere confiteatur, nec exhibeat signa contritionis, nullo modo subministrat materiam pro sacramento.

2 At affirmatiuam sententiam tenent Coninch *in Respon. ad differt. contra absolut. moribun. &c. num.* 16. Diana *par.* 3. *tract.* 3. *resolut.* 2. *in fine*. Quæ sententia mihi videtur probabilior. Ratio autem est, quia non est deneganda absolutio moribundo, quando potest impendi, & tunc potest impendi, quando adest materia sufficiens manifestata extrinsceus, vel per verba, vel signa; in dicto autem casu adest materia sufficiens, nempe confessio, & accusatio sui ipsius coram sacerdote per signa manifestata, atque etiam declaratio doloris.

3 Quod aut in tali casu adsit talis confessio prob. Si poenitens solum posset declarare dolorem, & petere absolutionem exhiberet sufficientem materiam pro sacramento, & posset absolui iuxta ea, quæ dicta sunt supera *quæst.... numer.* 3. *& sequentibus* de confessione ingenere, ergo etiam in præsenti casu poterit absolui, siquidem exhibet per sensibilia signa confessionem ingenere. Dum enim genuflectit ante confessarium, se sistit ante ipsum tanquam reum iudicandum, atque adeo facto ipso se declarat, & accusat tamquam peccatorem, & actu illo humiliationis pe it absolui, & sibi remitti peccata. Quando enim agitur de manifestatione cordis, efficaciora sunt facta ad manifestandum, quàm sint verba. *l. Si tamen*. §. *Si ei qui ff. de ædilit. edict.* & cap. *dilecti filii*. 2. *de appellat.* & notant Dec. *ibid. notab.* 2. Ancharan. *consil.* 302: *num.* 8. Abbas. *consil.* 116. *numor.* 4. *lib.* 2. Gozadin. *consil.* 101. *num.* 3 Romon. *consil.* 291. *num.* 4. Salicet. *in l.* 1 C. *Si ma fac. rat. hab.* Ias. *in l. Reprehendenda num.* 7. C. *De instit. & substit.*

An, si sacerdos nihil cogitans de periculo mortis in principio missæ, post recitatam confessionem destituatur sensibus, possit absolui.

Quæst. 123.

S V M M A.

1 *Cur secundum aliquos non possit absolui sacerdos, qui celebraturus recitata confessione amittit sensus.*
2 *Probabile est posse absolui, & quando.*
2 *Quæ confessio requiratur pro obtinenda sacramentali absolutione.*
2 *An confessio, quæ fit à sacerdote initio missæ possit esse sufficiens pro sacramento pœnitentiæ.*
3 *An talis sacerdos possit sub conditione absolui:*

1 Difficultas procedit, non an possit absolute absolui, quia est eadem ratio de ipso, ac de eo, qui destituitur sensibus, & nullum exhibet signum contritionis, de quo infra dicetur; sed an possit absolui in vigore confessionis, quæ fit in missæ initio. Non posse absolui tradunt Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *capit.* 8. *num.* 4. Diana *par.* 3. *tract.* 3. *resol.* 2. ver. *Notandum est*. Quia talis confessio non est sacramentalis, nec ordinata ad recipiendam absolutionem in foro poenitentiali.

2 Hoc tamen non obstante existimo probabile, quod possit absolui, quando concurrunt tales circumstantiæ ex parte sacerdotis, quæ reddant probabile, quod non merè recitatiuè confessionem pronunciauerit, sed cum aliquo animi sensu, & dolore de peccatis. Ratio autem est. Quia pro sacramento poenitentiæ sufficit ex parte poenitentis accusatio doloresa de peccatis, nec requiritur, quod specialiter or-

ordinetur ad obtinendam absolutionem, quia hoc habet ex natura sua, siquidem confessio dolorosa importat actum pœnitentiæ, & actus pœnitentiæ ex natura sua ordinatur ad destructionem peccati, atque adeo ad obtinendam remissionem. Et quod talis accusatio fiat in facie Ecclesiæ, quia dum fit in facie ipsius, acceptari potest ab Ecclesia tanquam deducta ad suum tribunal; nec requiritur, quod fiat coram determinato sacerdote, vt notant ij omnes, qui tenent, moribundum posse absolui, quando testes deponunt, quod dederit signa contritionis, licet in absentia sacerdotis. Sed totum saluatur in sacerdote pronunciante confessionem in principio missæ, nam adest sensibilis accusatio de peccatis in genere, & talis accusatio fit in facie Ecclesiæ, siquidem illam facit, antequam incipiat ministerium ad quod deputatus est ab Ecclesia, & sicuti in facie Ecclesiæ celebrat, ita etiam in facie ipsius se accusat, quia illa confessio est pars illius actionis, quæ fit in facie Ecclesiæ, & est confessio coniuncta cum deprecatione veniæ atque adeo cum interpretatiua voluntate absolutionis, quia actus debet accipi tanquam factus eo meliori modo, quo fieri potest, & vt per ipsum prouideatur causæ magis necessariæ *l. Cum ex pluribus. ff. de solut. & notant Bar. in l. Triticum. ff. de verbor. obligat. Menoch. consil. 195. num. 5.* Præsertim quia dolor facit præsumi voluntatem absolutionis, cum sit ex se destructiuus peccati atque adeo fundatus in voluntate interpretatiua de remedio destructiuo peccati, ergo si probabile sit, quod talis confessio sit facta cum aliquo sensu doloris poterit absolui, cum adsit sufficiens materia.

3 Ex quibus colligitur. Quod si contingeret casus, posset saltem sub condicione impendi sacramentalis absolutio; nam cum sacerdos accedat ad illud sacrificium adeo venerandum, probabile est, quod simul cum illa externa accusatione de peccatis coniungat internam displicentiã, quod Deum offenderit, & se conuertat in ipsum. Quod cum possit rationabiliter præsumi, fundatur probabilitas de materia sufficienti pro tali sacramento, atque adeo de impendenda absolutione sub conditione.

An possit absolui moribundus quando dubitatur, an signa exhibita proueniant à dolore de peccatis, an ab angustia mortis.
Quæst. 124.

S V M M A.

1 *An absoluendus moribundus in dubio an signa sint ex dolore de peccatis, an ex angustia mortis.*
1 *An signa sint materia dubia.*
2 *Confessio, quæ est materia sacramenti pœnitentiæ, potest esse dubia.*

---

1 Resp. posse absolui sub conditione. Ita docent etiam Laiman *lib. 5. theol moral. tract. 6. cap. 8. numer. 4. ver. Sed benè.* Io. Sanchez *in selectis de sacram. disp. 44. num. 35. in fine.* Diana *par. 3. tract. 3. resol. 3.* Capeauil. *de administr. sacram. cap. 3. de pœnit. quæst. 10. ver. Dices tertio.* Marcant. *in Tribun. sacram. tom. 1. tract. 4. tit. 4. quæstion. 3. dub. 7. ver. Respondeo quarto.* Ratio autem est, quia talia signa sunt saltem materia dubia pro sacramento pœnitentiæ, nempe confessio peccatorum signis illis expressa, nam cum sit dubium, an oriantur ex dolore concepto de peccatis, an ex angustia mortis, adest motiuum pro vtraque parte, & proinde fit materia probabilis; quando autem vrget necessitas, est licitum ministrare sacramentum necessitatis, quale

quale est sacramentum pœnitentiæ, cum materia dubia, sit probabilis, si non possit haberi certa. Conditio enim, quæ adhibetur saluat ab omni irreuerentia, quæ posset inferri sacramento.

2 Dices. Esse diuersam rationem de sacramento pœnitentiæ, quia cum se habeat per modum iudicij, in quo sententia fundatur in voluntaria confessione Rei, eo ipso, quod non constat in iudicio de tali confessione, certum est deesse materiam, cum materia sit confessio peccatorum facta in iudicio. Verum reijcitur hæc responsio, quia licet materia sacramenti sit confessio peccatorum facta in iudicio, adhuc tamen hæc confessio potest esse dubia, ita vt probabile sit ex vna parte, quod adsit, & ex alia parte probabile sit, quod non adsit. Cum enim signa contritionis exhibita subministrent hãc materiam in iudicio sacramentali, si exhibeantur signa dubia, deducitur ad sacramentale iudicium materia dubia, & ideo cum ipsa confici potest sacramentum sub conditione.

An si sacerdos audiat confessionem infirmi, & differat absolutionem, possit ipsum absoluere, si reuertens inueniat sensibus destitutum. Quæst. 125.

S V M M A

1 *Sacerdos potest absoluere moribundum inuentum sensibus destitutum si ante eius confessionem audierat.*

2 *Quæ simultas requiratur inter materiam sacramenti pœnitentiæ, & formam absolutionis.*

3 *An possit præsumi quod moribundus mutauerit voluntatem, si antea sit confessus.*

4 *An possit absolui moribundus sensibus carens, si præmiserit confessionem non in illo die, sed antea.*

4 *Confessio pœnitentis facta coram sacerdote moraliter durat, licet physice transacta.*

1 AFfirmatiue respondetur, ita docent etiam Capeauil. *de adminiftrat. sacram. cap. 3. de pœnit. quæstio. 13.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. de pœnit. dub. 2. num.* 41. Diana *part. 3. tract. 3. Resol. 6.* Pierin. *in Formular. Littera A. cap. 6. num. 7.* Cælestin. *in compen. Theol. mor. tract. 1. capit. 21. dist. 4.* Ratio autem est, quia pœnitens subministrauit sufficientem materiam pro sacrameto, nempe confessionem aliquorum peccatorum, & cum non possit, excusatur ab integritate confessionis, ergo poterit absolui.

2 Dices materia debet esse simul cum forma in sacramentis, illa autem confessio non esset simul. *Resp.* sufficere, quod sint simul moraliter, ad quam simultatem fundandam non requiritur coexistentia, sed sola propinquitas, quæ potest esse maior, aut minor iuxta qualitatem sacramenti. Vnde cum sacramentum pœnitentiæ sit per modum iudicij, non est necesse, quod posita accusatione, qua pœnitens se accusat statim sequatur absolutio, sed potest differri per aliquod tempus, nam de ratione iudicij non est, quod sententia statim feratur, ac de delicto constat in foro iudiciali. Sed potest differri. Semper enim censetur durare accusatio, cum sit facta in ordine ad sacramentalem absolutionem, & sit deducta ad tribunal sacramentale.

3 Dices 2. Fieri posse, quod pœnitens retractauerit voluntatem, & amplius non sit dispositus pro recipienda absolutione. *Resp.* hoc non debere præsumi, nisi de ipso constet, quia præsumptiones debent esse rationabiles habita ratione circumstantiarum. Vnde cum prius habuerit debitam dispositionem, non est verisimile, quod vrgen-

gente periculo mortis mutauerit voluntatem, sed potius, quod vehementius indoluerit de peccatis, nam quilibet præsumitur memor propriæ salutis, præsertim in articulo mortis.

4 Ex his colligitur, quod non solum poterit absolui, si hoc contingat eadem die; sed etiam, si contingat aliquo die transacto. Ratio autem est, quia hoc non repugnat nec ratione dispositionis; nec ratione validitatis sacramenti. Non ratione dispositionis, quia sufficit, quod moraliter duret; vnde, vt communiter docent, possunt baptizari amentes adulti, si ante amentiam petierunt baptizari, & fuerunt dispositi, etiam si longum tempus præcesserit; quia cum non sit retractata, censetur moraliter durare. Nec ratione validitatis sacramenti, quia sufficit, quod materia sit exhibita, & deducta ad iudicium sacramentale, vt sit moraliter præsens; non enim requiritur, quod physicè existat, quando impenditur absolutio, nam semper confessio præcessit, & dolor non semper est præsens, quia sufficit, quod præcedat confessionem, vt ipsam informet. Quando autem confessio est facta sacerdoti tanquam iudici fori poenitentialis, redacta est veluti in acta huius tribunalis, & moraliter durat apud ipsum tribunal, quia iudex eam conseruat apud se; & ideo est sufficiens, vt sit materia sacramenti, quia sufficit, quod in virtute ipsiuspossit supra poenitentem proferri sententia. Imo cum sit facta cõfessio à poenitente animo obtinendi absolutionem, atque adeo cum debito dolore, extendit suam voluntatem vsque ad tempus absolutionis, atque adeo se reddit capacem illius pro illo tempore, ita vt talis dolor censeatur durare ex vi talis extensionis pro illo tempore. Quare confessio est pars essentialis sacramenti, non vt in se ipsa existens, siquidem nunquam physicè existit in se ipsa quando sacerdos absoluit, cum debeat semper præcedere absolutionem, sed vt exhibita sacerdoti, & vt existens apud tribunal Ecclesiæ, veluti in actis iudicialibus apud iudicem conseruata.

An possit absolui moribundus, qui in absentia confessarij dedit signa pœnitentiæ, si sensus postea amittat, & aliquis de hoc testificetur. Quæst. 126.

SVMMA.

1 *Negatiua opinio.*
2 *Confessio debet subijcere poenitentem clauibus, & fieri sacerdoti præsenti.*
3 *Moribundus absolui potest, si dat signa poenitentiæ etiam in absentia confessarij.*
4 *Concilia decernunt posse absolui.*
5 *Idem decernunt Summi Pontifices.*
6 *Cur dicta Concilia non possint accipi de reconciliatione coeremoniali.*
6 *Quid nomine pænitentiæ apud sacros canones intelligatur.*
7 *Cur neque de absolutione à censuris.*
8 *An procedunt de solis pænitentibus solemnibus.*
8 *Clericis non imponebatur publica pœnitentia. Nec manus imponebantur.*
9 *Quid decernat rituale Romanum circa absolutionem moribundi.*
9 *Rituale Romanum cuius auctoritatis sit.*
10 *Quæcunque accusatio pænitentis sufficit pro obtinenda absolutione, quando alia haberi non potest.*
11 *sufficicit si fiat coram Ecclesia, quando fieri non potest coram determinato sacerdote.*
12 *Quomodo dans signa pænitentiæ in absentia sacerdotis facto ipso declaret se dolere &c.*
12 *Plus est animum facto declarare, quàm verbis.*
13 *Quomodo per signa exhibita à moribundo in absentia sacerdotis adhuc confessio fiat sacerdoti præsenti.*
13 *Qualis existentia confessionis sufficiat, quando est præsens sacerdos.*
13 *Actu tacito inducitur ratificatio.*

1 NEgatiuam sententiam tradunt Sotus *in 4. dist.8. quæst. 2. art.* 3.

3. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 27. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 9. *a.* 5. *dub.* 2. Loquet. *de confess. per. litteras cap.* 7. *num.* 21. Du Fay. *de poenit. quæst.* 9. *supplem. ar.* 2. *disp.* 2. Canus *relect. de poenit. par.* 5. §. *Ad quartum* Aluarez 1. 2. *quæst.* 19. *ar.* 6. *disp.* 8. Lauor. *de iubil. par.* 2. *capit.* 10. *numer.* 13. Turrian. *de poenit. quæst.* 9. *ar.* 2. *disp.* 32. *dub.* 4. Alphens de Leone *de Offic. potest. confess. tom.* 1. *resol.* 6. *num.* 123. Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscient. quæst.* 3. *de sacram. poenit. num.* 15. Et qui tenent, quod non sufficiat confessio in genere, quos adduxi supra *quæst. num.* 1. Item Petrus Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 21. *conclus.* 2. *dub.* 3. Candidus *tom.* 1. *disquisit.* 24. *ar.* 25. *dub. an poenitens morti vicinus.*

2 Prob. Talia signa non sunt confessio, qua poenitens se subiiciat clauibus, sed ad summum sunt voluntas, & desiderium confitendi, ergo deest materia sacramenti, quia hæc non est voluntas confitendi sed ipsa cofessio. 2. Ex decreto Clementis VIII. *sub die* 20. *Iun.* 1602. non valet confessio facta absenti: talia autem signa si essent confessio sacramentalis, essent confessio facta absenti. Confit. Si confessio fiat in præsentia sacerdotis, non tamen valet absolutio data in absentia; ergo nec confessio facta in absentia, licet absolutio detur in præsentia, cum sit eadem ratio.

3 Secunda sententia asserit, sufficere signa poenitentiæ exhibita à moribundo, etiam in absentia confessarij, si tamen aliquis de hoc testificetur confessario. Ita Henriquez *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 7. & *lib.* 6. *cap.* 30. *num.* 7. Angelus *verbo.* Confessio. 4. *num.* 4. Syluester. *verbo.* Confessio. 3. *quæst.* 13. Corduba *lib.* 5. *de Indulgen. quæst.* 39. Viuald. *in Candelab.* Tit. *de obsolut. n.* 71. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 11. *punc.* 1. ver....... Rodriquez *par.* 1. *sum. capit.* 75. Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 12. Vasquez 3. *par. quæst.* 91. *ar.* 2. *dub.* 2. Tolet. *lib.* 3. *sum. cap.* 5. *num.* 2. Facundez *precep.* 2. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. *numer.* 16. Ochagauia *de sacram. tract.* 2. *de poenit. quæstion.* 17. *num.* 7. Gaspar Hurtad. *disp.* 9. *de poenit. difficul.* 9. ver. *Addimus, ut optimè.* Præposit. 3. *par. in supplem. quæst.* 4. *de qualit. confess. dub.* 5. Pesant. *disp.* 11. *de integrit. confes.* Syluius *quæst.* 9. *ar.* 9. *quæsito.* 4. *casu.* 2. Maldonat. *in sum. cas. conscient. quæst.* 19. *artic.* 14. Coninch. *disp.* 7. *de sacramen. poenit. dub.* 10. *num.* 99. Reginal. *lib.* 8. *praxis fori poenit. par.* 3. *num.* 28. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 122. Becan. *tract. de sacram. cap.* 36 *cap.* 2. *quæst.* 2. Sà *verbo.* Absolutio. *numer.* 10. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Naldus *verbo.* Infirmus. *num.* 8. Megalla *par.* 1. *instit. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 4. Pontius *lib.* 4. *de matrimon. cap.* 25. *num.* 8. Thomas à Iesu *in Tribunali conscientiæ cap.* 11. §. 10. Capeauil. *de administ. sacram. cap.* 3. *de poenit. quæst.* 12 Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 2. *sect.* 3. Pharaon. *de sacram. poenit. tract.* 1. *sect.* 16. *casu* 16. Medina *Cod. de poenit. ar.* 2. *de confess. quæst.* 39. Pitigian. *in* 4. *tom.* 2. *disp.* 17. *quæst. vn. ar.* 8. *conclus.* 4. Montesin. 1. 2. *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 176. Ludouicus à S. Io. *part.* 1. *sum. tract. de poenit. quæst.* 5. *artic.* 19. *dub.* 6. Cotiolan. *de casib. reser. par.* 1. *tract.* 9. *difficul.* 37. *num.* 6. Belloch *de casib. resor. part.* 1. *quæst.* 2. *numer.* 112. Anton. de Litterat. *par.* 1. *sum. cap.* 35. *num.* 7. Diana *par.* 3. *tract.* 3. *resol.* 4. ver. *Sed ego* Mercer. *de sacram. quæst.* 9. *supplem. ar.* 2. *dub. vn.* Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 28. *de poenit. sect.* 2. Caspens. *part.* 2. *curs. theol. disp.* 4. *de poenit. sect.* 22. Villalob. *par.* 1. *tract.* 9. *difficul.* 37. *numer.* 6. ver. *contodo.* Bellarm. *lib.* 2. *de poenit. cap.* 7. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. *num.* 10. Castro Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 23. *de sacram. poenit. disp. vn. punc.* 11. *num.* 10. & *sequent.* Orbel. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. 12. Astens. *par.* 1. *sum. lib.* 4. *tit.*

4. *tit.* 17. *& quæst.* 16. Benzon *lib.* 1. *speculi disp.* 5. *quæst.* 5. §. *vlt.* Raguc. *in lucerna paroch.* Tit. *de absolut. quæsito* 97. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 34. ver. *Arbitror.* Cornelius 1. 2. *tom.* 1. *tr.* 8. *disp.* 3. *in fine.* Bartholom à S. Fausto *de sacram. poenit. lib.* 4. *de confess. quæstion.* 202. ver. *Hoc tamen. in vlt. edit. Neapol.* D. Antonin. 3. *par. tit.* 1 *. cap.* 2. Peyrin. *in. formular. littera. A. cap.* 6. *numer.* 7. Gammach. 3. *par. cap.* 20. *de poenit.* §. 4. Cœlestin. *in compen. theol. moral. tract.* 1. *cap.* 21. *num.* 3. Mancinus *in pract. visit. infir. in appen. ad pract.* 4. *dub.* 1. Nouar. *lib.* 2. *adnotat. & decis. moral. cap.* 4. *quæsito.* 17. Auersa 3. *par. quæst.* 10. *de confess. sect.* 17. ver. *Attamen.* Torreblan. *in pract. iur. spirit. lib.* 14. *cap.* 11. *num.* 7. Bassæus *in florib. theol. pract. verbo.* Absolutio *n.* 12. Isambert. 3. *par. disp.* 17. *de sacram. poenit. ar.* 10. Fernandez *in instruc. sacerd. docum.* 4. *num.* 32. Marchant. *in tribun. sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 7. ver. *Respondeo tertio.*

4 Hæc posterior sententia absolutè tenenda est. Et si attentè testimonia mox afferenda considerentur, est determinata in Concil. Arausican. 1. *can.* 11. relato *in cap. qui recedunt.* 26. *quæ.* 6. ibi. *Subitò obmutescens baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Vbi notandum est, quod eodem modo sufficit aliorum testimonium, ac sufficiunt proprii nutus; vnde cum hi sufficiant pro obtinenda absolutione, sufficiet etiam aliorum testimonium. Et in Concil. Cartaginensi III. *cap.* 34. relato *in c. Ægrotantes. De consecrat. dist.* 4. ibi. *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur; Et similiter de poenitentibus agendum est.* Et in Concil. Cartagin. 4. *can.* 36. relato *in cap. His qui.* 26. *quæst.* 6. ibi. *Si infirmus poenitentiam petens ob mutuerit, vel in phrenesim inciderit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat poenitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem.* Ex quibus satis constat, posse absolui, qui in absentia sacerdotis signa poenitentiæ dederunt.

5 Quod etiam expressè habetur ex D. Leone Papa *Epist.* 89. *aliàs* 91. relato *in cap. His, qui* 26. *quæst.* 6. ibi. *His autem, qui intempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia, præsidium poenitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conuersio, dicente spiritu Dei per prophetam, Cum conuersus ingemueris, tunc saluus reis.* Et infra. *In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam.* Et rursus circa finem. *Verum, vt dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis poenitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqui vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul, & poenitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.*

6 Resp. primo Doctores oppositæ sent. Hos canones non esse intelligendos de absolutione sacramentali, sed de absolutione cœremoniali, qua publicè poenitentes solebant solemniter reconciliari Ecclesiæ. Verum reijcitur hæc responsio. nam ponitur *Poenitentia*, tanquam diuersa à *Reconciliatione* in dictis textib. vt in Concil. Carthagin. 4. allato. ibi. *Et accipiat poenitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem.* & in dicta Epist. Leonis Papæ *Vt simul & poenitentiæ, & reconciliationis beneficium*

consequantur, & intelligere de absolutione sacramentali manifestè patet, præsertim quia agit de illa poenitentia, quæ reparat vitam æternam. 2. Quia sacri canones nomine poenitentiæ intelligunt sacramentum poenitentiæ, nam intelligunt de illa poenitentia, quæ est necessaria pro sumenda Eucharistia, & præcedit reconciliationem, vt in Concil. Arausicano. 1. *can*. 3. relato *in cap. qui recedunt*. 26. *quæst*. 6. ibi, *Qui recedunt de corpore poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare, quod morientis sufficit reconciliationi secundum definitionem Patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum vocauerunt. quod si superuixerint, stent in ordine poenitentium, vt ostensis necessariis poenitentiæ fructibus legitimam communionem, cum reconciliatoria manus impositione recipiant*. Et cap. *Agnouimus*. 26. *quæst*. 6. vbi Cœlestinus Papa intelligit nomine pœnitentiæ illam, qua homo redimitur ab onere peccatorum, vnde etiam habet. *Salutem hominum adimit quisquis mortis tempore speratam poenitentiam denegarit*.

7 Secundo respondent. Hos textus esse intelligendos de absolutione à censuris. Verum hæc quoque responsio reijcitur. Nam hi textus loquuntur de poenitentia, quæ ministratur à sacerdote; & nomine ponitentiæ intelligitur absolutio sacramentalis, vt constat ex dictis *num. præcedenti*. absolutio autem à censuris non est poenitentia. 2. Per absolutionem à censuris homo reconciliatur Ecclesiæ; dicti autem canones procedunt de poenitentia contradistincta à reconciliatione. 3. Dicti, canones procedunt vniuersaliter de omnibus moribundis, non autem de ijs solis, qui sunt irretiti censuris. 4. Dicti canones loquuntur de poenitentia, quæ præmittitur sumptioni Eucharistiæ, & quæ liberat ab onere peccati. 5. Leo Papa loquitur de pœnitentia, quam quis corpore exutus non potest amplius recipere. ibi. *Quod manens in corpore non receperit, consequi carne exutus non poterit*. Absolutionem autem à censuris consequi possumus etiam post mortem cap. *A nobis*. 2. *de sentent. excommunicat*. 6. Quia comparatur poenitentia cum baptismo, ergo intelligitur de poenitentia sacramentali.

8 Tertio resp. Canus, & Ledesma in dictis textib. agi de poenitentibus publicis, & solemnibus, qui in certis diebus fatebantur publicè in Ecclesiis sua peccata, vt habetur in cap. *In capite. dist*. 50. qui stante tali confessione in specie poterant sacramentaliter absolui. Sed neque hæc responsio potest subsistere. Nam dicti canones, sicut & Leo Papa loquuntur gneneraliter de omnibus; vnde in cap. *Qui recedunt*. citato dicitur *Clericis quoque desiderantibus poenitentia non est neganda*, & tamen Clericis non imponebatur publica poenitentia, vt habetur ex capit. *Confirmandum*. & *sequentib. dist*. 50. & cap. *Præsbiter. dist*. 82. Nec clericis manus imponebantur, sicut prohibuit Leo Papa. Cap. *Alienum, dist*. 50. Reconciliatio autem publicorum poenitentium fiebat per manuum impositionem, vt habetur passim præsertim cap. *His qui* 26. *quæst*. 6. 2. In dictis testib. agitur de iis, qui non erant adhuc pœnitentes, sed de nouo poenitentiam petebant vt in cap. *Is, qui*. 26. *quæst*. 6. ibi. *Is qui in infirmitate poenitentiam petiit*. Si enim petit in infirmitate, certè antea non petierat: vnde subditur. *Si superuixerit, admoneatur, petitioni suæ satisfactum; & subdatur statim poenitentiæ* (nempe publicæ) *legibus, quandiu sacerdos, qui poenitentiam dederit, probauerit*. Si autem fuisset publicus poenitens, iam fuisset subiectus poenitentiæ legibus. 3. In cap. *Qui recedunt* 26. *quæst*. 6. Poenitentibus adiungit etiam amentes, quibus pietatis remedia ministrentur. ibi. *Amentibus etiam, quæcunque pietatis sunt, conferenda sunt*; nempe vt communiter docent cum Glos. *ibid*. & D. Th. 3. *par. quæst*. 80. *ar*. 9. Extrema vnctio, & Eucharistia, nisi aliquid obstet; ergo procedit

cedit de omnibus moribundis vniuersaliter, cum etiam adiungat amentes 4. Si essent publice poenitentes Concilium nõ requireret pro ipsis aliorum testimonium, nam Ecclesia esset certa de poenitentia.

9 Confir. ex Rituali Romano *edito iussu Pauli V. anno* 1615. tit. *de sacram. poenit.* §. *penult.* vbi habetur. *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Nec dici potest, quod tanquam aliquid priuati Doctoris hoc proponatur, quia Pontifex *in Bulla Rituali præfixa* declarat se proponere illos ritus tanquam approbatos apud Ecclesiam catholicam, vt qui curam animarum gerunt, inoffenso pede ambulent. *Et imposterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, eiusdem Ecclesiæ omnium matris, & magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus vtantur; & in re tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, & ab ea probatus vsus antiquitatis statuit, inuiolatè obseruent.* Ecce ergo quomodo in ijs, quæ in hoc Rituali præscribuntur, interposita est auctoritas Romanæ sedis. Quod autem aliqui dicunt, deesse in Rituali dictionem, *Non*, ita vt legendum sit, *Absoluendus non est.* ridiculè admodum se gerunt, cum sit dictio illa negatiua contra sensum verborum. Vnde etiam in Congregatione San. Inquisitionis Romanæ *die* 2. *Decembris* 1621. Declaratum est, debere in hoc seruari Rituale Romanum, nec repugnare decreto Clementis VIII.

10 Ratio autem est. Quia pro obtinenda absolutione sacramentali ex parte poenitentis sufficit, quando aliud haberi non potest, accusatio, qua se ipsum accusans de peccatis subijciat clauibus, seu iudicio sacerdotis in ordine ad absolutionẽ, atque adeo interueniat debita dispositio ex parte ipsius, nempe dolor de peccatis iuxta illud Leonis Papæ *Epist.* 91. *alias* 89. *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solum per baptismi gratiam, sed etiam poenitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æterna, & qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminis peruenirent, sic diuina bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* Sed in eo, qui in absentia sacerdotis dat signa poenitentiæ, aut petit confiteri, interuenit dolor de peccatis, quia talia signa, & petitio confessionis proueniunt ex desiderio reconciliationis cum Deo, atque adeo ex dolore de peccatis, & etiam interuenit accusatio, qua se accusat tanquam peccatorem, nam illa signa, & petitio confessionis sufficienter declarant, quod peccauerit, & doleat de peccatis; & illum subiiciunt clauibus, quia ordinantur ad obtinendam absolutionem. ergo exhibent totum necessarium ex parte poenitentis pro sacramento.

11 Nec dici potest. Quod talis confessio non sufficiat, quia non fit coram aliquo sacerdote, quia cum non dirigatur ad aliquem determinatum sacerdotem, sufficit, si fiat coram Ecclesia, quia tunc quilibet sacerdos, vt minister Ecclesiæ succedere potest in officium iudicandi. Fit autem sufficienter coram Ecclesia, quando fit in ordine ad claues ipsius, & coram testibus, qui possint illam deducere in iudicium coram determinato iudice. Vt enim reus absolui, vel damnari possit, sufficit, si causa deducatur in iudicium vel per ipsum, nempe per propriã confessionem, vel per testes. Vnde cum hoc sacramentum sit per modum iudicij, sufficiet, si accusatio, qua poenitens se accusat, deducatur per testes in iudicium coram determinato sacerdote, quando non potest deduci per ipsum poenitentem, præsertim, si quantum est de se, faciat, quod potest, vt de-

deducat. Tunc enim testes censentur habere tacitam commissionem à poenitenti, vt nomine ipsius deducant.

12 Hinc ad 1. negatur anteced. Nam, vt constat ex dictis, in illis signis continetur accusatio, qua poenitens se accusat tanquam reum coram Deo. Quod etiam valet, etiã si solum extrinsecus declaret solam voluntatem confitendi. Nam talis voluntas per modum cuiusdam facti declarat, quod poenitens habeat, quod subiiciat clauibus, atque adeo declarat, quod sit reus alicuius peccati. Rursus, quia nemo petit confiteri, & absolui, nisi desideret reconciliationem cum Deo, & qui desiderat, se disponit ad illam recipiendam, nam, qui desiderat finem, desiderat etiam media, & illa ponit, ideo declarat etiam, quod poenitens doleat de peccatis; & quod tanquam reus se subiiciat clauibus: & consequenter in tali voluntate habetur tota illa sensibilis manifestatio, & declaratio, quæ in tali casu est necessaria, & sufficit pro conficiendo sacramento. Quod autem declaratio tali modo facta sufficiat, ex eo constat, quia plus est animum facto, quam verbis declarare cap. *Dilecti filii. 2. De appellat.* & cap. *Legebatur. De maior. & obedien.*

13 Ad 2. neg. minor. Quia licet talia signa exhibeantur in absentia sacerdotis à poenitente, non per hoc tamen dicitur confessio fieri absenti. Nam non solum absolutio non datur absenti, sed præsenti; sed etiam confessio censetur fieri præsenti, tum quia per testes præsentes deducatur ad notitiam sacerdotis, atque adeo in iudicum sacramentale. Tum quia cum pœnitens sit præsens sacerdoti, sicuti censetur moraliter durare confessio tanquam deducta in acta iudicialia, ita etiam censetur ratificari à poenitente præsenti voluntate interpretatiua, dum presumitur manere in eadem dispositione, & voluntate, siquidem etiam actu tacito inducitur ratificatio *l. Pauls ff.* Rem *ratam haberi*. Præsertim, quia censetur ex mandato ipsius delata confessio ad sacerdotem, nam dum quærit confessarium, & ostendit voluntatem se subdendi clauibus, censetur omnibus, qui præsentes sunt, mandare, vt suam voluntatem, & signa illa poenitentiæ deferant sacerdoti. Et ideo ex nullo capite est confessio facta absenti. præsertim, quia quando admittitur modus deducendi confessionem in iudicium sacramentale per testes, & non immediatè per poenitentem, præsentia testium facit, quod confessio fiat sacerdoti præsenti. Hinc etiam solutum manet, quod affertur in confirmatione, nam supponitur, quod confessio sit facta absenti, cum tamen sit facta præsenti virtute ratificationis, qua censetur ratificari confessario præsenti. Quod in præsenti casu sufficit, quia non requiritur, nisi id, quod est possibile, sicut nec etiam est necessaria expressio omnium peccatorum, vt omnes docent, quando haberi non potest, quamuis aliàs sit necessaria. Hic etiam teste Archiepiscopo Armacano apud Coninch *disp. 7. de sacramen. poenitent.* & *Opusculo de absolut. moribun. num. 61.* Clemens VIII. declarauit. Non fuisse sibi propositum damnare, seu prohibere, quod absolutio sacramentalis impendatur incidente eo casu.

An si sacerdoti absenti nuncietur, quod aliquis moribundus exhibuerit signa pœnitentiæ, possit accurrens præsens absoluere, si nullus alius in præsentia idem confirmet.

Quæst. 127.

S V M M A.

1 *An testis debeat in præsentia moribundi testificari de signis pœnitentiæ, et num. 2.*

2 *Nec absolutio potest dari absenti, nec etiam confessio fieri absenti.*

3 *Quomodo confessio moribundi censeatur fieri pra-*

præsenti sacerdoti, quando absens monetur de ipsa.

4 Quomodo talis confessio moraliter duret.

4 Voluntas non præsumitur mutata, nisi de ea constet.

5 Præsentia testis respectu moribundi quando testificatur de signis pœnitentiæ materialiter se habet.

5 Testis in tali casu non est interpres.

6 Cur Concilia, &c. requirunt testimonium præsentium pro moribundo quoad signa pœnitentiæ.

7 Licet testis in absentia moribundi testetur de signis pœnitentiæ, confessio non fit absenti.

8 Tam confessio propria, quam minus propria non potest fieri absenti.

9 An possit absolui, qui mitteret peccata scripta sacerdoti, si eo postea adueniente sensus amisisset.

10 Quid si moribundus exhibeat signa pœnitentiæ, & quis ea non aduertens mandaciter testetur exhibuisse.

1 QVod sit necessaria testificatio de signis pœnitentiæ exhibitis facta in præsentia moribundi, & sufficiat, quod fiat in absentia, vt possit absolui à sacerdote præsenti, asserit Diana *par. 3. tract. 3. resol. 7. ver. Igitur ex supradictis*, & alij Recentiores. Primum fundamentum huius sententiæ est. Quia Leo 1. *Epist. decret. 91.* relatus in cap. *His, qui 26. quæst. 6.* dicit. *Testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt*; per quæ verba fit coarctatio vt, qui præsentes sint, debeant testimonium ferre. Secundum. Quia Clemens VIII. in suo decreto *sub die 20. Iunii. 1602.* damnauit non solum sententiam asserentem, posse absolutionem impendi absenti, sed etiam sententiam asserentem, confessionem posse fieri absenti, ita vt hæc pars etiam seorsim ab alia damnata sit, vt declarauit Paulus V. *Die Augusti* 18. 1605. decernens, quod ex tract. Suarez *de pœnitentia* deleretur. *Sectio* 4. *disputationis* 21. in qua docebat, quod solū erat prohibitum in Decreto Clementis VIII. absolutionem impendi absenti; non autem quod confessio fieret absenti. Talis autem confessio qualiscumque sit, esset facta absenti, & solum absolutio esset data præsenti.

2 Secunda sententia asserit, posse impendi absolutionem, etiam si quando sacerdos est præsens, nullus adsit, qui testificetur de signis contritionis exhibitis, dummodo hoc in absentia confessario notificatum fuerit. Ita Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæstion. 3. punc. 33. num. 4.* asserens, plures Doctores Romæ hoc ipsum sensisse, Prepofit. *3. par. quæst. 4. de qualit. confes. dub. 5. num. 91. ver. Quarto potest mittere*. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 44. num. 35. ver. Quod si eueniat in fine*. Auersa *3. par. quæst. 10. de confess. sacram. sect. 17. ver. Attamen concedendum.* Et possent citari etiam ij omnes, qui volunt, quod confessio fieri possit absenti, dummodo absolutio inpendatur præsenti, quando alio modo fieri non potest; vt tempore mortis. Hi autem sunt Filliuccius *tract. 7. cap. 5. num. 122.* Zambran *in suis decis. cap. 4. de sacram. poenit. dub. 2. num. 31.* Fernandez *par. 3. Exam. theol. mor. cap. 7. §. 6. num. 50.* Villalob. *par. 1. sum. tra. 9. difficul. 37. in fine.* Bartolom. à San. Fausto. *de sacram. poenit. lib. 4. de confess. quæst. 202. ver. Hoc tamen in vlt. edit. Neapol.* Nam ad minus per hos doctores valebit, quod in tali casu possit impendi absolutio, licet cōfessio non possit fieri absenti. Desumitur etiam ex Rituali Romano Pauli V. nam absolute dicitur in *Tit. de sacram. poenit. §. penult.* quod absoluatur moribundus, quando aliquis testificatur de signis pœnitentiæ exhibitis, nec requirit, quod testificatio fiat in præsentia moribundi.

3 Et hæc sententia tanquam probabilior est tenenda. Ratio autem est. Quia signa pœnitentiæ exhibita à moribundo sunt in ordine ad confessionem sacramentalem, & ad sacerdotem superuenturum, ergo cum contineant pro

tali

tali casu sufficientem confessionem, seu accusationem, poterit moribundus absolui, etiam si in præsentia ipsius nemo de ipsis testimonium exhibeat. Prob. conseq. quia in tali casu confessio illa censetur moraliter durare, & continuari à poenitente vsque ad aduentum sacerdotis, si quidem ex voluntate moribundi non dirigitur ad absentem, & proinde non fit absenti, sed extenditur, vt duret vsque ad ipsius aduentum, cum illam exhibeat in ordine ad absolutionem, quando aderit sacerdos, & ideo censetur facta sacerdoti præsenti. Voluntas enim habet vim extendendi se ipsam, & suos effectus ad tempus futurum, ita vt faciat illos moraliter durare, etiam si physicè non durent, vt patet in voluntate legislatoris, quæ extendit legem ad obligandum pro toto tempore futuro, & facit ipsam moraliter durare; in voluntate testatoris, qui declarando propriam voluntatem facit ipsam cum sua dispositione post mortem durare.

4 Quod autem confessio moraliter duret, ex eo patet, quia durat voluntas, cuius est effectus, & proinde ab ipsa manutenetur, & conseruatur. Voluntas enim præsumitur durare, nisi probetur mutata *l. Lucius. in fine ff. de legat.* 1. & *l. Eum, qui. ff. de probat.* & *l. Fidei commissa. §. Si rem. ff. de legat.* 3. vbi Bar. & *in l. Sine possidetis. C. de probat.* Bald. *in l.* 1. *C. de coll.* Aret. *in l.* 1. *ff. de acquir. posses.* Corn. *consil.* 56. *par.* 2. & *in l. Gerit. circa fin. ff. de acquiren. hæred.* Bartholom. Socin. *consil.* 131. *circa init. par.* 1. Quod vero sufficiat duratio moralis confessionis ex eo colligitur, quod hoc sacramentum ministrari potest tanquam necessarium eo modo, quo est possibile, vnde licet sit de iure diuino, quod omnia peccata in specie, & in numero explicentur in confessione, vt declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 5. & *can.* 7. quando tamen non possunt explicari, sufficiunt etiam soli nutus, & generalia signa pœnitentiæ. ergo quando non potest confessio fieri sacerdoti alio modo, sufficiet, si moraliter duret in præsentia ipsius, Vnde Leo I. *Epist. Decret.* 91. decernit, quod possit absolui moribundus, si quando adest sacerdos habeat testimonium præteritæ voluntatis, non sufficeret autem præterita voluntas, nisi sufficeret præsentia moralis.

5 Confir. Si moribundus post quam dedit signa poenitentiæ amittat prorsus omnes sensus, potest absolui, si quis testificetur in præsentia ipsius de dictis signis. ergo poterit etiam absolui, si testificetur in absentia. Conseq. prob. Quia quod testificans sit præsens moribundo materialiter se habet, quia cum moribundus non percipiat testificationem, non potest ipsam ratificare, & proinde hoc non facit, quod censeatur de præsenti confiteri, ratione consensus, & ratificationis, vt contingit in eo, qui confitetur per interpretem: vnde quantum est ex hoc capite, confessio est facta merè per internuntium, & formaliter tanquam absenti, quia moribundus, cum sit destitutus sensibus, & nullo pacto percipiat, quid fiat, se prorsus habet ac si non adesset. Vnde etiam in dicto casu solum potetit absolui, non quia fiat testificatio in præsentia ipsius, sed quia moraliter durat confessio. Nec potest dici, quod quando testis est præsens gerat vicem interpretis, quia interpres dicit ordinem ad principalem loquentem interpretando eius dicta, & proinde ad eum, qui actu vtatur ratione; vnde si cesset vsus rationis, non potest habere locum interpretatio, sed tantum testificatio; quia interpretatio non habet locum, nisi quando adest actualis loqutio, quæ explicetur, atque adeo quando adest actualis loquens.

6 Ad 1. oppositæ sent. resp. in illo tex. solum dici, quod circumstantium fidelium testimonium prodesse debet, non autem dicitur, quod hoc testimonium ferri debeat in præsentia moribundi. Dicit autem Pontifex, quod

quod teſtimonium debeat ferri à circumſtantibus, quia ipſi tanquam teſtes certi de viſu, aut auditu deponere poſſunt. Quare ſenſus eſt, quod teſtimonium illorum, qui fuerunt circumſtantes, prodeſſe debet, ſiue hoc teſtimonium exhibeatur in præſentia, ſiue in abſentia.

7 Ad 2. neg. minor. Nam talis confeſſio, qualiſcunque ſit, fit coram Eccleſia, nam non fit in ordine ad determinatum ſacerdotem, ſed in ordine ad quemcunque miniſtrum Eccleſiæ. Vnde cum non poſſit fieri ratione neceſſitatis determinato miniſtro; fit ipſi Eccleſiæ, quæ tunc de præſenti cenſetur illam acceptare pro miniſtro superuenturo; quod pro tali caſu ſufficit, cum alio modo non ſit poſſibilis. Deinde talis confeſſio moraliter durat, quando ſacerdos eſt præſens, vt dictum eſt in ſuperioribus, & proinde ſaluatur, quod confeſſio fiat in præſentia ſacerdotis eo modo, quo eſt poſſibilis. Quod non contigeret, ſi quis confiteretur abſenti per litteras, vel per nuncium; nam cum tunc non adſit impoſſibilitas confitendi præſenti, Eccleſia non acceptat illam confeſſionem tanquam ſibi factam, Imo neque ipſi fit, nam fit determinato ſacerdoti. Nec poſſet ſacerdos factus præſens abſoluere, quia licet confeſſio facta abſenti moraliter duraret, non tamen eſſet illa confeſſio, quæ eſſet neceſſaria, quia non eſſet cum illa conditione, quæ eſt neceſſaria, quando eſt poſſibilis, nempè, quod pœnitens in præſentia ſacerdotis ſe accuſet phyſico modo, & non tantum moraliter, ſicut etiam poſſet abſoluere, ſi quis in genere ſolum confiteretur, quando eſſet poſſibilis confeſſio in ſpecie.

8 Ex dictis colligitur, vt notat etiam Auerſa 3. *par. quæſt.* 10. *de ſacram. pœnit. ſect.* 17. ver. *Secundò dicunt.* Non rectè alios Recentiores diſtinguere inter confeſsionē propriè dictam, in qua peccata in ſpecie explicantur, & confeſsionem minus propriè dictam, in qua poenitens ſe accuſet ſolum per ſigna, aut petitionem confeſſionis: et confeſſionem propriè dictam eſſe inualidam factam confeſſario abſenti, non autem confeſſionem minus propriè dictam. Neque enim hoc poteſt ſubſiſtere, quia ſi ſemel ad validitatem ſacramēti requiritur, quod confeſſio fiat in præſentia ſacerdotis, & ex defectu huius confeſſio eſt inualida, ſemper erit inualida, ſiue ſit confeſſio propriè dicta, ſiue minus propriè, nam per hoc, quod ſit minus propriè confeſſio, variatur ſolum qualitas confeſſionis, non autem ſit, quod non ſit materia. Et proinde Clemens VIII. in ſuo decreto, de quo ſupra *num.* 1. habet, quod in nullo vnquam caſu liceat confiteri abſenti. Et certè mirum eſſet, quod ſi quis moribundus habens vnicum tantum peccatum mortale, peteret confiteri, & de illo peccato in ſpecie coram taſtibus ſe accuſaret, & non poſſet abſolui à ſuperueniente confeſſario in virtute illius confeſſionis, ſi poſtea ſenſus amiſiſset, & deponerent teſtes de confeſſione ipſius; & poſset abſolui alius, qui tantum generalia ſigna poenitentiæ exhibuiſset. Certè eſſet dicere, quod ſacramentum cum perfectiori materia non poſſet miniſtrari; & quod poſſet miniſtrari cum materia minus perfecta.

9 Ex dictis colligitur, Quod ſi quis præuidens periculum mortis, & amiſſionis ſenſuum, ſcriberet ſua peccata, & mitteret confeſſario, ſed antequam confeſſarius adueniret, amitteret ſenſus, poſſet abſolui à præſente confeſſario, vt docet etiam Præpoſit. 3. *par. de ſacram. poenit. quæſt.* 4. *de qualitate confeſs. dub.* 5. *num.* 91. ver. *Tertiò aliquis.* Licet enim peccata manifeſtata ſint ſacerdoti abſenti, quia tamen manifeſtata ſunt in ordine ad obtinendam abſolutionem à præſenti, ideo talis manifeſtatio eſt coniuncta cum voluntate ratificandi ſacerdoti præſenti talem accuſationem, & proinde adueniente ſacerdote cenſetur moraliter durare ratificatio, atque adeo eſſe præſens etiam confeſſio.

Col-

10 Colligitur. 2. contra Io. Sanchez *in select. de sacram, disp.* 44. *nu.* 35. ver. *Nec infirmo*. Quod si moribundus reuera exhibeat signa pęnitentiæ, & aliquis ex adstantibus ea non aduertens, adhuc tamen mendaciter testetur sacerdoti, moribundum exhibuisse signa pœnitentiæ, non solum licitè poterit absolui, sed etiam absolutio illi proderit. Quia mendacium testis est tantum formale, non autem materiale, nam reuera moribundus exhibuit talia signa. Validitas autem sacramenti pœnitentiæ non dependet à dicto testificantis, sed ab ipsa materia, seu accusatione exhibita à pęnitente, & proinde si hæc creuera interuenit, conficitur sacramentum; sicut è contra non conficeretur, si non dedisset talia signa, & adstans putans dedisse, testificaretur, quod exhibuerit, in quo casu verum formaliter diceret, licet materialiter falsum. Nec est eadem ratio de pęnitente formaliter mentiente, & verum materialiter dicente; nam hic in tantum sacramentum irritat, inquantum mentiendo peccat, & ponit obicem sacramento, quod non contingit in teste, cum hic non ponat obicem.

Quot testes requirantur pro testificatione de signis pœnitentiæ exhibitis à moribundo. Quæst. 228.

S V M M A.

1 *Ratio dubitandi.*
2 *Vnicus testis sufficit in fauorem moribundi quòad signa contritionis.*
3 *In iis, quæ nemini nocent, & alteri prosunt vnicus testis probat.*
4 *Etiam in causis leuis præiudicij, & quando summariè proceditur.*
4 *Vnicus testis cum adminiculis, & præsumptionibus probat.*
5 *Vnicus testis probat baptismum.*
5 *Eadem est ratio de teste quòad pluralitatem ac de interprete in confessione sacramentali.*
7 *Cur Concilia, quando agunt de testificandis signis poenitentię moribundi ponant testes in numero plurali,*

1 PLures esse necessarios, videtur concludi ex Concil. Arausicano 1. *can.* 11. relato in cap. *Qui recedunt.* 26. *quæst* 6. nam ibi dicitur, quod poterit absolui moribundus, *Si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* & ex Concil. Carthaginensi III. *cap.* 34. relato in capit. *Aegrotante*, *De consecrat. dist.* 4. ibi. *Dent testimonium qui eum audierunt.* & ex Leone Papa *Epist.* 91. relato in cap. *His qui* 26. *quæst.* 6. vbi. Quod moribundo, *Testimonia fidelium circumstantium prodesse debebunt.* Et etiam quia ex natura rei ad probandum requiruntur duo, aut tres testes iuxta illud.

In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.

2 Tenendum tamen est, quod in tali casu sufficiciat etiam vnicus testis. Ita Zambran. *in suis decis cap.* 4 *de sacram. poenit. dub.* 2. *sect.* 5. Graff. *lib.* 2. *consil.* 5. *de homicid. difficul.* 2. *in fine.* Raimun. *in sum.* Tit. *de sepult. circa inis.* Reginal. *lib.* 8. *praxis fori poenit. cap.* 3. *n.* 8. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *numer.* 35. *init.* Diana 3. *par. tra.* 5. *resol.* 5. Hambert. 3. *par. disp.* 18. *de sacram. poenit. art.* 10. *in fine.* Auersa *de sacram. poenit. quæst.* 10. *de confes. sacram. sect.* 17. ver. *His suppositis* Cœlestin. *in compen. theol. moral. tract.* 1. *cap.* 21. *dicto.* 2. Torreblan. *in prac. iur. spirit. lib.* 14. *cap.* 11. *num.* 12. & alii cum Glos. in cap. *Is, qui.* 26. *quæst.* 6.

3 Ratio autem est. Quia in iis, quę nemini nocent, & alteri prodesse possunt, vnicus testis probat cap. *cum itaq.* & cap. *paruulis. De consecrat. dist.* 4. & notant Glos. *fin. in cap. licet vniuersis.*

ſis . De teſtib. & *in cap. Placuit. de conſecrat. diſt.* 4. & *in cap. In Summa* 2. *qu.* 4. Dominic.*in cap.quanto.* 2. *quæſtion.*5. Bald. *in capit. nuper.* ver. *Nuper de teſtib.* Specul. *Tit. de teſtib. Fallent.* 9. & 16. Felin. *in cap. Veniens.*& *in c. licet vniuerſis in fine de teſtib.*Hyppolit. *in l.* 1.§. *Idem Cornelio. ff. de quæſtion.*Petrus Gerard. *ſingul.* 49. Ias. *in repet. l. Admonendi. ff. de iureiur.* & *in l. Reſcripta. C. de precib. Imperat. offer.* Afflict. *in conſtit. Tit. de Apoſt. numer.* 12. *lib.* 1. Anton.Gabr. *conclus.* 1. *num.* 16. *de teſtib.*

4 Quod etiam extenditur ad cauſas leuis præiudicij, & in quibus ſummariè proceditur, vt tradunt Bart. *in l. Admonendi. num.* 36. *ff. de iureiur.* vbi etiam Bald. *in repet. num.* 92. Zuchar. *in l. fin. num.* 101. *C. de edict. D. Adr. tollen.* Petrus Benintendi *deciſ.*62.*num.* 14. Menoch. *conſil.* 469. *numer.* 34. Vnde, cum ſimus in caſu, in quo non ſolum ſummariè proceditur, ſed extraiudicialiter, & de nullius agitur præiudicio, ſed de fauore moribundi, abſq. vlla difficultate ſufficit vnicus teſtis. Præſertim, quia concurrunt etiam adminicula, & præſumptiones, in quo caſu ſufficit vnicus teſtis *l. Admonendi. ff. de iureiur.* & *l. In bonæ fidei. C. de iureiur.* Cum enim moribundus repeiatur in illo periculo mortis, veriſimile eſt, quod fuerit memor propriæ ſalutis, & curauerit ſibi conſulere *l. Fin. C. ad l. Iul. repet.*

5 Hinc etiam communiter docent Doctores, quod ſufficit vnicus teſtis, in quo nō poſsit eſſe ſuſpicio, ad probandum aliquem eſſe baptizatum ad effectum, vt non iterum baptizetur. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. vn. ar.* 9. *ad* 4. Palud. *diſt.* 6. *quæſt.* 4. D: Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 13. §. 12. Syluester. *verbo.* Teſtis. *quæſt.* 5. Tabiena *verbo.* Baptiſmus. 5. *num.* 9. Ledeſma *par.* 1. *ſum. capit.* 5. *de baptiſ. dif.* 2. Suarez *de ſacram. diſp.* 22. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 146. *cap.* 3. *num.* 24. Granad. *contrauer.* 4. *de Baptiſ. tr.* 1. *diſp.* 8. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* Paſqualig. *numer.* 3. Comit. *lib.* 1. *reſponſ. cap.* 1. *num.* 4. Turrecrem, & cæteri Canoniſtæ *in cap. paruulos. de conſecrat. diſt.*4. Quia nimirum in his caſibus teſtificans non' habet motiuum mentiendi, & è contra habet motiuum dicendi veritatem, nempe obſeruantiam fidelitatis, ad quam tanquam ad ſpecialem virtutem homo naturaliter inclinatur.

6 Confir. Si quis confiteatur per interpretem, ſufficit dictum ipſius quòad notificandum ſacerdoti ſpecies, & numerum peccatorum, ergo ſufficiet etiam vnicus teſtis pro notificandis ſignis contritionis exhibitis à moribundo. Couſeq. prob. Quia non eſt minus neceſſarium, quod notificentur ſacerdoti ſpecies, & numerus peccatorum, quando poſſunt notificari, quā ſit neceſſe, quod notificetur confeſsio poenitentis moribundi in ſignis accuſationis. Quot autem, & quales teſtes ſufficiant, & an infidelis, reſoluendum eſt, ſicut fuit reſolutum in ſuperioribns cum dictum eſt de eo, qui petiit baptiſmum, & poſtea amiſit ſenſus cum militet eadem ratio.

7 Ad fundamentum in oppoſitum reſp. In illis teſtbus dici, quod præſentiam teſtimonium prodeſſe debeat, non quia plures collectiuè debeant teſtificari, ſed quia vnus, aut alter de adſtantibus, teſtificetur. Vnde ſenſus eſt quod aliorum teſtimonium ſufficiat, non quia plures debeant teſtificari, ſed quia cum ipſe non poſsit ſuam volntatem explicare, debet ab aliis iuuari ſiue vno, ſiue pluribus.

An poſſit abſolui moribundus, qui nulla ſigna pœnitentiæ exhibuit. Quæſt. 129.

S V M M A.

1 *Opinio negans.*
2 *Pro ſacramento pœnitentia non ſufficit inter-*

nus dolor, sed est necessaria externa accusatio.

2 *An moribundus debeat habere testimonium suæ voluntatis, vt possit absolui.*

3 *Moribundus potest sub conditione absolui, etiam si nullum signum pœnitentiæ percipiatur.*

4 *Quomodo in tali casu saluetur, quod interueniat sufficens materia.*

5 *Pro sacramento pœnitentiæ requiritur tanquam de essentia externa confessio.*

6 *Testificatio de signis pœnitentiæ non est conditio sine qua non possit abolui moribundus.*

6 *Dictio, Si, non semper importat conditionem, sed aliquando monitionem.*

---

1 NOn posse absolui, tenet communis sententia. Ita Henriquez *lib. 6. sum. cap. 10. n.* 9. Suarez *disp. 21. de sacram. poenit. sect. 3. num.* 1. Vasquez *3. par. quæst. 91. ar. 2. dub. 1. numer.* 1. Coninch. *disp. 7. de poenit. num.* 69. Petrus du Fai. *quæst. 9. de poenit. ar. 2. disp. 2.* Turrian. *eadem quæst. disp. 30. dub. 1. ad* 3. Tribarne *in 4. dist. 18. quæst. vnica. disp. 16. sect.* 5. Mercer. *de sacram. quæst. 9. de poenit. ar. 2. num.* 9. Malder. *de sigil. confes. capit.* 15. Pitigian. *in 4. dist. 17. quæst. vn. ar.* 8: *conclus.* 3. Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 12. num.* 4. Naldus *in sum. verbo.* Confessor. *num.* 4. Alphons. de Leone *tom. 1. de offic. confes. recollect. 6. num.* 131. Reginal. *lib. 8. praxis fori poenit. cap. 3. num.* 25. Bellocch. *de casib. reser. par. 1. quæst. 2. num.* 116. Diana *par. 3. tract. 3. resol.* 8. Manriquez *par. 2. quæst. moral. quæst.* 112. Mancinus *in pract. visitan. instr. in addit. ad pract. 4. dub.* 3. Fernandez *par. 3. exam. theol. mor. cap. 7. §. 6. num.* 19. Cœlestin. *in compen. theol. moral. tract. 1. cap. 21. dicto* 5.

2 Fundamentum huius sententiæ est, quia confessio externa, & sensibilis est materia necessaria huius sacramenti, ergo vbi nulla est omnino confessio, non potest confici sacramentum. vbi autem nulla sunt signa pœnitentiæ, nulla etiã est accusatio, atq. adeo nec materia sacramẽti. Nec sufficit internus dolor, quia, cũ non sit sensibilis, nõ est materia sufficiens. Confir. Concil. Carthaginense III. relatum in cap. *Aegrotantes. de consecrat. dist.* 4. & Arausicanum 1. relatum in cap. *Qui recedunt. 26. quæst.* 6. & Leo Papa *Epist. decret.* 91. vt refertur in cap. *His qui. eadem causa & quæstion.* requirunt, quod, vt moribundus possit absolui, habeat vel voluntatis præsentis in nutu suo, vel præteritæ in aliorum dictis testificationem. Qui autem nulla exhibet signa pœnitentiæ, nec in suo nutu, nec in aliorum testimonio habet testificationem suæ voluntatis.

3 Secunda sententia tenet posse sub conditione absolui, si christianè solebat viuere. Ita traditur in Memoriali Confessariorum *cap. 1. de sacramen. poenit. num.* 16. edito iussu Cardinalis Ludouisii Archiepiscopi Bononiensis, & postea Gregorii. X V. Summi Pontifices. vbi ita habetur. *Imo addit Sacerdotale Romanum pag. 624. ex doctrina D. Antonini, posse etiam absolui moribundum assuetum frequentare confessionem, quamuis repentino casu oppressus sacramentum non petierit. Neque solum potest confessarius in his duobus casibus absoluere, sed etiam debet, quia contingere potest moribundum esse tantum attritum, vnde damnetur, nisi absoluatur.* Rursus tradunt hanc opinionem Anton. de Litterat. *in sum. par. 1. cap. 35. num.* 7: Molfes. *par. 1. sum. tract. 7. capit. 5. num.* 48. & 49. Homobon. *par. 1. examin. Ecclesias. tr. 7. cap. 18. quæst.* 84. Corduba *apud Viual. in candelabro par. 1. Tit. de absolut. num.* 72. Bartholom. à S. Faust. *de sacram. poenit. lib. 4. de confes. q.* 204. vlt. edit. Neapol. Auersa *3. par. quæst. 10. de poenit. sect. 18. ver. At in casu.* Baius *lib. 2. instit. Christ. relig. cap.* 91. Leander à S. Sacram. *tom. 1. de sacram. tract. 5. disp. 5. quæst.* 46. Pe-

Petrus Marchant. *par.* 1. *Tribunal: sacramen. tract.* 4. *tit.* 4. *quæst.* 3. ver. *Sed ad primam.* Torreblan. *in pract. iur. spirit. lib* 14 *cap.* 11. *num.* 14. Peirin. *in Formulario littera A. cap.* 6. *num.* 7. Et probabile putat Lezana. *verbo*. Confessio. *nu.* 11. Pelliz. *tom.* 1. *Manual. artic.* 5. *capit.* 3. *sect.* 1. *numer.* 60.

4 Hæc posterior sententia tanquam fauorabilis animæ tenenda est. Ratio autem est. Quia vbi probabile est, quod interueniat sufficiens materia pro hoc sacramento, est etiam probabile, quod possit confici sacramentum. Sed in hoc casu est probabile, quod interueniat sufficiens materia. ergo erit etiam probabile, quod possit impendi absolutio, & confici sacramentum. Maior patet. quia in hoc casu solum defectus materiæ potest impedire absolutionem. Min. prob. Ille moribundus potest habere internum dolorem de peccatis, & probabile est, quod habeat; siquidem mors imminens facit cogitare de propria salute, & applicare remedia, quæ possunt applicari Rursus etiam probabile est, quod conetur extrinsecus suum dolorem, & desiderium exprimere, & quod vel aliquo nutu, vel intuitu, vel corporis motu exprimat, quamuis ab adstantibus non percipiatur, vel quia non aduertant, vel quia arbitrêtur esse motum patientis naturæ. Vndè Marchant. *numer. præd. citat.* de seipso refert. *Sensibus omnibus destitutus eram excepto auditu. Ratione autem, & iudicio firmo, & recto intus vtebar, ita vt tum me deficere, & ex Medico foris loquente, & ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiæ commendabam, & pium affectum aliquem foris conabar præstare: vnde mirum est, si forte gemitu aliquo, vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamuis adstantes illa non notarent, nisi forte, vt erant signa naturæ patientis*, & subdit ex hoc fuisse motum. ad tenendam hanc opinionem, & ad praxim deducendam, si occasio ferret. Et alteri quoque sacerdoti contigit, vt sensibus destitueretur, & cum esset præsens sacerdos alter conabatur ipsi significare, oculos in ipsum conuertendo, & firmiter intuendo, quod sibi absolutionem impenderet, nec tamen percipiebatur. Vnde moribundus desiderabat, quod sacerdos præsens vteretur hac opinione, quod posset absolui moribundus sub conditione, etiam si non percipiatur aliquod signum pœnitentiæ ab ipso exhiberi, si quidem animaduertebat, quod signum, quod conabatur exhibere, non percipiebatur.

5 Ad fundamentum oppositæ sent. resp. Certum quidem esse, quod non posit impendi absolutio, & confici sacramentum, nisi interueniat aliquod exterius signum, quo interior poenitentia manifestetur, quia est necessaria accusatio poenitentis, seu confesio, vt posit absolui, vt definit Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 9. ibi. *Siquis dixerit non requiri confessionem poenitentis, vt sacerdos eum absoluere possit anathema sit*. Quia cum hoc sacramentum fit per modum voluntarii iudicii, quo poenitens se subiicit iurisdictioni sacerdotis, requiritur voluntaria accusatio, quareus se accuset. Attamen, vt constat ex dictis *num. præced.* probabile est, quod adsit exterior aliqua accusatio, quamuis non percipiatur à præsentibus, & ideo stante hac probabilitate impendi potest absolutio sub conditione.

6 Ad Confir respond. in illis textib. declarari, quod possit absolui moribundus, si habeat testimonium suæ voluntatis, vel in proprio nutu, vel in aliorum testificatione; non tamen dicitur, quod non possit impendi absolutio deficiente hoc testimonio, præsertim quia ibi agitur de absolutione absolutè impertienda, pro qua requiritur, quod sacerdos habeat notam materiam necessariam: non autem de absolutione sub conditione, de qua modo agimus. Nec obstat, quod in di-

ctis textib. adhibeatur dictio, *Si*, quasi importet conditionem, qua deficiente locum non habeat dispositio. Tum quia in dictis textib. hæc dictio non ponit in conditione testimonium circumstantium, sed quod moribundus non possit ex se amplius exhibere signa pœnitentiæ, qua conditione deficiente, non poterit absolui in virtute alieni testimonii, & ideo tunc deficeret dispositio. In cap. autem *quirecedunt.* 26. *quæst.* 6. dictio, *Si*, licet referatur ad testimonium, non tamen ponit conditionem, quia hæc dictio non semper ponit conditionem, sed etiam aliquando importat monitionem, vt notat Ioseph. Sesse *decis.* 31. *num.* 7. vt in dicto textu, nam monetur sacerdos, quod in illo casu, in quo moribundus amisit sensus, & adsunt testes de voluntate ipsius, debeat impendere absolutionem.

7 Ex dictis colligitur contra Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 35. ver. *Quod si eueniat.* Posse absolui moribundum sub conditione, quod exhibuerit signa pœnitentiæ; quamuis ab adstantibus non sint animaduersa. Si enim talia signa sint exhibita, habetur sufficiens materia pro sacramento. Et ex circumstantiis fit, quod talis accusatio ordinetur ad claues, & per accidens se habet, quod non percipiantur: Vnde quia in tali casu non est necesse, quod sacerdos percipiat accusationem pœnitentis, quia non est necessaria, quod habeat distinctam notitiam status pœnitentis, sed sufficit, quod pœnitens se accuset, ideo potest sub conditione absolui, sicut posset absolutè absolui, si perciperetur accusatio à sacerdote.

An publicus peccator moribundus possit sub conditione absolui, si non exhibeat aliquod signum pœnitentiæ, quod percipiatur. Quæst. 130.

SVMMA.

1 *Sensus quæstionis.*
2 *Sententia affirmatiua probabilis quod possit absolui sub conditione.*
3 *Idem dicendum de publicis vsurariis, & mortuis in actuu venereo.*
4 *Sacramenta possũt ministrari in materia dubia in necessitate salutis.*

1 DIfficultas procedit, quando ita sensibus destituitur, vt nemo percipiat in ipso aliquod signum pœnitentiæ, an nimirum sit eadem ratio de ipso, ac de casu posito in quæst. præcedenti. Et negatiue videtur respon. quia cum sit in statu peccati præsumitur indispositus ad recipiendum sacramentum, præsertim si sit ex illis peccatoribus publicis, quibus Ecclesia denegat Ecclesiasticam sepulturam.

2 Attamen probabile puto posse sub conditione impendi absolutionem sacramentalem. Et hoc est secundum mentẽ D. August. *de adulterin. coniug. lib.* 1. *capit.* 28. vbi ita habet. Sed vt sermo noster ad hoc potius claudatur, vnde sumpsit exordium, ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viuentium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum saluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec per se respondere potuerint baptizandos puto, vt hoc etiam peccatum cum cœteris lauacro regenerationis abluatur. Quis enim nouit, vtrum

vtrum fortasis adulterinæ carnis illecebra vsque ad baptismum statuerat detineri. Ecce ergo quomodo secundum D. August. catechumenus detentus illecebra carnis in adulterino coniugio atque adeo in notorio peccato potest baptizari, si non potens aliquod signum præbere, quo ostendat pœnitentiam, desperatus iaceat. Modo sic. Non minus est necessaria pœnitentia in adulto pro baptismo suscipiendo, quàm sit necessaria pro absolutione sacramentali, ergo si secundum D. Augustin. publicus peccator potest baptizari, licet nullum signum possit exhibere, quo pœnitentiam ostendat, quia fieri potest quod intus poeniteat: ita etiam secundum ipsum poterit publicus peccator absolui, etiam si nullum in ipso percipiatur pœnitentiæ signum, quia fieri potest, quod intus poeniteat, & aliquo signo declarare conetur suam voluntatem, licet non percipiatur. Præsertim, quia fieri potest, quod tali modo prouideatur saluti proximi; & nulla fit irreuerentia sacramento, quia conditio illam remouet.

3 Ex his colligitur, quod non solum publici vsurarii, & alii huiusmodi poterunt in tali casu sub conditione absolui, sed etiam si quis in actu venereo deprehensus occidatur, aut in duello, ita vt nullum dum adhuc viuit percipiatur signum poenitentiæ. Militat enim eadem ratio. Et cum simus in iis, quæ necessaria sunt ad salutem, potest sacramentum ministrari sub conditione cum materia dubia. Præsertim quia in hoc casu concurrunt præceptum charitatis de subueniendo proximo, & præceptum religionis de tractando reuerenter sacramenta. In hoc autem concursu præferendum est præceptum charitatis præcepto religionis, vt docent D. Th. 2. 2. *quæst.* 30. *ar.* 4. *ad* 1. Vasquez 3. *par. disp.* 136. *cap.* 3. *num.* 40. *& opusc. de scand. dub. vlt. num.* 60. Gaspar Hurtad. *de sacramen. disp.* 9. *de Euchar. difficul.* 9. Suarez *de Eucharist. disp.* 69. *sect.* 2. Montesin. 1. 2. *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 245. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 54. *num.* 35. ver. Aduertendum. Quod præsertim habet locum, quando præceptum religionis est circa sacramenta, quia cum sint instituta propter beneficium hominum, non debet religio circa ipsa impedire, nè exerceatur actus charitatis in ipsorum administratione erga hominem. Reuera tamen nullum est præceptum prohibens, ne in tali casu sacramentum poenitentiæ ministretur sub conditione, cum conditio apposita excludat omnem irreuerentiam. Nec obstat quod Ecclesia soleat negare Ecclesiasticam sepulturam, quia hoc facit in poenam delicti, non autem, quia non possint iuuari per sacramentum pœnitentiæ ad acquirendam propriam salutem æternam.

An quando adest opinio, quod moribundus possit absolui, teneatur sacerdos illum absoluere, quamuis non sequatur ipse talem opinionem. Quæst. 131.

S V M M A.

1 *Non solum potest, sed tenetur absoluere.*
2 *Relicta opinione probabiliori potest teneri probabilis.*
3 *Etsi censeatur falsa.*

---

1 QVod non solum possit, sed etiam teneatur absoluere, concludendum est, vt docent etiam Turrian. *de poenit. quæst.* 9. *art.* 2. *disp.* 30. *dub.* 1. Suarez *disp.* 23. *de sacram. poenit. sect.* 1. *num.* 15. Vasquez 3. *par. quæst.* 91. *ar.* 2. *dub.* 1. *num.* 38. Coninch. *disp.* 7. *de sacram. poenit. dub.* 10. *num.* 106. Syluius 3. *part. quæst.* 9. *supplemen. ar.* 2. *quæstio.* 4. Megal. *par.* 1. *instit. lib.* 2. *cap.* 11. *numer.* 8. Io. à Cru-

Cruce *par. 2. Director. conscient. quæst. 3. de sacram. pœnit. dub. 8. conclus. 2.* Filliuc. *tract. 7. cap. 5. num.* 123. Reguis *in resolut. cas. conscient. resol. 39. num.* 16. Io. Sanchez *in selectis de sacram. disp.* 44. *num.* 35. ver. *Aduertendum maxime*; Pesant. *3. part. in supplem. quæst. 10. disp. 11.* Pitigian. *in 4. dist. 17. quæst. vn. art. 8. concl. f.* 4. Henriquez *lib. 6. sum. cap. 10. num.* 8. Basseus *in Florib. Theol. pract. verbo Absolutio. num.* 8. Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 5. sect. 2. punc. 2. num.* 8. Præposit. *3. par. quæst. 4. de qualit. confess. dub.* 14. *num.* 88 ver. *Ex his omnibus*. Barholom. à S. Fausto *de sacram. pœnit. lib. 4. quæst. 203. vlt. edit. Neapolit.* Ludouic. à. S. Io. *par. 1. sum. quæst. 5. de sacram. pœnit. art. 19. dub. 5. in fine.* Castropalaus *par. 4. oper. mor. tract. 23. disp. vn. punc. 11. num. 11.* Çapeauil. *de administr. sacramen. cap. 3. de sacram. pœnit. quæst. 10. & sequentib.* Mercer. *de sacram. quæst. 9. de pœnit. ar. 2. in dub. circa articul.*

2 Ratio autem, quia dum adest opinio Doctorum, quod possit impendi absolutio, fit probabile, quod possit moribundus absolui, atque adeo cum quisque possit sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, vt cum plurimis Doctoribus tradidi in *decis. moralib. decis. 5. num. 3. & sequent.* fit possibile sacerdoti succurrere moribundo constituto in illa grauissima necessitate, cum fieri possit, quod sit tantum attritus, atque adeo damnetur, & saluetur, si ei impertiatur absolutio, ergo cum possit, tenetur etiam ex charitate succurrere, atque adeo impertire absolutionem. Imo si sit Parochus, aut ex alio titulo habeat curam animarum, tenetur ex officio, & iustitia, quia tunc obligatur ministrare sacramenta, quando possunt ministrari, & vrget necessitas. Præsertim quia esset impium posse saltem probabiliter liberare aliquem à damnatione æterna, & nolle liberare.

An moribundus debeat absolui sub conditione, quando absoluitur ex opinione probabili. Quæst. 132.

S V M M A.

1 *Communis doctorum opinio in hoc casu.*
2 *Opinio tenens posse sine conditione absolui in hoc casu moribundum.*
2 *Quomodo intelligendum in dubio.*
3 *Probabilitas iuris non exigit absolutionem sub conditione.*
4 *Resoluitur obiectio.*
5 *Probabilitas facti exigit absolutionem sub conditione.*

1 Videntur communiter Doctores sentire, quod absolutio impertienda sit moribundo sub conditione, quando tantum adest opinio probabilis, quod possit impendi, vt explicantes supradictas difficultates tradunt, & specialiter Suarez *disp. 23. de sacram. pœnit. sect. 1. numer. 12.* Et fundamentum esse potest, quia cum adsit tantum opinio probabilis, remanet dubium, an confici possit sacramentum; & ideo ad vitandam irreuerentiam, debet adhiberi conditio.

2 Alij tamen docent, posse sine conditione absolui. Ita Vasquez *3. par. quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 39.* loquens de eo, qui solis nutibus significat suam voluntatem. Castropalaus *par. 4. oper. mor. tract. 33. disp. vn. punc. 11. num. 13.* loquens in eodem casu, & quando signa pœnitentiæ exhibentur in absentia Confessarii. Petrus Marchant. *in tribun. sacram. par. 1. tract. 4. tit. 4. quæst. 3. dub. 7.* loquens in eodem casu, & absolutè. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 44. numer. 32.* addens, quod quando Theologi dicunt, sacramentum in dubio sub conditione administrandum es-

esse intelligendum in dubio propriè, & non in opinionibus.

3 In hac difficultate distinguendum arbitror. Vel enim sumus in probabilibus, quæ concernunt ius, vel in probabilibus, quæ concernunt factū, si sumus in probabilibus, quæ cõcernūt ius quia nimirum controuertitur inter Doctores, an stante tali confessione, seu signis pœnitentiæ possit moribundus absolui, ita vt vtraque pars probabilis sit, puto posse tunc impendi absolutionem absque vlla conditione. Ratio autem est, quia in tantum non posset absolute impendi absolutio, quia adesset periculum peccandi irritando sacramentum cum irreuerentia ipsius. Non adest autem huiusmodi periculum. Nam qui operatur secundum opinionem probabilem, operatur secundum regulas rectæ rationes, atque adeo secundum rectam conscientiam, *vt latius dixi in decis. moralib. decis.* 5. Qui autem operatur secundum regulas rectæ rationis, & rectam conscientiam, certus est, quod non peccat, cum peccatum consistat in deordinatione operationis à præscriptione rectæ rationis.

4 Dices fieri potest, quod opinio probabilis non sit vera, & proinde irritetur sacramentum. Resp. Dato, quod non esset vera, nullitas sacramenti se haberet solum materialiter, nec imputaretur, sicut non imputatur ad peccatum, quando quis operans secundum opinionem probabilem facit aliquid, quod secundum rei veritatem non est licitum. Et proinde nulla interueniret irreuerentia erga sacramentum, quia hæc solum locum habet, quando imputari potest irritatio, quia irreuerentia fundatur in cognitione dictante, quod id, vnde illa insurgit, non sit faciendum. Sic etiam si quis baptizaret cum liquore, quem putaret esse aquam, & reuera non esset, non conficeretur sacramentum, & tamen nullam ei irrogaret irreuerētiam. Hinc eodem pacto res se habet in hoc casu ministrando sacramentum, ac quando ministratur sub cõditione. Ideo enim non fit irreuerentia sacramento, licèt sacramentum non conficiatur, quia conditio remouet ipsam, & ideo remouet, quia remouet à ministro omnem intentionem tractandi sacramenta irreuerenter. At etiam quando ministratur absolute cum opinione probabili remouetur omnis intentio tractandi irreuerenter, quia adest dictamen, quod sit licitum ministrare.

5 Si verò sumus in probabilibus, quæ concernunt factum, hoc est, si est solum probabile, quod pro conficiendo sacramento interueniant ea, quæ probabiliter censentur sufficientia, tunc debet absolutio impendi sub conditione; vt si probabile tantum sit, quod moribundus exibeat illa signa pœnitentiæ, quæ probabiliter censentur sufficientia. Ratio est, quia tunc probabilitas cadit supra existentiam illius partis essentialis sacramenti, & proinde facit ipsam dubiam, nam cum etiam pro opposita parte adsit probabilitas, remanet dubia existentia ipsius; quia ex vno motiuo iudico adesse, & ex alio non adesse, vnde tollitur certitudo existentiæ. Et ideo cum non sim certus de parte essentiali sacramenti, nempe materia, non possum ipsi absolute coniungere formam, sed solum sub conditione, quia iam cognosco periculum probabile non conficiendi sacramentum, quod non contingit, quando operor secundum probabilitatem, quæ concernit ius, quia tunc nullum periculum agnosco, cum habeam omnia essentialia certa, quæ secundum probabilem opinionem sufficiunt, & ideo non me expono scienter alicui periculo non conficiendi sacramentum.

De constitutis in periculo mortis quoad integritatem confessionis.

An qui sunt in periculo, vel articulo mortis excusentur ab integritate confessionis. Quæst. 133.

S V M M A.

1 *Integritas confessionis est duplex formalis, & materialis.*
2 *Integritas confessionis materialis est de iure diuino.*
2 *Sacerdos vt iudex in foro pœnitentiali debet cognoscere causam.*
2 *Peccata mortalia sunt connexa in ordine ad remissionem.*
3 *Integritas confessionis in articulo mortis non est semper necessaria.*
3 *Præceptum de integritate confessionis est morale, & morali modo obligat.*
4 *Quando cesset præceptum de integritate confessionis.*
4 *Præceptum diuinum non obligat in concursu iuris diuini, aut naturalis.*
5 *Quale propositum requiratur de subijciendis clauibus peccatis ex iusta causa non expressis.*
6 *Quid si tacens non habeat tale propositum.*
6 *Quilibet censetur facere actum eo meliori modo, quo valere potest.*
6 *Quisque censetur operari secundum naturam actus.*

1 Consideratur integritas confessionis ex parte materiæ sacramenti, non autem ex parte formæ, quia forma debet necessariò esse integra, ita vt retineat significationem, aliàs non conficietur sacramentum; & proinde talis integritas est ipsi essentialis. Quia autē materia est duplex, remota, & proxima; ideo etiam consideratur duplex integritas, alia materialis, quæ se tenet ex parte materiæ remotæ; & consistit in eo, quod omnia, & singula peccata explicentur in confessione. Alia verò formalis, quę se tenet ex parte materiæ proximæ, & consistit in eo, quod dolor de peccatis vniuersalis sit, ita vt se extendat ad omnia peccata mortalia tàm explicata, quàm non explicata siue ex obliuione, siue ex alia rationabili causa. Hæc autem integritas formalis est semper necessaria pro validitate sacramenti. Tum quia poenitens debet recedere à peccato, & conuerti ad Deum; non potest autem conuerti, si remaneat in aliquo peccato, & de ipso non doleat, quia quodlibet mortale est sufficiens, vt auertat à Deo. Tum quia, si dolor non est de omnibus peccatis mortalibus, non est verus dolor, & vera poenitentia; nàm verus dolor est circa peccatum, quà peccatum est, & ex motiuo communi omnibus peccatis: vnde ex vi suæ specificationis debet tendere contra omnia peccata, quatenus omnia subijciuntur motiuo doloris.

2 Supponendum autem est. Integritatem confessionis materialem esse de iure diuino, & ex institutione Christi necessariam, vt definit Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ibi. *Ex institutione sacramenti poenitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem*. & Can. 7. *Si quis dixerit, in sacramento poenitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, &c. anathema sit.* Ratio autem est, quam *cit. cap.* 5. assignat Concilium. Quia nimirum Christus instituit sacerdotes tanquam iudices cum potestate relaxandi, & retinendi peccata, cum ergo iudicium non possit exerceri absque cognitione causæ, nec possit pœna pro delictis proportionata imponi, nisi cognoscantur, ideo tenetur poenitens ex ui institutionis huius sacramenti, atque adeo de iure diuino

ex

explicare omnia peccata. Vnde concludit Concilium. *Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.* Ratio autem est, quia peccata mortalia ita sunt inter se connexa, vt vnum non possit remitti sine alio, quia singula maculant animam, & reddunt inimicum Dei: remissio autem mundat animam, & facit amicum Dei, ergo qui sciens aliquod peccatum tacet, ipsum non subiicit absolutioni, & ideo impedit, nè cœtera remittantur. Difficultas autem modo, est an hæc integritas sit semper necessaria in constitutis in periculo, seu articulo mortis.

3 Dicendum est. Non esse semper necessariam, sed posse aliquando ministrari sacramentum non explicatis omnibus peccatis, non solum, quando non possunt explicari, sed etiam quando aliàs possent explicari. Ita communiter cum D. Th. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *ar.* 3. qui id docent non solum quoad morti proximum, sed etiam quoad coeteros. Prob. Præceptum diuinum de integritate confessionis est morale obligans morali modo, vt notat etiam *Suarez disp.* 23. *de poenit. initio*. ergo non obligat, nisi quando morali modo impleri potest. Pot st autem frequenter contigere in morti proximis, quod non possit morali modo impleri. ergo. Anteced. patet: quia hoc præceptum non est de aliqua parte essentiali confessionis, sine qua sacramentum non possit esse validum, sed solum de aliqua parte, seu de integritate vnius partis essentialis, nempe materiæ remoræ: integritas autem partis essentialis non se habet essentiali modo, sed merè integraliter. ergo obligat solum morali modo, sicut obligant etiam alia præcepta, & quatenus impleri potest. Conseq. prob. Licet sit præceptum diuinum, in modo tamen obligandi non differt proportionaliter loquendo ab aliis præceptis; ergo non obligat, nisi quatenus morali modo impleri potest. Quod autem in morti proximis frequenter contingat, quod morali modo impleri non possit, etiam constat, quia possunt euenire plures casus, in quibus moraliter impossibilis sit adimpletio, vt si immineret periculum, quod poenitens moreretur non completa confessione, & alii huiusmodi, de quibus sigillatim dicetur.

4 Dicendum 2. Præceptum de integritate confessionis cessare, quando ex eius obseruentia sequeretur aliquid, aut contrarium alteri iuri diuino, aut naturali, siue secundũ se, siue imbibito in iure humano. Prob. Ius diuinum, & ius humanum sunt iusta, cum sint ipsa mensura cuiuscunque rectę operationis. ergo, si contingat præceptum de integritate confessionis inferre aliquid contrarium iuri diuino, aut naturali, siue in se, siue imbibito in iure humano, desinet obligare. Conseq. prob. Iustitia non potest esse sibi ipsi contraria; ergo cum hoc præceptum sit iustum, non potest esse contrarium iuri diuino, aut naturali, aut ipsa læderet. Esset autem, si obligaret in tali casu.

5 Obiicies. Adest obligatio subiiciendi clauibus omnia peccata, quibus conscientia grauatur; & in tantum potest quis ex iusta causa aliquod de præsenti non subiicere, in quantum habet propositum postea subiiciendi, quando poterit. Sed moribundus non potest habere hoc propositũ, cum non habeat spem faciendi aliam confessionem. ergo Resp. Posse non subiicere aliquod peccatum, quo grauatur, in quantum habet propositum postea subiiciendi, cum tacita conditione, si poterit subiicere, non autem, in quantum habeat propositum absolutum. Sicut enim obligatio confitendi omnia peccata habet tacitam conditionem, si pęnitens possit ea confiteri; ita etiam hoc propositum, quia cum sit in consequentiam ad talem obligationem, sequitur naturã ipsius. Vnde sufficit, quod morti proximus habeat hoc propositum

cum tacita conditione, si superuixerit.

6 Quæres, quid dicendum, si nullum tale habeat propositum, sed solum confiteatur aliqua peccata, neque de reliquo cogitet? Resp. Adhuc valide confiteri, quia censetur habere tale propositum virtuali modo. Cum enim confiteatur in ordine ad obtinendam absolutionem, & habeat hanc voluntatem, & non possit obtinere, nisi paratus sit subijcere clauibus, quando poterit peccata, quæ tacet, in voluntate ritè confitendi, virtualiter includitur huiusmodi propositum. Vnde subintrat regula, quod quisque censetur facere actum eo meliori modo, quo valere potest. *l. Quoties. ff. de verbo. obligat.* & *l. si quando ff. de leg.* 1. Et quod quisque censeatur facere actum secundum ipsius naturam *l. Quæro. §. Tutor locatorem. ff. locati.* vbi Bart. Ias. *in l. non omnis. num. 2. ff. si cert. pet.* Dec. *in l. in omnibus. numer. 5. ff. de reg. iur.* Aluar *de præsump. reg. 2. præsump. vlt.* Quod habet locum etiam in foro conscientiæ, præsertim quando agitur de salute animæ, quam quisque præsumitur velle omni meliori modo.

An grauamen infirmitatis excuset ab integritate confessionis. Quæst. 134.

S V M M A.

1 *Moribundus excusatur ab integritate confessionis, si interim immineret mors.*
2 *Quando infirmus valde grauatur in continuanda confessione, excusatur ab integritate.*
3 *Integritas confessionis in tali casu esset contra ius naturale.*
3 *Quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem conuerti.*
4 *Quomodo considerandum detrimentum prouenienis infirmo ex integritate confessionis.*
5 *Confessarius debet monere infirmum integre non confitentem, vt eliciat dolorem de omnibus peccatis.*
6 *An confessarius teneatur reuerti ad excipiendam integram confessionem, quando moribundus superuiuit.*

1 SVpponendum est cum communi sententia. Excusari pœnitentem ab integritate confessionis, quando est in tali statu, vt si continuet confessionem, periculum immineat, ne interim sine absolutione moriatur. Tunc enim confessarius monere debet poenitentem, vt vnum, aut alterum peccatum exponat, & illi impendere absolutionem, & postea, si tempus superstit, audire reliqua peccata, Ita Sà *verbo.* Absolutio *num.* 9. Suarez *disp. 23. de poenit. sect. 2. num.* 4. Reginal. *lib. 8. num.* 29. Vasquez *3. part. quæst. 91. art. 2. dub. 2. num.* 1. Nugn. *quæst. 6. supplem. art. 2. post dub. 1.* ver. *circa ea.* Præposit. *quæst. 5. de integrit. confes. dub. 5. num.* 125. ver. *secundo potest esse.* Mercer. *quæst. 9. supplem. ar. 2.* ver. *Casus sunt.* Chellison. *dub. 5. init.* Syluius *quæst. 4.* ver. *secundus casus* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 8. num. 9.* Io. à Cruce *par. 2. Direct. conscient. quæst. 3. de sacram. poenit. dub. 5. conclus. 3.* Lublinus *in sum. verbo* Confessio: *num.* 28. Fernandez *par. 3. theol. moral. cap. 7. §. 6. num.* 17. Villalob. *part. 1. sum. tract. 9. difficul. 37. num.* 4. Coninch. *de sacram. poenit. disp. 7. dub. 7. num.* 6. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo.* Confessio, 5. *num.* 5. Filliuc. *tract. 4. cap. 5. numer.* 118. Turrian. *de poenit. disp. 30. dub.* 1. Hurtad. *disp. 9. difficul. 10. init.* Onuphr. *tract. 2. de confes. disp. 2. quæst. 1. dub. 2.* ver. *Respondeo vltimo.* Et alij infra citandi. Ratio autem est, quia tunc præceptum integritatis cessat, tum quia vrget periculum infirmi, ne discedat sine sacramento; atque adeo præceptum

cha-

charitatis citò succurrendi. Tum quia tunc integritas est moraliter saltem impossibilis; præceptum autem non obligat, nisi quando est possibilis. Difficultas autem est, quando adest tempus faciendi integram confessionem, sed infirmus in illa grauatur.

2 Dicendum est. Tunc quoque adesse sufficientem causam non faciendi integram confessionem. Vnde quando poenitens ostendit se grauari in recensendis peccatis, aut se ostendit fessum, & vult in alium diem complementum differre, potest absolui explicatis aliquibus peccatis. Ita ii, qui vniuersaliter docent, præceptum integritatis confessionis non obligare cum notabili incommodo vt Syluester. *verbo*. Confessio 1.*quæst*. 18. Sotus *in* 4. *dist*. 18. *quæst*. 2. *ar*. 5. Palaus *part*. 4. *tract*. 23. *disp*. *vn*. *punc*. 10. *num*. 3. Suarez, Coninch. Filliuc. & alij ex *citat*. *num*. *præced*. In specie autem Henriquez *lib*. 5. *sum*. *capit*. 12. *in com. littera* L. Medina *lib*. 2. *sum*. *cap*. 8. Alcozer *capit*. 11. *sum*. *casu* 2. Io. à Cruce *par*. 2. *direct*. *conscien*. *quæst*. 3. *de sacram*. *poenit*. *dub*. 5. *conclus*. 3. Bonac. *disp*. 5. *de poenit*. *quæstion*. 5. *sect*. 3. *pun*. 2. §. 4. *numer*. 19. Candidus *disquisit*. 24. *art*. 24. *dub*. 5. Auersa *quæst*. 10. *de Poenit*. *sect*. 15. *verquintus casus*. in fine Lopez *par*. 1. *cap*. 18. *condit*. 10. Graf. *par*. 1. *decis*. *lib*. 1. *cap*. 26. *num*. 6. Zambran. *in suis decis*. *cap*. 4. *de poenit*. *dub*. 6. *num*. 6. Martinon. *de poenit*. *disp*. 50. *sect*. 9. *numero* 9.

3 Prob. In tali casu concurrit cum præcepto de integritate confessionis ius naturale non inferendi damnum proximo. Sed si exigeretur integritas confessionis in illis circumstantiis, inferretur damnũ: ergo cessat præceptum de integritate, quia tanquam iustum, non potest esse causa damni. Min. prob. Dum poenitens sentit se grauari in explicandis peccatis, subit nocumentum corporale, Rursus fieri posset, quod stante grauitate morbi, & grauamine, quod in explicandis peccatis percipit, fastidiret confessionem, & pertæsus nollet prosequi, aut si prosequeretur, absque debita dispositione continuaret. Confir. Quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare, vt ait D. Bernar. *de precep*. *& dispensat*. *capit*. 4. ergo cum hoc sacramentum sit institutum pro charitate, non debet conuerti contra charitatem. Conuerteretur autem, si exigeretur integritas confessionis, quando notabiliter difficilis est infirmo.

4 Ex dictis colligitur. Detrimentum, quod ex integra confessione est poenitens percepturus, considerandum esse secundum subiectam materiam, & proinde pro graui habendum esse, quod in se leue est, & tale esset in sano. Cum enim morbus atterat continuo vires, omnis etiam leuis impulsus sufficiens est iunctus cum vi morbi ad graue detrimentum inferendum. Et ideo, si in illis horis, in quibus ingrauescit morbus, infirmus ostendat grauari à confessione, absoluendus est, & differenda in aliud tempus explicatio aliorum peccatorum.

5 Colligitur 2. Tunc Confessarium teneri monere poenitentem, præsertim, si rudis sit, quod eliciat actum doloris circa omnia peccata, etiam quæ non confitetur cum proposito confitendi cœtera, quæ tunc non explicat. Quamuis enim eo ipso, quod est verus dolor sufficiens pro sacramento, se extendat ad omnia mortalia; fieri tamen potest, quod poenitens ob ruditatem doleret tantum de confessis excludendo non confessa, & remittendo dolorem de ipsis in tempus, in quo ea confitebitur, atque adeo non concipiat verum dolorem. Vnde ad euitandum hoc incommodum tenetur confessarius monere poenitentem, quando ex qualitate personæ suspicatur opus esse monitione.

6 Colligitur. 3. In tali casu teneri confessarium reuerti ad poenitentem ad excipienda peccata non explicata, vt notat Zambran. *in suis decis*. *cap*. 4. *de poenit*. *dub*. 6. *numer*. 3. Et ratio est, quia non solum poenitens pertur-

baretur, si non reuerteretur, sed quia etiam acquisiuit ius ad complendam cum ipso confessionem quòad materialem integritatem, & confessarius dum assumpsit munus iudicis quòad ipsum poenitentem, quamuis esset antea liber, modo obligatur ad complendum iudicium. Et proinde debet directè absoluere etiam à peccatis primò non explicatis, quia sicut poenitens tenetur ea directè subiicere clauibus, etiam debet confessarius de nouo directè ab ipsis absoluere iniungendo pro omnibus, à quibus, absoluit congruam satisfactionem. Tenetur namque complere iudicium sacramentale, & cognoscere integrè de statu poenitētis, & ponere partem integralem sacramenti, nempe satisfactionem debitam.

An quando timetur superuentura mors confessarij possit fieri confessio non integra. Quæst. 135.

S V M M A

- 1 *Penitens excusatur ab integritate confessionis, si immineat mors confessario.*
- 2 *Quid si adsit alius confessarius, cum quo possit integre confiteri, si prior moriatur, & num. 3, & 4.*
- 4 *Si confessio incœpta non perficiatur defectu confessarij, læditur ius diuinum.*
- 5 *Obligatio censetur impleta per eum, per quem non stat.*
- 5 *Confessarius nolens prosequi inceptam confessionem facit iniuriam pœnitenti.*
- 6 *Impediens absolutionem incœpta confessione, impedit ius pœnitentis.*
- 7 *Incœpta confessione adest necessitas absoluendi non expectata integritate.*
- 8 *Quando concurrunt omnia essentialia, ex necessitate debet perfici sacramentum pœnitentiæ.*
- 8 *Cur sacerdos reperiens casus reseruatos possit cessare ab audienda confessione.*

1 Conueniunt communiter, quod etiam in prædicto casu cesset obligatio de integritate confessionis, quod contingere potest, si tàm poenitens, quàm confessarius sint in periculo mortis, vt cum imminet vtrique naufragium, aut si tempore pestis confessarius sit infectus. Ita specialiter Autores citati *quæst. præced. nu. 1.* locis iisdem. Et militat eadem ratio; quia imminet periculum, ne constitutus in periculo mortis careat absolutione. Difficultas autem solum est, an hoc solum locum habeat, quando non adest alius minister confessionis, an verò etiam, quando adest, & non adest periculum ex parte poenitentis, quod remaneat absque absolutione.

2 Prima sententia asserit, hoc locum habere solum, quando non adest alius confessarius, cum quo poenitens possit integre confiteri. Ita Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. post 2. conclus.* Vasquez *3. par. quæst. 91. artic. 2. dub. 2. num. 2.* Præposit. *quæst. 5. de integr. confes. dub. 5. numer. 125. ver. Tertio si confessarius.* Suarez *disp. 23. de poenit. sect. 1. num. 1.* Nugn. *quæst. 9. supplemen. art. 2. post dub. 1. ver. circa ea, quæ diximus in solut. ad 4.* Hurtad. *disp. 9. de poenit. difficul. 10. ver. Conueniunt secundò.* Prob. Quando adest alius confessarius non adest necessitas, ergo non cessat præceptum de integritate.

3 Secunda sententia non requirit hanc limitationem, sed absolute docet, tunc confessionem posse esse non integram. Ita Henriquez *lib. 5. sum. cap. 12. num. 3.* Bonac. *disp. 5. de poenit. quæst. 5. sect. 2. punc. 2. §. 4. num. 19. ver. Addo.*

4 Dicendum est. Etiam si poenitens possit alteri confiteri, potest in tali casu absque integritate confessionis absolui. Prob. Præceptum integritatis confessionis cessat, quando ex ipsius obseruantia lædetur aliud ius diui-

diuinum, aut naturale etiam inclusum in humano, vt constat ex dictis, vt supra *quæst.* 1. *num.* 4. Sed nisi absolueretur ab eo confessario, cum quo incæpit confessionem, læderetur ius naturale poenitentis ergo. Min. prob. Dum poenitens incipit confessionem, & confessarius se illi exhibet, vt iudicem, acquirit ex natura rei, atque ex institutione sacramenti ius ad complementum iudicij, & ad absolutionem, ergo si non absoluatur, læditur hoc ius. Confir. si quis dum consecrauit panem recordetur peccati mortalis, debet prosequi consecrationem calicis nō obstante præcepto diuino de præmittenda confessione, & si recordetur post consecrationem, adhuc debet consumere, quia ita exigit ius sacrificij incoepti, ergo cum sacrificium, & sacramentum æquiparentur, etiam ius sacramenti incoepti exiget, vt perficiatur non obstante præcepto diuino de integritate confessionis.

5 Dices. Non lædi, quia non habet ius ad absolutionem, nisi posita integra confessione. Contra: non stat per poenitentem, quod confessio non sit integra, ergo censetur, quantum est ex se, adimplesse obligationem, Nam obligatio habetur pro adimpleta, quādo non stat per eum, qui debet adimplere *l. Quæ sub conditione. §. Quoties. ff. de condit. instit. & l. in iure ciuili. ff. de condit. & demon.* atque adeo non debet priuari suo iure. Confir. Si confessarius audita parte peccatorum nollet amplius prosequi, faceret iniuriam poenitenti nolens venire ad absolutionem, & tamen poenitens nondum confessus fuisset omnia peccata: ergo quando per ipsum non stat, adhuc habet ius.

6 Dices 2. Non lædere ius poenitentis, quia habet iustam causam non absoluendi, quia non potest audire integram confessionem, quia sit ipsi moraliter impossibile audire. Contra. In tali casu integritas confessionis impediret, ne confessarius redderet poenitenti id, ad quod acquisiuit ius, ergo impediret aliquid, quod est de iure naturæ: ergo cessabit obligatio de integritate, quæ in tali concursu cedit.

7 Ad fundamentum in oppositum resp. Non adest necessitas simpliciter, quando adest alius minister; adest tamen necessitas hic, & nunc fundata in exigentia sacramenti inchoati, quod necesse est, aut omnino perire, aut absq. integritate confessionis impertiri absolutionem. Vnde adest etiam necessitas in ordine ad talem ministrum, qui absolutè non potest perficere sacramentum expectata integritate confessionis. Hæc autem necessitas sufficit; quia sufficit moralis necessitas fundata in quocunque iure naturali.

8 Dices. Si confessarius inter audiendum confessionem reperiat casus reseruatos, desistit non perficiendo sacramentum, & remittit ad superiorem. ergo non est necesse, quod sacramentum inchoatum perficiatur. Respon. disting. conseq. Non est necesse, quod perficiatur, quando non potest perfici, vt in dicto casu, quia confessarius defectu iurisdictionis reperit causam non esse suam, sed superioris; & ideo si progrederetur, nulliter progrederetur. Secus autem, quando potest perfici, & concurrunt omnia essentialia requisita, quamuis deficiat aliquod requisitum non essentiale, licet integrale, vt est integritas materialis confessionis.

An quando plures sunt constituti in periculo mortis, & non adest minister sufficiens pro singulis, possit confessio fieri non integra.

Quæst. 136.

S V M M A.

1 *Si plures sint in periculo mortis, nec sufficientes confessarij, excusantur ab integritate con-*

confessionis.

2 *An sufficiat confessio in genere, & num. 2. & 3.*

4 *Explicatio peccati in specie non est necessaria pro validitate sacramenti.*

4 *Cur in confessione sint peccata in specie explicanda.*

5 *Eodem modo est necessaria confessio in specie, ac integritas.*

6 *Notitia status peccatoris in specie non est necessaria ad substantiam sacramento.*

7 *Quæ cognitio sit necessaria confessario pro impertienda absolutione.*

7 *Sententia absolutionis, & iudicium de statu pœnitentis possunt separari.*

8 *Quid sufficiat, vt quis se subiiciat sacerdoti vt absoluatur.*

8 *Delicta non cognita, nec delata in iudicium possunt remitti.*

9 *Quanta debeat esse necessitas, vt confessio possit fieri in genere.*

---

1 Contingere potest, quod plures sint constituti in periculo mortis, vt in naufragio imminente, in bello in aggressione vrbis, in incendio, tempore pestis, nec confessarii sint in eo numero; quo pro omnibus sufficere possint ad excipiendam integram confessionem, & proinde si excipiant aliquorum, periculum sit, nè cœteri pereant absque confessione, dubitatur ergo, an tunc possit fieri confessio non integra. Conueniunt autem communiter, quod tunc sufficiat, confessarium vnum, aut alterum peccatum audire, vt possit absoluere. Ita præsertim citati *quæst.* 2. *num.* 1. Et ratio, est quia omnes sunt in periculo, atque adeo saltem in graui necessitate spirituali, & ideo vrget præceptum charitatis, vt ipsis subueniatur: vnde si exigeretur integritas confessionis, negligeretur subuentio debita ex charitate, quando autem vrget obligatio charitatis, cessat obligatio integritatis confessionis. Difficultas autem est, an sufficiat, quod constitutus in periculo mortis in genere se accuset, quod peccauerit, & offenderit Deum. Et ratio dubitandi est, quia multoties, quamuis peccata in specie explicari possint, non potest tamen confessarius singulis attendere, vt in repentino periculo naufragii, aut imminentis prælii.

2 Prima sententia est negatiua. Ita Nauar. *cap.* 26. *Manual. num.* 28. Lopez *par.* 1. *Instru. num.* 18. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. Canus *Relect. de pœnit. par.* 5. §. *At inhærendo*, & alij, qui vniuersaliter docent, non sufficere confessionem in genere, quos citaui *quæst.* .. .. *num.* 1. Fundamentum huius sententiæ est. Quia cum sacramentum pœnitentiæ sit institutum per modum iudicij, non potest ministrari, nisi causa cognita, vt infert Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de pœnit.* Non potest autem causa cognosci, nisi in specie saltem aliquod peccatum aperiatur.

3 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 2. Syluester *verbo*. Confessor. 3. Suarez *disp.* 23. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 5. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Vasquez 3. *part. quæst.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. Coninch. *disp.* 7. *de pœnit. dub.* 10. *num.* 97. & alij, qui absolute docent, sufficere confessionem in genere, quos citaui *dict. quæst.* .. *num.* 3. & in specie Isambert. 3. *par. disp.* 17. *de pœnit. art.* 8. ver. *Secundo respondetur.*

4 Et hæc sententia tanquam probabilior tenenda est. Ratio autem est; quia hoc sacramentum essentialiter solum requirit dolorem de peccatis, & sensibilem accusationem eo modo, quo fieri potest, & ad validitatem non requiritur, quod peccata in specie explicentur, ergo quando nullum potest in specie explicari, sufficiet accusatio in genere. Sed quando confessarius non potest attendere ad singulos in specie audiendo singulorum peccata, tunc non possunt explicari, ergo. Anteced. prob. Hoc sacramentum ex eo, quod est per modum iudicij ex parte pœnitentis essentialiter non requirit aliud; nisi quod se constituat reum capacem ab-

absolutionis, nam cum sit institutum, ad remittenda peccata, sufficienter exerceri potest cum eo, cui debent remitti peccata, per hoc autem, quod quis se accuset, & ostendat dolorem de peccatis, debent ipsi remitti. Confir. Explicatio peccatorum in specie ideo requiritur, vt sacerdos possit agnoscere statum pœnitentis, & seruare debitam æquitatem in poenitentia imponenda, vt docet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* non autem, vt reus fiat capax absolutionis, ergo pertinet solum ad integritatem quamdam confessionis, sicut pertinet etiam iniunctio satisfactionis, non autem ad essentiam; & ideo potest subsistere sacramentum quoad essentialia absque explicatione in specie.

5 Confir. 2. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de confes.* Ex eo, quod hoc sacramentum est per modum iudicii, declarat, non magis esse necessariam confessionem in specie, quam sit confessio omnium peccatorum. Nec minus necessarium est ad cognoscendam causam, quòd singula peccata explicentur, quàm sit necesse, quod confessio fiat in specie; & tamen vrgente necessitate, non exigit sacramentum, quod singula explicentur, ergo neque exiget, quod confessio fiat in specie.

6 Dices. Quando fit confessio in specie alicuius peccati, innotescere statum peccatoris determinatè saltem partialiter; quando vero fit solum in genere, nullo modo innotescere, nisi in confuso. Contra. Notitia status peccatoris in specie; & determinata non est essentialis huic sacramento, quia sufficit, quod minister cognoscat poenitentem esse in statu, vt possit impendi absolutio: ergo carentia ipsius non impedit, quin possit secundum substantialia exerceri iudicium, deinde quod status poenitentis remaneat incognitus hoc, vel illo modo parum refert ad substantiam sacramenti, dummodo impediatur determinatum, & verum iudicium de ipso, hoc autem impeditur, siue non explicentur aliqua peccata, siue nullum in specie; nam semper sacerdos caret perfecta cognitione illius ergo.

7 Ad fundamentum primæ sent. resp. Sacramentum poenitentiæ ex eo, quod est per modum iudicii, non posse ministrari sine cognitione causæ vel perfecta, vel imperfecta. Non potest ministrari perfectè, & integrè sine integra cognitione causæ. Potest tamen ministrari secundum substentiam absq. perfecta, & integra cognitione causæ. Et ratio est, quia in sacramento poenitentiæ duo interueniunt, nempe sententia absolutionis, & iudicium de statu poenitentis in ordine ad satisfactionem, ad præseruationem, & ad medicinam. Quæ duo separari possunt; quia sicuti extra sacramentum remitti possunt peccata mediante contritione absque posteriori iudicio; ita etiam in sacramento, quia posterius iudicium est quidem connexum ex natura rei cum sententia absolutionis, non tamen est ipsi intrinsecum. Vt autem feratur sententia absolutionis, sufficit, si poenitens se subiiciat absoluendum cum debita dispositione, quia coetera non concurrunt vt essentialia in ordine ad obtinendam absolutionem.

8 Instabis. Non potest se subiicere, vt absoluendum, nisi declaret, in quo sit absoluendus. Non potest autem declarare, nisi in specie exprimat aliquod peccatum. Resp. Si argumentum concluderet, probaret etiam, quod non posset se subiicere, vt obsoluendum ab omnibus peccatis, nisi singula declararet, quia posset dici, quod scienter retinens aliquod peccatum, *Nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponit*, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 5. *de poenit.* Sicut ergo hoc intelligitur de eo, qui absque sufficienti causa reticet aliquod peccatum. Ita etiam debet intelligi de eo, qui absque sufficienti causa solum in genere confiteretur.

Vn-

Vnde ad argumentum dicitur, quod non potest quis se subiicere, vt absoluendum, nisi declaret, in quo sit absoluendus vel in genere, vel in specie. Quando enim cofitetur in genere, declarat se esse absoluendum vt offensorē Dei, atque adeo in omnibus, in quibus ipsum offendit. Et proinde confessio formaliter est integra, non secus, ac quando aliqua peccata in specie explicantur, & alia tacentur. Hoc autem sufficit, vt fiat capax absolutionis, quia peccata sunt solum materia circa quam, non autem ex qua conficiatur sacramentum; sed hæc est dolor factus sensibilis per confessionem: seu confessio informata dolore, quæ non sit determinata, & formaliter reddat pęnitentem capacem absolutionis, est sufficiens pro sacramento; licet materia circa quam sit indeterminata, nam etiam delicta non cognita possunt remitti, vt constat in generalibus indultis Principum in quibus comprehenduntur etiam delicta non delata in iudicium, vt notant Grat. *consil.* 137. *vol.* 1. & *consil.* 144. *vol.* 2. Carauita *super Pragmat. Regni Neapol. de exul. num.* 121. *quæst.* 8. & habetur in Praxi à Rege Cathol. apud Mastril. *ad Indul. Gener. cap.* 13. *numer.* 1. Addo, quod materia circa quam in tali casu est in se ipsa determinata, quamuis non sit determinate cognita à sacerdote. Sic etiam sacerdos potest consecrare totam materiam sibi præsentem, licet non sit ipsi determinatè cognita, quia potest velle, consecrare totam illam materiam, quamuis determinatè non cognoscat. Sic etiam potest intendere absoluere ab omnibus peccatis illum poenitentem, licet ea determinate non cognoscat.

9 Dubium tamen remanet, quanta debeat esse necessitas, vt possit fieri in prædictis casibus confessio in genere. Resp. Necessitatem debere esse talem, vt reddat moraliter impossibilem confessionem in specie. Quia sola moralis impossibilitas excusat ab integritate confessionis. Hæc tamen moralis impossibilitas non est accipienda strictè, sed amplè, non solum quia agitur de salute animæ, & de vitando periculo, ne aliquis sine absolutione moriatur. Sed etiam quia sumus in moralibus, in quibus quod est valde difficile, habetur pro impossibili *l. Cum heres* 4. §. *de stat.* & *l.* 2. §. *Et quo.* *Continuus.* §. *Cum quis ff. de verbor. obligat.* Quare, quando confessarius versabitur in his occasionibus, debet scrupulos arcere; & si potest probabiliter iudicare, quod omnes, qui sunt in periculo, non poterunt confiteri in specie, debet hanc confessionem in genere admittere.

An secretum confessionis sit causa sufficiens non confitendi integre. Quæst. 137.

S V M M A.

1 *Confessio est ita instituta secreta, vt tamen possit esse publica.*
2 *In articulo mortis an teneatur quis confiteri publice, si aliter non possit, & numero 3. & 4.*
4 *Integritas confessionis non est de essentia sacramenti, nec obligat cum graui læsione.*
5 *Quid si peccata non lædant bonam opinionem pęnitentis.*
6 *Obligatio confessionis esset valde grauis, nisi compensaretur commodis.*
6 *Non satis consulte præciperetur confessio publica.*
6 *Obligatio extenditur solum ad rationabilia.*
7 *Publicitas confessionis, atque adeo nec integritas in publica confessione est ex diuino præcepto.*
7 *Argumentum à negatione totius ad negationem partis in toto contentæ valet.*
8 *Quomodo integritas sequatur naturam confessionis.*
9 *Licet præsentes confessioni teneantur ad sigillum, adhuc confessio non est secreta.*
9 *An ad assecurandum salutem sit confitendum publice in articulo mortis.*

Sup-

1 SVpponendum est, quod licet confessio sit à Christo instituta, vt secreto fiat, vt colligitur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit*, dum dicit, non esse humanum inuentum, quod confessio sit secreta, esset autem, si non esset talis instituta à Christo. Attamen non est ita instituta secreta, vt non sit in potestate pœnitentis, publice confiteri, quando prudenti modo fieri potest. Et proinde Concil. *cit.* subdit, quod Christus non vetuit, quod aliquis publice possit confiteri. Quare in dicto casu poterit coram alijs confiteri, si ex circumstantiis contingat posse prudenti modo fieri. Solum est difficultas est, an in tali casu possit fieri confessio non integra.

2 Prima sententia asserit, teneri confiteri in articulo mortis coram aliis, quando aliter non potest, vnde videtur velle, quod etiam teneatur explicare omnia peccata, Ita Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 6. *num.* 15. & alii. Probant. Qui sunt præsentes tenentur obseruare secretum, ergo cum salus æterna sit præponenda bonæ opinioni, non per hoc excusabitur, quin integre confiteatur.

3 Secunda sentent. asserit in tali casu excusari pœnitentem ab integritate confessionis: & proinde posse explicare solum aliquod peccatum ex ijs, quæ generant minorem infamiam. Ita Henriquez *lib.* 4. *sum. cap.* 4. *num.* 4. Nugn. 3. *par. quæst.* 6. *supplem. art.* 3. *difficul.* 1. *ad* 1. *argum.* Coninch. *disp.* 6. *de Poenit. dub.* 10. *num.* 77. Suarez *disp.* 36. *de poenit. sect.* 6. *num.* 5. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 9. Canus *Relect. de poenit. part.* 5. Facundez *Pracep.* 2. *Ecclesi. lib.* 1. *capit.* 6. *num.* 8. Becan. *de sacram. capit.* 37. *de poenit. quæst.* 5. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 11. *num.* 12. Auersa *quæstion.* 16. *de poenit. sect.* 5. ver. *Hinc vero*. Præposit. 3. *par. quæst.* 5. *de poenit. dub.* 5. *num.* 125. ver. *Quartò quando instat*. Hurtad. *de sacram. poenit. disp.* 8. *difficul.* 2. *in fine*. Marchin. *de peste* Pasqualig. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Philiar. *de offic. sacerd. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. Sotus *lect.* 11. *de poenit.*

4 Dicendum est. Ad seruandum secretum confessionis licere facere confessionem non integram, confitendo vnum, aut alterum peccatum, & proinde quando quis non potest confiteri, nisi in præsentia aliquorum, posse vti tali remedio. Prob. Integritas confessionis non est de essentia sacramenti, sed tantum est necessaria ex præcepto diuino, pro integritate, & complemento iudicii sacramentalis, vt habetur ex Concil. Tnident. *sess.* 14. *can.* 7. *de poenit.* Et hoc præceptum non obligat, quando impleri non potest absque graui læsione iuris naturalis, ergo in tali casu non est necessaria; si quidem, si quis coram alijs conscientiæ suæ latebras aperiret, sicut aperit coram Deo in persona confessarij, subiret ignominiam, & grauem læsionem bonæ opinionis.

5 Dices fieri posse, quod non habeat peccata, quæ lædant bonam ipsius opinionem. Contra. Licet hoc possit contingere in aliquo, vniuersaliter tamen quodlibet peccatum mortale lædit bonam opinionem, & tunc magis, quando sunt plura, quia sunt occasio formandæ malæ opinionis. Quando autem aliqua causa de se sufficiens est, vt faciat cessare aliquod præceptum, facit ipsum semper cessare, quia consideratur secundum se, non autem secundum ea, quæ per accidens insunt, aut ratione subiecti, aut aliunde.

6 Confir. Confessionis difficultas, ac verecundia detegendi peccata grauis esset, nisi compensaretur tot, tantisque commodis, & consolationibus, quæ digne ad sacramentum pœnitentiæ accedentibus per absolutionem conferuntur, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda, vt habet Concil. *ibid.* ergo quando non potest fieri se-

secreto, non obligat integritas confessionis. Conseq. prob. Tum quia esset nimis grauis obligatio, nam si in secreto esset grauis, nisi compensaretur tot commodis, multo magis grauis esset in publico, cum nullum ex hoc speciale commodum percipiatur. Quod autem est nimis graue habetur pro impossibili, quia est exequutionis valde difficilis & ideo habetur pro impossibili, vt dictum est supra *quæst. . num. 9.* Tum quia, quod non potest satis consulte precipi non cadit sub obligatione, si quidem quod cadit sub obligatione, debet esse secundum regulas rectæ rationis; nam obligatio extenditur tantum secundum extensionem rationis: quod autem non est satis consultum, non est secundum regulas rectæ rationis, quia non est conforme prudentiæ.

7 Confir. 2. Publicitas confessionis non habetur ex diuino præcepto, vt decernit Concilium Trident. *cit. cap. 5. sess. 14. de poenit.* ergo neque integritas, quando quis publice confitetur. Conseq. prob. Tum quia integritas est præcepta in consequentiam ad confessionem; vnde si non habet locum præceptum de ipsa, quando fit publice, neque etiam habet locum præceptum de integritate. Tum quia tunc confessio fit solum vt necessaria pro sacramento: vnde sufficit, quod ponatur id, quod sufficit pro conficiendo sacramento. Tum quia valet argumentum à negatione totius ad negationem partis contentæ in ipso toto. *l. Qua de tota. ff. de rei vendicat.* & tradit Euerar. *in Topica. loco* 80. Vnde si non adest præceptum de publice confitendo, nec etiam aderit de publica integritate confessionis.

8 Dices: Licet non adsit præceptum de publice confitendo, adesse tamen præceptum, quod si confessio fit publice, integra sit, quia integritas sequitur naturam confessionis. Contra. Integritas non sequitur naturam confessionis vt pars essentialis illius; sed vt pars integralis, sine qua potest stare substantia confessionis, & est præcepta iuxta modum, & qualitatem confessionis institutæ à Christo, atque adeo vt debita tali confessioni, ergo quando variatur modus, & qualitas confessionis institutæ à Christo, non venit in consequentiam præceptum de integritate, cum sit instituta pro illo modo confitendi.

9 Ad fundam. oppositæ sent. neg. conseq. quia parum refert, quod qui sunt præsentes teneantur seruare secretum, nam dum ipsi audiunt peccata pœnitentis, fit apud ipsos diminutio bonæ opinionis ipsius, & coram ipsis substinet confusionem, quam ex vi præcepti confessionis institutæ à Christo, cum sit instituta secreta, non tenetur substinere. Neque ex eo, quod salus æterna sit præferenda bonæ opinioni, fit, quod debeant recenseri omnia peccata, nam eodem modo prouidetur saluti æternæ, ac si omnia explicarentur, cum non explicata quoque indirectè remittantur. Et cum adsit probabilis opinio, quod non sint de necessitate explicanda, & simus in ijs, quæ sunt iuris, & non facti, sequens hanc opinionem non peccat non explicando omnia peccata, quia operatur secundum regulas rectæ rationis; & ideo non ponit obicem absolutioni.

An in tali casu sufficiat confiteri solum aliquod peccatum veniale. Quæst. 138.

SVMMA.

3 *An quando confessio non potest esse secreta sufficiat confiteri venialia, & numero 2. & 3.*

3 *Præceptum cessat, si res præcepta non potest impleri cum suo modo, & qualitate.*

3 *Qualitas mutat substantiam rei, et reponit in alia specie.*

4 *Publicitas variat speciem moralem confessionis sacramentalis.*

Cor-

4 *Correctio non est in præcepto, quando non potest esse secreta.*
5 *An confessio mortalium publica sit necessaria, ut quis prouideat propriæ saluti.*
6 *Ratio quæ excusat à publica confessione vnius peccati, excusat ab omnibus.*
6 *Ratio amplia dispositionem ad suos terminos.*
7 *Pœnitens tenetur publice confiteri; si aliter non possit, peccata nota præsentibus.*
8 *Quid si confessarius inueniat plures decumbentes in eodem lecto.*
9 *Quid si audiat confessionem recenter vulnerati, nec adstantes velint desistere à curatione illius.*
10 *Quid quando vocatur ad audiendum confessionem parturientis.*

---

1 PRima sententia asserit, non sufficere, sed necessario confitendum esse aliquod mortale: posse tamen confiteri aliquod ex ijs, quæ minoris infamiæ sunt. Ita Suarez *disp. 36. de poenit. sect. 6. num.* 5. Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 1. capit. 6. num.* 8. Præposit. *3. par. quæst. 5. de poenit. dub. 5. num.* 125. ver. *Quartò, Quando*. Hurtad. *disp. 8. de poenit. difficul. 2. in fine*. Marchinus *de peste par. 2. cap. 4. num.* 7. Fernandez *par. 3. exam. theol. mor. cap. 7. §. 6. num.* 17. Fundamentum est. Quia præceptum confessionis, quod obligat in tali periculo, non est de venialibus confitendis, sed de mortalibus; & ideo aliquod ex mortalibus explicandum est.

2 Secunda sententia docet in tali casu sufficere confiteri aliquod peccatum veniale in specie, & mortalia in genere. Ita Coninch. *disp. 5. de poenit. dub. 10. num.* 77. Molfes *part. 1. sum. tract. 7. cap. 11. num.* 12. Auersa *quæst. 10. de confes. sect. 6.* ver. *Sed etiam si esset*. Escobar. *tract. 7. Theolog. mor. exam. 4. capit. 7.* ver. *An teneatur quis*. Et probabile putat Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 129. in fine*.

3 Dicendum est, Sufficere, si in tali casu confiteatur aliquod peccatum veniale in specie, mortalia autem in genere. Prob. Quando præcipitur aliquid cum aliquo modo, vel qualitate, qua constituatur in aliqua determinata specie, si non potest fieri cum illo modo, & qualitate, cessat præceptum; nam absque illo modo, & qualitate non erit amplius id, quod præcipitur, sed quid diuersum. Siquidem qualitas adiecta rei, variat ipsius substantiam, & reponit ipsam in alia specie. §. *Propterea*. Instit. *de inutilib. stipulationib.* & Cap. *Cum Marthæ*. §. *Quæsiuisti*. *de celebrat. missar.* & Cap. *Statutum*. *de elect. in 6.* & notant Bart. *in l. Si quis posthumo*. §. *Si quis filium* in fine. *ff. de liber. & posth.* Ias. *ibid. num.* 51. Crot. *consil.* 50. *num.* 8. Marsil. *singul.* 250. Gomez §. *In personam num.* 16. Instit. *de act.* Menoch. *consil.* 35. *num.* 3. Surd. *consil.* 362. *num.* 13. Ergo cum Christus præceperit confessionem secretam, & non publicam, vt declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* dum non potest fieri secreta, non habet locum præceptum, quia publica esset alterius speciei, atque adeo non esset illa, quæ est imposita sub præcepto. Ergo tunc confessio mortalium non est necessaria, & proinde sicut potest dimidiari, ita etiam potest tota relinqui, & fieri solum confessio venialium, quia confessio est facta voluntaria quoad mortalia, quæ alioquin est necessaria, ratione illius circumstantiæ. In materia autem voluntaria potest subiici clauibus, quodnam peccatum libuerit.

4 Dices. Rationem publicitatis non variare speciem confessionis, quia est qualitas extrinseca, & ideo adhuc remanet confessio sacramentalis. Contra. Licet non variet speciem physicè, variat tamen moraliter, nam ratio publici, & secreti est sufficiens ad infetendam diuersitatem specificam moralem, vt inductione constare potest, sic læsio honoris clam facta est diuersa ab ea, quæ fit coram læso, nam hæc est contumelia, quæ est diuersa specie. Et ideo facit, quod confessio habeat diuersas proprietates, quando est publica, quas non habet, dum est secreta,

nam lædit bonam opinionem, generat confuſionem, &c. Confir. Quia Deus pręcipit correctionem ſecretam iuxta illud Matth. 18. *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, non ſolum non ſequitur, quod non ſit in pręcepto correctio publica, ſed etiam, quod non poſſit fieri publice, alias peccaret mortaliter, qui publice corriperet, ergo eſtot, quod ſit in præcepto confeſſio ſecreta, non ſequitur, quod ſit in præcepto publica, dum non poteſt fieri ſecreta.

5 Dices 2. Licet confeſſio peccatorum non ſit neceſſatia ratione præcepti confeſsionis, eſse tamen neceſſariam, vt conſtitutus in periculo mortis prouideat propriæ ſaluti. Contra. Non eſt neceſſaria ex vi præcepti de confeſsione, ergo peccata, quæ eſsent exprimenda, non ſunt de neceſsitate exprimenda quantum eſt ex vi præcepti, & ideo ex hoc capite euadunt materia voluntaria, ergo vt conſulat ſuæ ſaluti, ſufficit, ſi quocunque modo fiat, & obtineatur abſolutio, atque adeo cum ſola confeſsione venialium in ſpecie; quia quantum eſt ex vi confeſsionis, eſt in poteſtate pœnitentis explicare omnia peccata mortalia, vel tantum vnicum, vel etiam nullum; & ſolum tenetur confiteri, vt prouideat pro priæ ſaluti obtinendo abſolutionem, & proinde ſufficit quocunque modo obtineat.

6 Confir. Ratio, quæ facit, vt non teneatur pœnitens explicare in ſpecie aliquod peccatum mortale, nempe ne fiat publicum, & inde conſurgat damnum propriæ bonæ opinioni, militat in omnibus, & ſingulis, quia omnia, & ſingula publicata habent eumdem effectũ ſiue maiorem, ſiue minorem. ergo ſi non tenetur aliquod explicare in publica confeſſione, neque etiam tenebitur explicare vnum, aut alterum, quia vbi eſt eadem ratio, ibi eſt etiam eadem diſpoſitio, & determinatio, ſi quidem ampliatur per ipſam rationem. *l. Regula*. §. *Si quis ius. ff. de iur. & fac. ignr.* vbi Bart. & Bald. & *l.* 2. §. *Si mater. ff.* Ad *Tertul.* & *l. Nomen debitoris*. §. *fin. ff. de legat.* 3. Caſtrens. *conſil.* 303. *num.* 3. *vol.* 3. Surdus *conſil.* 96. *num.* 20. Tiraquel. *tract. ceſſante cau. par.* 1. *num.* 149. Eucrar. cum aliis *in Topica*. *Loco* 35. §. *Ratio legis larga*.

7 Ex dictis colligitur, quod ſi peccata, quibus grauatur poenites, eſſent nota adſtantibus, quando publicè confiteretur, tunc teneretur ipſa explicare in confeſſione, vt notat etiam Aucrſa *quæſt.* 10. *de poenit. ſect.* 4. ver. *Sed etiam*; nam tunc ceſſat ratio excuſans. Imo ſi non explicaret, daret adſtantibus occaſionem malè de ſe ſuſpicandi, dum viderent, quod non confiteretur illa peccata, quibus ſcirent irretiri, & ideo etiam ex hoc capite teneretur ea explicare.

8 Colligitur ſecundo. Quod ſi confeſſarius inueniat plures decumbentes in eodem lecto, vt poteſt contingere tempore peſtilentiæ, aut apud pauperes perſonas, poterit vti dicto modo confitendi, ſi quidem habet locum tatio excuſans à confeſſione mortalium. Et præcipuè cum decumbentes in eodem lecto ſoleant eſſe perſonæ coniunctæ, aut ſimul viuentes in eadem domo, valde periculoſa eſſet confeſſio, ſi à cœteris audiretur, nã poſſet cauſare diſcordias, rixas, ſuſpiciones, & alia damna, ſi ſuperuiuerent. Vnde ad hæc vitanda, etiam ſi poenitens non haberet repugnantiam ad confitendum coram aliis decumbentibus, non debet permittere, ſed monere, quomodo poſſint confiteri, & obligationis, quam habebunt, ſi conualuerint. Quod ſi ipſis talis modus confitendi non ſatiſfaceret, & vellent nihilominus aliis audientibus confiteri, curare debet, vt quam minimum fieri poſſit, præſentes audiant, & abſtinere ab iis interrogationibus, quæ poſſent parere maiorem notitiam. Aut, ſi poteſt, inducere infirmum, vt plenam confeſſionem in tempus magis opportunum differat, promittens ſe adfuturum, & interim vno, aut altero peccato explicato abſoluere.

Col-

9 Colligitur 3. Contra Possevin. *cap. 7. de offic. cur. num. 93.* Quod si sacerdos accedat ad audiendam confessionem vulnerati, de quo timetur, quod propediem sit moriturus, non est opus, quod audiat integram confessionem, sed sufficit, quod aliquod peccatum audiat, & interim opitulantes recedant, quod si nolint recedere timentes, ne interim destitutus moriatur, poterit monere, quod explicet aliquod peccatum veniale, & in genere de cæteris se accuset, & ita illum absoluere, vt notant Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 44. num. 35.* Diana *par. 5. tract. 3. resol. 56.* Ratio est. Quia non solum concurrit impossibilitas moralis integritatis confessionis, sed etiam secreti: vnde ex vtroque capite non tenetur facere confessionem integram, sed potest confiteri solum aliquod veniale in specie, & cœtera in genere iuxta superius dicta.

10 Colligitur. 4. Contra Mancin. *in pract. visit. infir. pract. 4. dub. 16.* Quod quando confessarius accedit ad audiendam confessionem parturientis, aut alterius, qui solus relinqui non potest, non opus esse, vt faciat recedere personas non necessarias, & cœteras moneat, vt auertant oculos à facie confitentis, & claudant aures, & per signa, & nutus accipiat peccata, quia hoc est negotium praxis difficillimæ, & plenum periculis, nam posset quis habere interesse circa bona pœnitentis, & dubitare, ne simul cum confessario aliquid de hoc tractaret, aut etiam habere curiositatem circa coetera ex alio capite, & proinde fingere, quod aures obturaret, sed interim attentissimè auscultaret cum magno præiudicio, præsertim si moribundus conualesceret. Quare reiiciendus hic modus tanquam valde periculosus, & amplectenda doctrina supra tradita, quia necessitas moralis impedit, nè confessio possit esse integra, imo nè possit confiteri in specie peccatum aliquod mortale, quando adstantes non possent pro aliquo breui tempore longius recedere.

An damnum, quod excusat pœnitentem ab integritate confessionis, excuset etiam in periculo mortis. Quæst. 139.

S V M M A

1 *Graue damnum tam spirituale, quam temporale excusat ab integritate confessionis.*
2 *Obligatio ad integritatem confessionis cedit in concursu iuris naturalis.*
3 *Causæ quæ excusant ab integritate confessionis extra periculum mortis. excusant etiam in periculo mortis.*
3 *Ius charitatis præualet præcepto de integritate confessionis.*
4 *Quando liceat vti iure proprio cum damno alterius.*
5 *Charitas dat semper ius se indemnem seruandi, nisi alias propria exponenda sint.*

1 Communiter tradunt, quod quando pœnitens ex confessione alicuius peccati, aut plurium timet sibi aliquod graue damnum, aut tertio, excusatur ab integritate confessionis, siue damnum sit spirituale, siue temporale, vt si timeat graue odium, & persequutionem confessarij contra se, vel aliquem alium, si timeat extra confessionem grauis infamiæ periculum, si timeat, confessarium occasionem sumpturum alicuius peccati, aut quid simile. Ita Sotus *in 4 dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 3.* Nauar. *cap. 7. Manual. num. 3.* Henriquez *lib. 6. sum. cap. 12. num. 5.* Petrus Sotus. *lect. 12. de confess.* Canus *Relect. de pœnit. par. 5.* Adrian. *in 4. quæst. 2. de confess. §. Sed oritur ex his* Syluester *verbo.* Confessio. 1. *num.* 18.

Ta-

Tabiena *num.* 14. Caiet. *verbo.* Confessio Maior. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 5. *in fine*. Altisiodor. *lib.* 4. *sum. tract.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 3. Suarez *d.sp.* 23. *de poenit. sect.* 2. *num.* 1. Alens. 3. *par. quæst.* 77. *numer.* 3. *artic.* 1. *ad* 1. Pitigian. *in* 4. *dist.* 17. *quæst. vn. ar.* 13. *conclus.* 2. Nugnus 3. *par. quæstion.* 9. *supplem. artic.* 2. *post. dub.* 1. ver. *Circa alterum.* Præposit. *quæst.* 5. *de poenit. dub.* 5. *n.* 127. Mercer. *quæst.* 9. *supplem. ar.* 2. ver. *Casus sunt.* Chellison. *dub.* 5. Martinon *disp.* 50. *de poenit. sect.* 9. *num.* 105. Bonac. *disp.* 5. *de poenit. quæstion.* 5. *sect.* 2. §. 4. *punc.* 2. *num.* 11. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 6. Basseus *in florib. theol. pract. verbo.* Confessio. 5. *num.* 4. Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 11. Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscien. quæst.* 3. *de sacramen. poenit. dub.* 5. *conclus.* 3. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo.* Confessio. *num.* 28. Marchant. *in resolut. pastor. de sacramen. tract.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 6. Celestin. *in compend. theol. moral. tract.* 1. *de poenit. cap.* 10. ver. *Quorum primus.* Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 9. *difficul.* 37. *num.* 2. Coninch *de sacram. disp.* 7. *de integ. confes. dub.* 9. *num.* 75. Hurtad. *disp.* 9. *de poenit. difficul.* 10. ver. *Quartò conueniunt.* Caspens. *par.* 2. *curs. theol. tract.* 24. *disp.* 4. *sect.* 17. *num.* 149. Palaus *par.* 4. *tr.* 23. *disp. vn. punc.* 11. *num.* 3. Bartholom. à S. Faust. *lib.* 4. *de confes. quæstion.* 182. *vlt. edit.* Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 6. *num.* 17. Armilla *verbo.* Circumstantia. *num.* 11. Corduba *in sum. quæstion.* 1. Lopez *par.* 1. *instruc. capit.* 27. *quæst. vlt.* Auersa *quæst.* 10. *de poenit. sect.* 15. ver. *Quintus casus*. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 124. & alii cum D. Tho. *in* 4. *dist.* 17. *artic.* 3. *quæstion.* 4. *ad* 5.

2 Ratio autem est. Quia quando agitur de graui præiudicio siue poenitentis, siue alterius, semper concurrit cum præcepto de integritate confessionis ius naturale, vel seruandi se indemnem, vel non inferendi nocumentum alteri. In tali autem concursu cedit præceptum de integritate confessionis licet diuinum, quia est positiuum, & impositum ad mensuram regularum rectæ rationis, quia est impositum ad mensuram legi æternæ, cuius istæ sunt participationes quædam, atque adeo coarctatum est, vt non procedat contra ius naturale tanquam fundatum in in dictis regulis; & proinde non censeatur extendi ad casus, in quibus ipsi aduersaretur. Difficultas autem est, an etiam in periculo, vel articulo mortis liceat ex iisdem casibus facere confessionem non integram.

3 Videtur autem negatiuè respon. præsertim quando agitur de damno ipsius poenitentis, quia cum sit amissurus vitam, atque adeo omnia, quæ sunt huius mundi, & debeat solum de æterna salute cogitare, debet etiam non curare de quocunque damno temporali. Dicendum tamen est in tali casu non teneri, imo nec aliquando debere facere confessionem integram. Et quidem quando agitur de damno proximi spirituali, siue de proprio spirituali non potest facere confessionem integram; nam ex lege charitatis tenetur vitare damnum spirituale proprium, & proximi: vnde cum integritas confessionis infert tale damnum, etiam si per accidens inferat, sit contraria legibus charitatis, atque adeo desinit obligare; & proinde si poenitens illam non omitteret, vellet damnum spirituale proximi, & peccaret contra charitatem. Quod etiam habet locum in damno temporali poximi, nam in hoc quoque lædere proximum est contra charitatem.

4 Nec dici potest. Quod, cum habeat ius ad integritatem cõfessionis, vtitur suo iure; & proinde non illi imputari debet tale damnum, cum per accidens eueniat, sed vel malitiæ confessarii; vel etiam omnino inculpabiliter contingere potest. Nam tunc solum licet vti iure suo, quando in tali vsu, seu in obiecto iuris non includitur cau-

causa damni alieni, sed prouenit aliunde ex aliis causis annexis. Non autem, quando in tali obiecto includitur causa damni; nam tunc sicuti est volitum obiectũ, ita est volita etiam in ipso causa inclusa: nec damnũ sequitur per accidens, sed per se, cum sequatur ex causa inclusa in obiecto volito. Vnde nec tunc licet iure suo vti, quia cessat tale ius ex variatione obiecti, quod de se fit damnosum alteri. Cum ergo integritas confessionis ratione circumstantiarum de se sit allatiua detrimenti, continet in se causam damni, & ideo cessat ius ad ipsam.

5 Quando verò agitur de damno proprio temporali, licet laudabile esset ex honesto fine illud non curare anteponendo integritatem confessionis, quando secundũ regulas rectæ rationis id negligere potest: nõ tamen tenetur. Charitas enim, qua se ipsum amare potest, dat semper ius ad se indemnem conseruandum, quando aliunde non adest obligatio exponendi propria, aut se ipsum. Vnde cum simus in casu, in quo præceptum integritatis confessionis iuri naturali charitatis cedit, poterit constitutus in articulo mortis vti suo iure, præsertim, quia est habenda ratio bonæ opinionis etiam post mortem; & quia damnum temporale posset redundare in hæredes. Vnde per hoc solutum manet, quod in oppositum allatum est.

In quibus casibus liceat ob vitandum damnum omittere integritatem Confessionis. Quæst. 140.

S V M M A.

1 *Abstinendum ab integritate confessionis, quando esset occasio scandali.*

1 *Quæ sunt contra ius, et honestatem non sunt nobis possibilia.*

2 *Timor excitationis turpium desideriorum excusat ab integritate confessionis.*

3 *Mulier timens dare occasionem peccati confessario, tenetur tacere illud peccatum.*

4 *Timens quod confessarius sit reuelaturus aliquod peccatum, potest illud tacere.*

5 *Sacerdos non potens explicare aliquod peccatum sine fractione sigilli confessionis tenetur illud tacere.*

6 *Timens confessarium intentaturum contra se, vel suos aliquod malum, aut conceptu-rum graue odium, potest tacere illud, ex quo id sequeretur.*

7 *Timens sibi aliquod damnum à confessario ex confessione alicuius peccati potest illud tacere.*

8 *Poenitens non debet sine sufficienti fundamento male sentire de confessario quoad ea, quæ dependent à confessione.*

---

1 EX dictis in quæstione præcedenti colligitur cum doctoribus citatis *ibid. num.* 1. abstinendum esse ab integritate confessionis, quando esset futura occasio scandali, vel ipsi poenitenti, vel confessario. In tali enim casu integritas non est possibilis poenitenti, & ideo præceptum non obligat; neque enim nobis possibilia sunt, quæ sunt contra ius & honestatem. *l. Quæro.* § *Inter. locatorem.ff. locati.* & *l. Nepos.* §. *proculo. ff. de verbor. significat.* & cap. *causam, quæ de rescrip.* & cap. *cum dilectus. de consuetudine.* Quia nimirum omnis potentia est sub mensura rationis, atque adeo ad ea solum se extendit, ad quæ pertingit ratio. Quod autem est contra ius, & honestatem, est etiam contra rationem, & proinde extra spheram potentiæ. Cum ergo in tali casu integritas confessionis sit contra ius charitatis, quæ est fundamentum totius honestatis, & virtutis, iuxta Apostolum 1. *Ad Corinth. cap.* 13. & in qua tota obseruantia legis pendet, non erit intra spheram potentiæ, atque adeo vt impossibilis relinquenda. Quod tamen intelligi debet de scandalo pusillorum, nam si scandalum proueniret ex malitia confessarii, tunc non adesset obliga-

gatio illud uitandi, quamuis posset, iuxta ea, quæ traduntur de scandalo. Et in hoc sensu accipienda sunt etiam, quæ mox dicentur.

2 Colligitur 2. cum Coninch. *disp. 7. de poenit. dub. 9. n.* 75. Auersa *quæst.* 10. *de poenit. sect.* 15. ver. *Quintus casus*. Quod si constitutus in periculo mortis prudenter timeat, in se excitanda turpia desideria, si diutius moretur in examine aliquorum peccatorum, aut in narratione facienda confessario, potest leuiter transire, & prætermittere in confessione circumstantiam, ex qua talia desideria excitantur, etiam si mutaret speciem, quia hoc exigit charitas erga se ipsum, ne se exponat periculo peccandi.

3 Colligitur 3. cum Fausto *lib.* 4. *de confes. quæst.* 182. ver. *Hinc si puella. vlt. edit.* Quod si mulier prudenter timeret, quod confitendo aliquod peccatum carnale, confessarius sumpturus esset occasionem peccandi, posset tacere tale peccatum, nam exponeret periculo graui peccandi proximum, quia licet hoc proueniret ex malitia confessarii adhuc tamen ipsi offerretur excitatiuum.

4 Colligitur 4. Quod si constitutus in periculo mortis timeret, quod confitendo aliquod peccatum, daret occasionem confessario reuelandi confessionem, vt si ex ponendum esset aliquod peccatum, quod interesset con fessario, illud alicui notificare, aut quod sumpturus esset occasionem ipsum infamandi etiam in genere, non manifestando aliquod peccatum ipsius in specie, adhuc non tenetur integrè confiteri, vt notant plures ex *citatis* Doctor. *quæst. præced. num.* 1. quia in tali casu agitur de vitando damno, qualis est fractio sigilli in præiudicium poenitentis, & infamia, quæ ipsi sequeretur, & etiam quia præberetur occasio peccandi ipsi confessario.

5 Colligitur 5. Quod si constitutus in periculo mortis sit sacerdos, & non possit explicare aliquod peccatum à se commissum sine violatione sigilli confessionis à se auditæ, debere reticere illud peccatum, vt notant Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 12. *numer.* 7. Vasquez 3. *par. quæst.* 91. *ar.* 2. *dub.* 3. *num.* 29. Reginal. *lib.* 6. *num.* 192. Faust. *lib.* 4. *de confes. quæst.* 182. ver. *Hinc quando. vlt. edit.* & alii ex citatis *quæstion. præced. num.* 1. Ratio est, quia præceptum de sigillo confessionis est diuinum, & fortius obligat, quam præceptum de integritate. Tum quia in hoc præcepto agitur de alieno præiudicio vitando, & ideo inuoluit etiam, obligationem naturalem iustitiæ de non lædendo proximo. Tum quia inuoluit etiam obligationem naturalis secreti, & fidelitatis.

6 Colligitur 6. Quod si poenitens cognouerit carnaliter aliquam consanguineam, aut affinem confessarii, aut occiderit aliquam personam ipsi coniunctam, aut aliquo alio modo grauiter ipsū læserit, aut eius coniunctos, aut participauerit in his peccatis; atque prudenter timet, quod si confiteatur peccatum, veniet in cognitionem, quod sit illud, in quo ipse, aut sui sunt læsi, & quod sit intentatum aliquod malum, aut graue odium contra se ipsum, si superuixerit, aut suos concepturus; vel quia habet de hoc aliquam suspicionem, vel quia ex alio capite sit tale iudicium concepturus, non tenebitur peccatum confiteri, vt notant Doctores fere omnes *quæst. præced. num.* 1. *cit.* Et ratio est clara, quia subintrat ius naturale auertendi proprium damnum, aut etiam proximi, contra quod non obligat præceptum de integritate confessionis.

7 Colligitur 7. cum Coninch. *disp.* 7. *de poenit. dub.* 9. *num.* 75. Quod si poenitens prudenter timeat, quod confessarius audiendo aliquod peccatum, sit eum odio habiturus, si superuixerit, aut eum malè tractaturus, præsertim si ab ipso dependeat, aut percipiat alimenta, non tenetur tale peccatum confiteri. Ratio est, quia hoc incommodum est graue, & est extrinse-

cum

cum confessioni, cum dicat aliquem effectum, quem de se non parit confessio, sed prouenit ex voluntate confessarii sumpta occasione ex ipsa confessione. Vnde integritas confessionis in tali casu esset notabiliter nociua; & proinde non caderet sub præcepto.

8 Colligitur. 8. Quod in dictis, & aliis similibus casibus, in quibus timet damnum spirituale, & temporale vel proprium, vel proximi ex culpa confessarij, debet cauere, ne malè sentiat de confessario absque rationabili fundamento; aliàs peccaret malè iudicando de ipso; nec posset absolui, nisi recederet ab hoc peccato. Vnde etiam quando adest fundamentum malè sentiendi debet suspendere iudicium, & secundum solam suspicionem se regulare sibi consulendo.

An in dubio, quod ex integritate confessionis sequuturum sit graue damnum, possit omitti.

Quæst. 141.

S V M M A.

1 *In dubio de damno inde sequuturo non potest omitti integritas confessionis.*

2 *Dubium de damno sequuturo ex integritate confessionis, non potest esse negatiuum.*

3 *An stante dubio positiuo de damno possit omitti integritas confessionis.*

4 *Damnum probabiliter euenturum ex integritate confessionis, elidit probabiliter obligationem ad ipsam.*

5 *Quando in dubiis sit melior conditio possidentis.*

5 *Lex an possideat in particulari casu dubio, an comprehendatur sub lege.*

6 *An in dubio de damno ex integritate confessionis, se exponat periculo non confitendo integrè.*

1 NEgatiuè respondent Henriquez *lib. 6. sum. capit.* 12. Pasqualig. *num.* 5. Valent. 3. *par. disp.* 7. *quæst* 12. *punc.* 1. ver. *Secundus casus*. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ar.* 5. *ad* 3. Vasquez 3. *par. quæst.* 19. *art.* 2. *dub.* 3. Reginal. *lib.* 8. *num.* 157. Bonac *disp.* 5. *de sacramen. poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. §. 4. *punc.* 2. *num.* 12. ver. *Qui vero.* Præpos. 3. *par. quæst.* 5. *de confess. dub.* 5 *num.* 127. ver. *Aduerte primò* Fundamentum huius sententiæ est, quia in dubio est melior conditio possidentis, in tali autem casu possidet præceptum de integritate confessionis.

2 Circa hanc difficultatem aduertendum est, quod dubium non potest esse negatiuũ. Cum enim dubiũ negatiuũ sit illud, quod facit intellectum esse suspensum, quia ex neutra parte adest motiuum inclinans ad assensum, hoc non potest habere locum in præsenti casu: quia si non adest aliquod motiuum inclinans intellectum ad assensum, quod ex integritate confessionis sit superuenturum aliquod damnum, remanet certum, quod non sit superuenturum, quia præsumitur pro integritate, & probitate confessarii, & quia non adest materia, ex qua certitudo corruat, quod non possit poenitens tutò confiteri, pro quo semper stat præsumptio.

3 Solum ergo potest habere locum dubium positiuum, ita vt intellectus pro vtraque parte habeat motiuum sufficiens, & proinde ex vna parte possit iustè timere de damno superuenturo; & ex alia etiam non timere. In tali autem casu existimo, quod possit omittere integritatem confessionis. Ratio autem est, quia licet damnum, de quo timetur, sit dubium, periculum tamen est certum, quia certum est, quod probabiliter potest euenire, nam certitudo periculi non dependet à certitudine damni, sed à certitudine probabilitatis. Cum autem ius naturale det facultatem, non solum depellendi à se ipso damnum, sed etiam se præseruandi à periculis, & præceptum de integritate confessionis cesset, quando detraheret de iure naturali, ideo in

tali quoque casu cessabit.

4 Accedit etiam, quod quando periculum est probabile, facit opinionem probabilem, quod sit eueniturum damnum, ergo facit etiam probabilem opinionem, quod præceptum de integritate confessionis non obliget; nam si certitudo damni eueniuri facit certum, quod præceptum non obliget, probabilitas quoque faciet probabile, si quidem damnum imminens elidit obligationem præcepti, & proinde si probabiliter immineat, probabiliter elidet. Ergo poterit pœnitens sequi hanc partem tanquam probabilem, quia res reducitur ad ea, quæ sunt iuris: est enim quid iuris, an præcepti obligatio cesset, an non. In his enim potest quisque sequi quamcumque opinionem probabilem, præsertim quando non agitur de præiudicio tertii.

5 Ad fundament. resp. In dubio meliorem esse conditionem possidentis, quando dubium depelli non potest, quia tunc titulus possessionis facit ius: non autem quando dubium deponi potest etiam solum probabiliter, quia tunc stante quacumque parte possumus operari secundum rectam rationem. Deinde neg. quod in tali casu præceptum possideat, quia licet sit in possessione vniuersaliter obligandi: non est tamen in possessione obligandi in hoc, vel illo particulari casu, quòad vsque constet, quod talis casus comprehendatur sub lege; nam ante non censetur præceptum apprehendisse possessionē: vnde quando est vtrique dubium, potest negari possessio, & non admitti. Deinde lex de integritate ex communi sensu Doctorum, à quo accipit interpretationem, non obligat imminente damno, & proinde tunc non est in possessione obligandi: ergo quando probabiliter imminet, non est probabiliter in possessione.

6 Dices. Qui in tali casu non faceret confessionem integram, se exponeret periculo confitendi inualidè, ergo non potest omittere integritatem. Resp. neg. anteced. Quia per hoc, quod omittatur integritas non subtrahitur aliquid essentiale sacramento. Vnde solum potest confiteri inualidè, quatenus peccaret, & poneret obicem; cum autem sequatur opinionem probabilem in iis, quæ sunt iuris, prudenter operatur, atque secundum regulas rectæ rationis, atque adeo nullum committit peccatum.

An quando sacerdos timet sibi graue damnum, si audiat integram confessionem, possit absoluere audito vno, aut altero peccato.

Quæst. 142.

S V M M A

1 *Ad vitandum graue damnum proprium potest sacerdos absoluere audito aliquo peccato.*

2 *An ad vitandam infectiones possit parochus non audire integram confessionem, & sequent.*

4 *Præceptum de integritate confessionis non obligat cum periculo vitæ confessarij.*

5 *Præceptum de integritate confessionis obligat simul pænitentem, & sacerdotem, & ex quibus causis cessat in vno, cessat etiam in alio.*

5 *In correlatiuis dispositum de vno censetur dispositum etiam de alio.*

6 *Parochus aliquando tenetur ad vitandum periculum non audire integram confessionem peste infecti.*

6 *Parochus tenetur præferre bonum plurium suorum subditorum bono vnius.*

7 *Quomodo debeat sacerdos cognoscere statum pænitentis.*

7 *Necessitas etiam ex parte sacerdotis excusat ab integritate confessionis:*

7 *Discrimen inter medicum, & confessarium in cognitione status infirmi, & pænitentis.*

8 *Parochus quando teneatur exponere vitam pro ouibus.*

8 *Pænitens non tenetur integrè confiteri cum graui periculo Parochi.*

Quan-

9 *Quando in sacramentis teneamur sequi opinionem certam.*
10 *Nolens audire integram confessionem potest tollere scandalum, si videt sequuturum, & quid si non possit.*
10 *Cur ad vitandum graue periculum non liceat per nuncium confiteri.*
11 *In confessione non integra vt explicandum aliquod mortale si adsit, & quid si ex ruditate pœnitens explicetur solum veniale.*
11 *An sit eadē ratio ministrationis eucharistiæ, & extremæ vnctionis, ac integritatis confessionis.*

---

1 IN hoc quoque conueniunt communiter, quod etiam in tali casu possit pœnitentem constitutum in periculo mortis absoluere audito vno, aut altero peccato Ita D.Th. *in 4. dist.* 17. *quæst.* 3. *ar.* 3. *quæstion.* 4. *ad* 5. Palud. *quæst.* 5. Maior. *ibid.* Adrian. *quæst.* 1. *&* 4. *de confes.* Sotus *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 3. Alens. *3. part. quæst.* 77. *mem.* 3. *art.* 1. *ad* 1. Altisiodor. *tract.* 6. *sum. cap.* 3. *quæst.* 3. Petrus Sotus *lect.* 10. *de confes.* Canus *Relect. de poenit. par.* 5. Nauar. *cap.* 7. *Manual. num.* 3. *&* 4. Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 2. *num.* 1. Auersa *quæst.* 10. *de poenit. sect.* 15. ver. *sextus casus*, & alij citati supra *quæst.* .... *num.* 1. Ratio enim est eadem, quia confessarius habet ius ad sui conseruationem, & ad auertendum à seipso omne damnum, & ideo integritas confessionis in tali casu læderet ius naturale: vnde cessat obligatio ad ipsam. Et etiam pœnitens, quia tenetur diligere proximum sicut seipsum, tenetur tollere occasionem damni, non secus ac tolleret respectu sui ipsius, & proinde omittere integritatem confessionis. Solum difficultas est, an tempore pestis ob vitandum periculum infectionis possit sacerdos audito vno, aut altero peccato pœnitentem absoluere.

2. Prima sententia asserit confessarium, non obstante periculo infectionis, teneri audire integram confessionem. Ita Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. *& sequens.* Probat, confessarius, non audita integra confessione, non cognoscit statum pœnitentis parati totam suam conscientiam aperire: ergo non ministrat sacramentum, vt est institutum à Christo, nempe cum cognitione causæ. ergo nulliter. 2. Defectus integritatis materialis non prouenit à pœnitente, sed ex voluntate confessarij, ergo respectu ipsius non est integra formaliter, & proinde nulliter absoluit, sicuti nulliter absolueret, si dormisset, & non audiuisset omnia peccata, ratione ignorantiæ status pœnitentis. 3. Confessarius est medicus animæ, ergo sicut medicus non satisfaceret muneri suo, si non benè conscius de statu infirmi discederet, ita nec parochus, si absoluat, & fugiat. 4. Parochus tenetur exponere vitam, & quicunque alius, qui in tali casu assumpsit onus ministrandi sacramenta: ergo non potest dimidiare confessionem ob vitandum periculum vitæ, sicut nec potest miles conductus fugere incœpto prælio, & non perfecto. 5. Quando pœnitens tenetur integre confiteri, tenetur etiam sacerdos integre audire, quia hæc sunt correlatiua. In tali autem casu tenetur pœnitens integre confiteri, quia non excusatur, ne exponat periculo vitam parochi, cum sit exponenda periculo pro salute ouium. Tum quia poenitens tenetur plus amare propriam salutem spiritualem, quam corporalem proximi. 6. Quando agitur de valore sacramenti necessarij pro salute, tenemur eligere illam opinionem, quæ facit certum salutis remedium. Qui autem in tali casu nollet audire confessionem integram, exponeret periculo salutis poenitentem, quia si talis opinio coram Deo non esset vera, confessio esset nulla. 7. Nolens audire integram confessionem daret scandalum poenitentibus, qui existimarent, se non esse confessos, & desperarent de propria salute; & si vellet de hoc instruere plus temporis impenderet, quam si audiret in-

integram confessionem, & multoties instructio esset absque fructu. Octauo, Sequeretur quod in tali casu esset licita confessio per litteras, quia quod fiat coram confessario non est confessioni ita intrinsecum, sicut est integritas, quæ est de iure diuino. Nono. Sequeretur, quod posset sacerdos audire etiam vnicum veniale, licet poenitens haberet mortalia, quod tamen est absurdum, & posset contingere, quia vel præ rubore poenitens incipiat à lauioribus, vel quia nesciat discernere inter mortale, & veniale. Decimo. Sequeretur etiam, quod parochus non teneretur ministrare Eucharistiam peste infectis, & extremam vnctionem, nam hæc sacramenta sunt minus necessaria, quàm integritas confessionis.

3 Secunda sententia asserit, in tali casu posse fieri confessionem non integram. Ita Suarez *disp. 23. de poenit. sect. 1. nu. 1.* Coninch *disp. 7. de poenit. n. 75.* Turrian, *disp. 30. dub. 1.* Zambran. *in suis decis. capit. 4. de poenit. dub. 6. numer. 12.* Hurtad. *disp. 9. de poenit. difficul. 10. ver. Conueniunt secundò.* Vasquez *3. par. quæst. 91. ar. 2. dub. 2. num. 2.* Granad. *Controuer. 7. tract. 9. disp. 6. sect. 3. num. 10.* Præposit. *quæst. 5. de confess. dub. 5. num. 125. ver. Quinto si ex.* Chellison, *dub. 5. init.* Chapeauil. *de administ. sacramen. temp. pes. quæst. 26. de sacramen. poenit. ver. Resp. Si pastor.* Villalob. *par. 1, sum. tract. 9. difficul. 33. num. 6* Io. à Cruce. *par. 2. direct. conscien. quæstion. 3. de poenit. dub. 5. conclus. 3.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 13. num. 4. ver. Dico secundo.* Diana *par. 5. tract. 4. resol. 74.* Petrus Marchan. *tom. 1. tribun. sacram. tract. 4. tit. 6. quæstion. 6. ver. Tertiò,* Candid. *disquisit. 24. artic. 24. dub. 5. in fine,* Auersa *quæst. 10. de poenit. sect. 15, ver. Sextus casus.* & alii Cum D. Th. *in 4. dist. 17. quæst. 3. ar. 3. quæstiun. 4. ad 5.*

4 Dicendum. Posse confessarium etiam Parochum non audire integram confessionem poenitentis peste infecti ad euitandum periculum infectionis. Prob. Præceptum de integritate confessionis obligat tantum morali modo, quia est positiuum, & non est de aliquo, quod pertineat ad essentiam sacramenti. ergo non obligat eos, per quos impleri debet, nisi morali modo, atque adeo quando moraliter adimpletio est possibilis. ergo cum debeat impleri etiam per confessarium, quatenus tanquam iudex tenetur reum audire, & cognoscere causam, non obligat ipsum, quando non est ipsi moraliter possibile. Quando autem aliquid non est possibile, nisi cum periculo vitæ, & aliàs non adest obligatio exponendi vitam, censetur moraliter impossibile, quia etiam valde difficile æquiparatur impossibili, vt dictum est supra.

5 Confir. Integritas confessionis in tali casu læderet ius naturale subtrahendi se à periculis, & se conseruandi, ergo cum præceptum de ipsa concurrat cum tali iure, ipsi cedit, vt etiam supra dictum est, quia diuinum ius positiuum, non est contra naturale, sed secundum mensuram ipsius. Confir. 2. Poenitens non tenetur cum periculo propriæ vitæ facere integram confessionem, imo etiam cum minori periculo, excusatur, ne integrè confiteatur, ergo neque sacerdos obligatur audire integram confessionem cum tali periculo Conseq. prob. Præceptum de integritate simul, & semel obligat poenitentem, & confessarium, illum ad exponendum omnia peccata, hunc ad audiendum, ita vt obligando pœnitentem ad exponenda singula peccata, obliget confessarium ad audienda. ergo cum sit vna, & eadem obligatio, à pari procedit respectu vtriusque, & ex ijs causis, ex quibus cessat respectu vnius, cessat etiam respectu alterius. Vnde intrat regula, quod in correlatiuis dispositum de vno censetur etiam dispositum de altero. *l. Fin. ff. de acceptil.* & *l. Si quis seruo. C. de furtis.* & notant communiter Doctores, præsertim

tim Euerar. *in Topica loco à correlat. num.* 8.

6 Imo cum Parochi non sint addi-ẞi vni particulari, sed omnibus suarum parochiarum, quibus in ministrandis sacramentis ex officio inseruire debent, tenentur aliquando vsurpare talem modum confitendi, vt notat etiam Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 4. ver. *Dico secundo*. Ratio autem est, quia qui est obligatus multis, non potest ita pro vno se prodigere, vt subtrahat cœteris suum ministerium; nam hoc esset contra iustitiam, quia debet æquè inseruire omnibus, præsertim quòad ea, quæ concernunt salutem. Et ideo, dum vni inseruit, tenetur vitare illa pericula, quæ ipsum subtraherent ab aliorum seruitio. Confir. Bonum commune est præferendum bono particulari sub graui obligatione quòad eos, quibus incumbit administratio. Ergo cum audire confessionem integram peste infecti sit contra bonum commune, quia se exponit parochus periculo mortis cum præiudicio boni communis; nam inde prouenire potest, quod cęteri priuentur suo ministro pro sacramentis; & etiam quod sacramentis careant, facit bonum commune cessare obligationem de integritate confessionis; & inducit obligationem in parocho se subtrahendi periculo quantum fieri potest salua subuentione, & ministerio de necessitate exibendo suis ouibus. Et hoc nedum habet locum in Parochis, sed etiam in cęteris sacerdotibus, quando essent etiam cęteris administraturi sacramenta. Quia se exponunt periculo; quod audiēdo integram confessionem, alij sacramentis careant.

7 Neque argumenta oppositæ sententia sunt magni momenti: vnde Ad 1. resp. Confessarium cognoscere statum pęnitentis, quantum tunc in illis circumstantijs est moraliter possibile, & sufficit, quod sufficit pro validitate sacramenti, vt constat ex dictis in superioribus; Quia si ex parte pęnitentis sufficit, quod aperiat quantum est moraliter possibile, nec tenetur quòad omnia aperire cum periculo vitæ, sufficiet etiam ex parte confessarij, quod cognoscat, quantum est ipsi moraliter possibile, nec tenebitur, integrè cognoscere cum periculo vitæ, quia sumus in correlatiuis. Vnde negatur consequent. Ad 2. Defectus integritatis proueniret ex voluntate confessarij non præcisè, sed iuncta necessitate; & proinde confessio respectu ipsius esset integra formaliter, sicut est integra pęnitenti, quando non potest omnia aperire sine periculo vitæ; nam esset de toto eo, quod moraliter est possibile explicari. Nec est eadem ratio, si dormiret, aut non audiret, quia hoc non proueniret ex necessitate, sed ex negligentia, nec interueniret causa excusans ab integritate. Ad 3. neg. consequen. cum sit dispar ratio, nam si medicus non habeat plenam notitiam morbi, non potest applicare medicinam congruam, nec liberare infirmum à morbo; & ideo non satisfaceret muneri suo, si viso infirmo statim discederet, at satisfaceret, si posset statim applicare medicinam, qua sanaretur. Confessarius autem potest applicare, quia potest absoluere indirectè ab omnibus absoluendo ab vno explicato, & ideo plenè satisfacit muneri suo.

8 Ad 4. Parochum teneri exponere vitam pro suis ouibus, quando vrget necessitas: secus autem, quando non vrget. Imo esset ipsam prodigere cum detrimento aliorum, si illud remedium, quod potest exhibere absque vitæ periculo, vellet exhibere cum periculo. Eodem autem modo subuenit, si audiat integram, aut non integram confessionem, quia semper reconciliat Deo poenitentem. Ad 5. neg. min. Nam poenitens excusatur ab integritate confessionis, dum sacerdos non potest legitimè integrè audire. Ad prob. Teneri quoque non integre confiteri, ne exponat periculo vitam parochi, quæ non est exponenda absque necessitate. Et licèt poenitens debeat plus amare propriam salutem spiritualem,

lem, quam corporalem parochi, non sequitur, quod in tali casu debeat integre confiteri; nam absque integra confessione consulitur saluti ipsius.

9 Ad 6. In ministratione sacramentorum, quæ sunt necessaria pro salutè, teneri nos sequi illam opinionem, quando possumus, quæ facit certum remedium salutis, quando agitur de essentialibus sacramentorum, sine quibus non possunt sacramenta subsistere. Non autem in coeteris. Vnde neg. min. quia integritas non pertinet ad essentialia sacramenti poenitentiæ, imò nõ impedit effectũ ipsius, si bona fide omittatur, etiam quando non potest omitti. Et ideo dato, quod hæc opinio coram Deo non esset vera, adhuc sacramentum esset validum, quia nihil de essentialibus omitteretur; & haberet suum effectum, quia bona fides excusaret à peccato, & faceret, quod confessio esset integra formaliter, non secus, ac si opinio esset vera.

10 Ad 7. Nolens audire integram confessionem, si videret sequuturum scandalum, posset tollere instruendo, & posset etiam præuenire vrgentiam. Et dato quod in hoc insumeret aliquod tempus, inseruiret pro aliis occasionibus, quia spargeretur instructio, & poenitentes fierent capaces. Quod si non acquiescerent, sibi ipsis imputare deberent, quidquid inde eueniret, cum non possit parochus ob inseruiendum voluntati vnius, quæ non regitur ratione, facere aliquid, quod sit in præiudicium aliorum. Ad 8. neg. sequel. Ad probat. neg. assumptum, nam quod confessio fiat coram sacerdote requiritur ex vi institutionis tanquam modus pertinens ad essentiam ipsius; si quidem hoc sacramentum est institutum per modum iudicii, in quo poenitens compareat personaliter coram sacerdote, & proinde Clemens VIII. in suo Decreto declarauit, quod nũquam possit fieri absenti. At integritas non est instituta vt quid essentiale, sed vt quid integrale. Quod autem talis modus sit ex institutione Christi habetur ex praxi Ecclesiæ, & declaratione ipsius. Deinde si argumentum aliquid probaret, quod neg. pœnitens nõ posset in vllo vnquam casu facere confessionem non integram etiam quando dubitatur de superuentura morte; namque tunc fieri potest absenti.

11 Ad 9. neg. sequel. Quia mortalia sunt materia necessaria sacramenti, & ideo quando nullum adest impedimentum, debet confessio esse de ipsis. Quod si in tali casu poenitens explicaret tantum veniale, quia nesciret discernere, deberet moneri à sacerdote, ut aliquod grauius peccatum explicaret, si haberet. Quod si neq. tunc explicaret ex malitia; sibi debe-ret imputare: quod si, quia nesciret discernere, excusaretur à bona fide. Ad 10. An parochus cum periculo vitæ teneatur ministrare Eucharistiam et extremam vnctionem, videbimus suo loco. Interim neg. conseq. nam cum confessione non integra stat sacramentum poenitentiæ, & ideo in tali casu non est vllo modo necessaria, neq. poenitens ex ipsa perciperet specialem aliquam vtilitatem. At ex eucharistia, & extrema vnctione percipit magnam vtilitatem, & sunt aliquo modo necessaria, nec sine ipsis haberi potest eorumdem effectus, sicut habetur effectus sacramenti poenitentiæ sine materiali integritate confessionis.

An quando pœnitens in periculo mortis non potest integrè confiteri, teneatur grauiora peccata prius exponere. Quæst. 143.

S V M M A.

1 *Qui sentiant poenitentem, qui non potest in-*

tegre confiteri teneri exponere grauiora peccata.
2 Qui non poteſt integre confiteri, non tenetur exponere grauiora.
2 Obligatio ſubiiciendi clauibus peccata non eſt ſtrictior quòad grauiora.
2 Cauſa quæ excuſat à præmittenda confeſsione celebrationi, ſi non adſit copia confeſſarii, excuſat tàm ſi peccata ſint grauiora, quàm minus grauia.
2 Quod conſcientia magis grauetur non facit, vt plus debeat exponi in confeſsione non integra.

---

1 DEbere pœnitentem prius grauiora peccata confiteri docet Medina *lib.* 2. *ſum. cap.* 8. Polanch. *in direct. confeſ. cap.* 2. §. 2. Zambran. *in ſuis deciſ. capit.* 4. *de pœnit. dub.* 6. *numer.* 9. qui volunt, quod confeſſarius, etiam quando pœnitens habet animum integrè confitendi, quod prius exponat grauiora, deinde ſuo commodo reliqua peccata. Fernandez *par.* 3. *theol. mor. cap.* 7. §. 6. *num.* 17. qui vult, grauiora eſſe exponenda, niſi quando confeſſio fit coram aliis, nam tunc vult, eſſe exponendum peccatum, quod eſt minoris ſcandali, & infamiæ.

2 Dicendum tamen eſt. Poſſe pœnitentem, exponere peccatum, quod magis libuerit, nec teneri ex vi præcepti exponere grauius. Prob. Obligatio ſubiiciendi clauibus peccata eſt in ordine ad mortalia, nec eſt maior reſpectu vnius, quam reſpectu alterius, ita vt ſtrictius obliget quòad grauiora. ergo quando pœnitens non poteſt facere integram confeſsionem, non magis tenetur ſubiicere vnum, quam alterum, ſed poteſt ſubiicere quodnam voluerit. Anteced. prob. Non requiritur maior cauſa, vt quis excuſetur à præmittenda confeſsione communioni, vel celebrationi, quando non adeſt copia confeſſarii iuxta Concil. Trident. *ſeſs.* 13. *capit.* 7. ſi habeat peccata grauiora, quàm ſi habeat leuiora, ſed ea cauſa, quæ excuſat habentem leuiora, ſufficit etiam pro habente grauiora. Requireretur autem maior cauſa pro habente grauiora, ſi ſtrictius obligaretur ad ea confitenda; nam vbi adeſt maior obligatio, requiritur etiam maior cauſa, vt excuſet ab ipſa obligatione. Conſeq. prob. Stante æquali obligatione, præceptum non magis exigit exponi vnũ peccatum, quàm aliud. ergo datur electio pœnitenti exponendi, quod libuerit. Confir. Sequeretur, ſi eſſent exponenda grauiora, quod qui haberet plura peccata, deberet plura exponere, quam qui haberet pauciora; vnde non ſufficeret, quod ille exponeret vnicum tantum peccatum, hoc autem eſt falſum, nec requiritur ab aliquo, ergo. Sequel. prob. Ideo deberet exponere grauiora, quia plus illis aggrauatur. Sed etiam plus grauatur qui habet plura peccata; ergo deberet plus exponere. Confir. 2. Ideo exponẽdum eſt aliquod peccatum, vt exhibeatur materia pro ſacramento; & ideo debet exponi aliquod mortale, quia mortalia ſunt materia neceſſaria, ergo ſufficit, quod exponatur, quod libuerit; nam tunc exponitur aliquid de materia neceſſaria; & exhibetur materia pro ſacramento ſufficiens.

An ſit licita confeſſio non integra, quando ſacerdos miniſtraturus viaticum reperit eſſe repetendas plures confeſſiones præteritas. Quæſt. 144.

S V M M A.

1 Sumpturus viaticum ſi habeat repetere plures confeſsiones, & non poſſit, an abſtinere debeat ab Euchariſtia.
2 An ſufficiat quod eliciat actus contritionis.

3 *An debeat non integrè confiteri.*
4 *Confessio etiam contritis præmittenda communioni, si adsit copia confessarii.*
4 *Qui non potest explicare aliquod peccatum tenetur alia confiteri ante communionem.*
5 *Præceptum confessionis ante communionem quocunque modo seruandum.*
6 *Quando adhibenda confessio non integra à sumpturo viaticum, si longa futura sit.*
7 *An infirmus communicans deuotionis causa possit non integre confiteri, si confessio longa sit futura.*
7 *Quid si deferens Eucharistiam non sit approbatus pro confessionibus, aut non habeat iurisdictionem supra infirmum.*
7 *Concesso vno censentur omnia concessa sine quibus non potest perueniri ad ipsum.*

---

1 Difficultas procedit, quando conscientia poenitentis est implicata pluribus peccatis, ita vt confessio compleri non possit, nisi cum notabili tempore: nam si breui expediri potest, poterit ministraturus Eucharistiam ipsum audire. Solum ergo difficultas est, quando est futura longa confessio, an tunc possit poenitens non integrè confiteri; an verò omissa omnino confessione elicere actum contritionis, & sumere Eucharistiam, si tamen non credatur breui moriturus; tunc enim iuxta superius dicta potest non integrè confiteri. Conueniunt enim omnes in hoc; quod ad vitandum scandalum debet sumere Eucharistiam.

2 Prima sentent. asserit, tunc ministrandam esse Eucharistiam præmisso actu contritionis absque vlla confessione. Ita ij, qui id docent de Laico, qui accessit communicaturus, & non potest sine scandalo recedere, & recordatur alicuius peccati obliti, vel alicuius confessionis inualidæ; vt Angelus *verbo*. Eucharistia 3. *num.* 24. *in fine*. Nauar. *cap.* 21. *Manual. numer.* 49. Scot. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. quos citat Zambran. pro hac sentent. Sed casus est diuersus, quia tunc laicus neque habet confessarium pro non integra confessione, cui sine nota confiteri possit. Citat etiam Angles, sed hic oppositum docet. In specie autem hanc opinionem tenet ipse Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 6. *num.* 7. Prob. Est minus inconueniens communicare non præmissa confessione, quã ea facta præpopere, & non integrè debet autem eligi, quod est minus inconueniens.

3 Secunda sentent. asserit, præmittendam confessionem non integram. Ita Granad. 3. *par controuer.* 7. *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 20. qui tamen limitat, si poenitens timeat, se non habere perfectam contritionem. Auer. absolutè *quæstion.* 10. *de sacram. poeniten. section.* 15. ver. *Octauus casus*.

4 Dicendum est. In hoc casu teneri poenitentem præmittere confessionem non integram. Prob. Ex Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. *de poenit.* ex præcepto diuino est præmittenda confessio sumptioni Eucharistiæ, nec quis excusatur ab hoc præcepto, etiam si sibi contritus videatur, vt *ibid.* declarat, nisi concurrentibus duabus conditionibus, nimirum, vt vrgeat necessitas celebrandi, aut sumendi Eucharistiam, & desit copia confessarii, ita vt coniunctim hæ conditiones debeant concurrere. Sed in hoc casu, licet concurrat necessitas, non tamen concurrit inopia confessarii. ergo. Min. prob. In tali casu est possibilis, & licita confessio non integra, quia adest causa excusans ab ipsa, nempe vitare notabile damnum bonæ opinionis; & proinde hic, & nunc ad ipsam non tenetur, & habet copiam confessarii pro illa confessione, quæ hic, & nunc est possibilis, ergo non excusatur à præcepto præmittendæ confessionis, etiam si sibi videretur contritus. Confir. qui habet aliquem casum, quem non potest explicare sine damno notabili confessario, cuius habet copiam, tenetur præmittere confessionem aliorum peccatorum mortalium], vt communicare

muniter docent. ergo etiam in tali casu tenetur facere confessionem non integram.

5 Ad fundamentum in oppositum neg. assumptum. Nam est magis inconueniens nullo modo seruare præceptum, quàm seruare aliquo modo. Imo quando secundum substantiam seruari potest pluribus modis, fit contra ipsum, si non seruatur eo modo, quo seruari potest. Deinde fieri potest, quod poenitens sit tantum attritus, licet se putet contritum, & proinde nō accedat dignè, licet excusetur à bona fide. Vnde longè magis conueniens est etiam secluso præcepto non integrè confiteri.

6 Ex dictis colligitur. Quod si sacerdos vltra quadrantem horæ coniicit confessionem duraturam, debere vti confessione non integra, quia si excederet, facilè adstantes conniicerent illam nō esse puram reconciliationem; sed sacerdotem reperisse aliquid graue extricandum, quod grauem notam inferret infirmo.

7 Colligitur secundo. Hoc habere locum in quocunque infirmo, etiam si solum deuotionis causa sumeret Eucharistiam, quia militat eadem ratio: vnde etiam cum ipso eodem modo agendum erit. Circa quod tamen est aduertendum, quod si deferens comunionem sit aliquis delegatus à parocho, & non sit approbatus pro confessionibus, non poterit audire confessionem defectu iurisdictionis, cum infirmus non sit in articulo mortis, in quo casu Ecclesia tribuit iurisdictionem omnibus sacerdotibus; & ideo poenitens cum non habeat copiam confessarii, debebit elicere actum contritionis, & sumere Eucharistiam. Si autem sit approbatus, quamuis non habeat iurisdictionem supra poenitentem, poterit eius confessionem audire, quia cum sit delegatus ad ministrandam Eucharistiam infirmo, censetur etiam delegatus ad eius confessionem audiendam, quatenus opus sit, nam concesso vno censentur omnia cōcessa, sine quibus non peruenitur ad ipsum. l. 2. ff. de iurisd. om. iud. & l. fin. ff. de offic. eius, cui man. est iurisf. & l. 3. §. Qui habet. ff. de seruit. rust. prædiar. & l. Anibus, ff. de legat. 3.

An si constitutus in periculo mortis non habeat peccata mortalia nisi, quæ non tenetur subijcere clauibus, teneatur confiteri venialia. Quæst. 145.

S V M M A.

1 *Quomodo teneri possit per accidens.*
2 *Tenetur ratione præcepti.*
3 *Prima sententia.*
4 *Satisfit obiectioni.*
5 *Fundamentum oppositum diluitur.*
6 *Quid dicendum si pœnitens possit confiteri actum internum absq; vllo præiudicio.*

---

1 Non teneri per se confiteri venialia, sed solum posse teneri per accidens, vt si sit solum attritus, vt hoc pacto saltem obtineat gratiam, & remissionem mortalium, tradunt Suarez *disp. 23. de poenit. sect. 3. num. 6.* Reginal. *lib. 6. num. 157.* Coninch. *disp. 8. de poenit. dub. 13. num. 106. in fine.* Nugn. *3. par. quæst. 80. art. 4. ver. Circa primum.* Bonac. *disp. 5. de poenit. quæst. 5. sect. 2. punc. 2. §. 4. numer. 16.* Candid. *disquisit. 24. ar. 24. dub. 10.* Fundamentum, est quia non adest præceptum de confessione venialium, & ideo cessat, quando non possunt confiteri mortalia.

2 Tenendum tamen est. Non solum per accidens, sed etiam ratione præcepti teneri confiteri constitutum

in periculo mortis, etiam si habeat solà mortalia, quæ non potest, aut non tenetur hic, & nunc confiteri. Ratio est: Quia in tali casu præceptum per se obligat constitutum in periculo mortis cum habeat peccata mortalia. ergo tenetur implere hoc præceptum eo modo, quo potest subiiciendo clauibus venialia peccata. Conseq.prob. In hoc præcepto non solum includitur obligatio de subiicendo clauibus peccata mortalia, sed etiam de obtinenda reconciliatione cum Deo iudiciali modo mediante absolutione, ergo licet nequeat implere præceptum quòad subiiciendum clauibus peccata mortalia, tenetur implere quòad obtinendam reconciliationem cum Deo iudiciali modo. Confir. Peccata subiiciuntur clauibus in ordine ad obtinendam absolutionem, ita vt per se primò sit intenta absolutio, & illud solum ratione alterius, nempe absolutionis. ergo cum præceptum impleri possit quòad illud, quod est per se primò intentum, non cessabit obligatio ipsius, cum possit haberi obseruantia præcepti quòad principale intentum, siquidem non cessante fine, neque cessant ea, quæ sunt ad finem.

3 Confir. 2. Quando aliquod præceptum impleri potest pluribus modis. ita vt substantia præcepti quolibet ex ipsis impleatur, si non potest impleri vno modo, debet impleri alio modo, vt docent Caiet. 2. 2. *quæstion.* 147. *ar.* 7. D. Antonin. *par.* 2. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 7. Couarru. *lib.* 4. *Variar. cap.* 20. *num.* 13. Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 22. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 2. *punc.* 5. ver. *Qui autem*. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 3. *proposit.* 2. Quia nimirum præceptum respicit finem, seu substantiam rei præceptæ, & respectu ipsius modi, quibus impleri potest, se habent vt media, quando autem finis cadit sub obligatione, cadunt etiam media necessaria pro illo obtinendo siue hæc, siue illa, & ideo quando potest haberi substantia rei præceptæ, debet impleri præceptum, quocunque modo impleri possit. Substantia autem, & finis præcepti confessionis, est iudicialis absolutio à peccatis, & ideo cum possit haberi vel ea subiiciendo directè clauibus, vel indirectè mediantibus venialibus, debet seruari posteriori modo, si primus est impossibilis.

4 Dices. Non seruari præceptum, si fiat confessio venialium, nam adhuc remanet obligatio subiiciendi clauibus mortalia, & obtinendi absolutionem directam. ergo. Resp. Non seruari præceptum quòad modum, quo obligat, seruari tamen quòad substantiam, quia obtinetur substantia, & finis rei præceptæ. Obligatio autem, quæ remanet subiiciendi clauibus peccata mortalia, est in ordine ad complendum iudicium, & tribuendam illam perfectionem, quæ illi defuit, nempe particulare iudicium circa singula. Sic etiam talis obligatio remanet, quando quis ex alio capite non potest omnia mortalia confiteri, & tamen adhuc per confessionem non integram impletur præceptum.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Non adesse quidem præceptum confitendi venialia, & proinde non esse in dicto casu cofirenda ex vi præcepti, esse tamen confitenda per accidens ratione mortalium annexorum. Quia cum hæc non possint explicari, & vrgeat præceptum confitendi, debent assumi venialia tanquam medium ad obtinendam substantiam præcepti, & finem ipsius, cum, vt dictum est, præceptum nedum obliget ad subiiciendum clauibus peccata, in qua parte in dicto casu cessat, sed etiam ad obtinendam reconciliationē iudiciali modo cum Deo.

6 Est tamen aduertendum, quod si poenitens potest confiteri actum internum absque præiudicio proprio, aut aliorum tenetur confiteri tacendo actum externum. Quia actus internus, & externus peccati sæpe abiliter se habet, vt per se cōstat, quādo autē præceptum est de materia separabili, obligat

in

in ea parte, in qua impleri potest, quia non cessat obligatio, nisi in ijs, in quibus est ratio faciens cessare obligationem. Et ideo si ratio, quæ facit cessare obligationem confitendi, non militat in actu interno, non cessabit quòad ipsum. Ita Suarez *disp.66. de sacram. sect.* 4. ver. *Tertius casus*. Reginal. *lib.* 29. *cap.* 6. *num.* 198. Coninch. *disp.* 3. *de poenit. dub.* 9. *num.* 95. Nugn. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 4. *difficul.* 2. ver. *Circa primum*. Bonac. *disp.* 5. *de poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 1. §. 4. *num.* 20. Candidus *disquisit.* 24. *artic.* 24. *dub.* 13.

De modo confitendi quòad constitutos in periculo mortis.

An, & quomodo teneatur confessarius examinare pœnitentem constitutum in periculo mortis. Quæst. 146.

S V M M A.

1 *Confessarius non tenetur per se interrogare pœnitentem.*
2 *Per accidens tenetur confessarius interrogare pœnitentem, & quando.*
3 *Quomodo se gerere debeat confessarius in interrogando moribundum.*
3 *Interrogationes nimiæ grauant pœnitentem moribundum.*
4 *An confessarius moribundi debeat omittere interrogationes de circumstantijs non mutantibus speciem.*
5 *Circumstantiæ intra eandem speciem rarò confitendæ ex obligatione, si modo aliàs sint explicandæ.*

---

1 SVpponendum est. Confessarium per se loquendo non teneri examinare poenitentem, vt notant Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *ar.* 4. §. *Quando verò*. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 7. Quia iudicium pęnitentiale est diuersum in modo præsertim procedendi, à iudicijs criminalibus, nam hæc requirunt reum ab alio accusatum, atque adeo conuictum, & procedunt per vim coactiuam. In Sacramentali autem, poenitens ipse est sui accusator, & ideo standum est accusationi ipsius, quia, si fallit, se ipsum fallit, non autem iudicem. Vnde sequitur, quod confessarius debeat solum audire, quæ deferuntur à poenitente, nec teneatur interrogare. Quare, si putat poenitentem esse congruè dispositum, & integre confiteri, non debet de aliquo interrogare, vt communiter docent Nauar. *in cap. Fratres. num.* 81. *de poenit. disp.* 5. & *in cap.* 1. §. *diligens. num.* 7. *dist.* 6. *eiusdem tit.* Graf. *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 3. Petrus Sotus *lect.* 10. *de confess.* Angelus. *verbo*. Interrogationes. *init.* Syluester *verbo*. Confessio 3. *numer.* 17. Suarez *disp.* 32. *de poenit. sect.* 3. *num.* 3. & alii. Et ratio est, quia interrogatio quòad ea, quæ concernunt conscientiam, si sit nimia, & indiscreta, onerosa est, sicut est onerosa ipsa confessio; ergo si sit indiscreta, aggrauatur poenitens iniustè; & si sit in re graui, quam non teneatur explicare, & in uirtute interrogationis credat, se teneri explicare, & explicet, non excusatur confessarius à peccato graui, nisi forte ex bona fide.

2 Supponen. 2. Per accidens teneri interrogare ponitentem, quando nimirum videt ignorantia laborare, & non integrè confiteri ea, quæ tenetur explicare, aut probabiliter de hoc suspicatur, vt desumitur ex capit. *Omnis vtriusq. sexus. De poenit. & remis.* ibi. *Discretum sacerdotem admoneat, vt diligenter peccatoris circumstantias, & peccata inquirat, poenitentisq. adeo conscientiam aliquibus interrogationibus perscrutetur*. Et ratio est, quia ratione charitatis tenetur succur-

rere ignoranti, & erranti in confessione peccatum; vnde hæc obligatio non prouenit ex natura iudicij exercendi, sed ab extrinseco ratione qualitatis pœnitentis. Difficultas autem est quomodo se gerere debeat cum infirmo, præsertim constituto in periculo mortis.

3 Dicendum 1. Debere ita se gerere in interrogando, vt non generet fastidium poeniteti, atque adeo adhibere illas interrogationes, quæ purè sunt necessariæ. Ita Caiet. *tom. 1, Opuscul. tract. 5. de confess. quæst.* 5. ver. *Circa numerum.* Victoria *in sum. quæst.* 178. Angles *in florib. quæst. 3. de confess. ar. 4. difficul. 2. Appen.* 5. Armilla *verbo.* Confessor, *num.* 3. Petrus Sotus *lect. 9. de confes.* ver. *Primum, & communius.* Polanch: *in direct. confes. cap.* 2. Ratio autem est, quia cum infirmus grauetur morbo, facilè grauabitur etiam interrogationibus confessarii, si nimiæ sint, & ideo debet solum adhibere merè necessarias, vt confessio integra sit, quando est poenitens in statu, vt possit integrè confiteri. Et proinde potest etiam relinquere poenitentem in bona fide quoad aliqua, ex quibus damnum resultat, ne forte suboriatur in ipso grauis conturbatio cum præiudicio tàm corporali, quam spirituali.

4 Dicendum 2. Posse omittere, & debere interrogationes de circumstantiis, quæ non mutant speciem. Prob. Adest opinio probabilissima, & tuta, quod non sint necessariò explicandæ in confessione, ergo potest sequi hanc opinionem, & illas relinquere tanquã non necessarias ad integritatem confessionis, ergo quando status infirmi exigit, ne nimium fatigetur, debet ratione charitatis sequi hanc opinionem, præsertim quando aliàs est futura longa confessio, ita vt circa circumstantias aggrauantes essent plures interrogationes instituendæ.

5 Ex his autem colligitur. Quod dato etiam, quod confessarius nollet sequi hanc opinionem, adhuc tamen supersedere poterit vt plurimum ab interrogando de his circumstantiis. Nam admissa opinione, quod circumstantiæ aggrauantes intra eamdem speciem sint explicandæ de necessitate; adhuc tamen non sunt explicandæ, nisi notabiliter aggrauent, vt docent Altisiodorens. *lib. 4. sum. tr. 6. cap. 3. quæst. 3. ad* 1. Caiet. *tom.* 1. *Opuscul. tract. 5. de confes. quæst.* 3. Gabr. *in 4. disp. 17. quæst. 1. ar. 2. conclus.* 4. Sot. *dist. 18. quæst. 2. artic. 4. conclus.* 7. Zambran. *in suis. decis. cap. 4. de poenit. dub. 7. num.* 10. Raro autem contingit, quod hæ circumstantiæ notabiliter aggrauent præsertim in aliquibus speciebus peccatorum; & ideo vt plurimum non erunt curandæ à confessario.

An possit Confessarius ob tarditatem in loquendo infirmi ipsum interrogare celeritur de verosimilibus, & statim annuentem, vel negantem absoluere. Quæst. 247.

S V M M A.

1 *Stante tarditate loquendi quando possit confessarius infirmum celeriter de verosimilibus interrogatum absoluere.*

2 *Quando extra periculum adhiberi possit iste modus in confessione.*

2 *In quo sita sit substantia confessionis.*

2 *Confessarius potest per interrogationes supplere examen conscientiæ poenitentis.*

2 *Eadem ratio totius ad totum, quæ partis ad partem.*

3 *Quomodo cognitio causæ in confessione sit necessaria.*

4 *An dum confessarius supplet negligentiam examinis in poenitente per interrogationes, ipsum aggrauet.*

---

1 Dicendum 1. Posse confessionem tali modo institui tépore

re pestilentiæ, vt confessarius cito se expediens, vitet periculum infectionis, & quando timetur, quod infirmus aut phrænesi, aut aliqua sincope sit corripiendus. Ita Capeauil. *de administr. sacram. quæst.* 26. *de poenit.* Prob. In tali casu confessio fit cũ illa integritate, quæ moraliter possibilis est, atque adeo cum integritate formali, ergo sufficit talis modus. Anteced. patet, quia alia integritas non est possibilis sine periculo aut confitentis, aut sacerdotis, ergo ratione circumstantiarum fit moraliter impossibilis, quia salitem est valde difficilis.

2 Dicendum 2. Posse etiam extra hos casus ex aliqua rationabili causa confessarium vti hoc modo confitendi, vt se celerius expediat: si tamen postea confessarius interroget poenitentem, an præter ea, de quibus ipse interrogauit, occurrat aliud, quo eius conscientia grauetur. Prob. In tali casu non variatur substantia confessionis, sed solum modus accidentalis, ergo est licitum tali modo instituere confessionem. Anteced. prob. Substantia confessionis consistit in eo; quod poenitens explicet totum id, quo eius conscientia grauatur, ergo quod explicet ipse per se, vel mediis interrogationibus confessarii, variat tantum modum accidentalem. Confir. Potest confessarius per interrogationes supplere negligentiam poenitentis in examine conscientiæ præmisso, atque hoc sufficit, vt validè confiteatur, licet sine interrogationibus non confiteretur validè ob defectum debiti examinis, vt communiter docent. ergo si potest hoc modo supplere partem confessionis, poterit etiam supplere totam, quia eadem ratio, quæ est partis ad partem, est etiam totius ad totum. *l. Quæ de tota. ff. de rei vendic.* & notant Cantiun. *in Top. leg. loco* 9. Andreas Gammor. *lib.* 1. *dialect. leg. loco* 5. Menoch. *consil.* 855. *num.* 10. Riminal. *consil.* 510. *num.* 17. *vol.* 5. Rota *decis.* 174. *numer.* 5. *part.* 1. *recent.*

3 Dices. Si confessarius priori modo procedat, feret sententiam causa non benè cognita, contra determinationem Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* Respon. negan. sequel. Nam benè cognoscit causam, quantum tunc permittitur. Cognitio enim causæ est necessaria non absolutè, sed secundum moralem possibilitatem; & ideo sufficit, quod interueniat eo modo, quo occasiones, & circumstantiæ permittunt.

4 Dices 2. Si confessarius procedat posteriori modo, quamuis suppleat pro poenitente in ordine ad integritatem confessionis, cum sequatur verisimilitudinem in interrogationibus, aggrauabit poenitentem pluribus interrogationibus de peccatis, quæ non commisit. Non licet autem aggrauare poenitentem: ergo. Resp. neg. sequel. Tum quia illæ interrogationes fiunt ad subleuandum poenitentem, vnde non inferunt grauamen. Tum quia grauaretur, si ordinarentur ad detegendum aliquid, quod non teneretur detegere, non autem dum ordinantur ad id, quod debet explicare, & si illa peccata non commisit, facilis erit responsio negatiua.

Quid faciendum confessario, quando reperit constitutum in periculo mortis nescientem peccata explicare. *Quæst.* 148.

SVMMA.

1 *Quid faciendum confessario, quando reperit constitutum in periculo mortis nescientem peccata explicare.*
2 *Qua notitia de statu poenitentis procuranda sit à confessario.*
3 *Rudis potest facilius explicare occasiones pec-*

peccandi, frequentiam &c. quàm ipſa peccata,

1 Contingit plerumque, poenitentes eſſe ità rudes, & incapaces, vt neſciant peccata explicare præſertim quoàd numerum, nam aut dicunt numerum inueriſimilem; aut non ſunt ſtabiles in numero, quem explicant, ſed annuunt cuilibet numero propoſito etiam maiori, & maiori: vnde conſtat procedere abſq. v'lla certitudine imo probabilitate, & prorſus caſualiter. Dicendum eſt. Confeſſarium in tali caſu curare debere, vt conſtitutus in periculo mortis notificet ſtatum ſuæ conſcientiæ,& ſtatum ſuæ vitæ explicando ſpecies peccatorum, quas poteſt, frequentiam peccandi in illa ſpecie, tempus elapſum ab vltima confeſſione, conuerſationes, occaſiones peccandi, exercitia, inclinationes, texendo narrationem propriæ vitę, vt tali pacto deueniat in cognitionem peccatorum, quæ commiſit. Ita ſpecialiter Petrus Marchan. *tom. 1. tribun. ſacramen. tract. 4. tit. 6. quæſt. 3. dub. 2.*

2 Ratio eſt, quia præciſa cognitione ſtatus conſcientiæ talis poenitētis non poteſt haberi ſiue ex negligentia reflectendi ſupra proprias actiones, ſiue ex alio capite· ergo debet curare ſacerdos habere illam meliorem notitiam, quæ moraliter poſſibilis eſt, cum hæc ſufficiat, quando melior haberi non poteſt. Sed ex modo aſſignato habetur illa melior notitia, quæ haberi poteſt, ſi quidem confeſſarius tali pacto, ſi non diſtinctam, acquiret, ſaltem cognitionem confuſam totius ſtatus conſcientiæ. ergo talis modus eſt adhibendus.

3 Dices. Fieri poſſe, quod, ſicut neſcit explicare peccata, ita neſciat etiam explicare coetera, nempe occaſiones peccandi, frequentiam, & alia huiuſmodi: Reſp. Facilius eſſe hæc explicare, quàm explicare ſpeciem, & numerum peccatorum; tum quia facilius cognoſcuntur. tum quia memoria ipſorum eſt promptior. Deinde dato, quod poenitens malè hoc quoque explicaret, adhuc tamen in hoc loquetur magis probabiliter; & proinde procedere confeſſarius poterit meliori modo, & magis certam, ſeu probabilem notitiam acquirere de ſtatu conſcientiæ poenitentis.

An quando conſtitutus in periculo mortis non habet niſi peccata, quæ non tenetur confiteri, poſſit confiteri in genere ſe peccaſſe mortaliter. Quæſt. 149.

SVMMA.

1 *Cur non habens, niſi peccata, quæ non tenetur confiteri, non poſſit ſecundum aliquos confiteri in genere.*
2 *An poſſit.*
2 *Confeſſio in genere ex cauſa eſt licita.*
3 *An confitens in genere teneatur reddere rationem confeſſario, cur ſic confiteatur.*
3 *An cum peccatum non poteſt explicari in ſpecie, adſit obligatio explicandi in genere.*
4 *An licita confeſſio in genere quando poteſt explicari in ſpecie actus interior.*
5 *Peccata venialia poſſunt ſolum in genere explicari.*

1 Ivxta dicta in ſuperioribus contingere poteſt quod conſtitutus in periculo mortis habeat ſolum aliquod peccatum, quod non teneatur confiteri, aut etiam non poſſit ſacerdoti, quem ſolum habet, cui poſſit confiteri, dubitatur ergo, an tunc poſſit tantum confiteri in genere, quod mortaliter peccauerit. Quod autem

non

non possit tradunt Suarez *disp.* 23. *de poenit.* *sect.* 2. *num.* 6. Bonac. *disp.* 5. *de poenit. quæst.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. *n.* 15. excipiunt tamen mortis articulum, quando non posset aliter confiteri. Prob. Quia non posset poenitens afferre confessario aliquam causam, cur ita in genere confiteretur, sicut potest afferre, quando recordatur se peccasse mortaliter, sed non in qua specie. Neque enim tunc potest dicere, quod non recordetur, in qua specie peccauerit, quia mentiretur in re graui.

2 Oppositum tamen desumitur ex Altisiodor. *lib.* 4. *sum. tract.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 3. dum dicit, quod in tali casu potest dicere genus peccati, aut etiam speciem quòad actum internum. Dicendum igitur est. Posse poenitentem in tali casu, etiam extra articulum mortis, confiteri in genere, quod peccauerit mortaliter. Prob. Confessio in genere, quod peccauerit mortaliter, est sufficiens materia pro sacramento poenitentiæ, vt constat ex supradict. *quæst.*.... *num*..... Et etiam quia, quando quis non recordatur speciei peccati, non solum potest, sed etiam tenetur confiteri in genere. Ergo in præsenti casu est etiam licita. Conseq. prob. Ex natura sua est licita confessio non integra ex rationabili causa, non solum tacendo aliqua peccara, sed etiam circumstantias peccati eiusdem mutantes speciem. ergo est etiam licita confessio peccati in genere non expressa specie, quando adest sufficiens causa non exprimendi. Adest autem, vt supponitur. ergo. Confir. Quando est physicè impossibilis expressio speciei, est licita confessio in genere, vt quando quis non recordetur speciei. ergo etiam quando est impossibilis moraliter. In tali autem casu est impossibilis moraliter, nam excusatur ab explicatione talis peccati. Conseq. prob. Quando sumus in moralibus impossibilitas moralis æquiparatur physicæ, nam res morali modo æstimantur; in ordine autem ad esse morale idem præstat impossibilitas moralis, quod præstat physica.

2 Ad fundam. in opposit. respon. Poenitentem non teneri reddere rationem confessario, cur ita in genere confiteatur, & si poenitens explicet confessario, se peccasse in genere, & nihil vltra sibi occurrere manifestandum, tenetur illi credere, & nil vltra inquirere. Quod si persistat confessarius instans; vt poenitens peccatum in specie explicet, respondere poterit, quod iam explicauit, quidquid memoria suggerit explicandum. Neque in hoc mentitur, quia, licet recordetur etiam speciei peccati, non tamen recordatur tanquam explicandi, sed non explicandi, & ideo verè dicit, quod memoria ipsi non suggerit aliud explicandum, seu quod possit explicare. Instabis. Si posset explicare tantum in genere, teneretur explicare; & proinde non posset prætermittere confessionem illius. Resp. neg. sequel. Quia quando peccatum non potest explicari secundum speciem, potest differri totaliter explicatio, nam eo ipso, quod peccatum non potest explicari integrè, cessat obligatio explicandi, si quidem est explicandum adæquate: remanet tamen in libertate explicare in genere reseruando plenam explicationem in tempus opportunum.

4 Ex dictis colligitur. Nonposse poenitentem in genere confiteri, quando potest exprimere in specie actum interiorem absque actu externo. Tunc enim adest obligatio explicãdi in specie actũ internũ; & ideo nõ potest explicari peccatum solum in genere etiam quòad actum externum, quia plus est explicare in specie peccatum quòad actum internum, quàm in genere etiam actum externum; tenetur autem explicare quod plus est, quando non potest integrè totum explicare.

5 Colligitur. 2. Constitutum in periculo mortis posse solum in genere confiteri, quod peccauerit venialiter non explicando neque numerum, neque speciem. Ratio est, quia expli-

plicatio peccati in generè, quantum est ex vi sacramenti, est sufficiens materia, & peccata venialia sunt materia merè voluntaria; & ideo est in potestate poenitentis ea subiicere clauibus eo modo, quo voluerit, dummodo exhibeat materiam sufficientem. Et sicut potest vnum subiicere sine alio, ita etiam subiicere in genere, & non in specie. Quod etiam haber locum in peccatis mortalibus aliàs confessis: nam quando de nouo subiiciuntur clauibus, sunt materia merè voluntaria.

An modus confitendi publicè aliquando obliget constitutum in periculo mortis. Quæst. 150.

S V M M A.

1 *Publica confessio non est ex præcepto Ecclesiæ.*

2 *Dictio,* Solus, *excludit omnem alium.*

3 *An constitutus in periculo mortis teneatur publicè confiteri, si alio modo non possit, & num. sequent.*

5 *Præceptum diuinum non obligat constitutum in periculo mortis ad publicam confessionem.*

6 *An ex præcepto naturali charitatis teneatur constitutus in periculo mortis publicè confiteri.*

6 *Charitas non obligat ad ea, quæ sunt contra charitatem.*

6 *Quodlibet peccatum mortale aptum est generare infamiam.*

7 *Quando publica confessio non sit contra charitatem.*

8 *Quam confessionem teneatur facere constitutus in periculo mortis, quando non potest secreto confiteri.*

9 *Ad quam confessionem teneatur ex præcepto diuino in tali casu.*

9 *Quinam sit finis præcepti diuini de confessione tempore mortis.*

9 *Ratio coniungit diuersos casus respicientes eumdem finem.*

10 *An constitutus in periculo mortis teneatur confiteri, si solum habeat conscientiam peccati obliti.*

1 SVpponendum est. Publicam confessionem ex præcepto Ecclesiæ nunquam obligare. nam dum tradit præceptum confitendi determinans diuinum præceptum, iniungit solum confessionem secretam, & auricularem, vt habetur in cap. *Omnis vtriusq. sexus. de poenit. & remission.* ibi. *Teneatur solùs confiteri sua peccata proprio sacerdoti*; dictio enim, *Solus*, excludit omnem alium, vt in cap. *In omnibus. dist.* 81. & in cap. *Quæ sint. init. de verbor. significat.* & notant Seraph. *decis.* 820. *numer.* 6. Rota *decis.* 449. *n.* 9. *par.* 1. *Recent.* Imo Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. habet, quod Confessio publica non satis consultè aliqua lege præciperetur. Vnde solum difficultas est, an aliunde adsit obligatio pro constitutis in periculo mortis.

2 Prima sententia asserit, adesse obligationem confitendi publicè pro constitutis in articulo mortis ex præcepto diuino, quando alio modo confiteri non possunt. Ita Syluester *verbo.* Confessio 1. *quæst.* 15. Canus *Relect. de poenit. par.* 5. §. *Hanc ego.* & alii.

3 Secunda sententia asserit, teneri confiteri publicè, non ex vi præcepti de sacramento poenitentiæ, sed ex vi præcepti naturalis charitatis, quo tenetur procurare propriam salutem, quando nimirum dubitat de sufficientia suæ contritionis, & proinde obligari vel ad contritionem, vel ad confessionem. Ita Suarez *disp.* 36. *de poenit. sect.* 6. Vasquez 3. *par. quæst.* 91. *ar.* 4. *dub.* 3. *num.* Nugnus *quæst.* 9. *supplemen. ar.* 3. *difficul.* 1. Henriquez *lib.* 4. *de poenit. cap.* 4. *n.* 4. Laiman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 5. Conin. ch. *disp.* 5. *de poenit. dub.* 10. *numer.*

77·

77. Becan. *tract. de poenit. cap.* 37. *q.* 5. Molfes. *par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *n.* 12. Facundez *præcep.* 2. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Palaus *par.* 4. *tract.* 23. *disp. vn. punc.* 8. *num.* 13. Chellison. 3. *par. quæst.* 9. *de poenit. ar.* 3. *dub.* 1. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 129. Hurtad. *disp.* 8. *de poenit. difficul.* 2. ver. *Obseruandum*. Præposit. 3. *par. quæst.* 4. *de qualit. confes. dub.* 1. *num.* 68. ver. *Dixi ad satisfaciendum* Auersa *q.* 10. *de poenit. sect.* 5. ver. *Et certè.* qui addit, obligari etiam cum quocunque dispendio propriæ famæ.

4 Tertia sententia absolutè negat obligationem confitendi publicè. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ar.* 6. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 8. *ar.* 3. Petrus Sotus. *lect.* 5. *de poenit.* Io. Medina C. *de poenit. quæst.* 19. Victor. *in sum.* Tit. *de poenit. num.* 137. Caiet. *verbo.* Confessio. *condit.* 11. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæstion.* 11. *punc.* 1. Putean. 3. *par. in supplem. par.* 2. *de confes. quæst.* 2. *conclus.* 3. Granad *controuer.* 7. *de poenit. disp.* 4. *num.* 3. & omnes, qui negant, adesse obligationem confitendi per interpretem.

5 In hac difficultate certum puto non adesse obligationem ex præcepto diuino. Et ratio est quia Concilium Trident. *sess.* 14. *capit.* 5. *de poenit.* declarat, absolutè non adesse præceptum diuinum de publica confessione. ibi. *Et si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc diuino præcepto mandatum.* Non esset autem verum absolutè, quod non esset diuino præcepto mandatum, si quis teneretur ex diuino præcepto publicè confiteri in articulo mortis.

6 Secundo existimo. Neque ex præcepto naturali charitatis de procuranda propria salute, teneri constitutum in articulo mortis ad publicam suorum peccatorum confessionem, etiam si dubitet de sufficientia propriæ contritionis. Conueniunt in hoc etiam Doctores allati pro secunda sententia, dum limitant, quod tunc poenitens non tenetur confiteri omnia peccata, sed solum aliqua ex ijs, quæ sunt minoris infamiæ, aut etiam sola venialia, vt Coninch, & Molfes. Prob. Charitas non obligat ad ea, quæ sunt contra charitatem, alioquin esset sibi ipsi contraria, & se ipsam destrueret. Obligaret autem, si ex naturali præcepto charitatis de procuranda propria salute obligaret ad publicam confessionem: nam publica confessio præsertim peccatorum, quæ sunt occulta præsentibus, generat infamiam, & proinde poenitens ea publicè confitendo læderet propriam famam. Vnde Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* habet. *Quod non satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda.* Quia nimirum hoc esset contrarium bonæ opinioni hominum, atque adeo contra charitatem. Confir. In tali casu non adest obligatio confitendi omnia peccata, sed solum ea, quę sunt minoris infamię, ergo non adest obligatio confitendi in specie aliquod peccatum mortale. Antecedens: admittitur ab omnibus, quia infamia est sufficiens causa extinguendi pro illo casu obligat omnem præcepti diuini; quia cum sit præceptum positiuum morali modo obligans, non obligat cum tanto dispendio. Conseq. prob. Quodlibet peccatum mortale, nisi alias sit notum, generat infamiam, & detrimentum bonę opinionis, & quamuis in aliquibus peccatis hoc homines non apprehendant, hoc tamen prouenit ex corrupto iudicio, quod non est attendendum, neque secundum ipsum determinanda, quæ pertinent ad conscientiam; nam quodlibet peccatum facit hominem maluum moraliter, inimicum Dei, deputatum æternis poenis. ergo in quolibet peccato mortali militat ratio excusans ab illius confessione.

7 Dices. Concilium Trident. dicto

cto *cap. 5. de poenit. sess.* 14. habet quod potest quis publicè confiteri in vindictam suorum peccatorum, in sui humiliationem, in aliorum exemplum, & in ædificationem Ecclesiæ: ergo publica confessio non est contra charitatem, imo est vtilis. ergo charitas potest ad ipsam obligare. *Resp.* Potest quis publicè confiteri, quando peccata sunt publica, vt olim consuetum fuit in ueteri Ecclesia, non autem, quando peccata sunt secreta et hoc regulariter intelligendum est. Concilium enim loquitur de illa confessione, quæ est in exemplum aliis, & in ædificationem Ecclesiæ, quam poenitens offenderat, ibi, *Tum ob Ecclesia offensa ædificationem*, cum autem Ecclesia non offendatur peccatis secretis, sed publicis, de horum confessione loquitur, vt publicè ea confitendo per ædificationem resarciat offensam. Quod etiam colligitur ex eo, quod subdit, nimirum, quod non satis consultè præciperetur publica confessio peccatorum præsertim secretorum, præciperetur autem consultè, si esset in aliorum exemplum, & ædificationem Ecclesiæ &c. Sicut antiquitus præcepta fuit publica confessio peccatorum publicorum.

8 Tertio existimo. Ex naturali præcepto charitatis, quo tenemur procurare propriam salutem, obligari constitutum in periculo mortis, nisi sit moraliter certus de vera contritione ad id, quod in qualibet confessione secreta publicum est, nempe ad confitenda aliqua peccata venialia, & in genere ad se accusandum de omnibus, in quibus Deum quocunque modo offendit. Ratio autem est, quia eo ipso quod quis confiteatur, manifestum est, quod se accuset de aliquibus peccatis, aliàs non posset confici sacramentum; & quod hæc peccata ad minus sunt venialia. ergo si confiteatur publicè aliqua peccata venialia, & in genere se accuset, quod Deum offenderit, nihil amplius publicat, quàm publicaret confitendo secretò coram multis. Rursus hic modus confitendi est sufficiens pro conficiẽdo sacramento, vt constat ex supradictis, cum exhibeat materiam sufficientem: nec ex vi præcepti diuini tenetur tunc manifestare publicè peccata mortalia in specie. ergo tenebitur tali modo confiteri. Conseq. prob. Ex naturali præcepto charitatis tenetur adhibere sufficiens remedium pro sua salute & hæc confessio tali modo instituta est sufficiens pro obtinenda remissione peccatorum, ergo, si non sit moraliter certus de contritione, tenetur tali modo confiteri, & prouidere propriæ saluti.

9 Quartò addo. Quod non solum ex naturali præcepto charitatis tenetur tali mopo confiteri: sed etiam ex diuino præcepto de confessione. Prob. Præceptum diuinum obligat ad coofitendum constitutos in periculo mortis: ergo obligat ad confitendum eo modo, quo confiteri possunt; ergo obligabuntur ad dictum modum confessionis, cum sit ipsis possibilis. Conseq. prima prob. Præceptum confessionis obligat in periculo mortis in ordine ad obtinendum remissionem peccatorum iudiciali modo per clauium potestatem. ergo obligat ad omnem illam confessionem, quę est medium sufficiens pro illa obtinenda, quia mensura obligationis præcepti est finis, ita vt tantum obliget, quantum exigit finis, & pro ipsius assequutione sufficit. Confessio autem in tali casu est necessaria; & talis modus confitendi est sufficiens, ergo cadet sub obligatione. Confir. In hoc modo confitendi habet locum causa finalis, seu ratio præcepti, ergo habet locum etiam obligatio præcepti; nam ratio coniungit diuersos casus respicientes eumdem finem. *l. Non possunt.* & *l. Nam vt ait.* & *l. Ideo quia ff. de legib.* Et proinde omnes cadunt sub obligatione legis.

10 Ex dictis colligitur cum Vasquez *3. par. quæst. 91. ar. 4. dub. 3. n. 6.* Quod si constitutus in periculo mortis recordetur alicuius peccati obliti in con-

confessionibus præteritis, nec habeat conscientiam alterius peccati mortalis, non teneri ipsum confiteri publicè, nec per interpretem.

An constitutus in periculo mortis teneatur confiteri per interpretem. Quæst. 151.

S V M M A.

1 *An constitutus in perculo mortis teneatur confiteri per interpretem, & numer. sequent.*
3 *Christus instituit confessionem secretam.*
4 *An confessio per interpretem sit secreta.*
4 *Interpres est persona extranea tribunali poenitentiali.*
5 *An interpres suppleat vicem poenitentis.*
6 *An ratione obligationis procurandæ propriæ salutis teneatur moribundus confiteri per interpretem.*
7 *Confessio obligat solum eo modo, quo est possibilis.*
7 *Paria sunt, non posse loqui, & posse loqui, & non intelligi.*
7 *Non exprimere, & ita exprimere, vt non intelligatur, paria sunt.*
7 *Non tenetur quis implere per alium obligationem de actu personali.*
8 *Confessio per interpretem quando secreta.*
9 *Confiteri pluribus idem peccatum, & confiteri per interpretem sunt diuersa.*
10 *Confessio per interpretem facit, quod cognitio peccati transeat de uno ad alium ordinem: non autem sic reuelatio criminis occulti.*

---

1 PRima sententia asserit, teneri per interpretem confiteri, quādo alio modo confiteri non potest. Ita Turrian. *de poenit. quæst. 9. ar. 2. disp. 32. num. 3.* Suarez *disp. 26. de poenit. sect. 6. num. 4.* Vasquez *3. par. quæst. 91. ar. 4. dub. 3.* Granad. *controuer. 7. tract. 1. de poenit. disp. 9. sect. 6.* Conich *disp. 5. de poenit. dub. 7 num. 77.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap 6. num. 5.* Henriquez *lib. 4. de poenit. cap. 4.* Nug. *3. par. quæst. 9. supplem. ar. 3. difficul. 1. propos. 2.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 1. cap. 6. num. 11.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 7. cap. 11. num. 12.* Syluius *3 par. quæst. 9. supplem. ar. 3. conclus. 4.* Becan. *tract. de poenit. cap. 37. quæst. 5.* Auersa *quæst. 10. de poenit. sect. 5. ver. Et certè.* Escobar. *tract. 7. theol. moral. Exam. 4. cap. 7. ver. An teneatur quis.* Palaus *par. 4. tract. 23. disp. vn. punc. 8. num. 13.* Isambert. *3. par. quæstion. 18. de poenit. ar. 3. propos. 2.* Chellison. *3. par. quæst. 9. de poenit. art. 3. dub. 1.* Addunt tamen, quod non tenetur cofiteri per interpretem ex vi præcepti de confessione, sed ex vi præcepti naturalis charitatis, quo tenetur procurare propriam salutem. Et à fortiori tenent hanc sententiam, qui putant, adesse obligationem confitendi per interpretem, quoties vrget præceptum diuinum confitendi, vt supplementum D. Th. *quæst. 9. ar. 3. ad. 2.* Syluester *verbo.* Confessio. *1. num. 15.* Canus *Relect. de poenit. par. 5.* Caspens *par. 2. curs theol. tract. 24. de poeniten. sect. 15. numer. 120.* & alii.

2 Secunda sentent. absolutè asserit non teneri confiteri per interpretem. Ita ij, qui docent, nunquam adesse obligationem confitendi medio interprete: Ita Caiet *verbo.* Confessio. *condit. 11.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. ar. 6.* Maior *dist. 17. quæst. 4.* Palud. *quæst. 2.* Petrus Sotus *lect. 5. de confess.* Victoria *de sacram. num. 133.* Ledesma *2. par. 4. quæst. 8. ar. 3.* Medina *C. de confess. quæst. 19. de modo secreto confiten.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punc. 1. ver. Secundo asserimus.* Sà *verbo.* Confessio. *num. 13.* Tolet. *lib. 3. cap. 6. numer. 1. ver. Tertiò potest.* Angles. *quæst. de confes. ar. 2.* Reginal. *lib. 6. cap. 3. num. 80.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 32. num. 8.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 62.*

Io. à Cruce *par. 2. direct. conscient. q. 3. de sacram. poenit. dub. 7. conclus.* 1. Villalob. *par.* 1. *sum. tract. 9. difficul.* 32. *num.* 3. Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 36. Du Fay *de poenit. quæstion.* 9. *supplem. ar.* 3. *disp.* 2. *conclus.* 3. Bizozer. *de sacram. par.* 5. *de poenit. cap.* 9. *numer.* 51. ver. *Dicunt secundò*.

3 Dicendum 1. Constitutum in periculo mortis non teneri confiteri per interpretem ex præcepto diuino. Prob. Christus instituit confessionem secretam, quæ fiat apud solum sacerdotem: ergo non obligauit suo præcepto ad confessionem per interpretem. Anteced. desumitur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de poenit.* dum ait: Quod non est humanum inuentum, quod confessio secreto fiat, & de hac confessione explicat, quomodo sit secreta, quia nimirum fit soli sacerdoti. Si autem non est inuentum humanum erit institutio diuina. Conseq. Prob. Christus non obligauit nisi ad confessionem cum illo modo, cum quo ipsam instituit: ergo obligauit solum ad confessionem, quæ potest fieri soli sacerdoti, alias instituisset etiam confessionem, quæ non fieret soli sacerdoti, si ad ipsam obligasset.

4 Dices. Confessionem esse secretam, etiam si fiat per interpretem, nam interpres facit vnam personam moraliter vel cum sacerdote, vel cum poenitente. Contra. Ex eo, quod adhibeatur interpres, cognitio peccatorum transit in personas extraneas à tribunali sacramentali: ergo non seruatur amplius modus confitendi institutus a Christo. Anteded. patet. Quia ad tribunal sacramentale pertinent solum pęnitens vt habens conscientiam peccati, & se accusans: & sacerdos vt gerens vices Christi, & vt ipsius vicarius, vt declarat Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* vnde peccata transeunt per accusationem immediatè ad tribunal Christi, ita vt censeatur conscientia aperiri ipsi Christo, quia Principalis, & Vicarius faciunt idem Tribunal. Interpres ergo est persona extranea huic tribunali, cum nullo modo ex institutione Christi ad ipsum pertineat. Conseq. proq. Tum quia tollitur modus deponendi peccata immediate apud Tribunal Christi. Tum quia peccata extra Tribunal manifestantur. Tum quia peccata deueniunt non solum in cognitionem sacramentalem, quam nomine Christi accipit confessarius, sed etiam in cognitionem diuersi generis, nempe naturalem, quam acquirit interpres: ergo non seruatur modus, cum quo confessio est instituta à Christo.

5 Dices 2. Interpretem supplere vices poenitentis, & ideo non esse personam extraneam huic Tribunali. Contra. Non supplet vices poenitentis in ratione accusationis, quia debet constare sacerdoti, quod poenitens ipse se accuset; sed solum vt declarans accusationem per cognitionem naturalem ab ipso poenitente acceptam, ergo adhuc se habet vt persona extranea & facit, quod peccata transeant ad conditionem diuersi generis, & quod extra Tribunal manifestentur, atque adeo variatur modus confitendi institutus à Christo. Confir. Interpres non pertinet ex vi institutionis sacramenti ad hoc iudicium, ergo quocunque modo se habeat, semper est persona extranea, quia quæ non sunt personæ extraneæ, requiruntur ex vi institutionis huius iudicii.

6 Dicendum 2. Neque constitutum in periculo mortis teneri confiteri per interpretem ex generali obligatione procurandi propriam salutem. Sed tunc sufficere si poenitens nutibus eo meliori modo, quo potest confiteatur, & per hoc sufficienter prouideri propriæ saluti. Prob. Si tunc confessio per interpretem esset necessaria ex generali obligatione procurandæ propriæ salutis, esset etiam necessaria ex præcepto diuino, sed non est necessaria, vt constat ex dictis, & admittunt etiam Doctores oppositæ sententiæ. ergo Sequel. prob. Tunc confessio per in-

interpretem esset medium necessarium ad salutem non solum in voto sed etiam in re. Quando autem confessio est necessarium medium ad salutem, subintrat statim præceptum diuinum obligans ad ipsam, quia est instituta tanquam medium necessarium ad salutem.

7 Confir. Confessio non obligat poenitentem, nisi eo modo, quo ipsi possibilis est, vnde si non potest integrè confiteri, non obligatur ad confessionem integram. Si non potest confiteri voce, non obligatur ad vocalem confessionem, sed potest confiteri nutibus. ergo si non potest confiteri voce, quia non intelligitur à confessario ratione diuersitatis idiomatis, non obligabitur ad confessionem vocalem, sed poterit confiteri per nutus. Conseq. prob. Quia paria sunt non loqui, & ita loqui, vt non intelligatur *l. de ætate. §. Nihil interest. ff. de interrog. act.* & notant Decuin. *consil.* 32. *num.* 25. *lib.* 2. Tusch. *Littera* P. *conclus.* 84. *num.* 10. Vnde etiam paria sunt, non posse loqui, & ita solum posse loqui, vt non intelligatur. Hinc notant, quod paria sunt, non confiteri, & ita confiteri, vt non intelligatur confessio Roman. *consil.* 321. *in fine*. Crauetta *consil.* 157. *num* 9. Et quod paria sint, ita exprimere, quod non intelligatur, vel omnino non exprimere Alexan. *consil.* 182. *num.* 5. ver. *Et paria sunt. lib.* 2. Tusch. *dicta littera* P. *conclus.* 85. *num.* 6. Et proinde paria quoque sent non posse confiteri, & solum ita posse confiteri, vt non intelligatur confessio; & non posse omnino exprimere, ac posse solum ita exprimere, vt non intelligatur. ergo in tali casu poenitens se habet vt nō potens loqui in confessione sacramentali, & proinde nō obligatur ad cōfessionem vocalē, sed solum ad confessionem per nutus. Confir. 2. quando obligatio est personalis, & etiam de actu proprio personali, non tenetur quis eam adimplere per alium, si per se ipsum non potest; vnde non tenetur quis per alium ieiunare, recitare horas canonicas, neque etiam per se ipsum cum socio, si solus non potest. Confir. 3. Obligatio procurandæ propriam salutem obligat solum ad suscipiendum sacramentum cum effectu. Potest autem suscipi cum sola confessione per nutus.

8 Obiicitur. Interpres tenetur ad secretum, ita vt nec admitti possit tanquam testis in ijs, quę interpretatus est ergo adhuc confessio remanet secreta, ergo adhuc præceptum obligabit ad ipsam. Resp. disting. conseq. Remanet secreta secreto naturali: non autem secreto sacramentali; vnde non habet illud secretū, cū quo est instituta à Christo, sed transit in cognitionem alterius ordinis. Secretum enim sacramentale dicit, quod nulli tanquam homini manifestentur peccata, sed solum sacerdoti excipienti non tanquam homini, sed nomine Christi, & vt ipsum repræsentanti.

9 Obiicitur 2. Multoties tenetur quis idem peccatum confiteri duobus, vt cum habet casus reseruatos, quos confitetur superiori, & postea remittitur ad inferiorem; aut quando non potest adire superiorem, & absoluitur ab inferiori cum onere compatendi. ergo nec etiam excusabitur, quando tenetur manifestare peccata interpreti. Resp. neg. conseq. nam est diuersa ratio. In primo enim casu notitia peccatorum remanet semper sacramentalis, nec communicatur extraneæ personæ, sed iis solum qui excipiunt nomine Christi, in casu autem interpretis notitia peccatorum communicatur extraneæ personæ, & transit in alium ordinem, vnde non manet intra limites secreti sacramentalis.

10 Obiicitur 3. Reuelare crimen occultum proximi vni tantum, non est peccatum mortale, quia est leuis læsio famæ, atque adeo non affert graue incommodum. ergo neq. reuelare propria peccata interpreti erit graue incommodum: ergo non excusabit ab obligatione præcepti. Resp. Quicquid sit de anteced. neg. conseq. Nam est di-

diuersa ratio; quando enim crimen occultum vni tantum manifestatur, notitia, quam quis habet de illo crimine, ampliatur solum intra idem genus, quæ ampliatio, si accipiatur tanquam leuis excusat à peccato mortali. Vnde iam supponitur, quod tale crimen sit in notitia hominum humana. At quando quis confitetur per interpretem illa notitia peccatorum, quæ ex institutione sacramenti debet esse purè sacramentalis, & communicata sacerdoti non tanquam homini, sed excipienti nomine Christi, extenditur ad aliud genus notitiæ, quæ neque præcipitur ex ui sacramenti, & affert graue incommodum, quia cum in confessione veritas exprimatur, remanet certa etiam notitia humana, quæ inde habetur; quod non contingit, quando quis narrat vni crimen occultum alterius, nam potest mentiri, potest falli, & ideo non facit illam impressionem grauem, & certam contra bonam famam, quam facit poenitens apud interpretem. Accedit etiam, quod peccata interna, quæ nulli præterquam Deo nota sunt, extraherentur à ratione secreti, & non solum deducerentur in notitiam sacramentalem, sed etiam in notitiam humanam, quod certè est grauissimum incommodum: quod non contigit, quando manifestatur crimen occultum, quia est tantum occultum per accidens, cum sit iam in notitia aliquorum: peccata autem interna sunt occulta per se.

An constitutus in periculo mortis possit confiteri per nuncium, aut Epistolam. Quæst. 152.

S V M M A.

1 *Confessio per nuncium, aut Epistolam est illicita.*
2 *Sententia Io. Prapositi.*
3 *In articulo mortis non est licita confessio per nuncium, aut epistolam.*
4 *Confessio sacramentalis ex vi suæ institutionis debet fieri in persentia sacerdotis.*
5 *Poenitens debet se sistere præsentialiter tamquam reum ante tribunal sacerdotis.*
5 *Quid significet dictio.* Sisti.
5 *Modus confitendi secretè institutus à Christo.*
6 *Quæ confessio instituta pro materia sacramenti poenitentia.*
7 *Cur confessio sacramentalis debeat fieri in præsentia sacerdotis.*
8 *Confessio secreta, & publica quomodo differant.*
8 *Quomodo differant confessio præsentialis, & facta in absentia.*

1 SVpponendum est, cõfessionem per nuncium, aut Epistolam illicitam omnino esse, vt declarauit Clemens VIII. *die 20. Iunii* 1602. in Generali Congregat. San. Rom. Inquisit. damnans oppositam opinionem ad minus vt falsam, temerariam, & scandalosam. In quo non solum coniunctim damnauit vtramque propositionem; nempe quod liceret absenti confiteri per nuncium, vel Epistolam, & absentem posse absolui; sed etiam disiunctim, ita vt non solum sit damnatum, quod possit absenti absolutio impendi, sed etiam, quod liceat absenti confiteri, vt constat ex aliis decretis editis contra Suarez, qui dictum decretum Clementis VIII. interpretabatur, quod solum prohiberet absolutionem impertiri absenti. quorum primum fuit die 14. Iulij 1605 & die 20. Iulij. & die 18. Augusti eiusdem anni; in quibus statutum est, quod deleretur dicta doctrina tanquam damnata à Sede Apostolica. Hoc autem supposito, quæritur, an in periculo mortis liceat confiteri absenti; contingere enim potest casus, quod constitutus in periculo mortis nequeat habere confessarium præsentem, vt si esset in loco, vbi vnicus tantum esset sacer-

cerdos, qui etiam ipse infirmus decumberet.

2 Io. Præpositus 3. *par. in suppl. quæst.* 4. *de qualit. confes. dub.* 3. *num.* 74. asserit. Confessionem factam absenti esse quidem illicitam, non tamen sacramentum futurum inualidum addens ita defensum fuisse Louanij 1607 *die* 22. *August.* Et quod Clemens VIII. declarauit Bellarmino, quod in suo decreto nihil statuerit contra validitatem sacramenti, sed solum damnasse praxim, & quod Bellarmin. id significauerit Lessio 19. *April*, 1608. Ex quo fit, quod cum hoc non sit contra validitatem, sed solum contra præceptum, in casu necessitatis cessabit præceptum, & licebit absenti confiteri.

3 Communiter tamen docent, ex vi institutionis sacramenti requiri, quod confessio fiat in præsentia sacerdoti: vnde sequitur, quod in nullo casu etiam articuli mortis validè fiat confessio absenti. Ita Gabr. *in* 4. *dist.* 17. §. *Additur etiam.* Duran *dist.* 26. *quæst.* 2. *ad* 1. Caiet. *verbo.* Confessio. *condit.* 11. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ar.* 6. Raymun. *in sum. tract.* 4. *cap.* 7. §. 3. Angles *in Florib. quæst. de confes. ar.* .*difficul.* 8. Io. de Tribur. *lib.* 3. *de confes. tit.* 34. *quæst.* 76. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 8. *art.* 3. *dub.* 1. Nauar. *in cap. Fratres. numer.* 94. *de poenit. dist.* 5. Maiol. *lib.* 1. *de irregular. cap.* 25. *num.* 2. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 15. Dauila *de confessione per litter. præsertim cap.* 10. Du Fay *de poenit. quæst.* 9. *ar.* 3. *disp.* 3. Coquet. *disp. de confes. per litter. cap.* 3. Syluius 3. *par. quæst.* 9. *supplem. ar.* 3. *dub. vn.* Nugn. *difficul.* 2. Chellison. *dub.* 3. Putean. *par.* 2. *de confes. quæst.* 2. *dub.* 8. Candid. *Disquisit.* 24. *ar.* 25. *dub.* 2. *num.* 4.

4 Dicendum est. Sacramentum pœnitentiæ ex sua institutione requirere præsentiam pęnitentis ad cōfessarium, nec alio modo posse esse validū; atque adeo in nullo vnquam casu, neque etiam in articulo mortis posse confessionem fieri absenti. Desumitur ex dicto decreto Clemen. VIII. Nam ibi decernit de opinione, quod confessio fieri possit absenti, Neuè vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod si in vllo vnquam casu potest defendi vt probabilis, aut ad praxim deduci, neque etiam poterit in articulo mortis. Neque si sacramentum esset validum prohibuisset reduci ad praxim, quando alio modo pœnitens confiteri non potest, cum in casu necessitatis liceat ministrare sacramenta cum materia dubia. Accedit etiam, quod Pontifex declarat tanquam falsam opinionem admittentem confessionem factam absenti: non esset autem falsa, si sacramentum esset validum, quia confessio esset verè sacramentalis, & sacramentum sortiretur suum effectū, & ex vi institutionis huius sacramenti esset licita. Desumitur etiam ex D. August. *De vera, & falsa poenit. cap.* 10. relato in cap. *Quem peonitet, de poenit. dist.* 1. ibi. *Quem ergo poenitet, omnino poeniteat, & dolorem Lachrymis ostendat; repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem; præueniat iudicium Dei per confessionem. Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scripturam manifestanda.* Ecce ergo, quomodo ex institutione Christi confessio in præsentia sacerdotis facienda est.

5 Prob. Ex vi institutionis sacramenti poenitentiæ pœnitens debet præsentialiter confiteri coram sacerdote, ergo si aliter confiteatur sacramentum non erit validum, quia non seruabitur institutio Christi: & cum confessio sit materia sacramenti, non exhibebitur illa materia pro sacramento, quæ est instituta à Christo. Anteced. desumitur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de poenit.* nam ibi habet: *Nam hos, si se postea criminè aliquo contaminauerint, non iam repe-* ti-

tito baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, vt per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari. ergo cum secundum declarationem Concilii Christus voluerit peccatores sisti ante tribunal sacerdotis, voluit præsentialiter comparere, quia dictio, *Sisti*, significat præsentialiter comparere, vt notat Vulpian. *l. 2. §. Si quis iudicio. ff. si quis caut.* Confir. Modus secretè confitendi soli sacerdoti est institutus à Christo, vt declarat perpetua praxis Ecclesiæ, & definit Concil. Trident. *dicta sess. 14. can. 6. de poenit.* ibi. *Si quis dixerit, modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum, anathema sit*. ergo fuit instituta à Christo præsentialis confessio, quia modus confitendi secrete soli sacerdoti, quem semper seruauit praxis Ecclesiæ, consistit in præsentiali confessione, & hic modus non est humanum inuentum, sed institutio Christi. Vnde in Concilio Florent. *in Decreto Fidei*. declaratur, quod materia huius sacramenti est confessio oris, quia facienda est ore ad os, seu præsentialiter.

6 Confir. 2. Vel Christus instituit pro materia sacramenti præsentialem confessionem, vel non. Si primum. ergo sola sufficiet pro validitate sacramenti, & non sufficiet confessio per nuncium, vel per litteras, quia hæc est diuersa ab illa in ratione confessionis, sicuti, quia constituit pro materia baptismi aquam naturalem, non sufficit alius liquor, licet aptus sit abluere. Si secundum. ergo non poterit adhiberi præsentialis confessio, quia hæc non esset instituta à Christo. Dices. Esse institutam à Christo confessionem in genere siue præsentialem, siue inter absentes. Contra, nam hæc responsio repugnat cum declaratione Concilij Tridentini, de qua *num. præcedenti*. Deinde hoc sacramentum fuit institutum per modum iudicij, in quo homines tanquam rei iudicarentur ex propria ipsorũ, & voluntaria cõfessione. ergo fuit instituta pro materia illa confessio, quæ fit præsentialiter in iudicio, quia confessio, quæ fit à reo in absentia iudicis, non est confessio iudicialis, sed extraiudicialis, quæ non inseruit iudicio per modum confessionis, sed ad summum per modum probationis. Denique. Si esset instituta à Christo pro materia confessio in genere, siue hæc, siue illa, praxis Ecclesiæ hoc declarasset, neque vsurpasset in hoc sacramento solum confessionem præsentialem.

7 Confir. 3. Hoc sacramentum institutum est per modum iudicii; sed cum diuerso modo, ac fit in iudicio humano. Nam in hoc iudicio statur soli confessioni voluntariæ poenitentis, nec contra ipsum adhibentur testes, sed illi creditur tam pro se, quam contra se. ergo non potuit institui alia confessio, nisi præsentialis pro materia. Conseq. prob. Tum quia iudicium non potest incipere à confessione, sed debet incipere à præsentatione rei, sicut humanum debet incipere à citatione, quia fit per vim coactiuam: non inciperet autem à præsentatione rei, si confessio fieret in absentia. Tum quia, cum sit per modum iudicii debent partes, quibus componitur, esse propriæ iudicii, atque adeo iudiciali modo se habentes: vnde confessio, vt sit propria, debet iudiciali modo se habere; atque adeo esse facta in iudicio. Tum quia, cum super confessionẽ poenitentis debeat proferri sententia, ita vt ipsi soli innitatur, debet esse certa, præsertim cum sit voluntaria, & spontanea. Si fiat autem per litteras, aut internuncium, non potest esse certa. Tum quia nuncius potest fallere. Tum quia litteræ possunt esse suppositiæ.

8 Dices. Confessio secreta est institu-

ſtituta à Chriſto pro materia poenitentiæ, & tamen poteſt adhiberi etiam publica, vt declarat Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5. de poenit.* ergo licet inſtituta ſit confeſſio præſentialis, poterit etiam adhiberi confeſſio per litteras aut internuncium. Reſp. neg. conſeq. Quia confeſſio ſecreta, & publica non differunt in ratione confeſſionis, neque ſubſtantialirer, ſed ſolum in ratione extrinſeci accidentis; nam publica confeſſio habet totum id, quod habet ſecreta, & inſuper ſolum dicit, quod deducatur in aliorum cognitionem, quod non variat intrinſecè ipſam confeſſionem, quia eſſe cognitum non variat intrinſecè obiectum. At confeſſio præſentialis, & perlitteras, ſeu nuncium differunt in conditionibus intrinſecis confeſſionis, atque adeo ſubſtantialiter; nam præſentialis eſt confeſſio iudicialis, certa, fundata ſupra præſentatione rei, & comparitione in iudicio. Facta verò per literas, aut nuncium non eſt iudicialis, neque certa, & proinde non eſt ſufficiens, vt in ipſa fundetur ſententia. Et ideo ſi præſentialis eſt inſtituta pro hoc ſacramanto, non poteſt adhiberi non præſentialis, tanquam ſubſtantialiter diuerſa.

De conſtitutis in periculo mortis quoad abſolutionem ſacramentalem.

An vrgente neceſſitate poſſit abſolui conſtitutus in periculo mortis nutibus, ſignis, aut ſcriptura. Quæſt. 153.

S V M M A.

1 *Sententia affimans.*
2 *Abſolutio ſacramentalis non poteſt impendi abſque verbis.*
3 *Forma ſacramenti poenitentię eſt abſolutio verbalis.*
3 *Sacramenta neceſſariò conſtant ex verbis excepto matrimonio.*
3 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
4 *An vrgente neceſsitate liceat ſub condicione abſoluere ſacramentaliter ſine verbis.*
5 *Quomodo ſacramentum poenitentię ſequitur naturam iudicii.*
6 *Matrimonium non fuit inſtitutum à Chriſto, ſed eleuatum ad eſſe ſacramentale. & ideo retinet primæuam naturam contractus.*
6 *In ſacramento poenitentiæ eſt inſtituta noua forma iudicii.*
7 *Cur Chriſtus in ſolis verbis inſtituerit formam ſacramenti poenitent: confeſſionem vero in omni ſigno expreſsiue.*
7 *Abſolutio ſacramentalis eſt actus perſonalis.*
8 *An remiſsio peccatorum poſsit alio modo exprimi, quàm verbis.*
9 *An ſcriptura ſit actus proprius ſcribentis.*
6 *Scriptura non poteſt ſignificare practico modo?*

---

1 Caſus contingere poteſt, ſi aliquis conſtitutus ſit in articulo mortis, nec adſit niſi ſacerdos, qui non poſſit loqui. Quod autem in tali caſu abſolui poſſit nutibus ſignis, & ſcriptura, reſoluendum videtur iuxta doctrinam, quam tradunt Paludan. *in 4. diſt. 27. quæſt. 2. ar. 1.* Adrian. *quæſt. 1. de confeſs.* Medina C. *de poenit. quæſt. 15. de confeſ. concluſ.* 4. Petrus Sotus *lect. 11. de confeſſione*. Nauar. *in cap. Quem poenit. de poenit. diſt. 1.* & *cap. 21. Manual. n.26.* quatenus docent, verba non eſſe neceſſaria ad validitatem ſacramenti. Prob. Sacramentum poenitentiæ eſt inſtitutum per modum iudicii, atque ſequitur naturam ipſius. ergo ſicut iudicialis ſententia poteſt ferri verbo, ſcriptura, nutibus, ita etiam ferri poterit ſententia ſacramentalis. Confir. Quia matrimonium eſt inſtitutum per modum contractus, ita ſequitur naturam contractus, vt fieri poſſit iis modis, quibus celebrari poteſt contrau-

tecedente. Sacramentum poenitentiæ sequitur naturam iudicii quoàd substantialia, non autem quoàd modum. Cum enim iudicium diuersis modis possit administrari, iudicium sacramentale est institutum cum speciali modo. Vnde neg. conseq. Nam hoc iudicium est institutum cum speciali modo, cum in ipso idem sit reus, & accusator; & fit sine testibus, & statur voluntariæ confessioni ipsius rei. Et ideo habet etiã specialem determinationẽ in proferenda sententia, vt nimirum verbaliter proferatur ab ipso iudice.

6 Ad Confir. Matrimonium non fuisse institutum per modum contractus, quia non fuit de nouo institutum, si quidem antequam esset sacramentum, aderat matrimonium; quod proinde fuit eleuatum ad esse sacramentali; & ideo fuit relictum in natura sua. Cum ergo prius esset contractus naturalis, & hic contractus factus sit sacramentum, sequitur, quod adhuc celebrari possit omnibus illis modis, quibus celebrari potest contractus naturalis. At sacramentum poenitentiæ est de nouo secundum se totum institutum, quia non fuit assumptum iudicium humanum, & eleuatum ad esse sacramentale, & ideo celebrari potest solum eo modo, cum quo est institutum.

7 Ad 2. neg. conseq. Quia Christus instituit formam huius sacramenti determinatè in verbis: non autem instituit determinatè in verbis confessionem, sed solum instituit illam confessionem, quæ faciat innotescere sensibiliter dolorem de peccatis in ordine ad cognitionem sacerdotis. Ratio autem est, quia confessio fuit instituta tanquam pars huius iudicii in ordine ad notificanda peccata ipsi iudici, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & ideo fuit assumpta in tota sua latitudine, & cum omni modo, quo potest fieri, quia cum sit absolutè necessaria poenitenti, sine qua, non potest habere sacramentum, voluit, quod si vnus modus deficeret, suppeteret alius. At forma fuit instituta tanquam exercitium personalis iurisdictionis, & tanquam significans effectum sacramenti. Ratione primi excluditur scriptura, quia non est exercitium personalis iurisdictionis, sed solum signum, quando supponit tale exercitum. Cum enim iurisdictio sit personalis, non potest à persona exerceri sensibiliter, nisi per actum externum vitalem sensibilem. Ratione vero secundi nutus, & alia signa non possuntem significare effectum, quia imperfectam tantum, & confusam significationem habent; quæ neque etiam est significatio formalis, sed tantum arguitiua, & per modum signi, non autem per modum formalis expressi[illegible] conceptus.

8 Instabis. C[illegible]istus instiuens hoc sacramentum solum dixit Io. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* ergo ex vi institutionis non requiritur alia forma, nisi illa, per quã exprimatur remissio peccatorũ: remissio autem potest exprimi non solum voce, sed etiam scripto, nutibus, &c. Resp. Potest exprimi remissio peccatorum scriptura nutibus, &c. non eo modo, quo exigit sacramentum, sed alio modo; nam sacramentum exigit perfectè exprimi, & formali modo, ita vt talis expressio sit formalis significatio remissionis, quod non conuenit nutibus, & aliis sigis. Rursus exigit exprimi iurisdictionali modo, quia importat exercitium iurisdictionis; atque adeo per actum proprium, quia exercitium iurisdictionis importat actum proprium illius, qui habet iurisdictionem, hoc autem non conuenit scripturæ, quæ non est actus proprius sacerdotis, nec est exercitium iurisdictionis, sed illud supponit.

9 Instabis 2. Scriptura, vt fit à sacerdote, est actus proprius illius, quia exprimitur per motum vitalem. ergo tunc erit sufficiens, præsertim, si absolutionis verba scribantur in præsentia poenitentis. Resp. Scripturam in fieri, seu qnatenus actio quædam est propriam esse sacerdotis; non au-

autem in facto esse; quia tunc non est amplius actio illius, sed quid relictum ex actione, Vnde fit, vt non possit esse sufficiens pro forma sacramenti; nam vt actio quædam est, non habet significationem, sed solum in facto esse; forma autem sacramenti debet significare effectum illius, Rursus debet significare practico modo, ita vt exprimat effectum causari ab ipso ministro; scriptura autem non significat practico modo, quia non habet causare, quod significat, Vnde verba ista, *Ego te absolua*, redacta in scripturam nullam habent praxim, sed merè mortuo modo, & absque vlla energia se habent.

An vrgente necessitate liceat vti in absolutione solis verbis Absoluo te, *Quæst.* 154.

S V M M A.

1 *An sola verba* Absoluo te *sint sufficientia pro absolutione sacramentali.*

2 *An in absolutione moribundi liceat omittere verba* A peccatis. *& num. sequent.*

3 *Non est certum, quod pro absolutione sufficiant verba*, Absoluo te, *ideo & forma dubia.*

3 *An liceat vti in forma pœnitentiæ solis verbis*, Absoluo te.

4 *Quid faciendum pœnitenti absoluto cum solis verbis*, Absoluo te.

5 *An sit peccatum graue omittere in forma absolutionis verba*, A peccatis tuis.

1 Difficultas oritur ex eo, quia non conueniunt inter se Doctores, an ista verba sola sint essentialia formæ, an vero ad validitatem ipsius requirantur etiam verba *A peccatis*, Quamuis enim magis communiter asserant, sola verba *Absoluo te*, esse essentialia formæ, vt Caiet. *verbo. Absolutio*, Syluester *verbo.* Absolutio 6. *quæst.* 4. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 21. §. 1. Nauar. *cap.* 1. *num.* 9. *de poenit. dist.* 1. Suarez *disp.* 19. *de poenit. sect.* 1. *num.* 22. Vasquez 3. *par. q.* 84. *ar.* 3. *dub.* 4. Syluius 3. *par. quæst.* 84. *ar.* 3. *dub.* 4. Coninch *disp.* 4. *de poenit. dub.* 3. *num.*... Turrian. *disp.* 2. *dub.* 4. Hurtad. *disp.* 5. *difficul.* 4. Granad. 3. *par. controuer.* 7. *tract.* 1. *de poenit. disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 5. Pesant. *quæst.* 84. *ar.* 3. Chellison. *dub.* 3. Puteau. *dub.* 4. *conclus.* 1. Præposit. *quæst.* 6. *de forma sacram. poenit. dub.* 1. *num.* 4. ver. *Sed Doctores.* Mærat. *tom.* 3. *sum disp.* 3. *de poenit. sect.* 1. Ochagau. *tract.* 1. *de poenit. quæst.* 6. *num.* 4. & alii, quos citaui in *tract. de sacram. poenit.* Quia tamen etiam plures asserunt, dicta verba, *A peccatis*, esse de essentia formæ, ita vt sine ipsis non habeatur sufficiens forma vt Gabr. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. Maior. *ibidem*, Palud. *dist.* 22. *quæst.* 3. Petrus Sotus *lect.* 4. *confess.* Viguer. *cap.* 16. *Instit. theol.* §. 4. *ver.* 2. Auersa *quæst.* 12. *de poenit. sect.* 3. ver. *Potius tamen.* Martinon. *disp.* 52. *de poenit. sect.* 1. *num.* 7. & 8. & alii Ideo dubitatur, an liceat vrgente necessitate vti solis verbis, *Absoluo te.* quando nimirum plures essent absoluendi, & periculum esset in mora.

2 Prima sententia est affirmatiua ita tenere debent ij omnes, qui volunt, secluso contemptu non esse graue peccatum omittere illa verba. *A peccatis.* vt Præposit. 3. *par. quæst.* 6. *de forma sacram. poenit. dub.* 1. *num.* 6. ver. *Oritur tertia difficultas.* Cum enim non sit peccatum graue illa ommittere, licebit omittere ex rationabili causa. Imo etiam si esset peccatum graue, necessitas excusabit, & sacramentum erit validum.

3 Secunda sentent. tenet, non posse omitti dicta verba. *A peccatis*. Ita e contra ij, qui volunt esse peccatum gra-

graue, illa omittere, vt Tolet. *lib. 3. cap. 12. num. 4.* Filliuc. *tract. 6. cap. 3. num. 65.* ver. *Deniq.* Facundez *pracep. 2. Eccles. lib. 2. cap. 9. numer. 17.* Auersa *quæst. 12. de poenit. sect. 3.* ver. *Nonò.* & à fortiori, qui tenent dicta verba esse essentialia. Et præterea qui volunt esse peccatum mortale vti forma, de quo controuertitur inter Doctores.

4 Dicendum est. Non licere in quo cunque casu absoluere poenitentem cum solis verbis, *Absoluo te*, sed necesse esse semper addese saltem, *A peccatis*. Prob. Stantibus supradictis opinionibus, non est certum, quod sufficiant sola verba, *Absoluo te*. Imo cum adsint validæ rationes, quod non sufficiant, fit forma dubia. ergo non licet vti tali forma. Conseq. prob. In sacramentis, quando potest haberi forma, & matera certa, non licet vti dubia, seu etiam probabili, quia exponitur sacramentum periculo inualiditatis. In omni autem casu, & vrgente quacunque necessitate, quantum est ex hoc capite, haberi potest forma certa. nam qui potest proferre verba, *Absoluo te*, potest etiam facilè addere, *A peccatis*, nec inprolatione ipsorum insumitur tantum tempus, vt ex mora immineat periculum, si quidem est adeo minimum, vt prorsus nullius sit considerationis; & proinde nunquam excusare poterit ab ommissione certæ formæ, neque potest vnquam necessitas exigere, quod dicta veraa *A peccatis*, prætermittantur. Confir. Licet vrgente necessitate adhiberi possit materia, & forma dubia sub conditione, hoc ramen solum locum habet, quando aut absolutè, aut saltem sine graui incommodo non potest haberi certa; At in casu præsenti, potest semper haberi certa forma cum additione vnius verbi: ergo,

5 Ex dictis colligitur. Quid faciendum, si quis absolueretur cum solis verbis. *Absoluo te*. Si enim ita est absolutus, quia periculum esset in mora, & non præmisit integram confessionem, cum remaneat in pœnitente obligatio iterum confitendi integrè omnia peccata, implenda solum est ista obligatio, nam, sic directè absoluetur ab omnibus peccatis. Si verò periculum, atque adeo necessitas superuenit post integram confessionem, tunc si adest tempus tenetur pœnitens ab eodem sacerdote iterum absolutionem petere, qui debebit absoluere aut sub conditione, aut præmissa generali accusatione à poenitente absoluere conficiendo nouum sacramentum. At si pœnitens nequeat obtinere nouam absolutionem ab eodem sacerdote, tenebitur cum alio repetere confessionem, quia cum simus in casu de dubietate sacramenti, est repetendum iuxta cap. *De quibus*: De *baptismo*. Est tamen aduertendum, quod in hoc casu habet locum bona fides, cuius vigore excusabitur pœnitens, & peccata ipsi remittentur, vel per actum contritionis subsequentem, vel indirectè, & iudicia li modo per subsequens sacramentum.

6 Colligitur 2. Non posse sustineri, quod non sit saltem graue peccatum relinquere in forma absolutionis verbum, *A peccatis*: vt notant Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 8.* Henriquez *lib. 4. sum. cap. 11. num. 4.* Suarez *disp. 19. de sacram. poenit. sect. 1. num. 24.* Reginal. *lib. 8. num. 3.* Coninch. *de sacram. quæst. 50. art. 8. num. 50. & 80.* Nugnus *difficul. 3.* Filliuc. *tract. 1. cap. 4. quæsito 10.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 4. pun. 2. num. 11.* Chellison. *3. par. quæst. 84. art. 3. dub. vlt.* ver. *Hinc sequitur secundo*. Facundez *præcep. 2 Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 6.* Quia perpetuus vsus, & praxis Ecclesiæ fundatus in verbis Christi Io. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* adhibendi dictum verbum, induxit obligationem, & declarauit, formam cum talibus verbis esse adhibendam, atque adeo fecit ius. Vnde cum simus in materia graui, & in iis, quæ concernunt essentialia sacramentorum, obligatio quoque erit grauis.

An

autem in facto esse; quia tunc non est amplius actio illius, sed quid relictum ex actione, Vnde fit, vt non possit esse sufficiens pro forma sacramenti; nam vt actio quædam est, non habet significationem, sed solum in facto esse; forma autem sacramenti debet significare effectum illius, Rursus debet significare practico modo, ita vt exprimat effectum causari ab ipso ministro; scriptura autem non significat practico modo, quia non habet causare, quod significat, Vnde verba ista, *Ego te absoluo*, redacta in scripturam nullam habent praxim, sed merè mortuo modo, & absque vlla energia se habent,

An vrgente necessitate liceat vti in absolutione solis verbis Absoluo te. *Quæst.* 154.

S V M M A.

1 *An sola verba* Absoluo te *sint sufficientia pro absolutione sacramentali.*
2 *An in absolutione moribundi liceat omittere verba* A peccatis. *& num. sequent.*
3 *Non est certum, quod pro absolutione sufficiant verba*, Absoluo te, *ideo & forma dubia.*
3 *An liceat vti in forma pœnitentiæ solis verbis*, Absoluo te.
4 *Quid faciendum pœnitenti absoluto cum solis verbis*, Absoluo te.
5 *An sit peccatum graue omittere in forma absolutionis verba*, A peccatis tuis.

1 DIfficultas oritur ex eo, quia non conueniunt inter se Doctores, an ista verba sola sint essentialia formæ, an vero ad validitatem ipsius requirantur etiam verba *A peccatis*, Quamuis enim magis communiter asserant, sola verba *Absoluo te*, esse essentialia formæ, vt Caiet. *verbo. Absolutio*, Syluester *verbo.* Absolutio 6. *quæst.* 4. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 21. §. 1. Nauar. *cap.* 1. *num.* 9. *de pœnit. dist.* 1. Suarez *disp.* 19. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 22. Vasquez 3. *par. q.* 84. *ar.* 3. *dub.* 4. Syluius 3. *par. quæst.* 84. *ar.* 3. *dub.* 4. Coninch *disp.* 4. *de pœnit. dub.* 3. *num.*... Turrian. *disp.* 2. *dub.* 4. Hurtad. *disp.* 5. *difficul.* 4. Granad. 3. *par. controuer.* 7. *tract.* 1. *de pœnit. disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 5. Pesant. *quæst.* 84. *ar.* 3. Chellison. *dub.* 3. Purean. *dub.* 4. *conclus.* 1. Præposit. *quæst.* 6. *de forma sacram. pœnit. dub.* 1. *num.* 4. ver. *Sed Doctores.* Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 3. *de pœnit. sect.* 1. Ochagau. *tract.* 1. *de pœnit. quæst.* 6. *num.* 4. & alii, quos citaui in *tract. de sacram. pœnit.* Quia tamen etiam plures asserunt, dicta verba, *A peccatis*, esse de essentia formæ, ita vt sine ipsis non habeatur sufficiens forma vt Gabr. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. Maior. *ibidem.* Palud. *dist.* 22. *quæst.* 3. Petrus Sotus *lect.* 4. *confess.* Viguer. *cap.* 16. *Instit. theol.* §. 4. *ver.* 2. Auersa *quæst.* 12. *de pœnit. sect.* 3. ver. *Potius tamen.* Martinon. *disp.* 52. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 7. & 8. & alii Ideo dubitatur, an liceat vrgente necessitate vti solis verbis, *Absoluo te.* quando nimirum plures essent absoluendi, & periculum esset in mora.

2 Prima sententia est affirmatiua ita tenere debent ij omnes, qui volunt, secluso contemptu non esse graue peccatum omittere illa verba. *A peccatis*, vt Præposit. 3. *par. quæst.* 6. *de forma sacram. pœnit. dub.* 1. *num.* 6. ver. *Oritur tertia difficultas.* Cum enim non sit peccatum graue illa omnmittere, licebit omittere ex rationabili causa. Imo etiam si esset peccatum graue, necessitas excusabit, & sacramentum erit validum.

3 Secunda sentent. tenet, non posse omitti dicta verba. *A peccatis.* Ita e contra ij, qui volunt esse peccatum gra-

graue, illa omittere, vt Tolet. *lib. 3. cap. 12. num. 1.* Filliuc. *tract. 6. cap. 3. num. 65.* ver. *Deniq.* Facundez *precep. 2. Eccles. lib. 2. cap. 9. numer. 17.* Auersa *quæst. 12. de poenit. sect. 3.* ver. *Nonò.* & à fortiori, qui tenent dicta verba esse essentialia. Et præterea qui volunt esse peccatum mortale vti forma, de quo controuertitur inter Doctores.

4 Dicendum est. Non licere in quo cunque casu absoluere poenitentem cum solis verbis, *Absoluo te*, sed necesse esse semper addese saltem, *A peccatis*. Prob. Stantibus supradictis opinionibus, non est certum, quod sufficiant sola verba, *Absoluo te*, Imo cum adsint validæ rationes, quod non sufficiant, fit forma dubia. ergo non licet vti tali forma. Conseq. prob. In sacramentis, quando potest haberi forma, & matera certa, non licet vti dubia, seu etiam probabili, quia exponitur sacramentum periculo inualiditatis. In omni autem casu, & vrgente quacunque necessitate, quantum est ex hoc capite, haberi potest forma certa. nam qui potest proferre verba, *Absoluo te*, potest etiam facilè addere, *A peccatis*, nec inprolatione ipsorum insumitur tantum tempus, vt ex mora immineat periculum, si quidem est adeo minimum, vt prorsus nullius sit considerationis; & proinde nunquam excusare poterit ab ommissione certæ formæ, neque potest vnquam necessitas exigere, quod dicta veraa *A peccatis*, prætermittantur. Confir. Licet vrgente necessitate adhiberi possit materia, & forma dubia sub conditione, hoc tamen solum locum habet, quando aut absolutè, aut saltem sine grauiincommodo non potest haberi certa; At in casu præsenti, potest semper haberi certa forma cum additione vnius verbi: ergo,

5 Ex dictis colligitur. Quid faciendum, si quis absolueretur cum solis verbis. *Absoluo te.* Si enim ita est absolutus, quia periculum esset in mora, & non præmisit integram confessionem, cum remaneat in pœnitente obligatio iterum confitendi integrè omnia peccata, implenda solum est ista obligatio, nam sic directe absoluetur ab omnibus peccatis. Si verò periculum, atque adeo necessitas superuenit post integram confessionem, tunc si adest tempus tenetur pœnitens ab eodem sacerdote iterum absolutionem petere, qui debebit absoluere aut sub conditione, aut præmissa generali accusatione à poenitente absoluere conficiendo nouum sacramentum. Atsi pœnitens nequeat obtinere nouam absolutionem ab eodem sacerdote, tenebitur cum alio repetere confessionem, quia cum simus in casu de dubietate sacramenti, est repetendum iuxta cap. *De quibus*: De *baptismo*. Est tamen aduertendum, quod in hoc casu habet locum bona fides, cuius vigore excusabitur pœnitens, & peccata ipsi remittentur, vel per actum contritionis subsequentem, vel indirectè, & indicia li modo per subsequens sacramentum.

6 Colligitur 2. Non posse subsistineri, quod non sit saltem graue peccatum relinquere in forma absolutionis verbum, *A peccatis*: vt notant Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 8.* Henriquez *lib. 4. sum. cap. 11. num. 4.* Suarez *disp. 19. de sacram. poenit. sect. 1. num. 24.* Reginal. *lib. 8. num. 3.* Coninch. *de sacram. quæst. 50. art. 8. num. 50. & 85.* Nugnus *difficul. 3.* Filliuc. *tract. 1. cap. 4. quæsito 10.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 4. pun. 2. num. 11.* Chellison. *3. par. quæst. 84. art. 3. dub. vlt.* ver. *Hinc sequitur secundo.* Facundez *pracep. 2 Eccles. lib. 2. cap. 9. num. 6.* Quia perpetuus vsus, & praxis Ecclesiæ fundatus in verbis Christi Io. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* adhibendi dictum verbum, induxit obligationem, & declarauit, formam cum talibus verbis esse adhibendam, atque adeo fecit ius. Vnde cum simus in materia graui, & in iis, quæ concernunt essentialia sacramentorum, obligatio quoque erit grauis.

An

An, quando periculum est in mora, possit quis absoluere simul à censuris, & peccatis dicendo, Absoluo te. *Quæst.* 155.

S V M M A.

1 *Opinio affirmatiua.*
2 *Opinio negatiua.*
3 *Per sola verba,* Absoluo te, *non potest quis absolui simul à censuris, & à peccatis.*
3 *Forma sacramenti pœnitentiæ debet determinate significare effectum, quem causat.*
4 *Forma absolutionis à peccatis habet significationem sacramentalem.*
5 *Forma consistit in indiuisibili.*
5 *Dat esse rei, quam constituit.*
6 *Eadem ratio potest adhiberi ad varias significationes.*
6 *In forma non est pars materialis, & pars formalis.*
6 *Forma consistens in verbis habet rationem formæ ex vi significationis.*
7 *Quomodo eadem verba possint habere diuersos sensus, & diuersas significationes.*
7 *Verba absolutionis significant in actu practico, & exercito.*
7 *Continent, quod causant.*
7 *Verba habentia plures sensus sunt solum extrinsecè determinata ad ipsos.*
8 *Verba absolutionis debent habere significationem intirnsece determinatam.*
9 *Forma sacramentorum significat distinctè effectum secundum ipsius specificam rationem.*

1 Difficultas procedit, an possi fieri absolutio per sola verba, *Absoluo te.* nam si adderetur à censuris, non esset absolutio à peccatis; sed determinaretur ad absolutionem à solis censuris; & si adderetur à peccatis, non esset absolutio à censuris, quia esset eodem modo determinata ad sola peccata. Prima ergo sententia asserit, posse impendi absolutionem à censuris simul, & peccatis per verba; *Absoluo te.* Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *nu.* 3. qui alios citat *in notis littera* X. Sotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *ar.* 3. Nauar. *cap.* 1. *num.* . . *de poenit. dist.* 6. Suarez *disp.* 10. *de censur. sect.* 2. *num.* 7. Filliuc. *tr.* 12. *cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 63. Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 5. *num.* 4. & *disp.* 5. *de sacram. quæst.* 4. *de poenit. pun.* 1. *num.* 10. & alij. Quia nimirum dicta verba ex intentione sacerdotis possunt ordinari ad tollenda uincula tàm censurarum, quàm peccatorum, & in tali casu absolutio à censuris erit prior natura absolutione à peccatis.

2 Secunda sentent. tenet, quod per hæc uerba, *Absoluo te,* non possit simul impendi absolutio à censuris, & peccatis; Ita ij qui tenent, quod dicta uerba non sufficiant pro absolutione à peccatis, quos retuli *Quæstione præceden. num.* 1. *secundo loco.* Et ij, qui uolunt, quod dicta uerba non sufficiant pro absolutione ab excommunicatione, sed addendum sit *Absoluo te ab excummunicatione,* ut Syluester *verbo.* Absolutio 7. *num.* 2. uers. *Quartum.*

3 Dicendum est. Per uerba sola, *Absoluo te.* non posse aliquem urgente quacunque necessitate absolui simul à censuris & à peccatis. Prob. Forma sacramenti pęnitentiæ debet determinatè significare effectum, quem causat; & proinde debet esse determinata in sua significatione ad remissionem peccatorum, quam causat. ergo uerba, *Absoluo te,* non possunt adhiberi ad absoluendum simul à censuris, & à peccatis. Conseq. prob. Si talia uerba sufficiunt pro absolutione sacramentali, in tantum sufficiunt, in quantum sunt determinata uel ratione subiectæ materiæ, uel alio modo ad significandum absolutionem à peccatis,

ut

ut docent Doctores, qui tenent, esse sufficientia, ergo cum habeant in se talem determinationem, dum adhibentur pro sacramento poenitentiæ, non possunt adhiberi pro absolutione à censuris, siquidem habent illam determinationem, quam habent uerba, *Absoluo te à peccatis*; hæc autem non possent adhiberi pro absolutione à censuris.

4 Confir. Verba, *Absoluo te*, in sacramento poenitentiæ non significant quancunque absolutionem, sed absolutionem sacramentalem à peccatis, quia id significant, quod causant. ergo si sufficiunt pro sacramento poenitentiæ, debent saltem implicitè significare talem absolutionem, cum non significent explicitè, ergo ab intrinseco suo sunt determinata in significatione, ita vt secundum intrinsecam significationem habeant hanc determinationem, ergo non possunt inseruire pro absolutione à censuris, quia verba, quibus tolluntur censuræ, debent habere significationem intrinsecam diuersam.

5 Confir. 2. Forma consistit in indiuisibili *l. Si veritas C. de fideicom.* & notant communiter Doctores Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. glos.* 18. *num.* 76. Tiraquel. *de iure mar. glos.* 6. *num.* 4. Molin. *lib.* 1. *de primogen. cap.* 9. *num.* 17. Paris. *lib.* 8. *de resignat. quæst.* 8. *num.* 94. Caldus Pereira *de po test. elig. cap.* 7. *num.* 13. Rota *decis.* 30. *num.* 3. *par.* 1. *Recent.* & alij apud Barbos. *axiom.* 100. *num.* 14. Et proinde dat esse proprium rei, quam constituit, non solum in rebus physicis, sed etiam in rebus moralibus, & in omni actu *l. Diuus. ff. de in integ. restit.* & *l. Manius. ff. de condit. & demonstrat. & l. Is, qui quadraginta. §. Quadam. ff* Ad *leg. Falcid.* & Clement. 1. *de reb. Eccles. non alien.* ergo est ita propria rei, quam constituit, vt non possit alteri conuenire, vt inductione patet in omnibus formis, quia cum non possit alicui communicari, nisi ipsi communicet proprium effectũ formalem, eo ipso quod ipsi conueniret, faceret ipsum illud idem quod esset illa alia res, cuius est propria forma; ergo verba, quæ sunt forma sacramenti pœnitentiæ, non possunt esse forma absolutionis à censuris, nam forma sacramenti est propria ipsius, & si conueniret absolutioni à censuris, faceret, quod talis absolutio esset absolutio à peccatis, & non à censuris.

6 Dices. Vnam, & eandem formam sumptam formaliter non posse esse sacramentalem, & non sacramentalem; benè tamen materialiter sumptam; & sic forma, quæ est propria vnius, non potest alteri conuenire, si consideretur secundum esse formale, potest tamẽ cõuenire secũdũ esse materiale. Quod præcipue locũ habet, quãdo forma cõsistit in verbis, quia eadem oratio potest adhiberi ad varias significationes, *l.* 1. *ff. de offic. Prætoris.* Contra, Iu forma non potest considerari pars materialis, & pars formalis, sed totum esse ipsius se habet per modum formæ respectu illius, cuius est forma, vt patet inductione tàm in formis physicis, quàm in moralibus, & artificialibus, & saltem secundum esse reale, non potest formale separari à materiali. ergo si forma vnius conuenit alteri, adhuc tribuet ipsi suum effectum formalem. 2. Quando forma consistit in verbis, esse formale ipsius consistit in significatione. ergo cum verba sint forma absolutionis sacramentalis, & absolutionis à censuris ratione significationis, si verba, quæ adhibentur pro vna absolutione, possent simul adhiberi pro alia, adhiberentur secundum eamdem significationem, quia assumentur, vt iam determinata in sua significatione ad talem effectum significandum; atque adeo forma, quæ est propria vnius, fieret alterius secundum eamdem significationem; atque adeo secundum idem esse formale; quod implicat.

7 Dices 2. Eadem verba posse simul proferri cum pluribus significationibus, vt fuerunt prolata verba sacræ

cræ scripturæ, quę proinde habent plures sensus, & significationes litterales. Et proinde verba, *Absoluo te*, posse proferri cum duplici significatione, ita vt tàm significet absolutionem à censuris, quam absolutionem à peccatis, & secundum hanc duplicem significationem ordinari per intentionem absoluentis ad duplicem hunc effectum. Contra. Ideo eadem verba possunt habere diuersum sensum, & diuersam significationem, quia possunt ita formari à proferente, vt possint accommodari ad significandas diuersas res: & proinde talia verba non significant actu, & in esse exercito res illas, sed tantum aptitudine, & in actu signato; vnde de se sunt indeterminata ad significãdum potius vnum quàm aliud, sicut sunt verba, *Absoluo te*; nec possunt determinatè significare, nisi determinentur per applicationem ad talem significationem. Sed verba formæ absolutionis non possunt esse talia. Tum quia sunt significatiua in actu exercito, & in actu practico, atque adeo debent ex se habere suam significationem. Tum quia ex vi suæ significationis causant, & debent in se continere, quod causant, vt de sacramentis omnibus decernit Concilium Trident. *sess. 7. can. 6. de sacram. in genere.* vnde cum contineant ratione significationis debent esse intrinsecè determinata in significatione; & proinde non potest esse talis, vt possit vno, vel alio modo accipi. Tum quia verba, quæ trahi possunt ad plures sensus, & significationes, in se sunt indeterminata, & solum ex intentione loquentis ordinantur ad plures significationes, vnde determinatio est merè extrinseca.

8 Accedit etiam, quod verba sunt forma intrinseca sacramenti, & ipsum constituunt ratione significationis. ergo cum forma, quæ aliquid constituit, debeat esse in se ipsa formaliter determinata, verba, *Absoluo te*, debent esse intrinsece determinata per significationem, qua significent iudicialem absolutionem à peccatis, cum secundum hanc solam significationem constituere possint sacramentum poenitentiæ, ergo non possunt habere aliam significationem, per quam sint forma absolutionis à censuris, quia intantum possunt aliqua verba habere plures sensus, & significationes, inquantum non sunt intrinsecè determinata ad vnam, sed possunt accipi tàm in vna, quàm in alia.

9 Dices, 3. Verba, *Absoluo te*, proferri in significatione communi absolutioni à censuris, & absolutioni à peccatis; & ideo posse inseruire vtrique. Contra. Forma sacramentorum debet determinatè, & distinctè significare effectum secundum suam specificam rationem, quem causat. ergo cum verba, quæ sunt forma sacramenti poenitentiæ, causent absolutionem talem, nempe à peccatis, debent illam determinatè significare, & non sufficit, quod significet aliquid ipsi commune cum forma absolutionis à censuris; alioquin cum causet ratione significationis, non causaret effectum determinatum.

An sacerdos vrgente necessitate possit simul vnica absolutione plures absoluere. Quæst. 156.

S V M M A

1 *Vnica absolutione possunt simul plures sacramentaliter absolui.*
2 *Causa pluribus subiectis applicata producit in singulis suum effectum.*
2 *Eadem forma potest significare effectum sacramenti in pluribus.*
3 *An cum eadem forma possint confici plura numero sacramenta.*
3 *An idem constitutiuum morale possit inseruire*

nite pro pluribus constitutis.

1 NEcessitas vtendi tali modo absolutionis contingere potest, vel imminente naufragio, vel in bello, vel in repentino incendio, aut inundatione. Dicendum autem est. Posse vrgente necessitate adhiberi talem modum absolutionis. Ita Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. ar. 5.* Henriquez *lib. 4. sum. cap. 11. n. 4.* Nauar. *cap. 8. Manual. num. 13.* Filliuc. *tract. 6. cap. 4. quæst. 11. num. 79.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 7. cap. 5. num. 51.* Vasquez *3. par. quæst. 84. ar. 3. dub. 4. num. 9.* Granad. *controuer. 7. tr. 1. disp. 6. num. 30. in fine.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæstion. 4. punc. 2. num. 4.* Auersa *quæst. 12. de poenit. sect. 5. init.* Isambert. *3. par. disp. 17. de poenit. ar. 8. ver. Respon. primò.*

2 Prob. Causa applicata simul pluribus subiectis dispositis producit in ipsis singulis suum effectum. Et hoc habet locum non solum in causis physicis, sed etiam in moralibus: vnde eadem lex publicata eidem communitati producit in omnibus, & singulis suum effectum obligationis; eadem exhortatio pluribus simul suadet. ergo eadem forma sacramenti pluribus dispositis applicata producet in singulis suum effectum, nempe absolutionem; seu remissionem peccatorum. Conseq. prob. Quia forma est causa quædam aut physica, aut moralis concurrens in genere efficientis ad remittenda peccata. Confir. Sacramenta causant, quod significant. ergo potest eadem forma causare in pluribus absolutionem à peccatis. Conseq. prob Potest eadem forma significare absolutionem à peccatis respectu plurium, vt si concipiatur in plurali in ordine ad plures, nempe *Ego vos absoluo à peccatis*. ergo cum possit significare, poterit etiam causare, cum causet iuxta mensuram significationis.

3 Dices. Quando plures absoluuntur, nedum habentur plures effectus sacramentales, sed etiam plura sacramenta; nã singuli, qui absoluuntur, suscipiunt propriũ sacramentũ poenitentiæ. Non possunt autẽ haberi plura sacramenta, nisi habeantur plures formæ, qnia non potest multiplicari constitutum, nisi multiplicetur constitutiuum, præsertim formale. Resp. distin. secundam part. min. Non potest multiplicari constitutum, nisi multiplicetur constitutiuum formale, si loquamur de constitutiuo physico; secus autem, si loquamur de morali. nam sufficit, quod morale sit virtualiter multiplex. Quia constitutiuum morale communicatur solum morali modo subiecto, & ideo vnum, & idem potest pluribus communicari, si habeat virtualem multiplicitatem. Forma autem sacramentorum est formale constitutiuum morale, quia constituit ratione significationis, quæ est quid morale, vnde quando profertur in plurali, quia ordinatur ad plura subiecta ex vi suæ significationis, ideo est virtualiter multiplex.

Pasqualig.

An si poenitens moriatur nondum completa forma absolutionis, censendus sit absolutus.

Quæst. 157.

SVMMA.

1 *Opinio negatiua.*
1 *Sacramenta producunt suum effectum ratione significationis.*
2 *Opinio affirmatiua.*
3 *Moribundus remanet absolutus, si moriatur antequam compleantur verba essentialia formæ.*
3 *Sufficit, si sacramenta coexistant subiecto secundum aliquas suas partes.*

4 *An ſufficiat, ſi exiſtant ſecundum priores partes.*
4 *An moraliter exiſtat in prioribus partibus ſignificatio formæ ſacramenti.*
5 *Quam coexiſtentiam requirant materia, & forma ſacramentorum.*
5 *Quæ coexiſtentia requiratur inter ſacramentum, & ſubiectum.*
6 *An ſi moriatur ſacerdos antequam compleat verba abſolutionis pœnitens ſit abſolutus.*

---

1 DIfficultas procedit, quando non eſt completa quòad ea verba, quæ eſſentialia ſunt. Vnde, ſi eſſent prolata verba, *Abſoluo te à peccatis*, aut ſecundum aliam Opinionem, *Abſoluo te*, non eſt dubium, quod eſſet pœnitens abſolutus. In hac autem difficultate. Prima ſententia negat, fore abſolutum. Ita in ſimili caſu loquens Bonacina, nempe in baptiſmo. *diſp.* 2. *de ſacram. quæſt.* 2. *punc.* 6. *num.* 26. teſtans de communi; quo tamen fundamento id teſtetur, non video. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſacramenta producunt ſuum effectum ratione ſignificationis. ergo cum ſignificent præcipuè ratione formæ, quandiu non exiſtit ſignificatio formæ, non poſſunt cauſare: ſignificatio autem formæ non exiſtit, quandiu verba completa ſunt.

2 E contra verò alii loquentes ſimiliter de baptiſmo aſſerunt oppoſitum. Vnde etiam in præſenti caſu cenſendus erit abſolutus, quia Deus ſupplet. Ita D. Th. *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *ar.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 5. Richar. *ar.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 5. Sum. Confeſsor. *lib.* 3. *tit.* 24. *quæſt.* 11. Tabiena *verbo*. Baptiſmus. 3. *n.* 18. Armil. *num.* 16. Syluester *verbo*. Baptiſmus. 1. *quæſt.* 5. Angelus *verbo*. Baptiſmus. 7. *num.* 8. Barthol. ab Angelo *Dial.* 2. §. 110. Zechius *de ſacramen. cap.* 3. *de Baptiſmo*, §. *Nec eſt.*

3 Tenendum. ergo eſt; Moribundum remanere abſolutum, ſi contingat mori, antequam compleantur verba eſſentialia abſolutionis. Prob. Sacramenta ſunt cauſæ morales, ita vt morali modo producant ſuos effectus. ergo vt producant, non requirunt, niſi in eo ordine, in quo cauſant. ergo vt ſacramentum pœnitentiæ cauſet ſuum effectum remiſſionis peccatorum, ſufficit, ſi forma exiſtat ſecundum aliquas ſui partes, quando exiſtit ſubiectum. Conſeq. vlt. prob. Ideo non poteſt ſacramentum cauſare ſuum effectum in ſubiecto, quod non eſt, quia requirit coexiſtentiam ſubiecti, vt poſſit ipſi applicari, quando producit ſuum effectum. Sed eo ipſo, quod ſecundum aliquas ſui partes coexiſtit, poteſt ipſi applicari, quia ſufficit applicatio morali modo facta, cum ſimus in moralibus, & applicatio ſecundum aliquas partes eſt moraliter applicatio ſecundum totum. ergo.

4 Dices id eſſe verũ, ſi applicatio fiat ſecundum ſolas vltimas partes; non autem ſi fiat ſecundum priores, quia dum exiſtunt vltimæ partes, exiſtit ſignificatio; non autem, dum exiſtunt priores. Contra. Significatio non conſurgit ex vno verbo ſolo, ſed ex omnibus collectiuè, ita vt indiuiſibiliter fundetur in omnibus. ergo non magis dependet ab vltimis, quàm à primis. ergo exiſtentibus vltimis partibus verborum cenſetur moraliter exiſtere ſignificatio, quia dici ordinem ad præteritas, in quibus fundatur, cenſenda eſt exiſtere moraliter exiſtentibus ſolis primis, quia primæ partes proferuntur cum ordine ad ſubſequentes futuras. Confir. Ideo cenſetur moraliter exiſtere ſignificatio, quando proferuntur vltimæ partes verborum, quia audiens reſpicit etiam ad iam prolatas, & ex vi omnium percipit ſignificationem, quod etiam contingit in loquente. Sed etiam quando proferuntur primæ partes verborum ſacramenti pœnitentiæ, proferens, & audiens reſpicit ad ſubſequentes, ita vt ſtantibus circumſtantiis percipiatur, quæ verba ſubſequutura ſint. ergo poteſt etiam ab initio

ex

ex vi omnium percipere significationem. Quod præsertim habet locum apud Deum, cui omnia futura præsentia sunt.

5 Confir. Materia, & forma sacramentorum non requirunt aliam coexistentiam, quàm moralem: vnde sufficit, si sibi mutuò coexistant secundum aliquas partes, vt docent Caiet. *tom.* 1. *opus.* 26. *de Ordine ad* 1. Scot. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 3. Gabr. *quæst.* 1. *ar.* 2. *conclus.* 8. Basiolis *dist.* 5. *quæst.* 1. *ar.* 2. *in fine*. Maior *dist.* 2. *quæst.* 2. *ar.* 4. Sottus *dist.* 3. *quæst. vn. art.* 8. Richar. *ar.* 4. *quæst.* 2. Syluester *verbo* Baptismus. 5. *numer.* 3. Angelus *verbo* Baptismus 4. *num.* 5. Armilla *num.* 37. Nauar. *capit.* 22. *Manual. num.* 17. Victor. *in sum.* Tit. *de baptis. num.* 38. Henriquez *lib.* 1. *sum. cap.* 9. *num.* 10. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 7. *ar.* 8. *dub.* 9. Suarez *disp.* 2. *de sacram. sect.* 2. ver. *Sed quæres*: Valent. *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punc.* 4. ver. *Obseruandum*. & alii. Vnde, si in baptismo, dum fit ablutio proferantur solæ primæ partes formæ, & coeteræ solum completa ablutione, conficietur sacramentum, & verificantur verba ob illam moralem coexistentiam, ergo etiam vt poenitens absoluatur, sufficiet, vt viuat, dum proferuntur primæ partes verborum absolutionis, quia hoc sufficiet, vt absolutio moraliter coexistat poenitenti uiuo. Conseq. prob. Non requiritur minor coexistentia inter materiam, & formam, quàm requiratur inter subiectum, & sacramentum; quia illa requiritur, vt partes inter se inuicem applicentur, & vniantur ad conficiendum sacramentum: hæc autem similiter requiritur, vt sacramentum applicetur subiecto, & in ipso producat suum effectum. ergo si forma potest tribuere materiæ suum effectum formalem, etiam si coexistat ipsi solum secundum aliquas sui partes, poterit etiam sacramentum causare suum effectum, etiam si secundum aliquas tantum sui partes forma coexistat subiecto.

6 Ex his colligitur. Esse diuersam rationem de sacerdote, si moreretur antequam compleret verba essentialia absolutionis. In tali enim casu poenitens non remaneret absolutus, quia nimirum non conficeretur sacramentum, neque enim poneretur tota integra forma essentialis, sicut ponitur, quando moritur poenitens nondum ea completa. Vnde illa verba non essent forma sacramenti, quia deficientibus omnino posterioribus partibus deficeret etiam significatio.

An possit sacerdos peste infectos à longè absoluere. Quæst. 158.

SVMMA.

1 *A longè constitutus potest absolui.*
1 *Quanta distantia saluet præsentiam pro absolutione obtinenda.*
2 *An Pœnitens à longe constitutus, debeat publicè confiteri, vt absoluatur.*
3 *Sacerdos potest è fenestra absoluere peste infectos.*
3 *Iudex tempore pestis potest è fenestra sententiam dicere.*
3 *An sacerdos possit tempore pestis expectare, vt ad se deferantur pœnitentes peste infecti.*
4 *An possit iubere, vt ad se deferantur cum periculo ipsorum corporali.*
5 *An sacerdos accedens ad audiendam confessionem possit absoluere moribundum antequam perueniat, si periculum sit in mora.*

1 Difficultas procedit præcipuè tempore pestis, nam fieri potest, quod sacerdos, ne se exponat periculo infectionis, nolit accedere, & proinde solum de longè au-

dicit confessionem. Dicendum est autem. Posse poenitentem à longè absoluere, dummodo non sit tanta distantia, quæ tollat omnino moralem præsentiam. Ita Capeauil. *de administr. sacram. quæst. 19. de poenit.* *fatt.* 6. vet. Sexto. *deminum.* Prob.] Colloquutio potest exerceri inter distantes, quando distantia non est tanta, vt impediat communicationem vocis. ergo etiam inter ipsos habetur sufficiens præsentia pro administrando sacramento poenitentiæ. Conseq. prob. Non requiritur alia præsentia, nisi illa, quæ sufficit, vt cum poenitente præsentiali modo possit exerceri iudicium sacramentale; sed quando potest haberi colloquutio potest etiam exerceri iudicium sacramentale præsentiali modo. tum quia colloquutio non est, nisi inter præsentes. Tum quia, si poenitens potest per propriam loquutionem notificare sacerdoti suam accusationem, censetur se tanquam reum præsentasse sacerdoti iuxta id quod habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. atque adeo potest obtinere absolutionem.

2 Dices. In tali casu deberet poenitens publicè confiteri, ergo, cum non teneatur ita confiteri, tenebitur sacerdos, si ipsi ex officio incumbat ministrare sacramenta, accedere ad ipsum, nè cogatur publicè confiteri. Resp. In tali casu posse publicè confiteri si velit. Quod si nolit, neg. anteced. Quia iuxta doctrinam superius traditam in tali casu non tenetur integrè confiteri, sed potest confiteri etiam sola peccata venialia, vt dictum est supra. Adest enim sufficiens causa non audiendi confessionem, nisi à longè, cum agatur de vitando periculo vitæ sacerdotis, cuius conseruatio præualet præcepto de integritate confessionis, præsertim quia conseruatio ipsius potest esse cœteris necessaria. Vnde succedit, quod publicè confiteri debeat, cum autem non teneatur sic confiteri, & multoties non possit sine notabili infamia, fit moraliter impossibilis confessio integra, & ideo succedit facultas confitendi non integrè iuxta superius explicata.

3 Ex dictis colligitur, vt notat etiam Capeauil. *de administr. sacram. quæst.* 29. *de sacram. poenit.* Posse sacerdotem absoluere peste infectos è fenestra, si possint ad ipsum accedere, vt hoc pacto vitet periculum infectionis. Sicut enim Iudex in foro exteriori tempore pestilentiæ potest è fenestra exercere munus suũ, & proferre sẽtẽtiã, vt notat Francisc. Ripa *tr. de peste c. de priuileg. peste infect.* ita etiam sacerdos poterit è fenestra exercere munus suum, & iudicium sacramentale relinquendo integritatem confessionis, cum non possit esse secreta. Si autem non possint poenitentes accedere, poterit iubere, quod ad se deferantur. Pro quo tamen est aduertendum, quod si non habeant, à quibus deferantur, tunc, si ipsi ex officio incumbat administrare sacramenta, tenetur ad ipsos accedere; quia ratione officij tenetur etiam cum periculo propriæ vitæ illa administrare indigentibus.

4 Colligitur 2. Quod si sacerdos non teneatur ex officio, sed tantum ex charitate administrare sacramenta, poterit iubere, quod ad se peste infecti deferantur etiam cum periculo corporali. Ratio est. Quia sumus in casu, in quo aut peste infectus, aut sacerdos periculo exponendus est. ergo debet potius exponi peste infectus; quàm sacerdos, quia sacerdos non tenetur lege charitatis succurrere proximo in iis, in quibus ipse sibi prouidere potest. Potest autem sibi ipsi prouidere, si accedat ad confessarium: & cum ipse indigeat, debet potius ipse subire periculum, quàm confessarius, qui ratione charitatis non tenetur propriam vitam corporalem exponere, pro corporali proximi.

5 Colligitur 3 Quod si sacerdos accedens ad audiendam confessionem moribundi à longè moneatur ab adstantibus, quod properet, quia mox est ex-

expiraturus, poterit ipsum absoluere à longè, si audiat, aut videat signa poenitentiæ, ne interim, dum accedit, moriatur sine absolutione. Imo etiam, si non audiat, aut percipiat signa poenitentiæ, poterit absoluere sub conditione, quia probabiliter supponere potest, quod exhibeat signa poenitentiæ, dum petiit confiteri, & sacerdotem vocari, & aliàs ad vitandum periculum, ne moriatur absque confessione licitum est ita sub conditione absoluere, cum adsit sufficiens præsentia pro administratione sacramenti. Nec dici potest, quod si adest sufficiens præsentia statim poterit accurrere, & perceptis signis poenitentiæ absoluere, nam fieri potest, quod confessarius sit tardimotus, vel quia senex; vel quia podagra laboret, vel quia debilitate impediatur, vel ex aliquo alio capite, quo impediatur, nè tàm citò possit accurrere.

An si moribundus petat absolutionem à sacerdote, qui existit in alio cubiculo, possit ipsi impendi, si adsit periculum, nè interim moriatur, dum accurrit.

Quæst. 159.

S V M M A.

1 *Existens in alio cubiculo non censetur præsens.*

1 *Testes in alio cubiculo existentes, quamuis vocem audiant testatoris, non sufficiunt.*

1 *Particula intra tabernaculum non possunt consecrari.*

2 *Existens in alio cubiculo potest absoluere poenitentem existentem in alio, si periculum sit in mora.*

2 *Quid requiratur ad præsentiam pro aliqua actione, & quæ pro sacramento poenitentiæ.*

3 *Non requiritur quod poenitens percipiatur visu à sacerdote.*

3 *Omnia, quæ sunt in domo dicuntur præsentia existenti in domo.*

4 *Particulæ clausæ in pixide possunt consecrari.*

5 *An existens in vno cubiculo sit præsens existenti in alio.*

5 *Factum in vno cubiculo an sit factum in præsentia illius, qui est in alio cubiculo.*

6 *Quomodo testes debeant esse præsentes pro testamento.*

7 *An, & quomodo forma absolutionis sit demonstratiua.*

7 *Quomodo existens in altero cubiculo possit demonstrari.*

1 Videtur negatiuè resp. quia non interuenit debita præsentia, quæ necessaria est, vt possit poenitens absolui; nequè enim absolutio impendi potest absenti. Qui autem est in alio cubiculo, censetur absens; quia subtrahitur ab aspectu, & parietes interpositi diuidunt conspectum, & tollunt communicationem illam, qua personæ sibi mutuò communicant in ordine ad sensibilem cognitionem: vnde quod fit ab eo, qui existit in vno cubiculo, non censetur factum in præsentia alterius, qui existit in alio. Confir. Si infirmus in vno cubiculo conderet testamentum, & testes essent in alio, quamuis audirent vocem testatoris rogantis, vt suæ vltimæ voluntatis testes esse vellent, non haberentur pro præsentibus, & proinde eorum testimonium non valeret. ergo neque confessarius erit sufficienter præsens pro administrando sacramento. Confir. 2. Particulæ clausæ in pixide positæ intra tabernaculum non possunt validè consecrari, quia, licet parum distent à sacerdote celebrante, non sunt tamen moraliter præsentes, quia occultantur intra tabernaculum. ergo nec existens in altero cubiculo erit moraliter præsens, vt possit absolui, quia nimirum subtrahitur à conspectu sacerdotis.

2 Dicendum tamen est; Posse exis-

existentem in vno cubiculo absolui à sacerdote existente in alio, si petat absolui, & immineat periculum, quod in tempore non accurrat. Est conforme doctrinæ præcedentis Quæstionis. Quam tradunt Capeauil. *de administr. sacram. quæst.* 29. *de poenit.* Auersa *quæst.* 12. *de ponit. sect.* 6. ver. *Sextò demum.* Prob. Illud dicitur præsens, quod se communicat in notitiam sensuum, vt notant Glos. *in Clemen. Dudum verbo.* Præsentari. *de sepult.* allegans *l.* 1. *init. ff. de verbor. obligat.* & D. Th. 1. *par. quæst.* 8. *ar.* 3. *in corp.* & *ad* 2. Et proinde, vt quis sit præsens in ordine ad aliquem specialem effectum, sufficit, si se communicet illi sensui, à quo dependet talis effectus, nam tunc sensu percipitur præsentia, quo percipi debet propter effectum, pro quo requiritur. Sed in casu præsenti adest talis præsentia. ergo. Min. prob. Præsentia requitur in sacramento poenitentiæ in ordine ad accusationem, qua poenitens se accuset coram sacerdote, atque adeo in ordine ad loquutionem; & cum loquutio respiciat auditum, sufficit illa præsentia, qua se possit communicare præsentiali modo auditui, ita vt alloqui possit sacerdotem, & sacerdos ex vi alloquutionis possit percipere loquentem; nam cum loquutio præsentialis sit, facit, vt præsentem percipi loquentem. ergo eo ipso, quod poenitens potest percipi sensu à sacerdote tanquam loquens, & se accusans, habetur pro sufficienter præsenti in ordine ad sacramentum poenitentiæ.

2 Confir. In tantum non haberetur sufficiens præsentia pro sacramento poenitentiæ in quantum non perciperetur visu à sacerdote. Sed hoc non obstat. ergo Min. prob. Sacerdos cęcus non percipit visu poenitentes, & tamen illi sufficienter præsentes sunt, vt possint absolui, quia percipiuntur auditu. ergo non requiritur, quod poenitens percipiatur visu. Et si dicas, per accidens esse, quod non percipiatur visu, posse tamen, quantum est de se percipi. Resp. Etiam qui est in alio cubiculo per accidens non percipi visu, quia impeditur, nè percipiatur ab interpositis parietibus, esse tamen in tali distantia, vt possit, si non impediretur. Sic etiam in nocte obscura impeditur, ne percipiantur visu, qui sunt præsentes, & tamen non per hoc desinunt esse præsentes. Sic etiam, vt habet D. Th. *cit quæst.* 80. *artic.* 3. *in corpore.* Omnia, quæ sunt in aliqua domo dicuntur esse præsentia illi, qui est in domo, licet non omnia ab ipso conspiciantur.

4 Confir. 2. Particulæ, quæ sunt in Pixide, licet clausa, consecrari possunt, & ex vi formæ consecrationis stant demonstrabili modo tanquam præsentes, quia innotescunt sensibus per pixidem ordinatam ad ipsas continendas. ergo quando requiritur præsentia in ordine ad formam sacramenti, sufficit, quod sit talis, vt per ipsum subiecta materia quocunque modo innotescat sensibus. Sed in dicto casu poenitens innotescit sensibus, nedum per aliquid aliud, sed per se ipsum, nempe mediante propria operatione vitali loquutionis. ergo adest sufficiens præsentia.

5 Ad rationem dubitandi respon. Qui est in altero cubiculo per accidens subtrahi aspectui, nam est in tali distantia, vt posset visu percipi, nisi ab interpositis obiectis impediretur. Hoc autem non obstat, quia præsentia pro sacramento poenitentiæ non requiritur in ordine ad visum, sed in ordine ad auditum, vt constat ex dictis. Ad prob. Factum in vno cubiculo non censeri factum in præsentia alterius, qui sit in altero cubiculo, quando, quod fit, est in ordine ad aspectũ, secus autem, si fit in ordine ad auditum; & operans ordinet ad ipsum, quod facit vt auditu percipiat. Et ideo si existens in vno cubiculo conuiciaretur ei, qui existit in altero cubiculo, & loquutionem suam ordinaret ad ipsũ, ita vt audiretur, iniuria verè esset facta in præsentia ipsius, & haberet ratio-

tionem contumeliæ.

6 Ad primam confir. neg. consequent. Nam est dispar ratio. Vt enim quis possit esse testis pro testamento debet non solum auditu percipere vocem testatoris, sed etiam visu percipere testatorem, aliàs posset decipi, nam posset aliquis fingere vocem testatoris, & ideo non sufficit præsentia in ordine ad solum auditum *l. Si non specialiter* §. *Si vnus.* & *l. Hac consultissima in*. & §. *Per nuncupat. C. de test.* & notant Bar. *in l. Ad testium.* §. *Conditionem. ff. de test.* Corn. *consil.* 18. *num.* 5. Mascard. *conclus.* 278. *num.* 14. Farinac. *in praxi tit. de testib. quæst.* 61. *num.* 23. & communiter. In ordine autem ad sacramentum pœnitentiæ sufficit præsentia in ordine ad auditum, quia absolutio sacramentalis dirigitur ad eum, cuius accusationem sacerdos audit.

7 Ad 2. Confir. neg. consequen. Nam particulæ clausæ intra tabernaculum, nec per se ipsas, nec in aliquo obiiciuntur alicui sensui, sed prorsus à perceptione omnium sensuum subtrahuntur. At existens in altero cubiculo, non subtrahitur à perceptione omnium sensuum, cum percipiatur auditu, respectu cuius tantum requiritur præsentia. Instabis. Ad verificandum formam sacramenti pœnitentiæ, debet pœnitens esse demonstrabilis à sacerdote, quia verba continent verbum demonstratiuum. qui autem est in altero cubiculo, nec cerni potest à sacerdote, non potest demonstrari. Resp. Non posse demonstrari ad oculum, posse tamen demonstrari ad auditum. Vnde etiam passim, qui loquitur, & non videtur, solet demonstrari, dum dicitur, Hic, qui loquitur est Petrus, quia demonstratio est in ordine ad omnem cognitionem sensitiuam. Deinde. Forma absolutionis non est demonstratiua in ordine ad alium, sed in ordine ad poenitentem, quia pronomen, *Te*, demonstrat non alteri, sed personæ, cum qua loquimur, & sensus est, Ego absoluo te, qui præmisisti accusationem de tuis peccatis. Vnde est demonstratio, quę stat alloquutiuo modo, & importat exercitium alloquutionis præsentialis; & proinde sufficit præsentia in ordine ad auditum.

An, qui ministrat sacramenta ex officio, teneatur absoluere eum, qui asserit interrogatus se nullum habere peccatum mortale. Quæst. 160.

SVMMA.

1 *Minister sacramenti pœnitentiæ ex officio non tenetur absoluere de rigore asserentes, se non habere peccatum mortale.*

1 *Vnde oritur obligatio administrandi sacramenta.*

2 *In periculo mortis Pastores tenentur absoluere etiam asserentes se non habere mortale.*

3 *An pœnitens in articulo mortis teneatur petere absolutionem, licet non sit sibi conscius mortalis.*

4 *Negantes absolutionem moribundo, licet dicat se non teneri peccato mortali, peccant mortaliter.*

---

1 IN rigore loquendo, qui ex officio tenentur administrare sacramenta, non obligantur absoluere, & ministrare sacramentum poenitentiæ iis, qui sibi non sunt conscii alicuius peccati mortalis. Quia sacramentum poenitentiæ est institutum pro iis, qui mortaliter peccauerunt, & pro iis solis est necessarium, vt docet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de poenit.* Obligatio autem administrandi sacramenta oritur solum

lum ex necessitate illorum, quibus debent ministrari, præsertim quando non possunt ministrari absque aliquo notabili incommodo, aut etiam periculo, vt contingit tempore pestilentiæ.

2 Attenta tamen æquitate tenendum est, quod Pastores etiam hos teneantur absoluere sacramentaliter, ita vt confesso vno, aut altero peccato veniali debeat impendi absolutio. Ita inter alios Capeauil. *de administ. sacram. temp. pest. quæst.*25.*de poenitent.* Prob. Tenentur pastores prouidere saluti ouium sibi commissarum, etiam cum periculo proprio. ergo tenentur prædictos absoluere, præsertim, quando volunt confiteri, imo debet hortari pastor ad confitendum. Conseq.prob. Fieri potest,quod tales poenitētes habeant aliquod peccatum mortale, cuius non recordentur, aut quod non putent esse mortale, & non habeant contritionem. ergo ad vitandum periculum animæ, in quo tunc essent, debet impendi absolutio super venialia, vt hoc pacto indirectè absoluantur, à mortalibus, si quæ habeant.

3 Hinc autem fit. Quod etiam poenitens teneatur in tali casu petere absolutionem. Cum enim sit in periculo mortis, & fieri possit, quod sit irretitus aliquo peccato mortali, quod non cognoscat: & fieri etiam possit, quod non habeat veram contritionem, ratione charitatis, qua tenetur se ipsum diligere, obligatur ad petendam absolutionem confitendo aliquod peccatum veniale. Si enim nec haberet contritionem, nec absolueretur, & haberet aliquod peccatum mortale, licet ignoratum, damnaretur, & ideo tenetur se subtrahere ab hoc periculo.

4 Secundò sequitur. Pastores peccare mortaliter, si negent absolutionem iis, qui interrogati dicunt, se non habere conscientiam grauatam aliquo mortali, vt notat Capeauil. *de sacram. poenit. q.* 33.vet. *Vigesimo octauo* Cum enim sint in periculo mortis, tenentur absolutionem petere, & se liberare à periculo, in quo fortasse sunt; vnde Pastores denegantes absolutionem, deficiunt in re graui in iis, quæ pertinent ad proprium munus, & relinquunt in periculo salutis proprias oues.

An vrgente necessitate possit absolutio alteri committi.
Quæst. 161.

S V M M A.

1 *Quotupliciter possit absolutio à peccatis alteri committi.*
1 *Quid requiratur in commissario, vt possit ipsi committi.*
2 *Qui non audiuit peccata non potest alteri committere, vt absoluat iis non auditis.*
3 *Absolutio à peccatis non potest alteri committi ab eo, qui confessionem audiuit.*
4 *Absolutio absentis cur interdicta.*
5 *Sacerdos non potest alteri etiam præsenti committere, vt absoluat.*
5 *Actus ordinis est indelegabilis.*
6 *Absolutio à peccatis quòad ea, quæ sunt iurisdictionis potest alteri committi.*
7 *Cur nomine alterius possit quis contrahere matrimonium.*

1 ABsolutio potest duobus modis alteri committi: Primò vt audita prius confessione absoluat. Secundò, vt absque præmissione confessionis absoluat. Certum est autem, posse primo modo committi, si in commissario reperiantur necessariæ conditiones. Vnde respectu cuiuscunq. committentis debet commissarius esse sacerdos, quia absolutio est actus ordinis, atque adeo requirit potestatem sacerdotalem in absoluente;

te; quæ cum non possit delegari, siquidem fundatur in charactere, non potest, qui non est sacerdos hunc actum exercere. Rursus respectu inferioris ab Ordinario debet etiam esse approbatus, quia iuxta decretum Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 15. de reformat.* Nemo potest esse idoneus minister sacramenti poenitentiæ, nisi sit approbatus ab Ordinario, aut obtineat parochiale beneficium, per quod censetur approbatus, dum est ipsi commissa cura animarum; & ideo, qui non habet facultatem approbandi, non potest alicui delegare sacramentalem absolutionem, cum iurisdictio absoluendi sit tantum delegabilis subiecto apto.

2 Quod autem spectat ad secundum modum, quo committi potest alteri absolutio. Certum etiam est, quod si committens non audiuit confessionem, non potest alteri committere, quod absoluat non audiendo confessionem. Nam vel tunc poenitens in præsentia commissarij se accusat, saltem, in genere; vel non. Si primum, cum peccata in specie non sint explicata neque committenti, neque commissario, exercetur sacramentale iudicium non cognita causa contra diuinum præceptum, vt declarat Concil. Trident. *sess. 24. cap. 5.* & sacramentum nullum esset, quia licet interueniret materia sufficiens, & forma, in actuali tamen exercitio sacramenti peccaretur, & ideo ex parte materiæ vitiaretur dolor, quia non esset verus dolor, atque adeo defectu veri doloris sacramentum pœnitentiæ esset nullum. Si secundum. Tunc omnino deficeret materia, quia neque adesset confessio, & sacramentum, seu absolutio esset nulla. Vnde solum dubitatur, an sacerdos audiens per litteras confessionem poenitentis, aut per nuncium, possit mittere aliquem, qui habeat alias facultatem absoluendi, vt poenitentem declarantem coram commissario dolorem de peccatis explicatis committenti, absoluatur, quod locum habet, supposito, quod possit poenitens explicare absenti peccata, & postea à presenti absolui, dummodo denouo se accuset in genere de peccatis iam explicatis.

3 Dicendum est. Non posse sacerdotem committere alicui idoneo, vt eum absoluat, cuius ipse peccata nota habet, etiam si poenitens coram commissario ostendat dolorem, & se accuset de peccatis explicatis committenti. Ita Capeauil. loquens generaliter pro quocunque casu, & modo, *de administrat. sacramen. quæst. 32. de poenit.* Prob. Vel commissarius absoluet nomine proprio, hoc est per authoritatem absoluendi, quam habet ipse, vel nomine mãdantis; hoc est in virtute iurisdictionis, quam habet mandator. Si primum; inualidè absoluet, quia procedet tanquam iudex in foro poenitentiali non cognita causa contra institutionem diuinam, & declarationem Concilii Tridentini, vt dictum est *num. præced.* Et poenitens inualidè confitebitur, quia peccabit contra præceptum diuinum non explicando in specie, & numero propria peccata. Si secundum. Absolutio erit nulla, vt pote data in absentia, vt declarauit in suo Decreto Clemens VIII. *sub die 14. Iulii 1605.* vbi declarat, oppositam opinionem falsam, & quod in nullo vnquam casu possit reduci ad praxim. Quod autem absolutio esset data absenti, patet, quia commissarius non absoluit nomine proprio, & propria facultate, sed denũciat absolutionem factam ab alio.

4 Dices. Non habere locum in hoc casu decretum Clementis VIII. quia cessat finis ipsius. Ideo enim decreuit, non posse absenti impertiri absolutionem, quia fieri posset, quod quando impertitur, poenitens non esset dispositus ad illam recipiendam: & proinde irritaretur sacramentum. Secus autem, quando ei denunciatur à commissario præsenti, quia tunc constat de eius dispositione, & mandans habet intentionem, quod tunc ab-

absolutio sortiatur suum effectum. Contra. Ratio allata, quamuis vera sit, non est tamen principalis, sed quia à Christo institutum est sacramentum poenitentiæ per modum iudicij præsentiali modo exercendi, & proinde voluit pœnitentes sisti ante sacerdotes, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de poenit.* Et instituit confessionem secretam, seu ad aurem, vt habet *ibid. can.* 6. *de poenit.* Deinde non potest sacerdos, quando absoluit suspendere effectum absolutionis, vsqueque denuncietur poenitenti, & ideo deberet sortiri suum effectum, quando absolutio committitur denuncianda; tunc autem fieri potest, quod poenitens non sit dispositus.

5 Ex his sequitur, quod nequeat sacerdos committere alteri etiam in præsentia poenitentis, vt ipsum absoluat. Ratio est, quia actus ordinis est indelegabilis; cum enim per se, & ad sui validitatem requirat personam consecratam speciali modo, ita vt solum ratione consecrationis possit ab ipsa prouenire; & proinde non potest exerceri nomine alterius, quia non potest ipsi communicari facultas, sicut potest communicari quòad actus merè iurisdictionales, pro quibus sufficit pura iurisdictio. Vnde si mandatarius non sit sacerdos, nullo pacto poterit exercere actum absoluendi defectu consecrationis, seu ordinis. Si verò sit sacerdos poterit solum exercere nomine proprio, quia solum nomine proprio habet facultatem exercendi, nempe ordinem.

6 Obijcitur. Potest superior remittere ad inferiorem habentem casus reseruanos, vt suo nomine ab ipso absoluatur: ergo potest absolutio à peccatis committi alteri. Respon. disting. conseq. Potest absolutio à peccatis committi alteri, quòad ea, quæ sunt iurisdictionis, qualis est reseruatio: Non autem quòad ea, quæ sunt ordinis, qualis est absolutio sacramentalis. Cum enim superior possit tollere reseruationem, aut dare inferiori iurisdictionem quòad reseruata, eo ipso, quod ad ipsum remittit habentem casus reseruatos, censetur, aut tollere reseruationem, aut dare iurisdictionem inferiori. Hic autem actus potest exerceri etiam à non sacerdote, vt à Vicario Episcopi, qui non sit sacerdos. At actus, quo conficitur sacramentum poenitentiæ, qualis est absolutio, non potest alicui delegari.

7 Obijcitur 2. Potest quis contrahere matrimonium nomine alterius, ergo etiam absoluere. Resp. neg. conseq. Ideo enim quis potest committere alteri, vt nomine suo contrahat matrimonium, quia hoc sacramentum consistit in contractu, qui est eleuatus ad esse sacramentale, & proinde sequitur naturam contractus; potest autem quis contrahere nomine alterius. Deinde actus contrahendi matrimonium non est actus ordinis, sicut est absolutio sacramentalis, quia ita sit addictus personæ consecratæ, vt nequeat alteri committi.

De satisfactione imponenda poenitentibus constitutis in periculo, seu articulo mortis.

An sit imponenda satisfactio moribundo, qui amisit sensus. Quæst. 162.

S V M M A.

1 *Non imponenda satisfactio moribundo, qui sensus amisit, & cur.*
2 *Sacerdos tenetur imponere poenitenti satisfactionem.*
3 *An quando poenitens ita confessus est, vt teneatur amplius confiteri, si amittat sensus,*

2. Cur non sit satisfactio imponenda, si superuixerit.
3. Dimisso poenitente non potest confessarius amplius se ingerere.
4. Dimisso poenitente completur iudicium.
5. Quando sacramentum poenitentiæ exigat satisfactionem, vt partem integralem.
6. Quando per accidens iudicium censeatur completum absque aliqua parte.

1 Communiter conueniunt quod non sit imponenda. Ita Nauar. cap. 26. Manual. n. 20. Caiet. in sum. verbo. Satisfactio. Henriquez lib. 5. sum cap. 10. num. 6. Suarez disp. 33. de poenit. sect. 3. numer. 4. Reginal. lib. 7. numer. 11. Nugn. 3. par. quæst. 13. supplem. ar. 2. difficul. 1. ver. Ex dictis & quæst. 18. ar. 3. difficul. 1. Mercer. quæstion. 15 ar. 3. dub. 2. init. Præposit. quæst. 12. de satisfact. dub. 7. ver. Dico communiter. Bonac. disp. 5. de sacramen. quæst. 5. sect. 3. punc. 2. num. 2. init. Hurtad. disp. 14. de sacramen. poenit. difficul. 2. ver. Addidimus Coninch. disp. 10. de sacram. poenit. dub. 8. numer. 66. Facundez præcep. 2. Eccles. lib. 9. cap. 3. num. 9. Palaus par. 4. oper. moral. tract. 23. disp. vn. punc. 21. §. 2. n. 7. Martinon. disp. 51. de poenit. sect. 5. num. 43. Faustus lib. 5. de poenit. q. 3. ver. Dixi consulto. Ratio autem est, quia quando poenitens amisit sensus, & absoluitur solum in virtute alicuius signi, non est capax acceptandi satisfactionem. Deinde si superuixerit, tenetur iterum cõfiteri, vt ea peccata, à quibus tunc absoluitur, ea in specie subijciat clauibus, & tunc erit imponenda congrua satisfactio pro ipsis. Difficultas autem est, quando poenitens non tenetur amplius confiteri, quia nimirum confessus est in specie omnia, & singula peccata, quorum memoriam habeat, sed antequam satisfactio iniungatur amittit sensus, an si superuixerit, sit postea à confessario ipsi imponenda satisfactio.

2 Ratio autem dubitandi est. Quia satisfactio est pars integralis sacramenti, & sacerdos tanquam iudex tenetur eam imponere, vt declarat Concil. Tridenr. sess. 14. cap. 8. ergo si non potest illam imponere, quando absoluit, debet postea imponere, vt compleat iudicium sacramentale. Tenendum tamen est quod Confessarius non teneatur, imo nec possit amplius poenitenti satisfactionem imponere, si superuixerit.

3 Ratio autem est. Quia sacerdos functus est iam officio suo. ergo non potest amplius se ingerere. Conseq. prob. Non potest iudex se in gerere, vbi non habet iurisdictionem. Confessarius autem non habet in actu iurisdictionem supra poenitentes, sed solum in habitu, nisi quando ipsi se subijciant: & proinde quando confessarius dimittit poenitentem, expirat omnis iurisdictio ipsius quoad actum, nec amplius reuiuiscit, nisi de nouo poenitens se illi subijciat.

4 Dices Confessarium habere ius ad complendum sacramentum, & ideo adhuc durare iurisdictionem ipsius, sicut durat iurisdictio iudicis delegati, quousque compleatur causa, & iudicium. Verum hoc reijcitur; nam per id, quod sacerdos ferat sententiam absolutionis, & dimittat poenitentem, complet iudicium sacramentale, licet non imponat satisfactionem, ergo extinguitur omne ius ipsius ad se ingerendum in iudicio conscientiæ poenitentis; nam eo ipso, quod poenitens dimittitur, consumatur iudicium, & expirat iurisdictio confessarij.

5 Ad rationem dubitandi respon. Sacerdotem tanquam iudicem teneri imponere satisfactionem poenitenti secundum ipsius capacitatem. Vnde quando contingit non esse capacem, cessat obligatio imponendi, atque adeo etiam ius imponendi, & tunc sacramentum poenitentiæ non exigit hanc partem integralem defectu capacitatis in subiecto.

R 2 In

6 Instabis. Poenitens non censetur dimissus, nisi sit completum iudicium; & iudicium non censetur completum, nisi habeat omnes suas partes, ergo non censetur dimissus, nisi imposita poenitentia. Resp. Iudicium non censeri per se completum, nisi habeat omnes suas partes; censeri tamen completum quando habet omnes suas partes essentiales, licet per accidens non possit habere aliquam integralem, quia cum non sit per accidens hic, & nunc capax illius, non censetur illam exigere.

An quando non adest spes, quod moribundus possit implere satisfactionem, sit etiam imponenda. Quæst. 163.

SVMMA.

1 *Qui sentiant non imponendam satisfactionem moribundo, qui non potest eam implere.*
2 *Opposita sententia.*
3 *Moribundo imponenda tota satisfactio, quam potest implere.*
3 *Sacerdos imponens leuem satisfactionem pro grauibus peccatis, fit particeps ipsorum.*
4 *Moribundo imponenda satisfactio congrua implenda, si superuixerit, si tunc non possit.*
4 *Cur poenitenti imponenda satisfactio.*
5 *An impositio satisfactionis sit frustratoria, quando à moribundo impleri non potest.*
6 *Quid sacerdos considerare debeat in imponenda satisfactione moribundis.*
7 *An possit moribundo imponi pro satisfactione, vt patienter ferat infirmitatem.*
8 *An quando infirmus est lucraturus indulgentiam possit imponi leuis satisfactio.*

Prima sententia asserit, non esse imponendam. Ita Henriquez *lib. 5. sum. cap. 20. num. 6.* Suarez *disp. 38. de poenit. sect. 3. num. 4.* Nauar. *cap. 26. Manual. n. 20. in fine.* Caiet. *tom. 1. opuscul. quæst. 2. ar. 2.* Coninch *disp. 10. de poenit. dub. 8. numer. 63.* Reginal. *lib. 7. numer. 11.* Nugn. *3. par. quæst. 18. supplemen. ar. 3. difficul. 1.* Faustus *lib. 5. de poenit. quæstion. 35. ver. Dixi consultò.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 5. sect. 3. punc. 2. num. 2.* Addunt tamen, quod conueniens sit imponere aliquam leuem poenitentiam, vt tunsionem pectoris, inuocationem nominis Iesu, aut quid simile, vt sacramentum habeat suam partem integralem. Fundamentum huius sententiæ est: Quia cum poenitens non sit in statu, vt possit congruam satisfactionem implere, esset inutile illam imponere; nemo autem tenetur facere actum inutilem.

2 Secunda sentent. asserit, imponendam esse congruam satisfactionem, sed implendam, si conualuerit. Ita Alens. *par. 4. quæst. 83. memb. 5. in fine.* Medina *lib. 2. sum. cap. vlt.* Palud. *in 4. dist. 21. ar. 2. conclus. vlt.* Armilla *verbo.* Satisfactio. *num. 2.* Victoria *in sum. tit. de sacram. poenit. num. 323.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 8. num. 3.* Laiman *lib. 5. tra. 6. cap. 15. quæst. 2. circa fin.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 9. cap. 3. num. 9.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 23. disp. vn. punc. 21. §. 2. num. 7.* Hurtad. *disp. 14. de sacram. poenit. difficul. 2. ver. Addidimus.* Martinon *disp. 51. de poenit. sect. 5. num. 43.* Auersa *q. 13. de poenitent. sectio. 2. ver. Cessat planè.*

3 Dicendum est. Non posse confessarium imponere moribundo solam leuem satisfactionem, si maiorem requirant ipsa peccata, sed debere illam totam imponere, quàm implere potest. Prob. Satisfactio est imponenda cum proportione ad peccata, ita vt si sacerdos pro grauissimis peccatis leuia opera imponat, fiat particeps alienorum peccatorum, vt declarat Concil. Trident. *sess. 14. cap. 8. de poenit.* ergo

go si reperiat grauia peccata, & imponat solum leuem satisfactionem, peccabit, quia non erit proportionata peccatis.

4 Dicendum. 2. Si tota illa satisfactio, quam infirmus implere potest, non est proportionata peccatis, tenetur sacerdos imponere aliam satisfactionem implendam, si superuixerit. Desumitur ex cap. *Ab infirmis*. 26. q. 7. vbi dicitur, quod infirmus absolui debet cum leui poenitentia, postmodum si conualuerit impleturus eam, quam imponunt canones poenitentiales. Prob. Ex eo; quod tunc non possit implerre satisfactionem, non extinguitur obligatio satisfaciendi pro peccatis. ergo nec etiam obligatio sacerdotis imponendi satisfactionem. Anteced. patet. Quia, qui non satisfacit in hac uita, debet per satisfactionem supplere in alia, & quia qui contrahit debitum remanet semper obligatus, quousque soluat, aut ei fiat remissio. Sic qui non potest soluere, aut restituere quod debet, non per hoc liberatur, sed durat obligatio, ita vt debeat soluere, quando poterit. Conseq. prob. Ideo sacerdos tenetur imponere poenitenti satisfactionem; quia est minister Dei in iudicio sacramentali, in quo diuina iustitia exigit, vt non recociliemur Deo, nisi aliquo modo puniti per impositionem satisfactionis, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14 *cap.* 8. *de poenit.* Sed quandiu manet debitum satisfaciendi diuina iustitia exigit imponi satisfactionem, quia exigit ratione talis debiti. ergo tenetur imponere.

5 Ad fundamentum oppositæ sent. neg. sequel. Nam impositio debitæ satisfactionis, quamuis tunc impleri non possit, inseruit, vt seruetur debitus modus in iudicio sacramentali, & vt sacerdos satisfaciat propriæ obligationi, & vt poenitens ex ui iudicij sacramentalis remaneat obligatus ad satisfaciendum, atque adeo non est actus inutilis. Deinde inseruit etiam, vt poenitens ex vi iudicij sacramentalis satisfaciat Deo, si superuixerit, sicut tenetur satisfacere.

6 Ex dictis colligitur. Quod Confessarius considerare debeat, quicquid moribundus exequi possit de operibus satisfactorijs, & præsertim quoad eleemosinam, quando reperit irretitum esse grauibus peccatis, & imponere exequenda, antequam moriatur, ea, omnia, quæ exequi potest, vt quam maximè fieri potest satisfactio accedat ad congruitatem. Quod si tunc non possit eleemosinam erogare, poterit imponere, vt relinquat erogandam, quàm primum fieri poterit. Debet tamen in hoc prudenter procedere, quia vt ait Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. *de poenit.* Debent. *sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, poenitentiam facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere*. Cauere autem debet, ne ex qualitate, & quantitate satisfactionis subeat poenitens aliquod periculum amittendi bonam opinionem.

7 Secundò colligitur contra Nauar. *in cap. siquis autem, num.* 33. *de poenit. dist.* 7. Non expedire, quod pro satisfactione iniungatur poenitenti, quod patienter ferat infirmitatem, vt notant etiam Bonac. *disp.* 5. *de sacram. quæst.* 5. *sect.* 3. *punc.* 2. *in fine.* Faust. *lib.* 5. *de poenit. quæst.* 35. ver. *Dixi consultò in fine*. Nam facilè infirmus existimabit, se non ferre infirmitatem cum illa patientia, quæ est necessaria, & proinde inquietabitur eius conscientia, & erit ipsi occasio tentationis, quæ omnia fugienda sunt præsertim in moribundo. Poterit tamen Confessarius iniungere moribundo, vt in satisfactionem offerat Deo omnes illas poenas, quas suffert, & inposterum sufferet, vt notant Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 17. *numer.* 2. Suarez *disp.* 38. *de poenit. sect.* 10. *numer.* 10. & *disp.* 38. *de poenit. numer.* 7. Faust. *lib.* 5. *de poenit. quæst.* 40. *in fine*.

8 Tertio colligitur. Posse sacerdo

dotem leuissimam poenitentiam, aut etiam nullam imponere moribundo, quando quocunque modo est lucraturas plenariam indulgentiam, vt notant Viual. *in Candel.* Tit. *de satisfac. numer.* 26. Sà *verbo.* Satisfactio. *num.* 2. Hurtad. *disp.* 14. *de poenit. difficul.* 2. ver. *Tertiò.* Tolet. *lib.* 6. *capit.* 23. Auersa *quæst.* 13. *de poenit. sect.* 2. ver. *Excipiunt etiam.* Faust. *lib.* 5. *de poenit quæst.* 40. ver. *Tertia.* Ratio est; quia sacramentum poenitentiæ non exigit satisfactionem imponi, nisi quatenus adest debitum soluendi poenas, atque adeo exigit debitam solutionem fieri, & extingui debitum, ergo si alio modo potest hoc debitũ extingui, cessat in sacramẽto exigentia satisfactionis. Huiusmodi autem debitum extinguitur per indulgentiam plenariam. Quia tamen sacerdos tanquam minister Christi debet curare, vt satisfiat iustitiæ diuinæ quòad debitum poenarum, ideo vt illud extinguatur, debet obligare poenitentem ad suscipiendam indulgentiàm. Atque adeo hoc pacto sacramentum habebit suam partem integralem satisfactionis, quia obligabitur poenitens ad illud opus, quod pro lucranda indulgentia iniungitur, quod coniunctum cum satisfactione Christi satisfacit Deo pro peccatis. Hoc autem debet intelligi supposito, quod Confessarius prudenter iudicet, poenitentem, si superuixerit, non indigere punitione, seu vindicta; quia cum satisfactio debeat imponi, vt habet Tridentinum. *sess.* 14. *cap.* 8. *de poenit.* in vindictam peccatorum, tunc debebit imponere satisfactionem vindicatiuam iuxta qualitatem peccatorum.

An si Confessarius reperiat moribundum non impleuisse satisfactionem iniunctam in priori confessione, imo illius oblitum, debeat obligare ad repetendam confessionem. Quæst. 164.

SUMMA

1 *Qui sentiant esse repetendam confessionem.*
2 *Opposita sententia.*
3 *Poenitens culpabiliter oblitus satisfactionis sibi impositæ non tenetur repetere confessionem.*
3 *Effectus sacramenti poenitentiæ independens à satisfactione.*
3 *Peccata semel ritè subiecta clauibus non sunt amplius confitenda.*
4 *Obligatio subiciendi peccata clauibus non est in ordine ad suscipiendam poenitentiam.*
4 *Sublato antecedenti corruit consequens.*
5 *Qui fit culpabiliter impotens ad seruandum præceptum, non peccat non seruando.*
6 *Si poenitens obliuiscatur poenitentiæ iniunctæ non potest amplius facere sacramentum integrum.*
7 *An poenitens oblitus satisfactionis iniunctæ teneatur adire confessarium.*
8 *An sacerdos possit de nouo imponere satisfactionem poenitenti, qui illius oblitus est.*
8 *Quid si confessarius obliuiscatur imponere satisfactionem.*

1 PRima sententia asserit, in tali casu poenitentem obligari ad repetendam confessionem. Ita *Richar. in* 4. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 8. *ad* 4. D. Antonin. *part.* 3. *tit.* 14. *cap.* 19. §. 19. Angelus *verbo.* Confessio. 1. *num.* 13. Syluester *num.* 6. qui tamen excipit casum, quando poenitens absque culpa obliuiscitur. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. quæst.* 5. *sect.* 3. *pun.* 3.

3. *num*. 9. ver. *Ego vero*. Fundamentum est, quia pœnitens tenetur curare, quantum potest, vt sacramentum sit integrum; non est autem integrum, si satisfactio non impleatur. Rursus non potest impleri, nisi de nouo imponatur, nec potest de nouo impleri, nisi de nouo explicentur peccata.

2 Secunda sententia tenet, non obligari pœnitentem repetere confessionem, etiam si culpabiliter oblitus sit satisfactionis sibi iniunctæ. Ita D. Th. *Quodlib*. 1. *art*. 12. Caiet. *in sum. verbo*. Confessionis iteratio. *ver*. *Ex satisfactionis*. Nauar. *in Manuali capit*. 9. *num* 17. Sotus *in* 4. *dist*. 20. *quæst*. 1. *art*. 2. *ad* 3. Petrus Soto. *lect*. 2. *de satisfact*. Io. Medina C. *de poenit. quæst*. 44. §. *sequitur ex dictis*. Vasquez 3. *par. quæst*. 94. *artic*. 2. *dub*. 4. Suarez. *disp*. 22. *de poenit. sect*. 7. *num*. 5. Maior *in* 4. *dist*. 17. *quæst*. 6. *dub. vlt*. Victor. *de sacram. num* 167. Hurtad. *disp*. 14. *de poenit. difficul*. 11. Coninch *disp*. 10. *dub*. 9. *num*. 86. Chellison. *3. par. quæst*. 2. *de satisfact. sacram. dub*. 4.

3 Dicendum est. Quamuis pœnitens obliuiscatur, etiam culpabiliter, satisfactionis sibi impositæ, non tenetur repetere confessionem; & proinde moribundus non est ad id obligandus. Prob. Sacramentum pœnitentiæ independenter à satisfactione sortitur suum effectum remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo: ergo qui obliuiscitur pœnitentiæ sibi iniunctæ, non tenetur rursus confiteri eadem peccata prius ritè confessa ex eo præcise, quod sit oblitus iniunctæ satisfactionis. Anteced. patet. Quia satisfactio est pars integralis, ita vt sine ipsa subsistat substantia sacramenti: & antequam inpleatur, sacramentum remittat peccata. Conseq. prob. Quia remissis peccatis directè per absolutionem iudicialem sacerdotis, extinguitur omnino obligatio confitendi, cum adsit solum in ordine ad obtinendam remissionem iudicialem à sacerdote; extincta autem obligatione per adimpletionem præcepti, non potest amplius reuiuiscere. Confir. Ex eo, quod non impleatur satisfactio, non reuiuiscunt peccata, pro quibus est imposita. ergo neque etiam obligatio ea de nouo confitendi, quia peccata, quæ semel sunt ritè subiecta clauibus, non sunt amplius ex obligatione subiicienda; quia solum tenemur illa peccata subiicere, quibus grauatur conscientia: peccatis autem remissis non amplius grauatur.

4 Dices. Licet non adsit obligatio subiiciendi peccata in ordine ad obtinendam remissionem ipsorum, adesse tamen in ordine ad suscipiendam congruam satisfactionem pro ipsis à sacerdote. Contra. Tota obligatio confitendi peccata est solum in ordine ad remissionem, aliàs si esset etiam in ordine ad suscipiendã congruam satisfactinem imponendam à secerdote, esset peniteus obligatus ea de nouo subiicere clauibus, quando sacerdos imponet leuem satisfactionem pro grauibus peccatis, cum teneatur imponere proportionatam peccatis, vt declarat Concil. Trident. *sess*. 14. *c*. 8. *de poenit*. quod tamen est falsum. Deinde obligatio suscipiendi satisfactionẽ à poenitente est solum in consequentiam ad absolutionem, & remissionem, quæ obtinetur. ergo si cessat obligatio subiiciendi clauibus peccata in ordine ad remissionem; cessat etiam in ordine ad suscipiendam congruam satisfactionem. Quia sublato antecedenti corruit etiam consequens. *l*. 1. §. *Huius rei*. *ff. de offic. eius*. & *l. Vetere*. *ff. de it. act. priu*. vt notant Crau. *consil*. 231. *n*. 2. Monach. *decis. florent*. 29. *numer*. 16. Tusch. *littera G. conclus*. 757. *num*. 66. Mantic. *decis*. 15. *numer*. 5. & declarat Euerar. *Loco*. 96.

5 Confir. Est opinio aliquorum ab aliis autẽ reiecta propter quãplurimas absurdissimas, causas inde deductas, quando quis violat aliquod præceptum, & fit impotens etiam culpabiliter ad illud postea implendum, quãuis peccet, dum culpabiliter fit impo-

potens, stante tamen impotentia non tenetur amplius illud seruare: nec aliquid facere, quo se reddat potentem, sic qui se reddit impotentem ad ieiunandum in quadragesima, non peccat non ieiunando. ergo ea supposita sententia, qui oblitus est satisfactionis sibi iniunctæ, non peccat, si illam non impleat, nec tenetur aliquid facere, quo fiat potens. Conseq. prob. Satisfactio iniuncta obligat per modum præcepti, & qui obliuiscitur, fit impotens ad illam adimplendam; sicut fit impotens ad præceptum implendum, qui solum recordatur se obligari, non recordatur tamen ad quod obligetur.

6 Ad fundamentum oppositæ sentent. respondet. Poenitentem debere curare, quod sacramentum sit integrum adimplendo satisfactionem iniunctam, quantum potest. At quando est oblitus poenitentiæ iniunctæ non potest facere, quod sit integrum, quia etiam si de nouo confiteatur eadem peccata, pro quibus congrua satisfactio imponatur, adhuc remanebit non integrum eodem modo, ac erat prius; nam illa satisfactio non erit pars integralis illius sacramenti, sed illius, qui de nouo conficitur, & proinde est impossibile, quod prius sacramentum integretur, nisi reuiuiscat memoria satisfactionis oblitæ.

7 Ex dictis colligitur. Poenitentem, qui obliuiscitur satisfactionis sibi iniunctæ paulò post confessionem teneri adire confessarium, si absque graui incommodo possit, vt ab ipso resciat, quam satisfactionem sibi iniunxerit; si forte recordetur, vt docent Caietan. *verbo.* Confessio iteranda §. *Ex satisfactionis*. Sotus *in 4. dist. 20. quæstion. 2. art. 2. ad 3* Medina C. *de poenit. tract. 2. quæst. 44. §. Sequitur ex dictis* Nauar. *capit. 9. Manual. numer.* 17. Coninch *de sacram. disp.* 10. *de satisfact. dub. 9. num.* 86. Quia cum obligetur eam adimplere, debet iurare scire, quid sibi præstandum sit: est enim generale cuicunque oneri, vt obliget ad sciendum, quid præstandum sit.

8 Colligitur. 2. cum Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 15. *num.* 12. Auersa *quæstion. 13. de poenit. sect. 6. ver. Quinto.* Non posse de nouo Confessarium imponere satisfactionem ei qui illius iam oblitus est, quia cum sit completum iudicium sacramentale, non potest exercere aliquem actum iudicialem, imo nec exercere actum iudicialem, nam fieret extra sacramentum, cum non administretur de nouo: vnde nec etiam esset actus sacramentalis. Si tamen confessarius paulò post recordetur, se non imposuisse poenitenti satisfactionem poterit imponere, dummodo non sit elapsum tantum tempus, vt non pertineat amplius ille actus ad idem sacramentum. Nec obstat, quod poenitens sit dimissus, quia non censetur formaliter dimissus, nisi completo iudicio, quod non est completum, quousque non sit imposita satisfactio, quando imponi potest.

De ministro sacramenti poenitentiæ quoad constitutos in periculo, & articulo mortis.

An laicus possit esse minister confessionis in articulo morti.

Quæst. 165.

S V M M A.

1 *In articulo mortis non est confitendum laico non habita copia sacerdotis.*
2 *Solus sacerdos minister sacramenti poenitentiæ.*
2 *Quid confessio sacramentalis.*
3 *Confessio peccatorum facta laico quando licita.*

An

4 *An licita confessio peccatorum in articulo mortis apud laicum.*
5 *Licita est apud laicum confessio peccatorum publicorum, & quid de secretis.*
6 *Consuetudo nauigantium confitendi sibi inuicem peccata in periculo extirpanda.*
7 *Locus D. Iacobi, Confitemini alterutrum &c. quomodo accipiendus.*
8 *Verus sensus Bullæ Martinij V.*
9 *Qualis fuerit confessio moribundi facta Diacono in absentia sacerdotis.*

---

1 IN articulo mortis, si non possit haberi copia sacerdotis, esse confitendum laico, tradunt Magister *in 4. dist. 17. capit. 5.* Glos. *in cap. fures. de furti*. Panorm. *ibid.* Sed supponendum est tanquam certum, Non esse confitẽdum laico in articulo mortis, etiam si non adsit sacerdos, vt tradunt. D. Bonauen. *in 4. dist. 17. par. 3. ar. 1. quæst. 1.* Durand. *quæst. 11.* Gabr. *quæst. 2 ar. 3. dub. 7.* Palud. *quæst. 1. ar. 1.* Scot. *quæst. 1. §. de tertio art.* ver. *Si verò quæras.* Marsil. *q. 10.* Sotus *dist. 18. quæst. 4. ar. 1.* Medina C. *de confess. quæst. cui debeat fieri confessio.* Petrus Sotus *lect. 5. de confess.* Syluester *verbo.* Confessor. *1. quæst. 1.* Angelus *verbo.* Confessio *3. num. 1.* Vasquez *3. par. quæst. 93. ar. 1. dub. 1.* Nugn. *quæstion. 8. supplemen. artic. 2.* Chellison. Syluius Du Fai *ibid.* Coninch. *disp. 8. de poenit. dub. 1. num. 6.* Suarez *disp. 24. de poenit. sect. 1. numer. 12.* Hurtad. *disp. 10. de poenit. difficul. ad 1.* Præposit. *3. par. quæst. 7. de minist. sacram. poenit. dub 1.* Putean. *par. 2. quæst. 3. de minis. dub. 1.* Reginal. *li. 1. praxis. num. 6.* Filliuc. *tr. 7. par. 7. numer. 182.* Sayr. *de poenit. cap. 24. num. 1. & 2.* Onuphr. *de sigil. confes. sect. 3. quæst. vn. dub. 5.* ver. *Prima conclusio.* Bonac. *disp. 5. de sacrament. quæstion. 7. punc. 1. numer. 2.*

2 Ratio autem est. Quia est de fide, quod solus sacerdos sit minister sacramenti pœnitentiæ, vt definit Concil. Trident. *sess. 14 can. 10.* ergo non est confitendum alter, quàm sacerdoti, cum confessio sit in ordine ad sacramentalem absolutionem, quæ à solo sacerdote imperriri potest. Confir. Confessio est accusatio, qua confitens se accusat coram audiente, & se constituit tanquam reum implorantem misericordiam, & reconciliationem cum Deo mediante remissione peccatorum. ergo non potest institui, nisi apud eum, qui potest esse iudex in tribunali conscientiæ, & reconciliare Deo. Solus autem sacerdos habet facultatem iudicandi conscientias, vt declarat idem Concil. Trident. *cit. sess. cap. 7.* Solum autem difficultas est, an talis confessio sit licita, non in ordine ad obtinendam absolutionem peccatorum, sed ad aliquem alium finem.

3 Conueniunt autem omnes, quod sit licita, quando fit alicui prudenti viro in ordine ad capiendum cõsilium, vt liberetur à peccato, & prouideat circa ea, ad quæ ex conscientia tenetur. Ita Nauar. *cap. 1. num. 72. de poenit. dist. 1.* Suarez *disp. 24. de poenit. sect. 1. num. 2.* Coninch *de sacramen. disp. 8. de minis. poenit. dub. 6. num. 6. §. Imo Sotus.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 1. numer. 7.* & alii. Et ratio est, quia tunc honestatur à fine, qui facit, quod moraliter sit necessaria, vt consulatur conscientiæ.

4 Extra autem hunc casum Doctores *citati*, volunt melius esse corde confiteri soli Deo. Scotus autem *in 4. dist. 17. ar. 3.* Sotus *dist. 18 quæst. 4. ar. 1.* dubitans, an sit licita, & volunt, non esse consulendam. At esse licitam tradunt Alens. *par. 4. quæst. 78. memb. 1. ar. 1.* D. Bonau. *in 4. dist. 17. par. 3. artic. 1. quæst. 1.* Palud. *quæstion. 1. artic. 1.* D. Antonin. *3. part. tit. 24. capit. 15.* Armilla *verbo.* Absolutio. *num. 14.*

5 Verum in hac difficultate distinguendum est, Si enim loquamur de

Pasqualig. Ss con-

confessione peccatorum, quæ publica sunt, hæc procul dubio erit licita, quia, si fiat, debito modo, continebit semper exercitium humilitatis, præsertim cum etiam publicè fieri possit in vindictam propriorum peccatorum, & in ædificationem Ecclesiæ, vt declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* Vnde etiam in veteri Ecclesia solebant, qui publicam poenitentiam agebant, peccata sua publicè confiteri. At si loquamur de peccatis secretis, existimo ex obiecto non esse licitam, quia, nisi interueniat aliqua causa rationabilis, quæ honestet actionem, & varier obiectum, est prodigere propriam bonam opinionem. Quare valde cautè in hoc procedendum est, nam contingere potest, quod etiam existente rationabili causa, non sit licitum, vel quia causaturum sit aliquod scandalum; vel quia inde periculum aliquod immineat, præsertim quando peccatum concerneret alienum interesse.

6 Ex dictis colligitur cum Facundez *præcep.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 1. *n.*8. Esse abusum extirpandum consuetudinem nauigantium, quando constituti in periculo naufragii deficiente sacerdote, sibi inuicem peccata confitentur. Nam talis confessio ad nihil deseruit, & potest esse occasio alicuius mali, præsertim si euadant naufragium, & prorsus in illa confessione prodigitur propria bona opinio; atque adeo vitiosa est, & fieri potest, quod quis ex malitia inducat ad talem confessionem, vt deueniat in cognitionem alienorum peccatorum.

7. Dices Ex Epist. D. Iacobi. *cap.* 5. habetur. *Confitemini alterutrum peccata vestra*. ergo possunt homines sibi inuicem confiteri peccata. Resp. neg. Conseq. Quia verba D. Iacobi accipienda sunt in sensu accommodo, vt nimirum sensus sit, Fiat confessio peccatorum inter vos, ita vt quisque peccata propria alteri, cui confitendum est, & qui potest absoluere, aperiat. Vsus est autem voce, *Alterutrum*, vt significaret, quod etiam ii, qui deputati sunt ad audiendas cõfessiones, ipsi quoque debeant alteri confiteri, & quod obligatio confitendi est vniuersalis, ita vt non solum afficiat eos, qui non sunt ministri sacramenti poenitentiæ, sed etiam ipsos ministros, quia ita debent aliorum confessiones audire, vt etiam debeant ipsi aliis confiteri.

8 Instabis. In Bulla Martini V. in qua damnantur hæreses Vniclefi, & Io. Huss. statuitur, suspectos de illa hæresi esse interrogandos, Vtrum credant, quod Christianus vltra contritionem cordis habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti ile necessitate salutis confiteri teneatur, & non alteri, nec laicis quantumcunque bonis, & deuotis. ergo à contrario sensu licebit laicis confiteri non habita copia sacerdotis. Resp. neg. consequ. Nam contrarius sensus est, quod vltra contritionem cordis, non habita copia confessarii, seu sacerdotis, non teneantur confiteri. Interrogatio enim continet duas partes, quarum prima est, an credant, quod habita copia sacerdotis idonei non sufficiat contritio; sed necessaria sit etiam confessio. Secunda verò, an credant, quod soli sacerdoti debeat fieri confessio, & non laicis. clausula autem *Habita copia confessarii*, refertur ad primam partem; non ad secundam.

9 Dices 2. D. Cyprian. *lib.* 3. *Epist.* 17. dicit, quod moribundus in absentia sacerdotis debet confiteri Diacono, & ab eo reconciliationem accipere. ergo. Resp. D. Cyprianum loqui de poenitentibus publicis, qui tempore mortis reconciliabantur. Ecclesiæ per Diaconum in defectu sacerdotis, & proinde loquitur de reconciliatione ceremoniali, & per quam admittebantur ad participationem sacramentorum: atque adeo loquitur de confessione publica, quia tales poenitentes publicè confitebantur peccata publica.

An,

An, & quomodo quilibet sacerdos sit sufficiens minister sacramenti poenitentiæ pro constitutis in articulo mortis. Quæst. 166.

S V M M A.

1 *Quilibet sacerdos sufficiens minister sacramenti poenitentiæ in articulo mortis.*
2 *Extra mortis articulum non quilibet sacerdos potest ministrare poenitentiæ sacramentum.*
2 *Ministratio sacramenti poenitentiæ est actus iurisdictionis.*
3 *De iure diuino quilibet sacerdos absoluit in articulo mortis, secundum aliquos.*
4 *Secundum alios de iure Ecclesiastico.*
5 *Sacerdos non habet subditos de iure diuino, in quos exerceat potestatem absoluendi.*
6 *Quomodo constitutus in articulo mortis subdatur cuilibet sacerdoti in ordine ad absolutionem.*
7 *Explicatur D. Augustinus.*
8 *Potestas absoluendi in articulo mortis conuenit simplici sacerdoti ex delegatione.*
8 *Prælati inferiores pontifice non possunt aliquid innouare circa potestatem absoluendi in articulo mortis.*
9 *An possit reuocari à Summo Pontifice.*
9 *Non potest quælibet potestas egredi terminos rationis.*
9 *Actus, qui non est secundum rationem, non est actus potestatis.*
10 *Reuocatio delegatæ potestatis cuiuslibet sacerdotis pro articulo mortis non est actus potestatis.*
10 *Potestas Summi Pontificis est in ædificationem, non in destructionem.*

1 Est singulare priuilegium eorum, qui sunt constituti in articulo mortis, vt possint suscipere sacramentum poenitentiæ à quocunque sacerdote, & absolui ab omnibus reseruatis, vt desumitur ex cap. De his. 26. *quæst.* ... & cap. *Si quis suadente.* 17. *quæst.* 4. & cap. *Pastoralis.* §. *Præterea. de offic. ordinar.* & cap. *Fin. de sepulturis.* & cap. *Fures. de furtis.* & cap. *Non dubium.* & cap. *Ea noscitur. de sentent. excommunicat.* & cap. *Eos, qui. de sentent. excom. in* 6. & ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* vbi hoc luculenter declarat: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possint.* Difficultas autem est, an hoc eis competat de iure diuino, an verò de iure Ecclesiastico.

2 Est autem supponendum, tanquam certum de fide, non omnem sacerdotem esse sufficientem ministrũ sacramenti poenitentiæ extra mortis articulum; vt definit Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* Ratio autem est, quia sacramentum poenitentiæ est institutum per modum iudicii, & confessarii instituti sunt iudices à Christo, vt in peccatores proferant sententiam, vel absolutionis, vel retentionis, vt declarat idem Concilium *eadem sess. capit.* 5. ergo requiritur iurisdictio, & subiectio poenitentis, quia sententia non potest proferri in non subditum. Neq; qui est subditus vni in ordine ad ea, quæ spectant ad salutem animæ, potest voluntariè se alteri subiicere, cum hoc sit in præiudicium proprij pastoris, qui secundum institutionem Christi præest hominibus quoad regimen animarum. Hinc Concil. Trident. *cit. cap.* 7. Quoniam *igitur natura, & ratio iudicii illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse, Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert,*

in quem ordinariam, aut delegatam non habet iurisdictionem.

3 Prima sententia asserit, Quemlibet sacerdotē esse ex iure diuino sufficientem ministrum sacramenti poenitentiæ. Ita Duran. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. *ad* 4. Capr. *quæst.* 1. *artic.* 3. *ad* 4. *contra* 3. *conclus.* Palud. *dist.* 20. *quæst.* 1. *ar.* 2. *init.* Ruar, *ar.* 3. *contra Luther.* Canus *Relect. de poenit. par.* 5. §. *Ad* 2. *argumen.* Armilla. *verbo.* Absolutio. *num.* 13. Syluester *verbo.* Confessio. 2. *n.* 2. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 170. Marchan. *in Tribun. sacramen. tom.* 1. *tract.* 2. *tit.* 1. *quæstion.* 3. *conclus.* 5. Fundamentum est, quia talis potestas est ex perpetua traditione Ecclesiæ. Talis autem traditio est signum iuris diuini, vt desumitur ex D. August. *lib.* 4. *de Baptis. capit.* 24.

4 Secunda sententia docet. De iure Ecclesiastico quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum pro articulo mortis. Ita D. Th. *in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 1. *ar.* 3. & *dist.* 20. *quæst.* 1. *artic.* 1. *quæstion.* 2. D. Bonauen. *dist.* 19. *ar.* 3. *quæst.* 1. Maior. *quæstion.* 1. Almain. *quæst.* 1. Sotus *dist.* 18. *quæst.* 4. *ar.* 4. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 21. *ar.* 6. & *quæst.* 22. *ar.* 1. Medina C. *de confes. quæst.* 33. Petrus Sotus *lect.* 5. *de confes.* Victor. *in sum. numer.* 156. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 4. *com* *sa* 7. Turrecrem *lib.* 1. *sum. capit.* 98. Couarru. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 6. *num.* 8. Suarez *disp.* 26. *de poenit. sect.* 4. *num.* 7. Viguer. *cap.* 6. *instit. theol.* §. 6. *ver.* 11. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 11. *numer.* 2. Suarez *disp.* 26. *de poenit. sect.* 4. *numer.* 7. Ochagauia *de sacram. tracta.* 2. *de poenit. quæst.* 35. *num.* 3. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 26. Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *ar.* 1. *dub.* 3. Chellison. *quæst.* 8. *supplem. ar.* 6. Nugn. *dub.* 1. *conclus.* 2. Putean. *par.* 2. *de confes. quæst.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 2. Præposit. *quæst.* 7. *de confes. dub.* 5. *num.* 39. Mercen. *quæst.* 8. *supplemen. ar.* 4. *dub.* 1. *obiect.* 5. Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscient. quæst.* 5. *de poenit. dub.* 10. *conclus.* 1. Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 14. *de poenit. sacram. dub.* 2. Faustus *lib.* 6. *de poenit. quæst.* 38. ver. *Sed vera.* Du Fai *de poenit. quæst.* 8. *supplem. artic.* 6. *disp.* 1. Hurtad. *disp.* 10. *de sacram. poenit. difficul.* 7. Caspens. *par.* 2. *curs. theol. tract.* 24. *de poenit. disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 21. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 222. Alter. *lib.* 1. *de censur. disp.* 6. *cap.* 6. *circa finem.* Duard. *in Bul. coenæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 4. *num.* 3. Bossius *moral. discep.* 2. *dub.* 6. *num.* 52. Coninch. *disp.* 8. *de poenit. dub.* 2. Becan. 3. *par. cap.* 38. *de poenit. quæst.* 4. Auerla. *quæst.* 16. *de poenit. sect.* 3. ver. *Hanc totam.* Reginal. *lib.* 1. *num.* 56. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *punc.* 3. ver. *Excipimus.* Sayr. *de poenit. cap.* 24. *num.* 3. Bonac. *disp.* 5. *de sacramen. quæst.* 7. *punc.* 1. *numer.* 9.

5 Et hæc secunda sententia absolutè tenenda est, quæ habet etiam fundamentum in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* dum ait. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, &c.* Si enim semper fuit custoditum, fuit semper continua obseruantia, & in vigore huius obseruantiæ, quæ facit ius, adest talis potestas pro articulo mortis in omnibus sacerdotibus. Ratio autem est. Quia simplex sacerdos non habet facultatem exercendi potestatem absoluendi ratione alicuius officij, cui de iure diuino annexa sit, nec ratione suæ ordinationis, quia licet in ordinatione accipiat potestatem absoluendi, non tamen ex vi illius habet subditos, in quos possit iurisdictionali modo hanc facultatem exercere. ergo non habet ex iure diuino, sed tantum ex iure Ecclesiastico. Conseq. prob. Ad exercendam facultatem absoluendi requiritur, quod is, in quem exerceetur, sit subditus sacerdoti exercenti: vt declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 7. *de poenit.* vt dictum est supra *num.* 2. Ex vi autem ordinationis sacerdos non acquirit aliquem

quem subditum.

6 Nec dici potest, quod constitutus in articulo mortis de iure diuino subiiciatur pro tali casu cuicunque sacerdoti. Nam non potest subiici ratione officii, quia hoc tribuit iurisdictionem ordinariam; nec constat, quodnam officium concessum sit simplici sacerdoti, quod habeat annexam iurisdictionem. Nec subiicitur ratione delegationis, quia non constat de hac speciali delegatione, & ideo absque vllo fundamento introduceretur.

7 Ad fundamentum autem oppositæ sentent. neg. min. Neque desumitur ex D. August. quia *loco citato* solum habet, quod id, quod habetur ex perpetua traditione Eccles. proueniat ab Apostolis: nam ita habet. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur*. Quod autem est Apostolica auctoritate traditum, non est de iure diuino. Nec obstat, quod D. August. præmiserit. *Et si quisquam auctoritatem diuinam quærat*: nam curat diuinam auctoritatem Apostolorum, quia erat auctoritas delegata à Christo, quatenus, qui procedit auctoritate delegata dicitur procedere auctoritate delegantis. *l.* 1. §. *Qui mandatum ff. de offic. eius, cui man. est iuris*.

8 Ex dictis colligitur. Facultatem, quam habent singuli sacerdotes absoluendi in articulo mortis, esse delegatam, vt notant Doctores pro secunda opinione adducti præsertim Suarez *disp.* 29. *de poenit. sect.* 4. *numer.* 8. Constat enim, non posse esse ordinariam, cum non conueniat ratione officii, seu curæ animarum; atque fit tantum ad illum vnicum actum. Delegatio autem est facta ab Vniuersali Ecclesia, vt in illo periculo amittendæ salutis æternæ assisteret omnibus, quantum fieri posset, & redderet remedium absolutionis facile, & promptum, quantum sacramenti institutio patitur. Hæc autem delegatio incœpit ab initio Ecclesiæ, & inducta fuit per subsequutam obseruantiam cum consensu Apostolorum, vt indicat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* dum air, quod semper in Ecclesia Dei custoditum fuit, & postea fuit in ius reducta, vt constat ex dictis *num.* 1. Et proinde Prælati inferiores Pontifice non possunt circa ipsam aliquid innouare, Clemen. *Ne Romani*. *De elect.* & notant in simili Barbat. *Consil.* 1. *nu.* 1. Oldrad. *Consi.* 159. *num.* 6. Feder. *de Senis Consil.* 12. *num.* 2. Tusch. *litt. l. conclus.* 119. *num.* 16.

9 Colligitur 2. Hanc delegationem neque à summo Pontifice posse reuocari. Imo contra Sotum *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. ver. *Distinguitur consequens*. Bonac. *disp.* 1. *de censur. in Bul. coenæ quæst.* 22. *punc.* 2. *num.* 13. Duar. *lib.* 3. *in Bul. coenæ* §. 2. *quæst.* 4. *num.* 3. Facundez *præcep.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 16. neque de potentia absoluta posse reuocari; & si reuocaret, irritam fore reuocationem. Ratio autem est, quia licet summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis Cap. *Ad honorem De vsu pallii*, hæc plenitudo tamen potestatis est intra terminos rationis, extra quos non potest se extendere; cum omnis potestas non egrediatur spheram rationis, nec sit potestas, nisi sit rationabilis, & iusta *l.* 2. *ff. de vsufr. ear. rer. qua vsu consum.* & *l. penul. ff. de furtis*, & *l. Reprehendenda C. de instit. & subst.* & Cap. *funt quidam* 25. *quæst.* 1. Vnde actus, qui non est secundum rationem, non est actus potestatis, & proinde defectu potestatis, quæ non se extendit ad ipsum, est nullus, immo in ipso non adhibetur plenitudo potestatis, sed tempestatis, vt loquuntur Bald. *Consil.* 453. ver. *Dicitur autem*. Roland. *Consil.* 7. *num.* 13. *lib.* 3. Rimlnal. iun. *Consil.* 5. *num.* 229. Probus *in Cap.* 1. *num.* 1. *Ne sede vacante, in* 6.

10 Reuocatio autem delegationis prædictæ non esset intra terminos rationis, cum sit contra ipsam, tollere remedium salutis à moribundis; & esset contra charitatem, qua summus Pon-

Pontifex tenetur proprias oues amare; & ideo non esset actus potestatis, quam habet, & consequenter esset nullus, nec aliquem sortiretur effectus. Præsertim quia potestas summi Pontificis est in ædificationem, non in destructionem 1. *ad Corinth.* 10. & ad pascendum gregem, & non ad dissipandum: vnde Christus dixit Petro Io. 21. *Pasce oues meas.* Reuocatio autem dictæ delegationis esset in destructionem, & in dissipationem, quia esset contra id, quod præstare debet summus Pastor ratione muneris, nempe perducere oues ad salutem æternam. Cum ergo reuocatio huius delegationis sit contra rationem, & contineat grauem errorem circa administrationem Ecclesiæ, tenendum est, quod numquam ab aliquo Pontifice reuocanda sit. Quia Spiritus Sanctus assistens summo Pontifici in regimine Ecclesiæ, nunquam permittet, quod reuocetur.

An sacerdos canonicè impeditus sit sufficiens minister sacramenti pœnitentiæ pro articulo mortis.

Quæst. 167.

S. V. M. M. A.

1 *Qui sentiant excommunicatum non toleratum non posse absoluere in articulo mortis.*

2 *Schismatici, & hæretici secundum aliquos non absoluere in articulo mortis.*

3 *Omnis sacerdos siue schismaticus, siue hæreticus, &c. potest absoluere in articulo mortis.*

4 *Ecclesia restrinxit impedimenta in ordine ad sacramentum pœnitentiæ, vt non sint pro articulo mortis.*

4 *Vbi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere.*

4 *Si Concilium Trident. voluisset aliquem excipere, excepisset.*

4 *Qui omne dicit, nihil excludit.*

4 *Dictio, Omne includit, quæ alias non includerentur.*

5 *In interpretatione legis attenditur naturalis significatio verborum.*

6 *Ius canonicum non contrariatur iuri naturali, & ideo non impedit, quin impediti possint absoluere in articulo mortis.*

7 *Quomodo excommunicatio tollat iurisdictionem.*

7 *Vna lex per aliam restringitur.*

8. *Fides non est fundamentum spiritualis iurisdictionis.*

8 *Hæreticus non fit extra ordinem hierarchicum.*

1 SAcerdotes impediti canonicè ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ sunt diuersi generis iuxta diuersa impedimenta; nam possunt impediri ratione suspensionis, & excommunicationis, ratione hæresis, aut degradationis aut quia sint Schismatici, aut alio canonico modo. Quod autem excommunicatus non toleratus non sit sufficiens minister tradunt Medina C. *de confes. quæst.* 32. Couaruu. *in Cap. Alma mater. par.* 2. §. 6. *num.* 8. Marsil. *in* 4. *quæst.* 12. *art.* 2. *par.* 4. *conclus.* 2. Siquidem excommunicatio tollit iurisdictionem: sublata autem iurisdictione non potest esse minister.

2 Secunda sententia tenet, quod schismatici, & hæretici non sint sufficientes ministri, Ita præter modo citatos tenet D. Th. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. *& dist.* 19. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. Sotus *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. Nauar. *Cap.* 26. *Manual. numer.* 16. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 21. *art.* 6. *circa fin. & quæst.* 22. *artic.* 1. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 24. Graf. *par.* 1. *lib.* 1. *decis. cap.* 13. *numer.* 65. Valer. *in differen. vtriusque fori. verbo. Excommunicatio. differ.* 23. *ver. Secundo dubitant.* Corduba *in sum. quæstion.* 18. *pun.* 2. *dicto* 1. *ver. Tambien digo.* Præpositus *in capit. non est nobis num.* 10. *de. sponsal.* Gutierez *lib.* 1.

q.

... cap. 10. num. 67. Coriolan. de casib. reser. par. 1. sect. 2. artic. 16. num. 10. Qui volunt moribundum sibi consulere debere per contritionem, quando non haberet copiam, nisi confessarii schismatici, aut hæretici. Ratio autem est, quia non solum sunt excommunicati, sed etiam sunt extra Ecclesiam, & carent fide, quæ est fundamentum necessarium ad iurisdictionem spiritualem ...

... Communis tamen sententia tenet, quod omnis sacerdos siue excommunicatus, siue hæreticus, aut quocunque alio canonico impedimento detentus, sit sufficiens minister. Ita Glos. in Capit. Non est. De sponsalib. Major in 4. dist. 19. quæst. 1. & Sed contra istud. Palud. dist. 25. quæst. vn. artic. 3. num. 15. Angelus verbo. Confessio 3. num. 2. Syluester. verbo. Confessor. 1. quæst. 20. Ruard. art. 3. contra Lutherum. Canus Relect. de pœnit. part. 6. §. Quod autem. Petrus Sotus lect. 5. de confes. Suarez disp. 26. de pœnit. sect. 4. num. 5. Auila de censur. par. 2. cap. 6. disp. 3. dub. 1. conclus. 4. Zambran. in suis decis. cap. 4. de pœnit. dub. 4. num. 20. Vasquez 3. par. quæst. 93. art. 1. dub. 4. num. 8. Granad. controuer. 7. tract. 10. de pœnit. disp. 4. sect. 2. numer. 9. Præposit. in Supplem. quæst. 2. de confes. num. 39. Puteau. par. 2. de confess. quæst. 31. dub. 3. conclus. 4. Mercer. quæst. 8. supplem. art. 6. num. 2. Nugn. art. 6. dub. 2. Syluius, Chellison. ibid. Ochagauia De sacram. tract. 2. de pœnit. quæst. 35. n. 4. Comitol. resp. mor. lib. 6. quæst. 27. Riccius in decis. Curiæ Archiepis. Neap. decis. 26. num. 4. par. 4. Torreblan. lib. 14. Praxis iur. spirit. cap. 10. num. 18. Barbosa Ad Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. numer. 13. de pœnit. Trullench in Bul. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. num. 2. Floron. par. 1. de casib. reser. cap. 4. §. 18. num. 3. Finel. de casib. reser. cap. 8. num. 4. Celestin. in Comp. Theol. mor. tract. 1. cap. 13. Tanner. tract. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 3. num. 62. Mærat. disp. 31. de pœnit. sect. 4. numer. 3. Hurtad. disp. 10. de sacram. pœnit. difficul. 8. Dn. Fuld de pœnit. quæst. 8. art. 6. disp. 2. Henriquez lib. 6. summ. cap. 11. num. 8. Sayr. lib. 2. Thesauri cap. 2. num. 18. & cap. 20. num. 6. Laiman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 23. ver. Nonnullum V. gollin. de censur. tab. ... cap. 4. §. 5. numer. 27. Facundez Præcep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 2. numer. 16. Molin. de iusto & iure tom. 4. diff. 63. Barbosa de potest. Episcop. allegat. 25. num. 79. Bossius discep. 2. moral. dub. 5. numer. 44. Turrian. de pœnit. disp. 23. dub. 3. Vallem. in lect. Lulim. tom. 2. ... capit. ... rinsque sex ... num. 34. de pœnit. ... remiss. Granad. 3. par. controuer. 7. tra. 10. disp. 4. sect. 9. numer. 9. Hurtad. disp. 84. de fide. sect. 8. §. 139. ... 40. Bonac. disp. 3. de censur. quæst. 2. sect. 1. num. 14. & disp. 5. de Sacram. quæst. 7. sect. 1. num. 9. Sanchez lib. 2. ... cap. 13. num. 30. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 10. pun. 3. ver. Excipimus. Coninch. disp. 8. de pœnit. dub. 2. numer. 15. Reginal. lib. 1. Praxis Fori pœnit. num. 56. Filliuc. tract. 7. cap. 7. quæst. 6. num. 186. Faustus lib. 6. de pœnit. quæst. 37. ver. sed profecto. Auersa qu. 16. de pœnit. sect. 3. ver. Cæterum si contingat. Martinon. de pœnit. disp. 5. sect. 2. num. 16. Quod etiam desumitur ex D. Th. in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 2. quæstion. 1. dum docet, quemlibet sacerdotem vti posse claue in quemlibet in articulo necessitatis.

4. Dicendum est ergo. Quemlibet sacerdotem siue excommunicatum, siue hæreticum, siue quocunque alio canonico impedimento detentum, esse sufficientem ministrum sacramenti pœnitentiæ pro articulo mortis. Prob. Ecclesia potest restringere impedimenta canonica, vt non habeant locum in sacerdotibus pro ministrando sacramento pœnitentiæ in articulo mortis, cum omnia ista impedimenta sint ex dispositione iuris canonici, & de facto restrinxit, vt desumitur ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 7. vbi sine vlla limitatione vniuersaliter habet, quod omnes sacerdotes in articulo mortis possint ab-

absoluere quoslibet pœnitentes, & neminem excludit. ergo hæc facultas conuenit etiam excommunicatis, hæreticis, & quocunque alio impedimento canonico impeditis. Conseq. prob. Tum quia vbi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere *l. Non distinguemus. ff. de recep. arbitr.* & *l. 1. §. Generaliter. ff. de leg. præst.* vbi Glos. verbo. *In infinitum.* & l. 1. §. *Quod autem. ff. de aleator.* vbi Glos. verbo. *Simpliciter.* & cap. *Solita de maior. & obed.* & capit. *Quia circa. de priuileg.* & Clemen. *fin. de rescrip.* Tum quia, si Concilium non intellexisset de omnibus vniuersaliter, sed aliquos excipere voluisset, excæpisset *l. Si seruus. §. Prætor. ait. ff. de acquir. hæred.* & cap. *Ad audientiam. 2. de decimis*, & cap. *Illa. Ne sede vacante.* Tum quia dictio Omnes neminem excludit, iuxta vulgatam regulam, qui omne dicit, nihil excludit. *l. Hoc articulo. ff. de hæred. instit.* & *l. Fin. ff. de pen. leg.* & *l. Si quis ff. de pecul. leg.* & cap. *Solita de maior. & obedient.* Nam propter suam generalitatem includit ea, quæ aliàs non includerentur, vt notant Bart. *in l. Generali. §. Vxori. ff. de vsufr. leg.* Ancharan. *quæst. 72. num. 32. par. 1.* Rolan. *consil. 87. num. 8. vol. 2.* Surd. *decis. 255. num. 8.* & *consil. 466. num. 25.* Mascar. *de probat. conclus. 148. n. 9. vol. 1.*

5 Confir. In lege interpretanda attendenda est naturalis significatio verborum, & proprietas ipsorum, vt habetur ex *l. fin. C. de his qui veniam ætat.* & cap. *Susceptum. de rescrip. in 6.* vbi Glos. *verbo.* Non *morte.* Tiraquel. *in l. Si vnquam.* verbo. *Susceperit. n. 17. C. de reuoc. donat. par. 1. lib. 5. capit. 16. quæst. 9.* Rodriquez *tom. 1. q. regul. ar. 6. ver. Tertia regula.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 1. numer. 7.* Salas *disp. 21. de legib. lect. 3. num. 4.* Sub propria autem, & naturali significatione, *omnis sacerdotis*, comprehenduntur quicunque sacerdotes, siue excommunicati, siue hæretici, & quocunque alio impedimento canonico irretiti, nam reuera sunt propriè sacerdotes, quamuis habeant munus sacerdotale impeditum. Quod præsertim verum est, quia sumus in dispositione fauorabili, in qua agitur de fauore animæ, quæ proinde in omni amplitudine accipienda est.

6 Confir. 2. In tali casu concurrunt ius canonicum positiuum impediens administrationem pœnitentiæ, & tollens iurisdictionem à sacerdote per subtractionem subditorum, & ius naturale charitatis, cuius vigore, & constituti in articulo mortis exigunt sibi subueniri per administrationem sacramenti pœnitentiæ, & quilibet sacerdos tenetur subuenire. Ergo, cum ius positiuum, vt sit iustum, non possit esse contrarium iuri naturali charitatis, nam quatenus contrariaretur, esset iniustum, quia vt ius subordinatum, debet ipsi conformari, vt seruet iustitiam, non tollet hanc obligationem charitatis, quam habent singuli sacerdotes, nec ius moribundi ad exigendam subuentionem; & proinde quatenus ponit talia impedimenta, censendum est ponere cum ea restrictione, vt nō habeant locū in articulo mortis.

7 Ad rationem autem pro prima opinione adductam resp. Excommunicationem tollere iurisdictionem, quatenus iustè potest tollere; quia, cum sit rationabiliter inflicta, non potest egredi terminos rationis, & iustitiæ. Vnde cum sit contra rationem, & ius naturale charitatis tollere iurisdictionem in ordine ad sacramentum pœnitentiæ pro articulo mortis, habet tacitam restrictionem, quòd non tollat pro illo casu, in quo aliter moribundo subueniri non potest. Imo nedum habet tacitam hanc restrictionem, ex natura sua, sed etiam specialiter restringitur à lege, dum omnibus sacerdotibus, vt constat ex dictis, conceditur facultas pro illo casu. Siquidem vna lex per aliam limitatur. *l. Sciendum. ff. Qui satisd. cogun.* & *l. Quamuis. ff. de in ius vocan.* & *l. Filiusfamilias. de act. & oblig.*

ff.

8 Ad rationem 2. sentent. negandum est. Fidem esse fundamentum spiritualis iurisdictionis; aliàs hæreticus occultus nullam haberet iurisdictionem, & sacramenta dependerent à fide ministrorum, quod est hæreticum. Et quamuis hæreticus defectu fidei nõ sit incorporatus corpori mystico Ecclesiæ, adhuc tamen ratione characteris baptismalis est in fundamento ordinis hierarchici; & si habeat characterem ordinis, adhuc est intrá hierarchiam Ecclesiasticam, cum character sit indelebilis, & proinde est capax illius iurisdictionis, quæ requirit talem characterem pro fundamento. Vnde in sacerdote est capacitas iurisdictionis in ordine ad sacramentum poenitentiæ; & post hæresim in ipso perseuerat iurisdictio tanquam concessa omnibus sacerdotibus pro articulo mortis, & per nullam canonicam legem sublata pro casu necessitatis.

An possit moribundus petere sacramentum poenitentiæ ab excommunicato, & hæretico.

Quæst. 168.

SVMMA.

1 *Moribundus non potest petere sacramentum poenitentiæ ab hæretico cum periculo subuersionis.*
2 *Nec quando censeretur communicare in hæresi.*
3 *Extra hos casus potest petere.*
4 *Etiam si non sit paratus ministrare.*
5 *Nec inducit sacerdotem ad peccandum.*
6 *Moribundus tenetur petere sacramentum poenitentiæ ab hæretico, si non habeat copiam alterius.*
7 *Moribundus an possit in detestationem hæresis recusare absolutionem hæretici.*
7 *Exercitium virtutis non excusat ab obseruantia præcepti.*
7 *Detestatio hæresis non facit cessare præceptũ de confessione in articulo mortis.*
8 *Omnes sacerdotes canonicè impediti poterant absoluere moribundos, etiam de iure antiquo.*

1 IN hac difficultate duo certa sunt apud omnes. Primum est, quod non possit petere ab hæretico, quando adesset periculum subuersionis, quia neque intuitu salutis æternæ potest quis se exponere periculo peccandi, & deficiendi à fide; nam hoc non esset quærere salutem, sed illam contemnere. Vnde in tali casu deberet moribundus conari, quantum posset, vt eliceret actum contritionis, ad quam eo ipso, quod nollet se exponere periculo offendendi Deum, etiam quando agitur de propria salute, esset proxime dispositus, siquidem detestaretur offensam Dei in illo actu supra remedium propriæ salutis spiritualis; vnde ipsi facile esset detestari omnia peccata, vt sunt offensa Dei supra omnia. Est tamen aduertendum, quod non quodlibet periculum impedit, sed tantum illud, quod prudenter, & ex solido fundamento iudicatur imminere.

2 Alterum est. Quod non liceat ab hæretico petere sacramentum poenitentiæ, quando id censeretur moralis communicatio in hæresi. Quia hoc non esset quærere remedium salutis, sed illius iacturam facere, nam sic communicando peccaret, & faceret irritum sacramentum poenitentiæ. Vnde D. Hermenegildus tẽpore Paschatis noluit Eucharistiam ab Ariano Episcopo recipere, quia illa communio fuisset communicatio in hæresi cum ipso Episcopo. cap. *fin.* 24. *quæstion.* 1. Nec obstat, quod salus animæ rebus omnibus præponenda sit; nam valet solum quoad ea, quæ non continent offensam Dei, quia hoc non esset illam præferre rebus omnibus, sed illius ia-

curam facere. Vnde solum dubitatur, an liceat petere extra prædictos casus.

3 Dicendum est. Constitutum in articulo mortis posse extra dictos casus petere sacramentum poenitentiæ tàm ab excommunicato, quam ab hæretico. Ita Palud. *in 4. dist. 20. quæst. 1. ar. 3.* Syluester *verbo.* Confessio. 1. *quæst.* 20. Angelus *verbo.* Confessio. 3. *num.* 2. Suarez *disp.* 26. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 5. Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *artic.* 1. *dub.* 4. *num.* 12. Gaspar Hurtad. *disp.* 10 *de sacramen. pœnit. difficul.* 8. ver. *Obseruandum est.* Præposit. 3. *par. quæst.* 7. *de sacram. pœnit. dub.* 5. *num.* 42. Auersa *quæst.* 16. *sect.* 3. ver. *Cæterum si contingat.* & alij infra *num.* 6. citandi. Ratio autem est, quia cum Ecclesia concedat his sacerdotibus iurisdictionem pro articulo mortis, potest moribundus petere, quod in sui fauorem concessum est ab Ecclesia, si quidem iurisdictio est concessa in ordine ad vsum, & petendo se conformat intentioni Ecclesiæ.

4 Dicendum 2. Non solum posse moribundum petere sacramentum pœnitentiæ ab his sacerdotibus, si parati sint ministrare, sed etiam si non sint parati. Ita citati *num. præceden.* contra Angelum *verbo.* Confessio 3. *num.* 2. qui vult, posse solum peti, quando parati sunt ministrare. Ratio est quia stante concessione Ecclesiæ habet ius moribundus ad petendum, quod in sui fauorem concessum est, & sibi debetur ex charitate. ergo cum vtatur proprio iure in ordine ad salutem animæ, non facit alicui iniuriam, nec aliquo modo peccat.

5 Dices. Peccare, quia inducit sacerdotem ad peccandum, nam sacerdos ministrans sacrementum, dum est in tali statu, peccat. Resp. Non inducere sacerdotem ad peccandum, quia inducit ad actionem de se bonam; & quæ solum potest esse peccaminosa, quia malè administretur. Quia autem de se potest benè administrari, etiam ab excommunicato, & hæretico; nam potest elicere actum contritionis, & se disponere ad dignè ministrandum: quod peccet administrando, illi soli imputandum est: non autem moribundum; cum inducat ad actionem, quæ rectè potest ab ipso peragi.

6 Dicendum 3. Moribundum in articulo mortis nedum posse petere sacramentum poenitentiæ ab excommunicato, aut hæretico, sed etiam teneri. Ita citati *num.* 3. & præterea Præpositus 3. *par. in supplim. quæst.* 7. *de pœnit. dub.* 5. *num.* 42. Chellison. *quæst.* 8. *ar.* 6. *dub.* 1. Mercerus. *ar.* 5. *dub.* 6. *numer.* 2. Coelestin. *in compen. theol. moral. tract.* 1. *cap.* 13. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 275. & *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 58. Ratio autem est; quia in tali casu vrget præceptum diuinum de confessione: ergo tenetur seruare, cum possit, si quidem habet copiam debiti ministri iuxta institutionem Ecclesiæ. Quod locum habet, etiam si moribundus sibi contritus videatur; nam, quamuis per contritionem reconcilietur Deo, adhuc tamen tenetur præcepto confessionis.

7 Ex dictis colligitur contra Syluestrum *verbo.* Confessor 1. *numer.* 16. circa finem Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 1. & *littera* E. Sayr. *lib* 2. *Thesaur. cap.* 20. *num.* 26. Laiman. *lib.* 5 *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 13. Bossium. *discept.* 2. *mor. dub.* 5. *num.* 46. Non posse moribundum, quamuis sibi contritus videatur, refutare absolutionem hæretici in detestationem hæresis, extra casus de quibus dictum est *num.* 1. & 2. vt docent Suarez *disp.* 26. *de poenit. sect.* 4. *num.* 5. Vasquez 3. *part quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 19. ver. *Tertio addendum est* Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 221. Ratio autem est, quia hoc non esset detestari hæresim, sed respuere ministrum deputatum ab Ecclesia. Cum enim etiam hæreticus pro illo casu habeat iurisdictionem delegatam, se habet vt minister Ecclesiæ, & ideo non vt hæreticus, sed vt minister Ecclesiæ reiiceretur, cum accedat tanquam minister

Ec-

Ecclesiæ. Deinde quando vrget præceptum Ecclesiæ, & impleri potest; non excusat, quin impleatur, exercitium cuiusque actus virtutis; ergo neque detestatio hæresis erit sufficiens causa non implendi præceptum diuinum de confessione. Denique, vel quando habetur copia solius confessarii hæretici cessat præceptum diuinum de confessione, vel non. Non primum, nam si cessaret, Ecclesia non tribuisset etiam hæretico facultatem ministrandi sacramentum. Si secundum; ergo neque detestatio hæresis faciet cessare obligationem, quia cum moribundus teneatur ab hæretico sumere sacramentum pœnitentiæ, detestatio hæresis non extinguit obligationem, cum Ecclesia velit suscipi sacramentum, & impleri præceptum diuinum, & in hunc finem tradiderit facultatem absoluendi hæretico.

8 Colligitur 2. Non posse subsistere, quod ait Campanilis *in Diuersor. iuris, Rubr. 1. num. 110.* nempe de iure communi antiquo, non potuisse sacerdotes excommunicatione, hæresi, aut alio impedimento canonico detentos absoluere in articulo mortis; sed solum posse de iure nouo post Concil. Trident. in vigore eiusdem Concilii, *sess. 14. cap. 7. de poenit.* Nam ibi Concil. habet, quod semper in Ecclesia Dei custoditum fuit, quod omnes sacerdotes possent in articulo mortis absoluere quoscunque poenitentes. Si ergo ex hoc sequitur, quod etiam hæretici, & excommunicati possint absoluere, quia veniunt appellatione omnium sacerdotum; etiam de iure communi veteri potuerunt absoluere, quia Concilium dicit, quod semper omnes sacerdotes ex continua obseruantia Ecclesiæ potuerunt absoluere.

An religiosus sacerdos possit constitutis in mortis articulo ministrare sacramentum poenitentiæ absque licentia, aut etiam contra prohibitionem suorum superiorum. Quæst. 169.

S V M M A.

1 *Religiosus potest absoluere moribundum contra prohibitionem suorum superiorum.*
2 *Iurisdictio absoluendi in articulo mortis est annexa sacerdotio.*
3 *Obedientia non est contraria charitati.*
4 *Religiosus contra prohibitionem suorum superiorum potest absoluere.*
5 *Talis prohibitio esset irrationabilis.*
6 *Religiosus non potest prohiberi, ne ministret sacramentum poenitentiæ in graui necessitate constitutis.*

---

1 Militat specialis ratio quoad hoc in religiosis, quia habent ratione voti obedientiæ propriam voluntatem subordinatam voluntati superiorum. Dicendum tamen est, posse sacerdotem regularem absque licentia suorum superiorum, & absque eo, quod sit expositus ad audiendas confessiones, ministrare sacramentum pœnitentiæ constituto in articulo mortis. Ita Graf. *part. 1. lib. 1. decis. cap. 13. num. 66.* Capeauil. *de casil. reser. cap. 7. quæst vni. difficul. 4.* Homobon. *par. 4. respon. moral. super censur. resp. 70. vol. 1.* Nauar, Cap. 4. *Manual. num. 6.* Bossius *discep. mor. 2. dub. 5. num. 49.* Ratio est, quia quilibet sacerdos pro illo casu habet iurisdictionem ab vniuersali Ecclesia, & ideo non indiget facultate suorum su-

periorum. Imo ab ipsis quoque habet tacitam licentiam; quia, dum consentiunt, quod promoueatur ad sacerdotium, consentiunt etiam in ea omnia, quæ sunt annexa sacerdotio. Talis autem facultas est annexa sacerdotio, quia conceditur cuilibet sacerdoti statim, ac fit sacerdos. Deinde cum vna virtus non sit alteri contraria; non potest obedientia, quam debet religiosus suis superioribus, impedire, ne possit absoluere moribundum; alioquin, cum ex charitate teneatur absoluere, esset contraria charitati.

2 Ex quo fit, quod etiamsi prohiberetur religiosus ministrare sacramentum pœnitentiæ absolutè, & cuicunque, adhuc posset ministrare constitutis in periculo mortis; quia habet facultatem à Summo Pontifice, vt capite vniuersalis Ecclesiæ, quæ non potest ab inferiori auferri, aut impediri, vt dictum est supra *quæst.* . . . . *num.* 8. Imo prohibitio, quatenus excluderet constitutos in articulo mortis, esset irrationabilis, & iniusta, atque adeò nulla defectu potestatis iuxta ea, quæ dicta sunt eadem *quæst. num.* 9. Quin neque valeret prohibitio, si se extenderet etiam ad eos, qui licet non essent in articulo mortis, essent tamen in graui necessitate suscipiendi sacramentum; nam tunc quoque prohibitio esset contra charitatem, & impediret, ne religiosus satisfaceret obligationi charitatis; & ideo non teneretur ratione voti obedientiæ illam seruare, quia esset iniusta, & extra spheram potestatis superiorum, cum obedientia non possit exigere, quod est contrarium charitati. Quod tamen debet intelligi de simplici prohibitione; nam si esset ablatio iurisdictionis, aut suspensio, extra articulum mortis non posset ministrare sacramentum pœnitentiæ.

An sacerdos valde ignarus sit sufficiens minister sacramenti pœnitentiæ pro articulo mortis. Quæst. 170.

SVMMA.

1 *Qui nam sacerdos dicatur valde ignarus.*
1 *Confessarius tenetur scire, quæ necessaria sunt ad iudicandas conscientias.*
2 *Sacerdos valde ignarus an sufficiat pro validitate sacramenti.*
3 *Moribundus an teneatur repetere confessionem, si confessarius sit valde ignarus, & num. seq.*
5 *Confessio quando reiteranda.*
6 *Confessio alias valida non est repetenda, licet contingat defectus ex ignorantia sacerdotis, sed defectus est supplendus.*
7. *Dormiente, aut non percipiente confessario peccata non deferuntur ad tribunal, sicut deferuntur, si sacerdos sit ignarus.*
7 *Paria sunt non loqui; aut ita loqui, vt non intelligatur.*
8 *Nesciens distinguere inter mortale, & veniale nullo modo potest cognoscere causam pœnitentis.*
8 *Diuersa ratio de iudice in iudicio humano, & in iudicio pœnitentiali.*
8 *Quid iudex debeat percipere in iudicādis conscientia.*
8 *Percipere nudum factum an sit percipere peccatum.*
9 *Ad quid teneatur moribundus conualescens, si ob ignorantiam confessarii non sunt omnia extricata.*

1 NOmine sacerdotis valde ignari intelligitur ille, qui licet sciat discernere inter peccatum mortale, & veniale, non tamen scit discernere inter speciem, & speciem: neque inter circumstantias mutantes speciem, aut aggrauantes, non solum quando res est controuersa inter Doctores, sed neque etiam, quando est cer-

certa. Atque adeo nescit iudicare de obligationibus poenitentis contractis ratione peccatorum, nec formare rectum iudicium de statu conscientiæ ipsius. Est autem supponendum, confessarium teneri scire ea, quæ necessaria sunt pro administratione sui muneris: hoc enim generale est omnibus, vt sub mortali teneantur, scire ea omnia, quæ necessaria sunt pro recta officii administratione, si sint in materia graui. Vnde cum confessarius sit iudex quoad conscientiam poenitentis, & debeat formare rectum iudicium de statu ipsius, atque adeo cognoscere causam, & seruare debitam æquitatem in satisfactione iniungenda, vt declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenitentia*, & monere poenitentem de obligationibus, quibus tenetur: debet esse instructus in iis omnibus, quæ necessaria sunt ad hoc præstandum, vnde, vt notant Suarez *disp.* 28. *de poenit. sect.* 2. *num.* 6. Reginal. *lib.* 1. *Praxis fori poenit. num.* 139. Sayr. *de poeni. cap.* 26. *num.* 2. Nauar. *cap.* 4. *Manual. num.* 9. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 9. *quæst.* 8. *num.* 154. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 61. *num.* 1. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 26. *num.* 9. Bonac. *disp.* 5. *de sacram. quæst.* 7. *pun.* 4. §. 2. *num.* 5. & 6. peccat grauiter ille sacerdos, qui sine debita scientia excipit confessiones, & similiter etiam superiores ipsius, qui id permittunt. Quod etiam docent D. Antonin. 3. *par. lib.* 17. *cap.* 16. *num.* 1. Rebell. *de obligat. iust. par.* 2. *lib.* 17. *quæst. vnica num.* 4. Bossius *de iubil. sect.* 3. *casu* 2. §. 7. *num.* 175. & 176. & alii infra citandi præsertim pro prima opinione. Ratio autem est, quia sacerdos non solum se exponit certo periculo male administrandi sacramentum, sed etiam deficit in iis, quæ pertinent ad propriũ officium. Et superiores censentur cooperari, dum non impediunt, quod tenentur impedire.

Supponendum 2. Certum esse, Talem sacerdotem in articulo mortis sufficientem esse pro validitate sacramenti, quãdo imminente periculo mortis alius haberi non potest; nam sufficit, si sciat proferre formam absolutionis, vt conficiat sacramentum validum, vt notant etiam Boss. *de triplici Iubil. sect.* 3. *casu* 2. §. 5. *numer.* 170. & *discept. moral.* 2. *dub.* 5. *numer.* 50. Ratio autem est. Quia sicuti vrgente necessitate est validum sacramentum absque expressione peccatorum in specie, vt supra dictum est; ita etiam valet absque eo, quod confessarius ea in specie, & secundum proprias ipsorum rationes cognoscat. Hæc enim notitia non est necessaria pro iis, quæ sunt essentialia sacramento; sed solum in ordine ad integritatem iudicii, & ad congruam satisfactionem imponendam, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & ideo ea deficiente, non deficit quicquam necessarium pro validitate sacramenti. Solum difficultas est, an supposito, quod pœnitens explicet tali confessario omnia, & singula peccata, teneatur postea confessionem repetere.

3 Prima sentent. asserit, poenitentem obligatum esse repetere confessionem, etiam si bona fide confessus fuerit tali sacerdoti. Ita ij, qui id vniuersaliter tradunt, etiam extra periculum mortis, vt Richar. *in* 4. *dist.* 7. *artic.* 2. *quæst.* 8. *ad* 1. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Caiet. *in sum. verbo.* Confessio. *cap.* 3. *ver. Ex defectu verò scientia.* Syluester *verbo.* Confessio 1. *num.* 5. ver. *Tertiò secundum.* Nauar. *cap.* 9. *Manual. num.* 12. Fundamentum est, Quia talis sacerdos eodem modo se habet, ac si illa non perciperet, vel quia dormiret, vel quia esset surdus, vel quia poenitens obscurè se explicaret: ergo sicuti tunc adesset obligatio repetendi cõfessionem, ita etiam nunc. Confir. si sufficeret, quod poenitens explicaret, & explicatio perciperetur à sacerdote, sequeretur, quod esset valida confessio facta sacerdoti nescienti etiam sequendum communem rationem distinguere inter peccatum mortale, & veniale, quod tamen est falsum. Confir. 2. Vt iudex ferat validam sententiam debet co-

cognoscere saltem substantialia causæ, quæ possunt illam diuersificare, quod non contingit, quando sacerdos est ignarus modo supradicto. Confir. 3. Percipere nudum factum non est percipere peccata, quatenus peccata sunt; in confessione autem, sicut debent explicari peccata, quatenus peccata sunt, ita etiam quatenus talia debent percipi.

4 Secunda sententia asserit, non teneri poenitentem repetere confessionem. Ita ii, qui hoc ipsum docent de poenitentibus etiam extra articulum mortis, vt idem Henriquez *lib. 5. sum. cap. 14. num. 5.* Medina *lib. 1. sum. cap. 12. §. 1.* Ledesma *2. par. 4. quæst. 5. art. 4.* Corduba *in sum. casu 9.* Suarez *disp. 28. de poenit. sect. 2. num. 10.* Filliuc, *tract. 7. cap. 9. num. 254.* Zerola *in Praxi de poenit. cap. 21. quæst. 4.* Rodriquez *in Bullam cruciatæ. §. 9. num. 4.* Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 34. num. 17. & lib. 1. sum. cap. 10. num. 69.* Valer. *in differen. vtriusque fori. verbo*, Nullitas *differen. 9. num. 1.* Summa Pisanel. *verbo Confessio 2.* Petrus Sotus *lect. 6. de Confes.* Medina C. *de confes. quæst. de confes. iter. ob defec. confes.* Vasquez *3. part. quæst. 93. art 3. dub. 2.* Coninch: *De sacram. disp. 6. dub. 1. num. 10. & in supplem. quæst. 8. art. 5. dub. 4. in fine.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 7. pun. 4. §. 2. num. 14.* Reginal. *lib. 1. praxis fori poenit. num. 141. & 261.* Bossius *de Iubil. sect. 3. casu 2. §. 5. num. 170. & discep. mor. 2. dub. 5. num. 50.* qui tamen vult, quod sciat formare mediocre iudiciũ de statu poenitentis.

5 Et hæc posterior sentent. mihi videtur probabilior. Vnde dicendum est. Non teneri moribundum, qui integrè confessus est sacerdoti ignaro, repetere confessionem. Prob. Confessio non est reiterãda, nisi interueniat aliquis defectus ex parte poenitentis, aut ex parte sacerdotis, qui tamen concernat essentialia. ergo in hoc casu non est reiteranda. Anteced. patet. Quia si ex parte poenitentis nullus interuenit defectus, habet omnes conditiones requisitas ex parte ipsius, atque adeo ex parte materiæ tam proximæ, quam remotæ, atque cum in nullo deficiat, non adest ratio, cur ex hoc capite reiteranda sit. Rursus si ex parte ministri non est aliquis defectus concernens essentialia, habentur omnia necessaria pro validitate sacramenti tàm ex parte formæ, quàm ex parte causæ efficientis, nam si deficeret aliquid necessarium ad validitatem, defectus esset circa substantialia. Quando antem nullus defectus est ex parte poenitentis, seu materiæ, nec ex parte formæ, seu causæ efficientis, conficitur validum sacramentum. Stante autem validitate sacramenti, cum peccata sint dimissa, nec aliunde adsit obligatio ea iterum subijciendi clauibus, non est confessio repetenda. Conseq. prob. In casu præsenti poenitens integrè confitetur, & habet omnia alia necessaria pro validitate sacramenti; & ex parte confessarii adsunt omnia necessaria quòad substantialia, nẽpe iurisdictio expedita, intentio debita, & vera forma. ergo non adest obligatio in poenitente repetendi confessionem.

6 Confir. Ex eo quod sacerdos sit ignarus modo explicato non subtrahitur aliquid essentiale sacramento; sed solum contingere potest aliquis defectus circa ea, quæ debent cognosci ab ipso in ordine ad integralia sacramenti. Si quidem integra causæ cognitio non est in ordine ad essentialia; nam sine ipsa potest ministrari sacramentũ valide, vt quando ex rationabili causa non potest confessio fieri integra, aut explicari potest vnum tantum peccatum. ergo quòad essentialia remanet saluum sacramentum, atque adeo validum. Ergo si contingat defectus, erit solum circa integralia, atque adeo ad summum supplendus, non autem iterãda confessio. Conseq. prob. Quando in sacramentorum administratione committitur aliquis defectus, qui non sit circa essentialia, sed solum circa inte-

tegralia, non est iterandum sacramentum, sed solum supplendus defectus, vt de sacramento ordinis definitur in cap. *Pastoralis*. & in cap. *Presbiter. de sacramentis non iteran.*

7. 1 Ad. Fundamentum primæ sent. neg. antecedens. Nam si confessarius dormiret, aut esset surdus, aut non intelligeret poenitentem, peccata non deferrentur morali modo à poenitente apud ipsum tanquam apud iudicem: quia nullo pacto perciperentur à sacerdote. Paria autem sunt, non loqui, aut ita loqui, vt non intelligatur *l. de etate. §. Nihil interest. ff. de interrogat. act.* At in casu præsenti peccata morali modo deferuntur apud sacerdotem: & proinde poenitens se constituit in statu, vt possit iudicari quoad suam conscientiam.

8 Ad 1. confir. neg. sequel. Nam quando sacerdos nescit distinguere inter peccatum mortale, & veniale secundum communem rationem, nullo modo potest cognoscere causam poenitentis; at quando scit discernere, potest aliquo modo cognoscere, & formare saltem iudicium imperfectum de statu poenitentis, quod sufficit, vt possit validè absoluere, quoniam potest procedere, vt iudex informatus, licet imperfectè. Ad 2. confir. Esse diuersam rationem de iudice in humanis, atque in foro exteriori, ac de iudice in foro conscientiæ, quia diuersa est exigentia iustitiæ in vno, ac in alio foro. In foro namque externo iustitia exigit, vt ponatur debita æqualitas in iis omnibus, à quibus ablata est; & proinde consideranda sunt ea omnia, quæ in causa possunt causare substantialem mutationem, vt in omnibus constitui possit debita æqualitas. At in foro conscientiæ requiritur solum, quantum est ex vi substantiæ iudicij, quod constituatur debita æqualitas inter Deum, & peccatorem, quæ obtinetur eo ipso, quod se reconciliat cum Deo; & vt reconcilietur, sufficit, si se accuset, & sacerdos percipiat, an grauiter, an verò leuiter offenderit, vt possit per absolutionem ipsum Deo reconciliare. Quod ex eo patet; quia si esset necesse, quod perciperet omnia, quæ possunt causare substantialem mutationem, esset etiam necesse, quod sciret discernere inter omnes species, & inter omnia indiuidua peccatorum; nam quælibet species, & quodlibet indiuiduum potest causare substantialem mutationem. Coetera autem, ad quæ poenitens obligandus est, vt sunt satisfactio, restitutio, et alia huiusmodi, non pertinent ad substantiam sacramenti. Ad 3. confir. Percipere nudum factum, non esse percipere peccatum, quia peccatum est, si percipiatur solum ex nuda narratione, at si percipiatur ex narratione, quæ fiat per modum accusationis, percipitur, quatenus peccatum est: nam sicuti exponitur, quatenus peccatum est, ita etiam vt tale percipitur, quod sufficit ad rationem iudicij.

9 Ex dictis colligitur. Quod si moribundus conualuerit, & cognouerit, quod confessarius non imposuerit sibi eas obligationes, quæ erant imponendæ, tenetur aliquem virum doctum, siue in confessione, siue extra confessionem consulere, vt discat ab ipso, quid sibi faciendum sit, vt propriæ conscientiæ consulat: per hoc enim, quod sit absolutus à peccatis, non remanet liber ab obligationibus, quibus aliàs tenetur, & ideo debet ipsis satisfacere. Similiter etiam, si habuerit casus intricatos, & arduos, quos dictus confessarius tanquam communes, & non difficiles prætererit, tenetur de nouo subiicere clauibus, vt in ipsis à confessario perito iudicetur, quia cum per sententiam confessarii non sint extricati, se habent, ac si non essent clauibus subiecti, & ita notant etiam Syluester *verbo.* Confessio. 1. *num.* 5. ver. *Tertio*. Henriquez *lib. 6. sum. cap. 26. num. 9.* Valer. *in differ. vtrisq. fori. verbo.* Nullitas. *different. 6. num. 1.* Bossius *de iubilæo. sect. 3. casu. 2. §. Si. numer.* 181.

An

An præsente proprio Pastore, aut delegato possit quilibet sacerdos in articulo mortis absoluere.

Quæst. 171.

SVMMA.

1 *Præsente proprio sacerdote in articulo mortis an simplex sacerdos possit absoluere, & nu. seq.*
2 *Quid disponat Concilium Tridentinum, & num.* 9.
2 *Quid decernatur in Cap.* Inter *cunctas, & in Extrauag.* 1. *de sent. excom. & numero* 10.
4 *Omnes sacerdotes possunt absoluere quoscunque pœnitentes in articulo mortis.*
4 *Lex generaliter, & sine exceptione loquens generaliter, & sine exceptione accipienda.*
4 *Lex vbi non distinguit, nec nos debemus distinguere.*
5 *Dictio*, Quilibet *omnes comprehendit.*
6 *In articulo mortis an habenda ratio reseruationis.*
7 *Quilibet sacerdos pro articulo mortis est priuilegiatus, & potest quisque confiteri priuilegiato præsente proprio.*
8 *Hoc priuilegium illi competit absolutè.*
11 *Absolui à reseruatis, & suscipere modum se præsentandi sunt diuersa.*
11 *Moribundus an teneatur pro reseruatis se præsentare superiori.*
12 *Argumentum à iurisdictione in foro exteriori ad iurisdictionem pro interiori non valet.*
13 *Finis, & causa impulsiua, cur quilibet sacerdos possit absoluere in articulo mortis.*
13 *Concessio non cessat ad cessationem causæ impulsiuæ.*
14 *In conflictu opinionum an possit allegari praxis interpretatiua.*
15 *In articulo mortis quilibet sacerdos potest absoluere à reseruatis etiam Papæ.*

1 PRima sentent. asserit, simplicem sacerdotem non posse pro articulo mortis absoluere, si sit præsens proprius sacerdos, vel delegatus. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *ar.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num.* 7. Nauar. *cap.* 26. *Manual. numer.* 27. Syluester. *verbo.* Confessor. 1. *quæst.* 6. *casu* 7. Rosel. *verbo.* Absolutio. 1. *num.* 131. Armilla *ibid. num.* 13. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 81. Gutierez *lib.* 2. *quæst. canon. cap.* 16. *num.* 5. Corduba *in sum. quæst.* 18. Couarru. *cap. Alma mater par.* 1. §. 11. *numer.* 8. Polanch. *in direct. confes. cap.* 4. *in fine*; Suarez *disp.* 26. *de poenit. sect.* 4. *num.* 4. Zambran. *in suis decis. capit.* 4. *de poenit. dub.* 4. *nu.* 3. *& sequent.* Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 2. Ledes. *de sacram. dub.* 23. *de confess.* Azor. *par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 19. *quæst.* 5. Viual. *in Candelab. par.* 1. Tit. *de absolut. numer.* 66. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *pun.* 2. ver. *Ioannes autem*. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure disp.* 63. *num.* 2. Benzon. *lib.* 1. *de fuga. disp.* 1. *quæst.* 6. *ante* 2. *conclus.* Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 18. Coninch. *disp.* 8. *de sacram. poenit. numer.* 16. Bonacina *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 5. *& disp.* 5. *de sacram. quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 10. Ochagauia *de sacram. tract.* 2. *de poenit. quæst.* 35. *num.* 4. Caspens. *part.* 2. *curs. theolog. disp.* 50. *de sacram. poenit. sect.* 3. *num.* 23. Gaspar. Hurtad. *disp.* 10. *de sacram. poenit. difficul.* 7. *in fine.* Facundez *præcep.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 29. Turrian. *in select. disp. Centur.* 2. *Theol. dub.* 77. qui more suo absque fundamento dicit, oppositam opinionem esse improbabilem, & damnatam à Gregor. XIII. Granad. 3. *par. controuer.* 7. *tract.* 10. *de poenit. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 11. Chellison. *in supplem. quæst.* 8. *de poenit. art.* 6. ver. *Nota* 5. Nugn. *ibid. dub.* 6. Putean. *art.* 3. *dub.* 3. Syluius *art.* 6. ver. *Deinde necessitas*. Martinon. *disp.* 53. *de poenit. sect.* 2. *num.* 16. qui tamen oppositum putat probabile. Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 6. *disp.* 3. *dub.* 1. *conclus.* 1. Sanctor. *de casib. Papal. num.* 146. Sanctarel *de hæresi. capit.* 6. *dub.* 1. *num.* 2. Reginal. *lib.* 2.

cap.

cap. 7. num. 61. Auersa quæst. 16. de poenit. sect. 3. ver. Dici tamen. Tolet. lib. 1. cap. 16. num. 6. Isambert. 3. par. disp. 9. de sacram. poenit. artic. 6. ver. Notandum tamen. Hurtad. disp. 82. de fide sect. 6. §. 153. Bordon. tom. 1. consil. reg. resol. 36. numer. 56. Naldus verbo. Confessio. numer. 31. Elotou. de casib. reseruat. cap. 4. §. 19. num. 1. ver. Contrarium. Saye. lib. 1. Thesauri cap. 20. num. 27. Filliuc. tract. 7. cap. 8. quæst. 8. num. 222. Laiman lib. 5. tr. 6. cap. 12. num. 4. Alter. lib. 2. disp. 9. cap. 6. Quard. lib. 3. in Bullam coenæ quæst. 3. numer. 11. Capeauil. de casib. reser. par. 1. cap. 7. difficul. 5. Faustus lib. 6. de poenit. quæst. 36. Param. de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 8. num. 109. Molfes. par. 1. sum. tract. 7. cap. 15. num. 79. Ricciul. de iure person. extra Eccles. grem. lib. 5. cap. 14. numer. 30. Torreblan. lib. 14. de iure spirit. cap. 4. num. 16. & 17.

2 Prob. Concilium Tridentinum quoad hoc non cõstituit nouum ius, sed tantum commendat consuetudinem Ecclesiæ. Consuetudo autem Ecclesiæ est, vt præsente superiori non possit absoluere inferior cap. Aurelian. & cap. fin. 26. quæst. 6. & cap. Præsbiteri. eod. tit. habetur. Præsbiteri de occultis peccatis iussione Episcopi poenitentes reconcilient, & sicuti supra præmisimus infirmantes absoluant, & communicent. 2. In Extrau. Inter cunctas. §. Incendiarios de priuileg. & Extrauag. 1. §. decernimus de sentent. excommunicat. declaratur, poenitentes in certis casibus in articulo mortis posse absolui, si non possunt tunc ad Episcopum, vel Summum Pontificem recurrere; ergo si possunt, aut sint præsentes, non poterunt absolui. 3. Cap. Eos qui. de sentent. excommunicat. in 6. Absolutus ratione imminentis periculi à censura reseruata, cessante impedimento, tenetur comparere coram superiori: Ergo si sit præsens, non poterit ab alio absolui 4. In articulo mortis inferior potest absoluere publicum excommunicatum, & quando Prælatus est præsens non potest quoad forum externum, ergo nec etiam absolutione sacramentali in ordine ad forum internum. 5. Hæc facultas concessa est ab Ecclesia omnibus sacerdotibus ad obuiandum necessitati, ne ratione reseruationis aliquis pereat, vt ait Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. ergo cessante necessitate, cessat etiam concessio, quia non concedi[t]ur plusquam exigat causa finalis. 6. Praxis fidelium ita interpretatur concessionem, vt nullus audeat præsente legitimo sacerdote confiteri simplici sacerdoti. 7. Excommunicatus non potest ministrare nisi in defectum aliorum sacerdotum, ergo nec simplex sacerdos, nisi in defectum proprij.

3 Secunda sententia tenet, quod simplex sacerdos possit absoluere moribundum, etiam præsente proprio sacerdote, aut delegato. Ita Nauarr. lib. 5. consil. 15. num. 2. & 3. in 1. edit. & in 2. consil. 23. de poenit. & remiss. Henriquez lib. 6. sum. cap. 11. numb. 4. & 6. Conrad. tom. 1. respons. quæst. 12. ver. Respon. In articulo. Rodriquez par. 1. sum. cap. 59. num. 5. in fine. & tom. 1. quæst. regular. quæst. 56. ar. 4. in fine. & in Addit. ad Bullam Cruciatæ. §. 59. num. 44. Vega par. 1. sum. cap. 6. casu 16. Ledes. par. 1. sum. cap. 14. de poenit. difficul. 2. post 1. conclus. Sa verbo. Absolutio num. 1. Ricciuus par. 4. collectan. 812. Valer. in differ. vtriusq. fori. verbo. Excommunicatio. differenti. 23. num. 1. Homobon. in de spon. moral. par. 4. super censur. resp. 83. Sayr. in Florib. decis. tit. de poenit. decis. 21. Coriolan. de casib. reseruat. par. 1. sect. 2. ar. 16. Barbos. de potest. Episcopi allegat. 25. num. 79. ver. Posse in his. Zerola in praxi poenit. cap. 19. quæst. 4. Ludouicus à S. Io. par. 1. sum. quæst. 6. de poenit. artic. 6. dub. 4. Io. Sanchez in select. de sacram. disp. 44. num. 5. Marchin. de peste par. 3. cap. 3. num. 11. & 12. Bossius de iubileo sect. 1. casu 12. num. 22. & dist. 3. memor. dub. 7. numer. 57. Diana par. 1. tract. 5. de absolut. ab hæresi resol. 52. & par. 2. tr.

tr. 4. miscellan. resol. 161. Præposit. 3. *par. in supplem. quæst. 7. de poenit. dub.* 5. *num.* 40. ver. *Si tamen.* Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 27. *clauf.* 1. §. 2. *numer.* 7. Finel. *de casib. reser. cap.* 7. *in fine*. Comitol. *lib.* 1. *respon. moral. quæst.* 22. *num.* 2.

4 Dicendum est. Simplicem sacerdotem posse absoluere constitutum in articulo mortis præsente quocunque alio sacerdote siue proprio, siue delegato, & hoc mihi longè probabilius videtur, quàm oppositum. Prob. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* siue condat ius nouum; siue antiquum confirmet, laudet; & declaret, habet, quod omnes sacerdotes absoluere possint quoscúque poenitentes cõstitutos in articulo mortis; nec adhibet vllam limitationem, aut conditionem, sed absolutè loquitur. Ergo siue ex iure nouo, siue ex declaratione authoritatiua, confirmatione, & corroboratione iuris antiqui quilibet sacerdos siue præsentibus aliis, siue non, habet facultatem delegatam absoluendi quoscunque poenitentes. Conseque. prob. Tum quia lex generaliter loquens, & sine exceptione, generaliter etiam, atque sine exceptione accipienda est *l. de pretio. ff. de pub. in rem act.* & *l. In fraud.* §. *fin. ff. de testam. milit.* & *l.* 1. §. *Generaliter. ff. de leg. præst.* & cap. *Solita.* §. *fin. de maior. & obed.* Tum quia vt deductum est supra *numer.* 4. vbi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere. cap. *Quia circa de priuileg.* Tum quia si Concilium voluisset excipere casum, in quo proprius sacerdos, aut delegatus est præsens, expressisset.

5 Confir. Si simplex sacerdos non posset absoluere in præsentia proprij sacerdotis, aut delegati, non posset absoluere quoslibet poenitentes, sed tantum eos, qui carent proprio sacerdote, atque adeo concessio esset limitata ad certum genus poenitentium. Concil. autem habet, quod possint omnes sacerdotes absoluere *Quoslibet* poenitentes, atque adeo omnes indifferenter nemine excepto, nam dictio, *Quoslibet*, ob suam vniuersalitatem omnes prorsus comprehendit, vt notant Glos. *in l. Cum quid, verbo* Quoslibet. *ff. si cert. pet.* Dec. *consil.* 619. *nu.* 2. Menoch. *consil.* 33. *num.* 21. Rebuf. *Ad l. Creditorum.* ver. *Quilibet. ff. de verber. significat.* Azeuedo *l.* 2. *num.* 2. *tit.* 10. *lib.* 10. *Noua recompil.* Leo *par.* 1. *thes. fori Ecclesiast. capit.* 15. *numer.* 69.

6 Confir. 2. Si non posset quilibet sacerdos absoluere etiam proprio sacerdote præsente, nec etiam proprius posset absoluere eum, qui habet casus reseruatos, quando esset præsens, cui reseruati sunt. Hoc autem, quamuis soleat admitti à Doctoribus oppositæ sententiæ, non tamen subsistere potest secundum Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. quia ibi declarat, quod in articulo mortis nulla sit reseruatio, haberet autem locum reseruatio, si proprius sacerdos non posset absoluere à reseruatis præsente eo, cui reseruata sunt. Quod si dicas, proprium sacerdotem posse absoluere à reseruatis, quia tunc est sublata reseruatio, vt declarat Concilium; eadem ratione erit dicendum, quod possit quilibet sacerdos in præsentia cuiuscunque absoluere, quia Concilium dicit absolutè, quod omnes sacerdotes possunt absoluere quoscunque poenitentes.

7 Confir. 3. In concursu proprij sacerdotis, & priuilegiati, seu delegati potest quisque relicto proprio cõfiteri ex mera voluntare priuilegiato, seu delegato: ergo etiam in articulo mortis potest quilibet confiteri cuicunque simplici sacerdoti in præsentia, & concursu proprii sacerdotis. Anteced. constat ex praxi, quæ continuo obseruatur in Ecclesia, dum relicto proprio sacerdote fideles confitentur regularibus, qui tanquam priuilegiati, & delegati Apostolicæ sedis excipiunt confessiones quorumcunque alienorũ subditorum. Conseq. prob. Quilibet sacerdos pro articulo mortis est priuilegiatus, & delegatus à iure, & proinde

de habet suam iurisdictionem pro illo casu etiam in concursu, & præsentia ordinarii sacerdotis.

8 Dices. Hoc priuilegium, seu delegationem pro articulo mortis non competere simplicibus sacerdotibus absolutè, sed solum sub conditione, si nimirum non possit haberi copia sacerdotis aliàs approbati. Verum hæc responsio non potest subsistere; nam sine fundamento inducitur hæc conditio; imo contra id quod habetur ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 7. de pœnit.* vbi siue disponendo, siue declarando, absolutè habet, quod in articulo mortis quilibet sacerdos potest absoluere quoslibet pœnitentes, & proinde habere iurisdictionem ex priuilegio, seu delegatione; nec ponit aliquam conditionem, sub qua illam habeat, & proinde non est præsumendum, quod illam habeat sub conditione defectus sacerdotis approbati, cum id non dicat. *l. dissentientis. C. de repud.* & cap. *Illa. De sede vacante.*

9 Ad 1. autem argumentum oppositæ sentent. resp. Concilium Tridentinum non solum commendare cõsuetudinem Ecclesiæ, sed etiam declarare, quænam sit, nimirum vt absolutè possit quilibet simplex sacerdos in præsentia cuiuscũque absoluere quoslibet pœnitentes, vt constat ex dictis. Vnde etiam si in iure veteri aliter habeteur, standum esset nouæ declarationi, cum sit auctoritatiua. Verum in iure veteri non statuitur in oppositum. Nam in Cap. *Aurelius*, & in capit. *fin. 26. quæst. 6.* est sermo de publica reconciliatione, per quam publici pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ; vt constat ex contextu. Alioquin neque etiam in absentia proprii sacerdotis, posset simplex sacerdos absoluere, quia in dicto cap. *Aurelius*: statuitur, quod præsbiter consulto Episcopo, & eius præcepto reconciliet constitutum in periculo. Reconciliatio autem publici poenitentis non cõceditur præsbitero præsente Episcopo, quia est actus iurisdictionis in foro exteriori. In cap. autem *Præsbiteri*, non est sermo de articulo mortis sed absolutè statuitur, quod præsbiteri reconcilient poenitentes de occultis peccatis iussione Episcopi, quia nimirum sine ipsius licentia hoc præstare non possunt, & quod infirmantes absoluant, & communicent.

10 Ad 2. Non rectè colligi conclusionem ex illis textib. Nam in Extrauag. *Inter cunctas.* solum statuitur, quod quando sacerdos absoluit in articulo mortis excommunicatum, debeat iniungere, vt si liberatus fuerit, compareat coram superiore ad suscipiendum mandatum ipsius: non autem, quod non possit absolui, si non possit recurrere ad superiorem; aliud est enim mandatum superioris suscipere, & aliud absolui. In illa autem *Extrau. 1. de senten. excom.* solum declaratur, quod excommunicatio illa, de qua ibi non sit reseruata in articulo mortis. Vnde nihil ex his tex. deduci potest, quod faciat pro opposita sententia.

11 Ad 3. neg. conseq. Quia, cum, vt modo dictum est, aliud sit absolui, & aliud suscipere mandatum à superiori, non sequitur ex eo, quod constitutus in articulo mortis teneatur suscipere mandatum, non possit absolui, licet præsente superiori. Nam cum in articulo mortis nulla sit reseruatio, vt habet Concilium Tridentinum. *sess. 14. cap. 7. de pœnit.* poterit absolui ab inferiori etiam præsente superiori, quia tunc non est ipsi aliquis casus reseruatus. Adde, quod neque tunc tenetur ab ipso suscipere mandatum; quia obligatio suscipiendi mandatum iuxta dict. cap. *Eos qui. de senten. excom.* & alios text. est conditionatum. Si nimirum absolutus conualuerit, & ideo non obligat, nisi posita conditione.

12 Ad 4. neg. conseq. quia non licet arguere à negatione iurisdictionis in foro exteriori ad negationẽ iurisdictionis in foro interiori; & ideo licet simplex sacerdos non possit absoluere publicum excommunicatum pro foro externo præsente prælato; non sequi-

tur, quod non possit absoluere quoad forum conscientiæ. Nam habetur, quod talis excommunicatio in articulo mortis non sit reseruata, & quod omnes sacerdotes possint absoluere pro foro conscientiæ: quod non habetur pro foro externo.

13 Ad 6. neg. quod assumitur; nam obuiare necessitati, ne aliquis ratione reseruationis pereat, non fuit causa finalis huius concessionis, sed causa impulsiua. Causa enim finalis fuit reddere amplum remedium salutis, quantum fieri posset, & consulere consolationi poenitentium, vt possent confiteri cum eo sacerdote, qui magis animo ipsorum satisfaceret; & ideo ita exigente hoc fine concessit absolutè hanc facultatem omnibus sacerdotibus sine restrictione ad inopiam confessarij approbati, & qui aliàs habeat iurisdictionem. Vnde, licet cesset necessitas, non cessat concessio, quia non cessat ad cessationem causæ impulsiuæ, vt notant Bald. *consil.* 337. *numer.* 2. *lib.* 3. Cephal. *consil.* 81. *num.* 8. Ias *in l. Si pecuniam. num.* 18. *ff. de cond. cau. dat.* Hippolit. *in l. Si quis iudicium num.* 2. *& 3. ff. de quæst.* Tiraquel. *tract. cessan. cau. limit.* 1. *num.* 2. Rota. *decis.* 437. *num.* 3. *& decis.* 587. *n.* 6. *par.* 1. *Recent.*

14 Ad 6. neg. assumptum. Nam tali interpretationi obstat opinio tot Doctorum, qui contrariam opinionem sequuntur. In conflictu autem opinionum potest allegari praxis interpretatiua, quia praxis non inducit interpretationem, quando Doctores in contrarium sentiunt; nam interpretatio debet esse rationabilis, & circa sensum legis, seu dispositionis; in conflictu autem opinionum, quamuis sit rationabilis secundum se, non potest esse rationabilis tanquam exclusiua oppositæ partis, quia cum hæc quoque pars sit rationabilis tanquam fundata in probabilitate, non potest excludi per praxim, cum non possit ratio esse contraria rationi. Et ideo ad excludendum requiritur certitudo, quæ sit fundamentum praxis, ita vt excludat probabilitatem oppositi, & faciat apparere irrationabile. Quod autem præsente legitimo sacerdote quis non confiteatur simplici sacerdoti inde prouenire potest, quia putet se obligari; vel quia sequatur talem opinionem; vel quia cum res controuersa sit, velit sequi, quod est certum apud omnes; quia iudicet esse conueniens; vel quia simplex sacerdos præsente legitimo nolit se ingerere. Vnde cum ex tam multiplici capite prouenire possit, quod postponatur simplex sacerdos, non est talis praxis fundamentum sufficiens pro opposita opinione. Deinde cum casus rarò accidat, non potest legitimè constare de hac praxi. Ad 7. neg. consequent. vt constabit ex dicendis. *quæst. sequent.*

15 Ex dictis colligitur. Quemlibet sacerdotem posse absoluere in articulo mortis à quibuscunque reseruatis; non solum inferioribus prælatis, sed etiam Summo Pontifici, licet contineantur in Bulla coenæ. quia vt habetur ex Concil. Tridenr. dict. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* in articulo mortis nulla est reseruatio, sed tota iurisdictio fori poenitentialis, etiam quæ competit Summo Pontifici, est pro illo casu delegata cuicunque inferiori sacerdoti, vt notant Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quæst.* 5. Ledesma *par.* 1. *sum. tract. de poenit. cap.* 14. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num.* 1. Gutierez *lib.* 1. *canon. quæst. cap.* 1. *num.* 58. Facundez *precep.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 7. Ricciul. *lib.* 5. *de person. extra Eccles. grem. cap.* 14. *num.* 18. Auila *par.* 2. *de censur. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 4. Sayr. *lib.* 2. *de censur. cap.* 18. *num.....* Suarez *disp.* 11. *de censur. sect.* 1. *numer.* 14. Cened. *collect.* 103. *numer.* 3. *ver. In mortis.* Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæstion.* 10. *punc.* 2. Coriolan. *par.* 1. *de casib. reser. sect.* 2. *ar.* 16. Homobon. *de humanæ vitæ stat. par.* 1. *cap.* 16. ver. *Porro.* Comit. *lib.* 1. *respon. moral. quæst.* 21. *numer.* 1. Campanil. *in diuer. iur. rubr.* 1. *num.* 110. Coninch. *disp.* 8. *de poe-*

pœnit. n. 90. Fernandez par. 2. Exam. theol. mor. cap. 9. §. 18. Ricciu. decis. 20. cur. archiepis. par. 4. & alii citati supra pro posteriori sententia. Ex quo fit, quod absolutus in articulo mortis, quantum est ex vi reseruationis, non obligetur, si conualuerit, se præsentare superiori, vt iterum absoluatur: sed solum ratione censurarum, vt ab ipso recipiat mandatum de eo, quod agere debet. Vnde si casus reseruatus nullam habeat annexam censuram, non tenebitur comparere, aut etiam si sit absolutus ab eo, qui alias potest à reseruatis absoluere, etiam extra mortis articulum.

An hæreticus, excommunicatus, aut alio canonico impedimento detentus possit absoluere in articulo mortis præsente sacerdote non impedito. Quæst. 173.

S V M M A.

1. *Sacerdos canonicè impeditus an possit in articulo mortis absoluere præsente non impedito.*
3. *Canonicum impedimentum ligat iurisdictionem in foro conscientiæ etiam in articulo mortis, & quomodo.*
4. *Quid requiratur vt talis iurisdictio possit exerceri.*
5. *Inter canonicè impeditos an, & qualis ordo seruandus.*
6. *Cur sacerdoti impedito relaxatur absolutè impedimentum pro articulo mortis.*
6. *Diuersus finis relaxationis impedimenti, & confessionis facultatis abluendi pro articulo mortis.*

1 Prima sentent. asserit, adhuc posse absoluere, & posse eligi à pœnitente quemcunque impeditum non obstante, quod alij non impediti, ac etiam legitimi adsint. Ita Marchin. de peste par. 3. cap. 3. numer. 23. & sequent. Bossi. de sept. mor. 2. dub. 8. num. 69. in fine. Fundamentum est, quia omnes impediti siue hæretici, siue excommunicati habent iurisdictionem pro articulo mortis æqualiter cum non impeditis, ita vt non pendeat ab absentia non impeditorum, alioquin res esse plena scrupulis, & impeditus non posset absoluere in dubio, an posset aduocari non impeditus: ergo semper potest eligi impeditus.

2 Secunda sententia docet, Non posse eligi hæreticum, aut alium impeditum in præsentia non impediti. Ita Henriquez liq. 6. sum. cap. 11. ... Zambran. in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. ... Suarez disp. 26. de pœnit. sect. 4. num. 4. Bonic. disp. 1. de censur. quæst. 3. punc. 3. num. 3. Vasquez 3. part. disp. 93. artic. 1. dub. 4. Coninch. disp. 8. de poenit. dub 2. num. 16. Reginal. lib. 1. praxis fori poenit. num. 61. Ledesma par. 1. sum. tract. de poenit. cap. 14. dub. 4. Sanchez lib. 2. sum. cap. 13. num. 7. Laiman. lib. 5. theol. moral. tract. 6. capit. 12. num. 14. ver. Porro. & alii communiter, præsertim qui volunt esse seruandum ordinem inter confessarios, vt citati quæst. præcedenti. num. 1. pro prima sententia.

3 Et hæc posterior opinio tanquam probabilior tenenda est. Ratio autem est, quia licet omnes sacerdotes habeant iurisdictionem pro articulo mortis, quando tamen aliquibus superuenit impedimentum canonicum, licèt non conferatur talis iurisdictio, ligatur tamen, vt non possit exerceri: ergo non poterit habens tale impedimentum absoluere in periculo mortis, cum sit canonicè impeditus. Poterit tamen defectu alterius sacerdotis non impediti, quia in tali casu censetur Ecclesia suspendere impedimentum pro illa vice; quia cum iure positiuo ponente tale impedimentum concurrit ius naturale, & diuinum exigens subuenìri moribundo per media instituta à Christo; & ideo

ideo debet cedere ius positiuum.

4 Ad fundamen, oppositæ senten. resp. Hæreticos, excommunicatos, & alios canonicè impeditos habere quidem iurisdictionem pro articulo mortis, sed canonico vinculo ligatam, vt non possit exerceri extra casum necessitatis. Neque sequitur, quod res sit plena scrupulis: nam sufficit, vt possit exerceri, quodcunque probabile indicium, quod haberi non possit sacerdos non impeditus: nam impedimentum canonicum ex intentione Ecclesiæ suspenditur ad quodlibet probabile iudicium necessitatis tanquam ad conditionem, qua posita subintrat potestas Ecclesiæ tollens impedimentum pro illa vice. Vnde etiam, si reuera non adsit necessitas, dum modò putetur adesse, suspenditur impedimentum; nam Ecclesia non intendit suspendere ad solam veram necessitatem, sed ad iudicium probabile de necessitate.

5 Ex his colligitur cum Nugno 3. *par. quæst. 8. supplem. artic. 6. dub. 4.* Esse seruandum ordinem inter canonicè impeditos, vt nimirum præferantur, qui minori impedimento sunt impediti, & quod facilius relaxari potest. Et proinde primò loco excludendus est hæreticus, secundo loco schismaticus; tertio degradatus; quartò excommunicatus non toleratus; quinto excommunicatus toleratus; sexto suspensus, à quo erit incipiendum tanquam ab habente minus impedimentum. Ratio autem est, quia maior prohibitio præualet minori, nec censetur relaxari ab Ecclesia, quando sufficit relaxatio minoris.

6 Dices. Ecclesia, vt reddat facile, & quantum fieri potest promptum sacramentum poenitentiæ pro moribundis concedit facultatem simplici sacerdoti, vt etiam in præsentia approbati illud ministret. ergo ob eamdem causam concedet etiam, quod impeditus ministret præsente non impedito. Resp. neg. conseq. Quia constat, quod cuilibet sacerdoti indifferenter sit, & absolutè concessa talis facultas, & quod non sit restricta pro absentia approbati; at è contra constat quod facultas ista in impedito est ligata absolutè, nec constat de relaxatione pro articulo mortis, nisi ex interpretatiua voluntate Ecclesiæ, non est censenda relaxata, nisi quatenus necessitas exigit. Instabis. Relaxatio impedimenti habet eumdem finem, quem habet concessio facultatis. ergo sicut concessio habet locum præsente approbato, ita etiam relaxatio. Resp. neg. anteced. Nam finis concessionis debet habere finem vniuersalem sicut est ipsa concessio: at relaxatio habet solum pro fine, ne quod adhibetur in bonum Ecclesiæ ex vna parte, noceat alteri ex alia. vnde finis tantum exigit, quòd obuietur nocumento, quod fit, si impedimentum relaxetur deficiente alio sacerdote. Deinde cum non sit rationabile quod moribundus velit confiteri cum excommunicato, dum habet copiam alterius, non præsumi, quod sit de ipsius consolatione, confiteri cum ipso, & ideo Ecclesia hoc concedit.

An dispositio Concilij Tridentini. sess. 14. cap. 7. habeat locum in periculo mortis. Quæst. 174.

SVMMA.

1 *Sacerdos simplex absoluere potest. non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis in defectum approbati.*

2 *Quod disponitur à Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. pro articulo, an habeat locum in periculo mortis.*

4 *Articulus, & periculum mortis exigunt diuersam prouisionem pro sacramento poenitentiæ.*

4 *Dispositio non trahitur vltra verba, nec vltra rationem.*

Vbi

4 *Vbi diuersa ratio, ibi diuersa dispositio.*

5 *Prælium de proximo initurus non potest absolui à simplici sacerdote.*

6 *Aggressurus iter periculosum, aut periculosam nauigationē non potest absolui à simplici sacerdote.*

---

1 EX resolutione propositæ difficultatis dependet, an simplex sacerdos possit absoluere constitutos in solo periculo mortis. Cum enim articulus mortis, & periculum distinguantur, vt dictum est in superioribus *quæst.* 1. quia nimirum articulus mortis dicit mortem in fieri, oritur difficultas, an possit simplex sacerdos absoluere etiam constitutos in periculo mortis. Et quidem si non possit haberi alius sacerdos approbatus, poterit absoluere, nam tunc subintrat necessitas, quæ facit præsumi iurisdictionem concessam non solum ex generali voluntate Ecclesiæ, qua vult prouidere omnibus de remedijs necessarijs ad salutem, sed etiam ex speciali, vt in cap. *Si quis suadente 17. quæstion.* 4. & cap. *Ea noscitur. de sentent. excommunicat.* & cap. *Eos qui de sent. excommunicat. in 6.* ex quibus textib. habetur specialis voluntas, quod in periculo mortis possit quilibet absolui ab ijs, à quibus aliàs non posset absolui in defectum illorum, ad quos absolutio spectat. Vnde solum difficultas remanet, quando habetur copia sacerdotis approbati.

2 Prima sententia est affirmatiua, & desumitur ex ijs, qui docent, quod periculum mortis sit idem, ac articulus in ordine ad absolutionem, vt Nauar. *cap. 27. Manual. nu. 272.* Henriquez *lib. 6. sum. cap. 11. num. 3.* Coriolan. *de casib. reseruat. par. 1. sect. 2. artic. 16. num. 3.* Præposit. *3. par. quæstion. 7. de minist. sacram. pœnit. dub. 1. n. 43.* Qui similiter docent, quod simplex sacerdos etiam in præsentia approbati potest absoluere in articulo mortis. Nauar. *consil. 23. de pœnit. in 2. edit.* Henriquez *cit. loco nu. 6.* Coriolan. *eodem loco*. & alii, qui vtrumque docent.

3 Secunda sententia est negatiua: Ita ij, qui negant articulum, & periculum mortis esse idem in ordine ad absolutionem, vt Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 4. ver. Quæres autem.* Canus *Relect. de pœnit. par. 5.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 7.* Graf. *par. 1. decis. lib. 1. cap. 13. num. 64.* Mandos. *in Praxi signat.* Tit. *Confessionale.* Couarru. *in cap. Alma mater par. 1. §. 11. numer. 8. in fine*, & alii. Insuper ij quoque, qui absolutè negant posse simplicem sacerdotem absoluere, etiam in articulo mortis præsente approbato.

4 Quare cum hac posteriori sententia tenendum est, quod dispositio Concilij Tridentini non habeat locum pro iis, qui sunt tantum in periculo mortis, & proinde non possint absolui à simplici sacerdote præsente approbato. Ratio autem est; quia periculum mortis solum dicit, quod mors possit probabiliter superuenire, non autem, quod incipiat superuenire, at articulus mortis dicit, quod iam mors incipiat superuenire, & quod secundum quamdam probabilitatem sit ineuitabilis, ergo adest diuersa exigentia prouisionis remedii in articulo, & periculo mortis in ordine ad salutem, ita vt articulus mortis exigat maiorem prouisionem, & maiorem facilitatem, atque adeo quod remedium sit, quàm maximè fieri potest, vniuersale. Vnde adest diuersa ratio in his casibus, ita vt quæ militat in vno, non militet in alio, & proinde debet etiam esse diuersa iuris dispositio. *l. Inter stipulantem. §. Sacram. ff. de verbor. obligat.* & *l. fin. ff. de ritu nupt.* Et ideo quod à Concilio dispositum est pro articulo mortis, non potest trahi ad periculum, cum casus periculi neque sub verbis, neq. sub ratione dispositionis comprehendatur; & dispositio non trahatur vltra verba. *l. Quod constitutum. ff. de milit. test.*

iest. Nec vltra rationem. *l. Vnum ex familia. §. fin. ff. de leg. 2.*

5 Ex his colligitur eos, qui de proximo inituri sunt prælium, non posse absolui à simplici sacerdote, si adsit approbatus, qui possit absoluere; quia licet sint in periculo mortis, vt dictum est in superioribus. *quæst. 4. num. 10.* non sunt tamen in articulo mortis. Siquidem, vt aliquis sit in articulo mortis, debet mors ipsi specialiter imminere, atque adeo, causæ illatiuæ mortis debent esse specialiter applicatæ circa ipsum; vt dictum est *quæst. cit num. 2.* Qui autem de proximo inituras est prælium, non habet causas illatiuas mortis circa seipsum applicatas cum per accidens sit, quod hic, vel ille in prælio occidatur. Vnde mors eorum, qui præliaturi sunt, non est pro hoc, vel illo determinate in fieri, sed tantum pro hoc, vel illo indeterminate. Quod etiam dicendum est de iis, qui defendunt ciuitatem obsessam, qui ob eamdem causam, licet sint in periculo mortis, non sunt tamen in articulo.

6 Colligitur secundo. Neque eos qui aggressuri sunt periculosum iter, aut periculosam nauigationem, posse absolui à simplici sacerdote, quando habetur copia approbati. Quia neque ipsi sunt in articulo mortis, cum non solum causæ illatiuæ mortis non sint circa ipsos determinatè applicatæ, sed neque etiam adhuc existant. Et eodem modo resoluendum est, de iis omnibus, qui solum constituti sunt in periculo mortis, de quibus dictum est in superioribus citata *quæst. 4.*

An damnati ad mortem possint absolui etiam à simplici sacerdote quando approbatus haberi potest. Quæst. 175.

S V M M A.

1 *Damnati ad mortem possunt absolui iuxta dispositionem Trident. sess. 14. cap. 7. de poenit.*
2 *Damnati ad mortem sunt in articulo mortis.*
3 *Consuetudo quomodo inducatur.*
3 *Damnatus ad mortem habetur pro reposito inter mortuos.*
4 *Priuilegium per modum legis non cessat per non vsum.*
5 *Praxis fundata in ignorantia iuris non habet vim.*
5 *Obseruantia irrationabilis non potest præscribi.*

1 Resolutio difficultatis dependet ex eo, an sint in articulo mortis. Itaque tenendum est, quod sint in articulo mortis, atque adeo possint absolui iuxta dispositionem Concilii Tridentini. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* à quolibet simplici sacerdote etiam præsente approbato. Ita tenere debent ii omnes, qui volunt, quod etiam præsente approbato possit simplex sacerdos absoluere constitutos in articulo mortis, quos supra *quæst. num.* citaui.

2 Quod autem sint in articulo mortis, tradunt Sotus *in 4. dist. 17. quæst. 4. ar. 4.* Couaruu. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. num. 8. ver. Quod si mor.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. numer. 1.* Rodriquez *in Bullam Cruciata. §. 9. num. 38.* Trullench *in eamdem Bullam. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. n. 2.* Floron de

de casib. reser. par. 1. cap. 4. §. 20. nu. 3. Finel. *de casib. reser. cap. 8. num. 7.* Petrus Hurtad. *disp. 84. de fide, sect. 8. num. 125.* Bard. *in Bullam Cruciatæ. par. 12. tract. 6. cap. 6. sect. 2. numer. 19.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 10. punc. 3.* ver *Primo cum poenitens*. Et ratio est, quia ille est in articulo mortis, qui habet causas illatiuas mortis circa seipsum determinatè applicatas; nam ex hoc fit, quod mors ipsius sit in fieri. Damnati autem ad mortem habent causas inductiuas mortis circa seipsos applicatas, nempe sententiam iudicis, et mandatum exequutionis, quæ sunt cauæ efficaces mortis; & ideo articulus mortis in ipsis est magis certus, quàm in illis, qui naturali morbo intereunt; si quidem hi euadere possunt.

3 Dices. Licet hoc de iure verum sit, ex consuetudine tamen aliter seruari, quæ interpretatur legem, vt fauor non censeatur concessus pro ipsis. Verum hæc responsio non potest subsistere. Quia consuetudo non inducitur, nisi ex actibus voluntariis, & ex animo se obligandi, ita vt in operante adsit animus inducendi ius, aut talem legis interpretationem, quæ auctoritatiua sit, vt communiter tradunt Panorm. *in cap. fin.* ver. *Septimo requiritur. de consuet.* Ripa *Respon. 1. init. de consuet.* Alex. *in l. 1. §. Lex falcidia. ff. Ad leg. Falcid.* Rolan. à Valle *consil. 2. num. 126. lib. 1.* Craueta *consil. 171. num. 14. lib. 1.* Osasch. *decis. Pedem. 99. n. 9.* Sotus *lib. 1. de iust. & iure. quæst. 7. ar. 2.* Syluester *verbo.* Consuetudo. *num. 7.* Tabiena. *num. 10.* Sayr. *lib. 3. clauis reg. cap. 10. num. 9.* Azor. *par. 1. lib. 5. cap. 18. quæst. 5.* Medina *1. 2. quæst. 97. ar. 3. §. Circa tertium.* ver. *Tertia conclusio.* Valquez *disp. 177. cap. 2. in fine.* In eo autem, qui non est liber, sed est sub dominio Curiæ, à qua aduocantur confessarii, non potest præsumi animus, inducendi consuetudinem, quæ obliget. Quod præsertim verum est. Quia licet damnatus ad mortem adhuc viuat, cum tamen per sententiam sit inter mortuos repositus, habetur pro segregato ab humano commercio, quia cum de iure sit vita priuatus, est etiam priuatus ijs, quæ in ipsa vita habent fundamentum, & ideo non potest exercere actus conceernentes ea, quæ pertinent ad humanum commercium, quales sunt actus inductiui consuetudinis.

4 Præterea. Lex quæ concedit, posse vnumquemque sacerdotem absoluere constitutos in articulo mortis, est fauorabilis, & priuilegiatiua illorum, qui sunt in articulo mortis. Quando autem priuilegium est concessum à iure, cum se habeat per modum legis ordinatæ ad bonum commune, non cessat per non vsum, vt constat de priuilegio comedendi carnes in feria sexta, & Sabbato, quando in eis incidit festum Natiuitatis Domini, vt in *capit. fin. de obseruat. ieiun.* & notat Merol. *tom. 3. theol. moral. disp. 6. cap. 7. dub. 1. difficul. 1. num. 18.*

5 Nec etiam allegari potest in contrarium Praxis, & obseruantia iudicum, & coeterorum ministrorom aduocantium solos approbatos confessarios pro damnatis ad mortem. Nam si hoc fiat, vel ex errore, quia putant, non posse coeteros administrare sacramentum, & tunc non habet uim, cum sit fundata in ignorantia, iuxta tradita per Glos. *in cap. fin. de consuet.* Cardin. *ibid.* Innocent. *in Rubr. nu. 4.* Glos. *in l. 2. C. quæsit. longa consuet.* Bart. *ibid. quæst. 17.* Bald. *in l. De quibus. num. 30. ff. de legib.* Roman. *consil. 368. n. 5.* Vel fuit inducta ista obseruantia cum scientia priuilegii concessi à iure; & tunc tanquam irrationabilis est imprascriptibilis, vt tradunt Hostiens. *in cap. 1. num. 2.* ver. *Verum, si subtiliter. de maior. & obed.* Io. Andr. *ibid. num. 3.* Cardin. *num. 3.* ver. *Item quæro.* Ananias *num. 1. in fine.* Butr. *num. 11.* Imola *num. 2. in fine*. Cum enim tollat priuilegium à iure concessum constitutis in articulo mortis, & restringat remedium salutis, & priuet illos miseros benignitate Ecclesiæ, & con-

ſolatione conſcientiæ aſſumendi ſacerdotem ſibi bene viſum, eſt habenda pro irrationabili.

An, qui verſantur in loco peſtilentia infecto poſſint abſolui à quocunque ſacerdote iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini. Quæſt. 176.

SVMMA.

1 *Qui non eſt correptus peſtilentia licet ſit in loco peſtilenti, non poteſt abſolui à ſimplici ſacerdote.*
2 *Secus autem, ſi ſit correptus peſtilentia.*
2 *Peſtilentia correptus habetur pro ineuitabiliter morituro.*
3 *Licet aliquando per accidens euadat.*

1 DIfficultas procedit, quando adeſt alius ſacerdos, qui poſſit abſoluere ex præhabita approbatione; nam certum eſt, quod in defectu approbati, poterit non approbatus miniſtrare ſacramentum poenitentiæ. Qui autem verſantur in loco peſtilentia infecto ſunt duplicis generis, nam aliqui ſunt peſtilentia correpti; alii verò non ſunt adhuc correpti, ſunt tamen in periculo, quod corripiantur. Et quoad hos, certum eſt, non poſſe recipere poenitentiæ ſacramentum à ſimplici ſacerdote, vt etiam praxis declarat, quia licet ſint in periculo mortis, quando peſtilentia graſſatur, & proinde gaudeant priuilegiis conceſſis pro periculo mortis, vt dictum eſt in ſuperioribus *quæſt.* *num.* 4. *& ſeq.* non ſunt tamen in articulo mortis, cum nondum cauſæ illatiuæ mortis ſint ſpecialiter circa ipſos applicatæ: vnde ſolum dubitatur de iis, qui iam peſtilentia correpti ſunt.

2 Dicendum autem eſt, Peſtilentia correptos gaudere priuilegio Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & proinde poſſe abſolui à quocunque ſacerdote etiam ſimplici in præſentia approbati. Hoc autem debet intelligi, quando peſtilentia eſt talis, vt ipſa infecti, vt plurimum moriantur, nam aliàs non poſſent abſolui, quia cenſerentur ſolum laborare morbo curabili. Ratio autem eſt, quia iuxta doctrinam, quam tradunt Gabr. *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 1. D. Antonin *par.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. Syluester. *verbo.* Indulgentia. *num.* 25. Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 13. *num.* 1. Duar. *in Bullam Coenæ. lib.* 3. §. 2. *quæſt.* 2. *numer.* 3. Rodriquez *in Bullam Cruciatæ* §. 9. *num.* 38. Trullench. *in eamdem Bullam lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. & alii, ſunt in articulo mortis. Cum enim ſecundum hos Doctores, articulus mortis ſit ille, in quo mors eſt ita probabiliter ſuperuentura, vt moraliter habeatur pro ineuitabili, qui peſtilentia correpti ſunt, quando vt plurimum ſolet mortem afferre, habentur pro ineuitabiliter morituris; nam ita habent cauſas mortis circa ſeipſos peculiariter applicatas, vt eam reddant moraliter certam, & ideo frui debent omnibus priuilegiis conceſſis conſtitutis in articulo mortis.

3 Dices. Aliqui ſolent euadere mortem, ergo mors non eſt re vera ineuitabilis. Reſpon. ſolere euadere mortem, ſicut etiam ſolent euadere, qui in aliis morbis ſunt in articulo mortis, nempe per accidens, quia nimirum ſuperuenit aliqua cauſa, quæ retundit vim morbi, nec ſinit inducere ſuos effectus. Non autem, quia vis morbi non ſit talis, vt non habeat efficaciam inferendi mortem, nec quia iam non incoeperit vitam deſtruere, & mortem inducere. Vnde adhuc mors eſt in fieri, & ſolum impeditur, ne perducatur ad eſſe completum.

An

An, quando superuenit sacerdos aliàs legitimus possit simplex sacerdos continuare incoeptam confessionem. Quæst. 177.

S V M M A.

1 Opinio Zambrani.
2 Simplex sacerdos potest perficere confessionem, quam incoeperat, superueniente approbato.
3 Incoepta confessione acquiritur ius pro complemento tàm à confessario, quàm à poenitente.
3 Delegatio, non expirat re non integra, licet alias deberet expirare etiam in foro interno.
4 Habens facultatem audiendi confessiones pro certo tempore, eo elapso prosequitur incoeptas confessiones non dum completas.
5 Superueniente approbato non tenetur moribundus ipsi confiteri, quando incoepit confiteri cum simplici sacerdote.
6 Moribundus confessus inualide cum simplici sacerdote, potest ipsi denuo confiteri præsente approbato.
6 Actum non fieri, & inualidè fieri idem sunt.
6 Confessio intelligitur de actu valido.
7 Moribundus inualidè confessus cum simplici sacerdote potest rursus ipsi confiteri transacto periculo.
8 Simplex sacerdos incipiens audire confessionem illius, quem putat esse in articulo mortis, potest prosequi, licet transeat periculum.

1 DIfficultas procedit in opinione illorum, qui volunt, quod in præsentia sacerdotis approbati non possit simplex sacerdos ministrare sacramentum poenitentiæ in articulo mortis. Zambranus autem *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 5.* putat non posse prosequi, sed reinchoandam esse confessionem cum approbato, nisi forte superueniens posset concedere licentiam perficiendi incoeptam confessionem. Fundatur in eo, quia cum simplex sacerdos habeat solum facultatem ratione necessitatis, cessante necessitate, cessat etiam facultas. Quod tamen fundamentum non subsistit, vt constat ex dictis in superioribus; quia necessitas est solum causa impulsiua, non autem finalis.

2 Itaque tenendum est, quod possit prosequi incoeptam confessionem. Ita docent communiter. Palud. *in 4. dist. 17. quæst. 4. ar. 3. conclus. 7. n. 25.* D. Antonin. *3. part. tit. 17. cap. 9. in fine.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 15.* Henriquez *lib. 6. cap. 11. n. 8.* Floron. *de casib. reser. par. 1. capit. 6. §. 19. numre. 19.* Marchin. *de peste par. 3. capit. 3. num. 13.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 11. num. 19.* Bonac. *disp. 1. de censur. q. 3. punc. 3. ver. Probabile tamen.* Bossius *discep. 2. moral. dub. 8. num. 75.* Trullench *in Bul. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. num. 5.* Ludouicus à Cruce *in eamdem Bul. disp. 1. cap. 3. dub. 15. num. 10.* Sanchez *in select. de sacram. disp. 44. num. 6.* Præposit. *3. par. q. 7. de minis. poenit. dub. 5. numer. 41.* Granad. *controuer. 7. tract. 10. disp 4. sect. 2. num. 12.* Diana *par. 5. tract. 3. resol. 66.*

3 Ratio autem est. Quia eo ipso, quod confessio est incoepta, & poenitens acquirit ius ad absolutionem, si coetera necessaria ex parte ipsius concurrant, & sacerdos sit in possessione exercendi illud sacramentale iudiciū, & ideo non potest deturpari ab illa possessione per id, quod alius superuenit, quia iam facit suum illum actum. Deinde iurisdictio delegata, quando ex natura sua expirare debet, non expirat; si res non sit integra, sed iam sit coepta exerceri capit. *Gratum*, & capit. *Relatum de offic. deleg.* Quod non solum valet pro foro externo, sed etiam pro poenitentiali, quia militat ea-

eadem ratio; nam quod non expiret, non prouenit, quod sit fori externi, sed quia res integra non est, sed coepit exerceri, & delegatus iam fecit suam illam causam, quod valet etiam pro iurisdictione fori interni. Iurisdictio autem simplicis sacerdotis pro articulo mortis est delegata.

4 Ex his colligitur. Eum, qui habet facultatem audiendi confessionem pro aliquo determinato tempore prosequi posse confessionem, quam inceperat, licet tempus assignatum sit elapsum, vt docent, Palud. *in 4. dist. 17. quæst. 4. ar. 3. conclus. 7. num. 25.* D. Antonin. 3. *par. tit. 17. cap. 9. in fine.* Lede ma *par. 1. sum. tract. de poenit. cap. 12. dub. 2. post. 5. conclus.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 15.* Bossius. *disp. 2. moral. dub. 8. num. 76.* Militat enim eadem ratio, quod tam poenitens, quam confessarius acquisierint ius ad actum completum, præsertim si poenitens oneretur repetitione peccatorum iam confessorum cum tali sacerdote. Deinde quia præfixio temporis, quatenus taxatiua est, censetur, facta sufficiens pro adimplendo illo munere, & complendo actu; nam hoc exigit recta ratio, vt quando præfigitur tempus pro al quo actu, conceda- tur sufficiens; vnde habet illa præfixio temporis annexam tacitam conditionem prorogationis, nisi sit sufficiens; aut licet de se esset sufficiens, ex aliquo tamen accidenti factum est insufficiens. Et proinde, quando Ordinarii concedunt Monialibus confessarios extraordinarios cum limitatione temporis, debent accipere talem limitationem morali modo, & cum capacitate congruentis extensionis.

5 Secundo colligitur contra Zambran. *in suis decis. cit. cap. 4. de poenit. dub. 5. num. 4.* Non esse necesse, quod dum audiente confessione simplici sacerdote superuenit approbatus, peracta confessione moribundus confiteatur postea approbato aliqua venialia, vt ab ipso obtineat absolutionem, & indirectè ab omnibus peccatis absoluatur, dato, quod non esset absolutus, quasi teneatur eligere hanc partem tanquam tutam. Nam, vt notat Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. n. 15.* iura omnia concedunt simplici sacerdoti iurisdictionē pro articulo mortis absque illa limitatione, quod expiret superueniente sacerdote approbato, nec talis conditio potest tacitè inesse, imò tanquam irrationabilis est reiicienda, nam esset conditio, quæ exponeret moribundum periculo, quod expiraret absque absolutione, quia deberet insumere tēpus in repetendis peccatis iam confessis; & interim periculum imminentis mortis non aduerti. Et cum Ecclesia intendat reddere remedium salutis, quantum fieri potest, amplum, nullam probabilitatem habet, quod ita restringat facultatem concessam ad hunc effectum simplici sacerdoti. Vnde hæc pars est tutissima, nec est necesse, quod moribundus ligat oppositam tāquam tutam.

6 Tertio colligitur, quod si moribundus fecit irritam confessionem cum simplici sacerdote; poterit postea cum eodem iterum confiteri supplendo defectum, ratione cuius fuit irrita, & iterum validè ab ipso absolui, etiam si habeat copiam legitimi sacerdotis, vt notant Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 16.* Io. à Cruce *in Bullam Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 15. num. 13.* Trullench. *in eandem Bul. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5. num. 5.* Diana *par. 5. tract. 3. resol. 66. ver. Sed quid.* Bossius. *discep. 2. moral. dub. 8. num. 77.* Ratio autem est. Quia dum confessio est irrita habetur pro non facta, quia pro eodem habentur, actum non fieri, & inualide fieri *l. Non putauit §. Non quæuis, ff. de bonor. possess. cont. tab.* vbi Bar. & *l. 1. §. quod ff. de offic. Præfec. vrb.* vbi Bald. Hippol. *in l. de vnoquoque num. 120. ff. de re ind.* Tiraquel. *de retr. lig. §. 1. glos. 10. num. 31.* & ideo cum sit incœpta, ob supradictam rationem potest compleri mediante supplemento defectus, & absolutione valida. Vnde omnis concessio semper intelli-

li-

ligitur de actu valido, iuxta ea, quæ tradunt Bald. *Consil.* 442. *lib.* 1. *& consil.* 477. *lib.* 2. Angel. *consil.* 159. ver. *de secundo*. Aret. *consil.* 142. *num.* 12. ver. *Et similiter*. Ancharan. *consil.* 6. *num.* 5. *& 6.* & latè Tiraquel. *in l. Boues. §. Hoc sermone limit.* 1. *num.* 1. *& seq. ff. de verbor. signi ficat.*

7 An autem qui inualide confessus est cum simplici sacerdote in articulo mortis, possit cum eodem validè confiteri transacto articulo mortis videtur affirmatiuè respondendum. Quia dum cum ipso incœpit confiteri, acquisiuit ius ad actum validum, & ideo cõfessionem incœptam potest complere ipsam reualidando, per nouam accusationem, & supplendo defectum, ratione cuius fuit inualida, & obtinendo nouam absolutionem nam ob eamdem rationem iurisdictio sacerdotis prorogatur, ne relinquat incompletum, & nullum actum inchoatum: Quod magis constabit ex dicẽdis quæstione sequenti.

8 Quartò colligitur. Quod si simplex sacerdos incipiat audire confessionem alicuius, qui putetur esse in articulo mortis, sed antequam ei impendatur absolutio, euadat periculum, adhuc perfici poterit confessio, & ab eodem sacerdote impendi absolutio, vt notat etiam Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 66. Nam adhuc militat eadem ratio, quia cum confessio incœpta sit saltem in præsumpto articulo mortis, quando aderat iurisdictio, pœnitens acquisiuit ius ad complementum actus, atque adeo ad absolutionem; & iurisdictionis exercitium semel cœptum, factum est illius sacerdotis, & ideo cũ possideat, potest prosequi actum vsque ad complementum.

An si is, qui confitetur in articulo mortis obliuiscatur aliquâ peccata, possit rursus superueniente approbato adhuc ea confiteri priori simplici sacerdoti. Quæst. 178.

SVMMA.

1 *Confessus in articulo mortis cum simplici sacerdote, an possit cum eodem oblita confiteri superueniente approbato, & num.* 2.

3 *Oblitus in iubileo alicuius reseruati potest transacto iubileo adhuc absolui.*

3 *Qui lucratus est Iubileum potest dispensari in voto, in quo tempore iubilei non petijt dispensari.*

4 *Peccata oblita in confessione pertinent ad iudicium sacramentale, in quo prætermissa sunt.*

5 *Confessio oblitorum est accessoria ad priorem confessionem, in qua sunt oblita.*

6 *Delegata iurisdictio ad tempus cessat etiam causa non completa elapso tempore, nisi consensu partium prorogatur.*

6 *Iurisdictio simplicis sacerdotis pro articulo mortis an duret in ordine ad peccata oblita.*

7 *Oblitus in articulo mortis alicuius peccati, an possit illud confiteri, si conualescat, simplici sacerdoti, cum quo erat confessus.*

1 Prima sententia est negatiua. Ita Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 5. *numer.* 2. Suarez 4. *par. tom.* 4. *de sacram. disp.* 23. *de poenit. sect.* 1. *num.* 2. *in fine*. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num.* 15. *in fine*. Ludouicus à Cruce *in Bullam Cruc. disp.* 1. *capit.* 3. *dub.* 15. *num.* 13. Trullench. In eamdem *Bul. lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 5. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 66. ver. *Sed quid.* Fundamentum est. Quia, quando confitentur peccata oblita, instituitur noua confessio, & nouum sacramentum.

Ve-

2 Verum probabilius puto, quod peccata oblita possit de nouo cum simplici sacerdote confiteri, & ab ipso absolui, etiam si adsit copia approbati. Hoc autem deducitur primò ex ea doctrina, quam tradunt quamplures, quod ille, qui tempore Iubilei confessus est, & est oblitus alicuius reseruati, potest postea absolui, si expirauerit tempus Iubilei. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 21. & lib. 4. sum. cap. 54. numer. 45.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 184. num. 15.* Portel. *in dub. Regul. verbo.* Iubileum. *numer. 19.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 145.* Homobonus *part. 1. exam. Ecclesias. tract. 5. cap. 6. quæst. 38.* Tanar. *part. 1. Director. confes. de sacram. poenit. cap. 2. quæst. 20* Quod alii extendunt etiam ad eum, qui non est confessus pro lucrando iubileo, quia non recordatur alicuius peccati mortalis, & postea recordatur alicuius reseruati, vt Sanctarel. *de iubil. cap. 13. dub. 2.* Alphonsus de Leone *par. 2. de Iubil. quæst. 17. numer. 197.* Ideo enim potest absolui transacto iubileo, quia acquisiuit ius ratione præcedentis confessionis ad perfectam absolutionem peccatorum etiam reseruatorum ratione iubilei. Hoc autem militat etiam in præsenti casu, nam dum in articulo mortis cōfitetur simplici sacerdoti acquirit ius ad completam absolutionem, atque adeo etiam ad directum quoad ea, quæ indirecte absoluta sunt.

3 Secundo deducitur ex alia doctrina; nimirum, quod ille, qui lucratus est Iubileum, si habeat aliquod votum, cuius sit oblitus, potest postea petere commutationem transacto iubileo: vel etiam si tempore iubilei recordaretur, & non peteret commutari. Ita Henriquez *lib. 7. de Indul. cap. 11. numer. 4.* Stunica *de voto quæst. 5. num. 37.* Sà *verbo* Indulgentia *num. 14.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 17. & lib. 4. sum. cap. 54. numer. 39.* Lessius *lib. 2. de iust. & iure. capit. 40. dub. 16. num. 109.* Portel. *in Dub. Regular. verbo.* Indulgentia *pro Iubileo. num. 18.* Zerola *lib. 2. de Iubil. cap. 12. dub. 10.* Fernandez *part. 3. exam. theol. mor. cap. 7. §. 8. num. 6* Sanctarel. *de iubil. cap. 13. dub. 1.* Alphonsus de Leone *par. 2. de Iubil. num. 200.* Diana *par. 2. tract. 16. resolut. 9.* Imò etiam plures volunt, quod id locum habeat, etiam si, qui confessus est pro lucrando iubileo, postea non sit lucratus, vt Alphonsus de Leone *loco cit. num. 203.* qui citat etiam Homobonum. Ratio enim, quæ militat in commutatione votorum oblitorum, militat etiam in peccatis oblitis. Sicut enim qui tempore iubilei confitetur, acquirit ius vigore facultatis tunc concessæ ad commutationem votorum, & ratione iuris acquisiti potest postea obtinere commutationem: ita etiam qui confitetur in articulo mortis simplici sacerdoti, acquirit ius, vt absoluatur ab omnibus peccatis: & confessarius acquirit ius super absolutionem impendendum, & proinde durat iurisdictio in ordine ad oblita tanquam ad ea, quæ tunc debuissent absolui, & subiecta sunt indirecte iurisdictioni ipsius.

4 Ratio autem est. Quia peccata oblita pertinent ad illud sacramentale iudicium, quod in articulo mortis inceptum est. Tum quia cum sint indirecte subiecta iurisdictioni, iam facta sunt illius iudicii. Tum quia directa absolutio, pro ipsis necessaria, est quodam complementum præteriti iudicii quoad modum iudicandi, ita vt fine tali complemento remaneat imperfectum. Tum quia peccata oblita pertinent ad integritatem præteritæ confessionis; ita vt in tantum teneatur pœnitens ea expresse subiicere clauibus, in quantum præcedens confessio non fuit materialiter integra, licet inculpabiliter. Ergo confiteri possunt eidem sacerdoti, cui in articulo mortis facta est confessio. Quia iurisdictio ipsi concessa pro articulo mortis est concessa in ordine ad actum perfectum, atque adeo extenditur extra articulum mortis, quando actus remanet imperfe-

fe-

fectus, vt constat ex dictis *quæst. præced. num. 2. & sequen.*

5 Ad fundamentum in opposit. resp. Institui quidem nouam confessionem, & nouum sacramentum, sed cõsequutiue ad præcedens, & in complementum ipsius, & ideo se habet veluti accessorie ad ipsum; & tanquam necessariam, vt prius iudicium completo modo se habeat; nam obligatio subiiciendi clauibus peccata oblita consurgit ex imperfectione prioris iudicii; & ideo pertinet ad iurisdictionem illius, qui primum sacramentum ministrauit, licet non priuatiue quòad alios.

6 Dices. Iurisdictio delegata ad certum tempus finitur transacto termino, etiam quòad incoeptas, nisi præfixus terminus ante transitum consensu partium prorogetur. Cap. *relatum de offic. deleg.* ergo cum simplici sacerdoti sit concessa iurisdictio pro articulo mortis transacto termino, seu articulo mortis expirabit, quando de consensu partium nõ prorogetur. Resp. neg. conseq. Nam articulus mortis nõ est terminus præfixus, pro quo duret iurisdictio concessa simplici sacerdoti, vt constat ex iuribus, quæ declarant talem iurisdictionem competere simplici sacerdoti; nam nunquam illam taxant quòad durationem pro illo termino. Sed solum est tempus, cuius intuitu conceditur; vnde iurisdictio est solum alligata tempori quòad inceptionem, non autem quòad prorogationem in eadem causa, nec quòad ius quæsitum tum à pœnitente, tum à confessario pro ipso. Deinde cum simus in iudicio voluntario ordinato ad salutem animæ, & in fauorem pœnitentis, habetur etiam tacita, & interpretatiua prorogatio partium in ordine ad totale complementum iudicii; quia eo ipso quod penitens confitetur, censetur velle perfecte satisfacere obligationi propriæ, nec adest pars contraria, quæ se opponat.

7 Ex dictis colligitur. Quod si is, qui in articulo mortis cõfessus est simplici sacerdoti, conualescat, & recordetur alicuius peccati prætermissi in confessione, poterit cum illo ipso sacerdote peccata oblita confiteri, quia in virtute præcedentis confessionis sũt facta iurisdictionis ipsius, & pertinent ad eius iudicium tanquam quid requisitum ad complementum. Est tamen aduertendum, quod si interim commisisset nouum peccatum mortale, ratione illius non poterit amplius oblita confiteri cũ illo simplici sacerdote; si quidem cum non possit absolui ab vno mortali, nisi absoluatur ab omnibus, nec possit ille simplex sacerdos absoluere à de nouo commissis, nec etiam poterit amplius absoluere ab oblitis.

An sacerdos excommunicatus absoluens in articulo mortis incurrat irregularitatem. Quæst. 179.

S V M M A.

1 *Sacerdos excommunicatus absoluens in articulo mortis an incurrat irregularitatem.*

2 *Absoluens non exercet ullum prohibitum.*

3 *Quid si ministret, quando adest copia sacerdotis non excommunicati.*

3 *Quid si ministret in articulo mortis.*

1 NAuar. *Cap. 26. Manual. num. 26.* asserit, fuisse communem opinionem ante Concilium Trident. quod non potuerit absoluere, & proinde absoluendo contraheret irregularitatem. Sed subdit post Concilium Tridentinum esse contrarium tenendum, quod etiam docet *cap. 27. num. 272. ver. Septimò.* Quod etiam docent Salzedo *in addit. ad Diaz in pract. crim. ad capit. 33. littera A. ver.*

ver. *Excusabitur etiam.* Barbosa *ad capit. 7. de poenit. num. 15. sess. 14. Concil. Trident.*

2 Et hæc sententia tanquam certa tenenda est: Nam in tantum contraheret irregularitatem, in quantum exerceret actum ordinis sibi prohibitum; at non exercet, quia in articulo mortis conceditur exercere, vt desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7. de poenit.* dum declarat, quod omnis sacerdos ministrare possit sacramentum poenitentiæ in articulo mortis; si enim potest, exercet actum sibi ab Ecclesia concessum, & proinde non punitur poena irregularitatis.

3 Ex dictis colligitur. Quod sacerdos excommunicatus contraheret irregularitatem, si ministraret sacramentum poenitentiæ in articulo mortis, quando adesset copia alterius sacerdotis non impediti aliquo canonico impedimento. Nam tunc, vt constat ex dictis supra *quæst. . . . numer. . . .* non censetur in tali casu Ecclesia relaxare impedimentum, vt possit exercere iurisdictionem, quam pro articulo mortis accepit in sua ordinatione, & ideo exercet actum sibi prohibitum. E contra verò si in periculo mortis ministret, quando non potest haberi alius sacerdos non impeditus, non contrahet irregularitatem; nam tunc stante necessitate censetur relaxari impedimentum pro illo casu, & concedi administratio sacramenti.

An sacerdos possit missam inhoatam relinquere vt audiat confessionem moribundi. Quæst. 180.

S V M M A.

1 *Missa relinquenda pro ministrando sacramento poenitentia moribundo.*

2 *Continuatio missæ ante consecrationem non est de iure diuino.*

3 *An possit interrumpi facta consecratione pro ministrando sacramento poenitentiæ.*

3 *Ius diuinum incertum cedit naturali certo.*

3 *Ius diuinum cedit naturali, quando, si non cederet, sequeretur damnum irreparabile.*

3 *Ius diuinum in concursu absolute cedit naturali.*

4 *Post consecrationem potest interrumpi missa ob ministrandum baptismum moribundo.*

5 *Potest interumpi missa ob ministrandam extremam vnctionem, quando aliud sacramentum non potest ministrari moribundo.*

6 *Semel interrupta missa ob ministrandum moribundo sacramentum poenitentiæ possunt ministrari etiam alia sacramenta.*

1 Casus facilè contingere potest in oppidis, vbi vnicus est tantum sacerdos. Et affirmatiuam sententiam tradit Zambranus in *suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 6. num. 5.* Quod colligit ex Glos. *in cap. nullus Episcopus. de consecrat. dist. 1.* verb. *Recedere* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 3. num. 4.* dum docent, posse interrumpi missam, vt baptizetur infans, & ex Nauar. *de hor. canon. cap. 16. num. 69.* Dum docet, posse interrumpi missam ex vrgentissima necessitate corporali. Addit etiam Zambran. posse interrumpi etiam post consecrationem interim custodiente aliquo sacrificium; & monet, quod sacerdos secum deferat Eucharistiam, & extremam vnctionem, & peractis, quæ sunt necessaria reuertatur ad complendum sacrificium.

2 Et quidem, quod possit interrumpi ante consecrationem, nullam difficultatem patitur; nam praxis obtinuit, vt interrumpatur ob causas minus graues; sic interrumpitur ob concionem, ob recipiendas oblationes. Ratio autem est. Quia continuatio missæ ante consecrationem est de iure positiuo: è contra verò ministrare sacramentum poenitentiæ est de iure naturæ, nã adest obligatio in sacerdote, vel ex iu-

sti-

stitia, si ex officio ei incumbat; vel saltem ex charitate.

3 Maior difficultas est, an peracta consecratione possit missam relinquere. In qua difficultate probabilius puto, quod possit relinquere, vt moribundo sacramentum pœnitentiæ ministret. Ratio est, Quia licet ius diuinum exigat, quod sacrificium oblatum consumetur, non est tamen certum, quod ius diuinum exigat continuationem sine interruptione. Econtra verò certum est, quod ius naturale exigit subueniri moribundo per sacramentum pœnitentiæ; vnde cum concurrat ius incertum cum certo, debet certum præualere. Deinde licet certum esset, quod ius diuinum exigeret continuationem sacrificii absque interruptione, adhuc tamen cederet ius diuinum. Tum quia ex eo quod interrumpatur sacrificium nullum inde damnum sequitur, neque fit ipsi aliqua irreuerentia, cum interruptio sit ex causa iustissima. At si non interrumpatur, & posthabeatur debitum naturale succurrendi constituto in graui necessitate spirituali, potest sequi damnum irreparabile, nempe damnatio æterna; vnde debitum naturale in hoc casu est magis priuilegiatum; & habet voluntatem Dei interpretatiuã, quod cedat ius diuinum. Tum quia in concursu iuris naturalis, & diuini, cedit diuinum, siquidem diuinum est posterius naturali, atque adeo est positum absque destructione illius, & cum tacita conditione, quod non liget, quando impediret ius naturale. Deinde: Ius naturale est immutabile, cum fundetur in æterna veritate practica, quæ omnino immutabiliter se habet; at ius diuinum fundatur in voluntate Dei libera, atque adeo contingenti, vnde potest mutari, & cedere, quando concurrit cum immutabili.

4 Ex dictis colligitur cum Doctoribus *numer.* 1. citatis. Posse à fortiori interrumpi missam post consecrationem ob ministrãdum baptismum puero moribundo, quando tamen nullus alius adesset, qui posset ministrare. Nam tunc puer est in extrema necessitate spirituali, dum nullum aliud habeat remedium salutis. Erit tamen ministrandus absque solemnitatibus, & consuetis coeremoniis, quia poterunt postea suppleri. Quod etiam valet de adulto stante difficultate habendi perfectam contritionem, nam si moribundo potest interrupto sacrificio ministrari sacramentum pœnitentiæ, cum tamen possit saluari per contritionem, poterit etiam ministrari baptismus, cũ eadem sit ratio.

5 Colligitur 2. Quod si infirmo nullum aliud sacramentum ministrari possit nisi extrema vnctio, adhuc ob ipsam ministrandam poterit etiam post consecrationem relinqui missa, vt notat Zambran. *in decis. cap. 4. de pœnit. dub. 6. num.* 5. Ratio est, quia tunc extrema vnctio fit remedium necessarium pro salute; siquidem cum sola attritione poterit moribundus saluari.

6 Colligitur, 3. vt notat etiam Zambran. *cit.* Quod si semel Isacerdos interrumpit missam, vt ministret sacramentum pœnitentiæ, poterit simul ministrare etiam eucharistiam; quia semel interrupta missa, parum refert, quod interponatur aliquod maius tempus, vt hæc sacramenta ministrentur, quæ erunt celeriter administranda adhibitis tantum ritibus, & cæremoniis necessarijs.

De absolutione in articulo mortis quoad reseruata.

An qui habet reseruata, teneatur in articulo, seu periculo mortis adire Superiorem per litteras, aut nuncium, aut ipsum arcessere. *Quæst.* 181.

SVMMA.

1 *Habens reseruata an in periculo mortis teneatur adire superiorem per litteras, vel nuncium.*
3 *Reseruatio obligat ad accessum ad superiorem iuxta mensuram sacramenti poenitentiæ.*
4 *Constitutus in periculo mortis, an teneatur aduocare superiorem, si habeat reseruata.*
5 *Potens accedere ad superiorem per epistolam, aut nuncium quomodo censeatur habere copiam illius.*
6 *Quomodo se gerere debeat confessarius si in periculo mortis inueniat poenitentem habere reseruata.*
7 *An grauiter ægrotans debeat pro reseruatis adire superiorem.*
8 *An regularis ægrotans teneatur pro reseruatis aduocare superiorem.*

1 DIfficultas procedit quando periculum mortis est imminens, ita vt non sinat, quod irretitus reseruatis possit personaliter accedere; nam si possit, debet accedere, cum non sit impeditus, nec in articulo mortis. Prima autem opinio asserit, quod debet recurrere ad superiorem vel per litteras, vel per nuncium mittendo aliquem, qui tacito nomine petat licentiam, vt possit absolui. Ita Zambran. *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 4. num.* 15. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *punc.* 3. *num.* 5. Fundamentum huius sententiæ est. Quia dum potest comparere coram superiore per alium, aut per epistolam, censetur habere copiam superioris, & proinde debet, ab ipso impetrare licentiam absolutionis, præsertim; quia qui se præsentat per procuratorem censetur per se ipsum se præsentare. Cap. *Episcopus. dist.* 18.

2 Secunda sententia tenet, quod tunc non habeat copiam superioris, qui non potest per seipsum personaliter illum adire, quamuis possit mittere Epistolam, aut nuncium, siue ipsum confessarium. Ita Henriquez *lib.* 6. *cap.* 9. *num. vlt.* & *lib.* 13. *cap.* 29. *numer.* 3. Nauar. *in Manuali cap.* 27. *n.* 90. ver. *Ad quintum.* Vgolin. *de censur. part.* 3. §. 4. *numer.* 1. ver. *Idem habet locum.* Sayr. *lib.* 2. *thesauri cap.* 16. *num.* 13. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 10. *punc.* 2. Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 5. Corduba *in sum. quæst.* 18. *punc.* 2. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 14. Alterius *de censur. lib.* 5. *disp.* 22. *capit.* 2. Floron. *par.* 1. *de cas. reser. c.* 4. §. 19. *n.* 9. Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 3. *num.* 25. Reginal. *lib.* 1. *praxis fori poenit, num.* 256. Bossius *discep.* 2. *moral. dub.* 8. *num.* 62. Auersa *quæstion.* 16. *de poenit. sect.* 3. ver. *Si verò.* Trullench. *in Bul. Cruc. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 6. Hurtad. *disp.* 84. *de fide. sect.* 8. §. 125. & 149. Ludouicus à Cruce *in Bul. Cruc. disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 6. Tanner *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 9. *dub.* 3. *num.* 67. Finel. *de casib. reser. cap.* 8. *num.* 3. Coriolan. *eod. tract. par.* 1. *sect.* 2. *artic.* 8. *numer.* 7.

3 Quæ sententia mihi videtur probabilior: vnde tenendum est, quod quando quis non potest per seipsum personaliter accedere ad superiorem, siue sit in articulo mortis, siue etiam in solo periculo non tenetur mittere nuncium, siue Epistolam, vt obtineat facultatem pro absolutione à reseruatis. Ratio autem est. Quia reseruatio obligat ad accessum ad superiorem iuxta modum, & mensuram, quo sacramentum poenitentiæ obligat ad accessum ad confessionem; si quidem est in consequentiam, & accessoria ad obligationem confitendi; & ideo obligat eo modo, quo obligat præceptum confitendi. Præceptum autem confitendi, non obligat, nisi quando potest pænitens per seipsum personaliter accedere ad confessarium: imo nec etiam potest accedere per nuncium, vel Epistolam iuxta Decretum Clementis VIII.

Con-

Confir. Reseruatio casuum pertinet ad forum poenitentiale, cum per ipsam superior sibi reseruet absolutionem aliquorum peccatorum. ergo est facta secundum mensuram iudicii sacramentalis; & secundum modum, quo exercenda est iurisdictio in foro poenitentiali. In foro autem poenitentiali poenitens solus, & auricularitèr, & secretò apud solum sacerdotem defert sua peccata cap. *omnis vtriusque de remiss.* & ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* ergo si non potest hoc modo deferre casus reseruatos superiori, cessat reseruatio tanquam solum facta iuxta mensuram, qua exercendum est iudicium sacramentale.

4 An autem teneatur constitutus in periculo mortis aduocare superiorem vt v. g. Episcopum. Inquisitorem, aut alium. Resp. negatiue, nisi sit solitus accedere ad constitutos in articulo, vel periculo mortis; quia vt notant Doctores pro sententia posteriori allati, non tenetur arcessere, quando id fieri non potest absque graui nota. Si autem superior non solet accedere ex alio fine ad huiusmodi personas, quàm vt absoluat, nunquam aduocari poterit absque graui nota, quia vnusquisque semper existimabit, quod aduocatus fuerit ob aliquod graue delictum, ratione cuius indigeat auctoritate ipsius; præsertim, quando non apparet rationabilis alia causa, ob quam accedat. Rursus etiam, cum in articulo mortis, sicut etiam in periculo imminenti cesset omnis reseruatio, vt infra dicetur, cessabit etiam onus adeundi superiorem.

5 Ad fundamentur in oppositum. disting. assumptum. Qui potest accedere per alium, vel per Epistolam ad superiorem, censetur habere copiam illius, si loquamur ciuiliter; secus autem, si loquamur in ordine ad tribunal sacramentale, quia in hoc tribunali exigitur præsentatio personalis immediata: & ideo se præsentare per procuratorem, non est se præsentare eo modo, quo exigit hoc tribunal.

6 Ex dictis colligitur. Confessarios accedentes ad audiendas confessiones eorum, qui sunt in periculo mortis cautos esse debere, ne quando reperiunt peccata reseruata, ita se gerant, vt causent aliquam grauem notam poenitenti, vel ipsum obligando, vt arcessat superiorem, vel etiam ipse suscipiendo onus adeundi superiorem pro obtinenda facultate absoluendi, quia talis accessus, si statim subsequatur potest esse causa, quod poenitens subeat grauem notam; vnde cum adsit impedimentum, nec possit poenitens per seipsum accedere, poterit absque vllo scrupulo illum absoluere etiam à reseruatis.

7 Secundo colligitur. Eum quoque excusari; ne pro reseruatis teneatur adire superiorem, qui grauiter ęgrotat; sed posse absolui à quocunque approbato confessario; cum enim nõ possit personaliter accedere, habetur pro legitimè impedito, iuxta cap. *Eà noscitur. de sentent. excom.* & cap. *Eos qui* *eod. tit. in 6.* & ideo absolui potest à quocunque confessario; præsertim, cum iuxta constitutionem Pij V. teneatur confiteri.

8 Tertio colligitur. Quod si apud Regulares aliquis habeat casum reseruatum suo superiori locali, & sit in articulo mortis, nõ teneri aduocare superiorem, quamuis moretur in eodem conuentu, sed posse absolui à quolibet alio, nisi forte superior accedat ad ipsum inuisendum. Cum enim non possit personaliter ad ipsum accedere, & non possit vocari in ordine ad confessionem sine graui suspicione, censetur non habere copiam illius à

An in articulo mortis confitendum sit illi superiori, cuius habetur copia deficiente supremo, cui peccata sunt reseruata.

Quæst. 182.

SVMMA

1 *Reseruata an confitenda in periculo mortis superiori minori, quando non habetur copia supremi, & num. 2. & 3.*
2 *Episcopus potest in diocesi, quicquid potest Papa in mundo, & quomodo, & numer. 4.*
3 *Reseruatio est in ædificationem.*
3 *Reseruatio urgente necessitate non deuoluitur ad superiorem immediatum, sed absolutè cessat.*
5 *Deficiente Episcopo in periculo mortis non est pro reseruatis recurrendum ad Parochum.*

1 PRrima sent. tenet, quod confitendum sit minori superiori, quando illius habetur copia, deficiente supremo, cui facta est reseruatio. Vnde si casus sit Papæ reseruatus erit confitendum Episcopo, si illius habetur copia. Ita Henriquez *lib. 6. sum. cap. 11. nu. 4.* Sayr. *lib. 2. thesauri. cap. 20. num. 27.* Zambrau *in decis. cap. 4. de poenit. dub. 4. numer. 14.* Suarez *disp. 26. de poenit. sect. 4. num. 4.* Alterius *de censur. lib. 5. disp. 23. cap. 2.* Duard. *in Bullam Coenæ* §. 2. *lib. 3. quæst. 5. num. 11.* Fundamentum est. Quia Episcopus de iure communi potest in sua Diocesi, nisi restringatur, quicquid potest Pontifex in tota Ecclesia, & ideo præsente Episcopo absolutio pertinebit ad ipsum.

2 Secunda sententia tenet, non esse recurrendum ad Episcopum, aut alium superiorem præsentem, sed sufficere quemcunque approbatum. Quod tamen vult procedere, quando de iure ordinario casus Papalis non est commissus Episcopo, vt si censura esset occulta, aut grauis percussio Clerici. Ita Molina *tom. 4. de iust. & iure. disp. 63. numer. 2.* Sanchez *lib. 2. sum. capit. 13. num. 9.* Laiman. *lib. 1. theol. mor. tract. 5. par. 2. cap. 6. num. 5.* Bossius *discep. 2. Moral. dub. 8. num. 6.* Syluester *verbo.* Asolutio 1. *num. 18.* Idem Suarez *disp. 30. de poenit. sect. 3. num. 5.*

3 Dicendum est. Non esse necesse confiteri in articulo mortis superiori subordinato præsenti in absentia superioris maioris, seu supremi, qui sibi casum reseruauit. Ita non solum Doctores modo allati pro posteriori sententia, sed etiam illi, qui putant posse absolui à quocunque etiam simplici sacerdote, licet præsente eo, ad quem de iure pertinet reseruatio. Ratio autem est, quia cum reseruatio sit restrictio iurisdictionis, non quomodocunque, sed in ædificationem, non autem in destructionem, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* quando non potest haberi recursus ad superiorem, & vrget necessitas, ex natura sua cessat, nec deuoluitur ad inferiorem, cum sit absoluta, nec facta sub conditione deuolutionis; alioquin non esset in ædificationem, sed in destructionem; atq. adeo superior subordinatus, non acquirit aliquod ius, ratione cuius ad ipsum spectet absolutio à reseruatis; sed quoad hoc æqualis est cum quolibet alio. Et hoc à fortiori constabit ex dicendis, dum ostendetur, quod in articulo mortis cessat absolutè reseruatio etiam præsente eo, ad quem pertinet absolutio de iure.

4 Ad fundament. in oppositum resp. Falsum esse, quod Episcopus possit in sua Diocesi quicquid potest Pontifex in tota Ecclesia seclusa prohibitione, si absolutè accipiatur, alioquin posset declarare aliquid de fide pro sua Diocesi, quod tamen quomodo præstaret, cum non habeat assistentiam Spiritus sancti? Quare accipi debet secundum quamdam proportionem, vt nimirum, quod potest Pontifex circa res vniuersales concernentes statum vniuersalem Ecclæ, possit Episcopus in sua Diocesi circa res particulares concernentes statum particularem illius Ecclesiæ. Quia cum Ecclesia illa particularis sit, & communicet cum cœteris tanquam cum membris sub eodem

dem capite supremo, non potest exigere in suo pastore iurisdictionem propriam quoad ea, in quibus communicat cum aliis sub eodem capite, sed solum quoad ea, quæ sibi vt tali Ecclesiæ specialia sunt. Hoc autem pacto sequitur, quod circa casus reseruatos Pontifici Episcopus in nullo vnquam casu acquirat iurisdictionem, nisi ei specialiter committatur, quia talis reseruatio concernit statum vniuersalem Ecclesiæ, cum pro tota Ecclesia sit facta.

5 Ex dictis colligitur contra Sayrum. Alterium. Duardum. Suarez *numer.* 1. citatos; Facundez *præcep.* 2. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 19. Deficiente Episcopo non esse recurrendum in articulo mortis ad parochum pro reseruatis, vt notant Sanchez, Suarez, Bossius *num.* 2. citati. Conich. *disp.* 8. *de sacrament. pœnit. dub.* 2. *num.* 16. Quia licet Parochus habeat iurisdictionẽ ordinariam supra suos subditos, reseruatio tamen non spectat ad ipsius iurisdictionem, nec substituitur quoad reseruata loco Episcopi. Et ideo cum nullam habeat prærogatiuam concernentem reseruationem, eadem est ratio de ipso, ac de coeteris.

An in articulo mortis in ordine ad reseruata præferendus sit approbatus in aliena diocesi, aut pro aliena parochia simplici sacerdoti. Quæst. 183.

S V M M A.

1 *Approbatus in aliena diocesi an præferendus non approbato pro reseruatis in articulo mortis. & num.* 2.

3 *Approbatio pro vna diocesi non dat aliquam iurisdictionem in alia.*

4 *Nec facit absolute ministrum Ecclesiæ, sed tantum pro illo loco.*

1 Prima sententia asserit, esse præferendum, ita vt moribundus teneatur confiteri illi potius, quam simplici sacerdoti. Ita Zambran. *in suis decis. cap.* 2. *de pœnit. dub.* 4. *numer.* 16. Suarez *disp.* 26. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 10. Duard. *in Bullam coenæ. §.* 2 *lib.* 3. *quæst.* 5. *num.* 13. Bonacina *disp.* 1. *de censur. quæstion.* 3. *punc.* 3. *numer.* 7. Fundamentum est. Quia sacerdos alicubi approbatus est ab Ecclesia deputatus minister ad confessiones audiendas, & proinde habet potius ius, quam simplex sacerdos.

2 Secunda sententia asserit, non esse præferendum, sed posse eligi simplicem sacerdotem. Ita Trullench. *lib.* 1. *in Bullam Cruciatæ. §.* 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 4. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 60. Auersa *quæstion.* 16. *de pœnit. sect.* 3. ver. *Si rursus adsit* Bossius. *disceп.* 2. *moral. dub.* 8. *num.* 68.

3 Et hæc posterior sententia tenenda est tanquam certa. Ratio autem est; quia approbatio facta in alia Diocesi aut pro alio loco nullam dat iurisdictionem supra moribundum, non solum quoad reseruata, sed neque etiam quoad coetera, quia approbatio non se extendit vltra locum, aut extra dioecesim, & proinde sic approbatus non habet in ordine ad moribundum, nisi illam facultatem delegatam, quam habet quilibet sacerdos pro articulo mortis. ergo est omnino æqualis in iurisdictione cum simplici sacerdote; & consequenter relinquitur in potestate moribundi assumere, quem libuerit.

4 Neque fundamentum in oppositum est alicius momenti. Siquidem. Sacerdos pro aliqua diocesi, aut loco approbatus non est absolutè, aut simpli-

pliter minister Ecclesiæ, sed tantum pro illa diocesi, aut loco, & ideo extra ipsum desinit esse minister, & computatur inter eos, qui non sunt ministri, & pari ratione censetur.

An in articulo mortis approbatus pro illo loco, & præsens præferendus sit simplici sacerdoti quòad reseruata. Quæst. 184.

S V M M A.

1 *Approbatus an pro reseruatis præferendus à moribundo simplici sacerdoti.*

3 *Approbatus in ordine ad reseruata in articulo mortis est æqualis iurisdictionis cum simplici sacerdote.*

3 *Potest quisque relinquere proprium sacerdotem, & confiteri delegato.*

4 *Approbatus, sed nondum habens iurisdictionem non præferendus simplici sacerdoti in articulo mortis.*

1 Prima sententia asserit esse præferendum approbatum simplici sacerdoti, quamuis non habeat iurisdictionem quòad reseruata. Ita Suarez *disp. 26. de poenit. sect. 4. num. 4.* Sayr. *lib. 2. thesauri cap. 20. num. 27.* Alterius *de censur. lib. 5 disp. 22. cap. 2.* Duard. *in Bullam coenæ* §. *2. lib. 3. quæst. 5. num. 11.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 1. num. 19.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 10.* Zambran. *in decis. cap. 4. de poenit. dub. 4. num. 16.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punc. 3. num. 7.* Bossius *discep. 2. moral. dub. 8. num. 67.* Auersa *quæst. 16. de poenit. sect. 3. ver. Si autem.* Vasquez *3. par. quæst. 93. art. 3. dub. 4. num. 19.* Fundamentum est, quia approbatus est simpliciter confessarius ab Ecclesia designatus, & est proprius sacerdos: ergo cum cesset necessitas confitendi simplici sacerdoti, erit confitendum approbato, licet non habeat iurisdictionem quòad reseruata.

2 Secunda sententia tenet, non esse præferendum, sed sufficere simplicem sacerdotem. Ita ij omnes, qui tenent, quod in articulo mortis possit simplex sacerdos ministrare sacramentum poenitentiæ etiam præsente proprio sacerdote, & specialiter Nauar. *consil. 15. numer. 2. & 3. de poenit. & remiss. lib. 5. in 1. edit. & in 2. consil. 23.* Ledesma *de sacram. tract. de poenit. cap. 14. difficul. 2. post. 1. conclus.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 59. concl. 3. num. 5.* Vega *par. 1. sum. cap. 6. casu 16. init.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 27. claus. 1.* §. *2. num. 7.* Coriol. Ian. *de casib. reser. par. 1. sect. 2. art. 16. num. 7. & 8.* Conrad. *par. 1. resp. moral. quæst. 12.* Zerola *de poenit. cap. 15. num. 4.* Finel. *de casib. reser. cap. 7. in fine.* Comitol. *lib. 1. respons. moral. quæst. 22. numer. 2.* Valer. *in differen. vtriusq. fori. verbo.* Excommunicatio. *differen. 23. num. 1.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. quæst. 6. de poenit. artic. 6. dub 4.*

3 Et hæc posterior sententia est tenenda. Ratio autem est, quia vterque sacerdos est æqualis in iurisdictione; nam si consideretur reseruatio, neuter habet facultatem pro absoluendo ab ipsis, atque adeo pares sunt. Si verò consideretur facultas absoluendi in ordine ad non reseruata, in vtroque est sufficiens facultas, quia siue sit delegata, siue ordinaria, vtraque est sufficiens. Delegata autem est etiam in sacerdote simplici pro articulo mortis iuxta Tridentinum *sess. 14. c. 7.* Vnde cum approbatus nullam habeat prærogatiuam, ob quam sit præferendus poterit moribundus eligere, quem voluerit. Confir. Extra articulum mortis potest quilibet confiteri cuicunque delegato, vt sunt omnes Regulares expositi, relicto proprio sacerdote ordinario. ergo etiam in periculo

o mortis, cum sit eodem ratio, nec ex eo, quod quis sit proprius ordinarius sacerdos, consurgit obligatio confitendi apud ipsum. Hinc solutum manet fundamentum prioris sententiæ; nam cum etiam simplex sacerdos pro articulo mortis habeat iurisdictionem, non magis vnus, quam alter est simpliciter confessarius, & ab Ecclesia designatus. Nec obstat, quod non sit in necessitate eligendi simplicem sacerdotem; nam, vt constat ex supradictis, facultas concessa pro articulo mortis non dependet à necessitate.

4 Ex dictis colligitur contra Vasquez supra citat. *num.* 1. Si contingat adesse simplicem sacerdotem, & alium, qui quidem præuio examine approbatus, sed nondum habeat iurisdictionem communicatam, hunc non esse præferendum simplici sacerdoti. Nam talis approbatio ex natura sua non habet influxum aliquem in ordine ad absolutionem, & ideo adhuc est simplex sacerdos, non habens aliam iurisdictionem præter illam, quam habet quilibet simplex sacerdos pro articulo mortis.

An habens reseruata teneatur confiteri ei, qui ex priuilegio potest ab ipsis absoluere, dum est in articulo mortis, an vero adhuc possit confiteri non habenti priuilegium. Quæst. 185.

SVMMA.

1 *In mortis articulo an confitendum priuilegiato comcurrente simplici sacerdote, & n.* 2.
3 *Potens absoluere ex priuilegio trahit ad se obligationem poenitentis, quando abest superior.*
4 *Priuilegium, & delegatio confessarii non eximit poenitentem ab onere confitendi.*
4 *Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis tenetur confiteri sacerdoti, qui potest absoluere ex priuilegio, si alterius non habeat copiam.*
5 *Priuilegiatus quando possit non vti suo priuilegio.*
6 *Simplex sacerdos concurrente approbato quomodo in articulo mortis possit absoluere à reseruatis.*

1 PRima sententia asserit, constitutum in articulo mortis teneri confiteri priuilegiato, si habeat casus reseruatos, à quibus possit ipse absoluere, nec posse alteri confiteri, qui non possit absoluere à reseruatis. Ita Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 90. *ver. Ad quartam.* Corduba *in sum. quæst.* 18. *punc.* 2. *dicto* 1. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 11. Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *ar.* 1. *dub.* 4. *n.* 18. Reginal. *lib.* 1. *Praxis fori poenit. numer.* 61. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *punc.* 3. *num.* 7. *ver. Ex dictis.* Trullench. *lib.* 1. *in Bullam Cruciatæ.* §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *numer.* 4. Fundamentum est. Quia cum adsit, qui possit absoluere à reseruatis, non cessat reseruatio, cum non adsit necessitas, quæ illam faciat cessare.

2 Secunda sententia asserit, non teneri confiteri priuilegiato, sed posse confiteri, cui libuerit. Ita Suarez *disp.* 30. *de poenit. sect.* 3. *num.* 5. Henriquez *lib.* 6. *de poenit. cap.* 10. *num.* 1. *in commen. littera D.* & fundantur in eo, quod nemo tenetur vti priuilegio. Quæ tamen ratio nullo pacto probari potest.

3 Primò quidem, quia licet sit priuilegium, quod sacerdos possit absoluere à reseruatis; non est tamen priuilegium poenitentis, ita vt in eius potestate sit ipsi renunciare, aut non vti priuilegio concesso, cum concessio non sit ipsi facta. Sed per tale priuilegium priuilegiarius cõstituitur delegatus repræsentans ipsum superiorem: vnde sicut succedit in iurisdictione superioris, ita etiam trahit ad se obligationem poenitentis, quando non

non poteſt adire ſuperiorem, nam ſicut ſuperior delegando extendit ſuam iuriſdictionem in ordine ad reſeruata, ita extendit etiam quoad terminum obligationem eorum, qui habent reſeruata dando ipſis facultatem, vt poſſint ad quem voluerint accedere, & ideo ex hac determinatione, ſi non poteſt haberi acceſſus ad vnum, accedendum eſt ad alium, quando vrget obligatio confitendi.

4 Præterea ſequeretur, quod non teneretur implere præceptum confitendi ſemel in anno iuxta Cap. *Omnes vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſ.* quando haberet caſus papales, & non poſſet accedere ad Pontificem, licet poſſet abſolui à priuilegiato, vt à Regularibus. Imò ſi delegatio faceret, quod quis non teneretur confiteri cum delegato; neque etiam pro communione Paſchali teneretur confiteri, quando haberet ſolum copiam delegati, & non proprii ſacerdotis. Neque pro celebranda miſſa, quod eſt falſum, & abſurdum. Imò ipſe Suarez *diſp. 67. de ſacram. ſect. 4. caſu* 1. docet, quod ſacerdos habens conſcientiam peccati mortalis tenetur confiteri illi ſacerdoti, quem ex priuilegio ſibi conceſſo poteſt eligere, ſi non adſit alius, à quo poſſit abſolui: quod etiam tradunt communiter Vaſquez 3. *par. diſp.* 208. *cap.* 1. *num.* 9. Nugn. *quæſt.* 80. *art.* 4. *difficul.* 1. *in fine*. Præpoſ. *art.* 5. *dub.* 3. ver. *Aduerte*. Reginal. *lib.* 29. *cap.* 6. *numer.* 108. *caſu* 1. Facundez *præcep.* 3. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 19. Filliuc. *tractat.* 8. *num.* 212. Bonac. *diſp.* 4. *de Euchar. quæſt.* 6. *pun.* 1. *numer.* 2. & alii.

5 Ratio autem eſt. Quia dato, quod hoc eſſet priuilegium conceſſum etiam in fauorem pœnitentis, adhuc non haberet locum regula, quodquiſque poſſit non uti priuilegio ſibi conceſſo. Nam tunc ſolum valet, quando concernit aliquid, ad quod priuilegiarius aliàs non tenetur. At quando abſolutè tenetur ad aliquid præſtandum, & non extinguitur obligatio, licet non poſſit exequi, ſed ſolum excuſatur, quouſque poſſit, ſi id per priuilegium ſibi reddatur poſſibile, tenetur vti priuilegio, quia ipſo ſtante obligatio non extincta vrget, & ideo, cum in præſenti poſſit moribundus ratione priuilegii ſatisfacere obligationi comparendi quoad reſeruata coram ſuperiore, vel eius delegato, non valet regula, quod poſſit non vti priuilegio, ſiquidem ratione priuilegii tollitur impedimentum, & ideo vrget obligatio, vt notat etiam Cenedo *quæſt. canonic.* 45. *num.* 14.

6 Solum ergo poſterior ſententia poteſt habere locum, ſtante quod vniuerſaliter ceſſet reſeruatio: nam ea ſublata remanet liberum moribundo confiteri, cui libuerit, quia ea ſublata non requiritur ſpecialis iuriſdictio. Quod autem ceſſet reſeruatio conſtabit ex dicendis quæſt. ſequenti. Nec obſtat, quod non vrgeat neceſſitas, quia non ceſſat ratione neceſſitatis; ſed ratione articuli mortis, vnde ſolutum manet fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

An præſente eo, ad quem de iure pertinet abſolutio à reſeruatis, poſſit ſimplex ſacerdos abſoluere in articulo mortis. Quæſt. 186.

S V M M A.

1 *Præſente ſuperiori an ſimplex ſacerdos poſſit abſoluere à reſeruatis, & num. ſequent.*
3 *In articulo mortis nulla reſeruatio.*
3 *Diſpoſitum de vno correlatiuo etiam diſpoſitum de alio.*
3 *Pontifices reſeruantes ſibi aliquem caſum non extendunt reſeruationem ad articulum mortis.*
4 *Reſeruatio non tollit iuriſdictionem pro articulo mortis, & ideo ceſſat abſolute.*
5 *A diuerſis non fit illatio etiam ſi diuerſitas ſit*

sit in sola ratione.

5 Obligatio comparendi coram superiore pro reseruatis est diuersa ab obligatione obtinendi absolutionem.

---

1 PRima sententia negat, simpliricem sacerdotem posse absoluere à reseruatis, aut quemlibet alium præsente eo, ad quem de iure spectat absolutio. Ita Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. init.* Bartholom. Ledesma *dub. 23. de confess.* Molina *tom. 4. de iust. & iure disp. 63. num. 2.* Syluester *verbo* Confessor, *1. quæst. 6. casu 7.* Rosella *verbo* Absolutio *1. num. 31.* Armilla *num. 13.* Nauar. *in Manuali cap. 26. num. 27.* Graf. *part. 1. decis. lib. 1. cap. 12. num. 81.* Corduba *in sum. quæst. 18.* Gutierez *lib. 2. quæst. canon. cap. 19. num. 5.* Couarru. *in Cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 8.* Polanch. *in direct. confess. cap. 4. in fine.* Azor. *par. 1. lib. 3. capit. 19. quæst. 5.* Suarez *disp. 26. de poenit. sect. 4. num. 4.* Zambran. *in suis decis. cap. 4. de poenit. dub. 5. num. 3. & seq.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 2.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 7.* Benzon. *de fuga lib. 1. disp. 1. quæst. 6. prope 2. conclus.* Viuald. *in Candelab. par. 1. tit. de absolut. num. 63.* Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 7. pun. 1. num. 20.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 10. pun. 2. ver.* Ioan. *tamen*. Auila *De censur. par. 2. capit. 6. disp. 3. dub. 1. conclus. 4.* Sanctarel. *de hæresi capit. 6. dub. 2. num. 2.* Sanctor. *de casib. Papalib. num. 146.* Vasquez *3. part. quæst. 93. artic. 1. dub. 4. numer. 18.* Nugn. *quæst. 8. supplem. ar. 6. dub. 3.* Coninch. *disp. 8. de poenit. dub. 2. num. 6.* Putean. *quæst. 3. dub. 3. conclus. 1.* Reginal. *lib. 1. Praxis fori poenit. cap. 7. numer. 61.* Henriquez. *lib. 6. cap. 11. numer 4.* Sayr. *lib. 2. thesauri cap. 20. numer. 27.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 12. num. 4.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 1. numer. 19.* Alter. *lib. 1. de censur. dub. 6. capit. 6.* Floron. *par. 1 de casib. reser. cap. 4. §. 19. num. 5.* Duard. *in Bul. Coenæ. lib. 3. quæst. 5. num. 11.* Capeauil. *de casib. reser. par. 1. cap. 7. difficul. 5.* Auersa *quæst. 16. de poenit. sect. 3. ver. Dices tamen.* Ochagau. *de sacram. tract. 2. de poenit. quæst. 35. num. 4.* Bordon. *tom. 1. resol. 36. quæst. 20.* & alii citati supra *quæst. ... num. 1.* Fundamentum est, quia absolutus à reseruatis, quando habent annexam censuram ab inferiori, tenetur comparere postea, quando poterit, coram superiori: ergo debet comparere, quando est absoluendus, si habeat copiam illius, atque adeo non poterit ab inferiori absolui.

2 Secunda sententia tenet, quod etiam præsente superiori possit in articulo mortis absolui etiam ab inferiori, licet sit simplex sacerdos. Ita Nauar. *Consil. 15. num. 2. de poenit. & remiss. lib. 5. in 1. edit. & in 2. consil. 23.* Petrus Ledesma *par. 1. sum. tract. de poenit. cap. 14. difficul. 2. post 1. conclus.* Rodriquez *par. 1. Sum. cap. 39. conclus. 3. num. 5. & tom. 1. quæst. regul. quæst. 56. art. 4. in fine.* Sà *verbo* Absolutio *num. 2.* Conrad. *tom. 2. Respons. quæst. 12. ver. Respon. in articulo.* Henriquez *lib. 6. cap. 11. numer. 4. in com. Littera V. & cap. 12. num. 1. in fine.* Vega *par. 1. sum. cap. 6. casu 16. init.* Valer. *in differ. vtriusque fori. verbo* Excommunicat. *differ. 23. num. 1.* Marchin. *par. 3. de peste. cap. 2. num. 11. & 12.* Riccius *in Collectan. par. 4. Collect. 822.* Homobon. *in respo. moral. par. 4. de censur. respon. 83.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 22. claus. 1. §. 2. numer. 7.* Ludouic. à S. Io. *part. 1. sum. tract. de poenit. quæst. 6. art. 6. dub. 4.* Coriolan. *de casib. reser. par. 1. sect. 2. ar. 16. num. 7. & 8.* Zerola *de poenit. cap. 15. num. 4.* Finel. *de casib. reser. cap. 7. in fine.* Comitol. *lib. 1. respons. moral. quæst. 22. num. 2.* Diana *par. 1. tr. 5. resol. 5.* Bossius *de iubileo. sect. 1. casu 12. num. 22.* & discep. 2.

morla dub. 7. num. 58. Barbosa *de potest. Episcopi. par. 2. allegat.* 25. *num.* 29. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 44. *num.* 5. & alii citati dicta *q. num.* 3.

3 Dicendum est. Præsente eo ad quem de iure spectat absolutio à reseruatis, posse quemlibet alium, etiam simplicem sacerdotem absoluere à reseruatis in articulo mortis. Prob. In Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. definitur, quod in articulo mortis nulla sit reseruatio. ibi. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* ergo cum reseruatio non se extendat ad articulum mortis, nec etiam se extendet indigentia facultatis pro reseruatis, nec aliàs reseruata erunt specialiter subiecta iurisdictioni reseruantis; nam cum reseruatio, & casus reseruatus sint correlatiua, sublato vno tollitur etiam alterum, nam dispositum de vno correlatiuo censetur dispositum etiam de alio. *l. fin. ff. de acceptil.* & *l. Si quis seruo. C. de furtis.* & *l. fin. C. de indic. vid. tollen.* & destructo vno, destruitur & aliud. *l. Filio* §. *Matri. ff. de adimen. leg.* ergo non est opus confiteri in articulo mortis superiori, quia in tantum opus esset, in quantum adesset reseruatio. Confir. Si casus non esset reseruatus, non esset opus confiteri superiori præsenti, sed posset quilibet alius sacerdos saltem approbatus absoluere. ergo etiam non obstante reseruatione, quia pro articulo mortis nulla adest reseruatio, & proinde res eodem modo se habet, ac si non fuisset facta reseruatio. Confir. 2. Pontifices, quando reseruant sibi aliquem casum, semper excludunt articulum mortis, ita vt facultatem, quam aliàs in ordine ad illum casum restringunt, relinquant pro articulo mortis. ergo cum non sit sublata iurisdictio pro articulo mortis in ordine ad illum casum est æqualiter in superiore, ac in cœteris, & proinde non est opus recurrere ad superiorem. Exceptio namque facit, vt casus exceptus non contineatur sub regulà, & dispositione; & ideo eodem modo, se habet, ac si non fuisset facta dispositio.

4 Dices. Reseruationem cessare in articulo mortis, quando non habetur copia superioris, non autem, quando habetur. Contra. Pontifices dum reseruant casus excipiunt articulum mortis. ergo cum ante reseruationem sit etiam in cœteris facultas absoluendi, facta reseruatione adhuc remanet in illis pro articulo mortis, quia reseruatio non tollit absolutè iurisdictionem, sed solum extra mortis articulum. ergo sicut antea erat absoluta, & non dependens ab aliqua conditione, ita etiam remanet absoluta facta reseruatione. Confir. Exceptio facit, quod dispositio non se extendat ad articulum mortis. ergo facultas absoluendi remanet pro articulo mortis in eo statu, in quo erat ante reseruationem, atque adeo independens à quacunque conditione.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Non valere argumentum ex obligatione ad comparendum coram superiori ad obligationem obtinendi absolutionem, quia hæc duo sunt diuersa. A diuersis autem non fit illatio *l. Fin. in fine. ff. de calumniat.* & *l. Nihilominus. ff. de acquir. possess.* Quod valet etiam si diuersitas sit in sola ratione, vt notant. Menoch. *consil.* 106. *num.* 304. Gratian. *discept. forens cap.* 859. *num.* 20. Rota *decis.* 116. *num.* 46. & *decis.* 255. *num.* 2. *par.* 6. *Recent.* Obligatio enim comparendi coram superiore est in ordine ad mandatum recipiendum, non autem in ordine ad obtinendam absolutionem: neque absolutè tenetur comparere coram superiore constitutus in articulo mortis, sed solum conditionatè, si euaserit, & ideo huiusmodi obligatio non obligat de præsenti constitutum in articulo mortis, & proinde potest tunc relinquere superiorem, & confiteri, cui voluerit.

An

An absolutio à reseruatis impendi possit à primo die infirmitatis periculosæ. Quæst. 187.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Sententia affirmatiua explicatur.*
3 *Constituti in periculo mortis vt absoluendi, & à quo.*

1 SOtus *in 4. dist. 18. quæst. 4. ar. 4.* vult non esse impendendam, nisi in articulo mortis; & proinde non posse impendi ab initio infirmitatis, etiam si sit periculosa. At è contra Io. Sanchez *in select. de sacramen. disp. 12. num. 5.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 57.* Coelestin. *in compen. theol. moral. tr. 1. cap. 13. quæst. 1.* volunt posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ.

2 Quæ sententia tanquam probabilior tenenda est; cum habeat optimum fundamentum. Nam licet periculum mortis, & artiaulus mortis differant, vt dictum est supra *quæst. 1. num. & quæst. num.* Concessio tamen facta pro absolutione à reseruatis extenditur non solum ad articulum, sed etiam ad periculum mortis; siquidem iura, quæ reseruant absolutionem modo excludunt articulum, modo periculum, ita vt quod in vno loco dicitur articulus in alio dicatur periculum. Cap. *Si quis suadente 17. quæst. 40.* & cap. *Non dubium.* & cap. *Ea noscitur.* & cap. *De his; & c. Quamuis. de sentent. excommunicat.* & cap. *Eos qui. de sent. excom. in 6.* Ergo cum reseruatio non sit pro articulo, & periculo mortis poterit impendi absolutio à prima die infirmitatis periculosæ. Cum enim periculū mortis fundetur in infirmitate periculosa, eo ipso, quod incipit infirmitas esse periculosa, incipit etiam periculum mortis.

3 Ex dictis colligitur. Quod ij omnes, qui constituti sunt in periculo mortis, de quibus dictum est initio *tract. quæst. . . .* poterunt absolui ab omnibus reseruatis, licet non à quocunque sacerdote, sed tantum ab approbato, quia simplex sacerdos non habet iurisdictionem pro periculo mortis, sed solum pro articulo. Quod tamen debet intelligi, si periculum sit præsens; nam si est solum probabiliter superuenturum, considerandum est, an adsit tempus, antequam superueniat, accedendi ad superiorem, quia si antequam superueniat, potest accedere, tenetur accedere. Vnde qui procedit ad bellum, quia se exponit periculo mortis, tenetur, antequam eat, si habet casus reseruatos, accedere ad superiorem pro absolutione, cum periculum sit præuisum in tempore, in quo potest accedere. Si tamen non accesserit, poterit, dum versatus in bello, absolui à reseruatis, quia tunc periculum est præsens, & impeditus est, ne possit accedere.

An hereticus possit à quolibet absolui in periculo mortis. Quæst. 188.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua partim. 2. Probatur, num. 2.*
3 *Etiam præsente eo ad quem de iure spectat. num. 3.*

1 REsp. Posse absolui etiam si denunciatus sit, & in quocun-

que statu reperiatur. Ita Valent. *tom.* 4. *dist.* 7. *quæst.* 10. *punc.* 2. Suarez *disp.* 11. *de censur. sect.* 1. *num.* 14. Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 6. *dub.* 3. *disp.* 3. *conclus.* 4. Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quæst.* 5. Cenedo *collect.* 103. *num.* 3. ver. *In mortis.* Zambran *in suis decis. Pralud.* 1. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 12. Coriolan. *de casib. reser. par.* 1. *sect.* 2. *ar.* 16. Gutierez *lib.* 1. *canon. quæst. cap.* 1. *num.* 59. Ceual. *commun. contra com. quæst.* 82. *numer.* 61. Bonae. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *punc.* 3. *num.* 3. & *disp.* 1. *de censur. in Bullam. coenæ quæst.* 22. *punc.* 2. *num.* 9. Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 8. *quæsito* 8. Trullench. *lib.* 1. *in decal. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 4. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 27. *claus.* 1. §. 12. Sayr. *lib.* 2. *de censur. cap.* 18. Homobon. *par.* 1. *de hum. nat. stat. cap.* 16. ver. *Porro*, & *par.* 1. *de casib. reser. cap.* 1. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num.* 1. Farinac. *de hæresi. quæst.* 192. §. 4. *num.* 62. Sousa *in Bullam coenæ cap.* 23. *disp.* 160. *numer.* 15. Carena *de offic. S. Inquisition. par.* 2. *tit.* 1. §. 26. *num.* 135. Faustus *lib.* 6. *de poenit. quæstion.* 38. Valer. *de differ. utr. fori.* verbo. *Excommunicatio differ.* 23. Torreblan. *lib.* 14. *Praxis iur. spirit. cap.* 10. *num.* 16. Ricciul. *lib.* 5. *de iure person. extr. Eccles. grem. cap.* 14. *num.* 18. Barbosa *ad cap.* 7. *num.* 14. *sess.* 14. *Concil. Trident.* Roias *par.* 2. *de hæret. num.* 320. *assert.* 38. Penna *par.* 2. *direct. com.* 25. ver. *Quod si quis dicat.*

2 Ratio autem est: Quia nulla strictior reseruatio reperitur, quàm illa quæ facta est in Bulla coenæ, in qua specialiter reseruatur hæresis, pro cuius absolutione neq. in iubileis solet concedi facultas; quæ neque venit in generali concessione facultatis absoluendi à reseruatis in dicta Bulla, & tamen excipitur articulus mortis. ergo etiam hæreticus denunciatus poterit absolui. Confir. In articulo mortis cessat omnis reseruatio, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* ergo etiam reseruatio hæresis hæretici denunciati, aliàs non esset verum, quod cessaret omnis reseruatio. Confir. 2. Hæreticus denunciatus, si est capax absolutionis, est verè poenitens. ergo non potest ipsi ratione reseruationis denegari absolutio, atque adeo nec prohiberi. quod non possit absolui à quocunque sacerdote præsenti, saltem quando superior haberi non potest. Tum quia reseruatio est in ædificationem, non autem in destructionem, vt habet Concil. Triden. *sess.* 14. *cap* 7. *de poenit.* Tum quia Ecclesia illi denegaret remedium salutis contra institutionem Christi.

3 Ex his colligitur, quod stante opinione, de qua supra, quod possit simplex sacerdos absoluere à reseruatis constitutos in articulo mortis etiam præsente eo, ad quem de iure spectat absolutio, poterit etiam hæreticos absoluere, quamuis denunciati fuerint. Præsertim quia in Bulla coenæ excluditur absolute à reseruatione articulus mortis, non autem in defectum superioris, ad quem de iure pertinet absolutio. Neque hoc præiudicat Inquisitoribus, siquidem, si euaserit, debebit absolutus coram ipsis se præsentare, & recipere mandata, & absolui pro foro externo.

An si is, qui confitetur in articulo, aut periculo mortis obliuiscatur alicuius reseruati, teneatur adire superiorem.

Quæst. 189.

S V M M A.

1 *Negatiua sententia statuitur.*
2 *Probatur, & confirmatur numero.* 2. & 3.

4 *Soluuntur argumenta opposita, & numer. 5.*

---

1 Difficultas habet locum, si non solum euadat perrculum mortis, sed etiam deueniat ad talem statum, vt possit adire superiorem. Et negatiue respondendum est iuxta doctrinam eorum, qui in simili casu hoc ipsum docent, nempe quòad eum, qui tempore iubilei confessus est, & oblitus est alicuius reseruati, qui postea transacto iubileo potest à quocunque confessario absolui. Ita tenent Adrian. *in 4. quæst. 4. de confes.* Angelus verbo. *Confessio. 1. num. 12.* Syluester *quæst. 4.* Rosella verbo. *Confessio. 2. num. 9.* Canus *Relect. de poenit. par. 5.* Gabr. *in 4. dist. 17. quæst. 1. artic. 1. dub. 2.* Ledesma *2. par. 4. quæst. 8. ar. 2. dub. 8.* Nauar. *in Manuali cap. 21. num. 13.* Suarez *disp. 31. de poenit. sect. 4. num. 20.* Sanchez *lib. 4. in decal. cap. 54. num. 39. & 41. & lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 17. & 19.* Portel. *in dub. regul. verbo. Indulgentia. Tit. Circa Indulgent. & iubil. num. 7.* & *in Addit. num. 19.* Sanctarel. *de iubil. cap. 13. dub. 2.* Bossius *de iubil. sect. 1. casu. 30. num. 2.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 184. num. 15.* Homobon. *par. 1. examin. eccles. tract. 5. cap. 6. quæst. 38.* Zanar. *par. 1. direct. confes. de sacram. poenit. cap. 2. quæst. 20.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 145.* Alphons. de Leone *par. 2. de iubil. 9. 17. num. 197.*

2 Ratio autem est. Quia eo ipso quod moribundus confitetur acquirit ius vt possit absolui ab illo sacerdote à quocunque reseruato, & per ipsum non stat, quin absoluatur, sed per accidens est, quia nimirum non recordatur. ergo poterit postea à quocunque absolui. Anteced. patet nam dum confitetur acquirit ius ad absolutionem omnium peccatorum, ergo cum sacerdos tunc potuerit absoluere à reseruatis acquirit ius ad ipsorum absolutionem. Conseq. prob. Eo ipso quod acquisiuit ius absolutionis à reseruatis ob facultatem concessam à superiori potest semper vti illo iure, quia hoc tunc est concessum, non reuocatur à superiori.

3 Confir. Reseruatio nihil aliud exigit, nisi quod habens reseruata se præsentet in ordine ad absolutionem coram legitimo superiore, qui possit à reseruatis absoluere. Sed quilibet sacerdos potest moribundum absoluere à quibuscunque reseruatis: ergo implet quod exigitur ex ui reseruationis. Confir. 2. In tantum teneretur adire superiorem, in quantum non explicauit peccatum reseruatum. Sed hoc non obstat. Quia peccata oblita, vt habet Concilium Trident. *sess. 14. cap. 5. de poenit.* In vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. ergo cum sint inclusa in eadem confessione, absolutio cadit etiam super ipsa, atque adeo non remanent amplius addicta iurisdictioni superioris, sed solum remanet obligatio explicite ea subiiciendi clauibus.

4 Dices. Non remanere sublatam reseruationem, quia exprimuntur in specie, & proinde sacerdos non intendit auferre reseruationem. Contra. Sacerdos absoluit etiam ab ipsis indirecte, ita vt absolutio etiam super ipsa sortiatur suum effectum, ergo cum absolutio sit fundata in iurisdictione se extendente ad reseruata, tollet reseruationem, quia operatur iuxta mensuram iurisdictionis. Confir. Sacerdos absoluendo poenitentem intendit plenè ipsum absoluere, & quantum indiget. ergo absoluit tollendo reseruationem peccatorum oblitorum, quia indiget, quod etiam ab ipsis absoluatur, nec vt tollatur reseruatio, oportet, vt cognoscatur, cum possit tollit ab habente facultate etiam sub conditione si adsit.

5 Dices. 2. Poenitentem, dum non recordatur peccati reseruati, non confiteri ipsi, vt habenti facultatem absol-

soluendi ab ipsis, sed vt simplici confessario. Contra. Intendit plenam absolutionem à peccatis, & sacerdos absoluens intendit absoluere iuxta indigentiam poenitentis. ergo intendit absoluere secundum totam suam iurisdictionem, quæ pro absolutione poenitentis necessaria est. Confir. Peccata reseruata, & oblita intelliguntur inclusa in illa confessione, vt habet Concil. Trident. *num.* 3. allatum. Non possent autem intelligi inclusa, nisi sint subiecta iurisdictioni confessarij, nec possunt esse subiecta, nisi prout se extendit etiam ad reseruata. ergo si sunt subiecta iurisdictioni, vt se extendit ad reseruata, iam iurisdictio vt extensa ad reseruata se exercet in illa absolutione, atque adeo tollit reseruationem.

An si poenitens moribundus obliuiscatur peccati habentis annexam censuram reseruatam, cesset reseruatio. Quæst. 190.

S V M M A.

1 *Debet iniungi onus præsentationis.*
1 *Prima sententia affirmatiua.*
2 *Sententia negatiua, & probatur. numer. 3.*
4 *Fundamentum oppositum resoluitur.*
5 *Quomodo absoluendus excusatus à non explicando tale peccatum.*

1 CErtum est, quod si confiteatur de nouo tale peccatum, debet sacerdos illi iniungere, vt compareat coram superiore ad eius mandata excipienda, sicut debuisset iniungi, si confessus fuisset tale peccatum in periculo, seu articulo mortis vnde solum difficultas est, an possit absolui à quocunque confessario cum impositione dicti oneris. Hæc autem difficultas resoluenda est iuxta doctrinam, quam tradunt Doctores circa censuras in ordine ad iubileum. Prima ergo opinio tenet censuras remanere adhuc reseruatas, & proinde non posse absolui à quocunque confessario. Ita tenent ij, qui volunt, quod is, qui oblitus est in confessione pro iubileo censuræ reseruatæ, non possit absolui, nisi à superiori, cui sunt reseruatæ, vt Suarez *disp.* 31. *de poenit. sect.* 4. *num.* 13. Alter. *de censur. lib.* 4. *de excom. disp.* 4. *cap.* 3. *ver. Tertio obiicies.* Fundamentum est: Quia peccata habentia annexa censuram, dum ex obliuione non explicantur non sunt subiecta clauibus, & proinde remanent subiicienda. ergo non est ablata reseruatio, quia sicuti remanet peccatum subiiciendum, ita etiam censura, & ideo potest subiici solum in ordine ad eos, qui habent iurisdictionem supra talem censuram.

2 Secunda sententia tenet, quod remaneat sublata reseruatio, & proinde absolui possit à quocunque confessario. Ita iuxta doctrinam eorum, qui tenent, quod oblitus alicuius peccati cum censura tempore iubilei potest postea absolui à quocunque inferiori, quia remanet sublata reseruatio censuræ. Hi autem sunt Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 5. *art. vlt. conclus.* 4. Nauar. *in Manuali cap.* 26. *num.* 13. Zerola *lib.* 1. *de iubil. cap.* 26. *quæsito* 8. *& lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 10. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 183. *num.* 1. ver. *De lo dicho.* Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 11. *num.* 3. *&* 4. Coriolan. *de casib. reseruat. par* 1. *sect.* 3. *ar.* 17. *num.* 2. Lanor. *de iubil. par.* 2. *cap.* 28. *num.* 66. Alphon. de Leone *par.* 2. *de iub. num.* 198. *&* 102. Sanctarel. *de iubil. cap.* 12. *dub.* 2. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 9. ver. *Deinde* Gabr. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. *ar.* 1. *dub.* 2. *in fine.* Syluester *verbo* Confessio 1. *quæstion.* 19. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 279. Bossius *de iubil. sect.* 1. *casu* 32. *num.* 2. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 54. *numer.* 45. *& lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *num.* 1.

Te-

3 Tenendum itaque est, quod cesset reseruatio etiam quoad peccata habentia annexas censuras, & proinde poenitentem posse absolui à quocunque alio confessario. Ratio est, Quia actus præsumitur factus eo modo efficaciori, & potentiori, quo fieri potest, vt tradunt Bald. *in cap. quia verisimile. de præsump.* & *in cap. 1. de controuers. inter masc. & foem.* Crauet. *consil.* 318. *num.* 4. Alexan. *consil.* 8. ver. *Nec etiam probatur lib.* 3. quos sequitur Menoch. *lib.* 6. *præsump.* 5. & desumitur ex *l. Cum pater, ff. de iure dot.* & *l.* 3. *ff. de test. mil.* Quia nimirum operans ex intentione sua tendit ad id, quod perfectum est, cum imperfectum tanquam malum ab agente intendi non possit. Ergo cum sacerdos absoluens in articulo mortis habeat facultatem absoluendi ab omnibus censuris aliàs reseruatis, & intendat absoluere secundum mensuram indigentiæ poenitentis absoluet etiam ab omnibus censutis reseruatis, cum intendat actum perfectum, atque adeo exercere totam suam facultatem, quatenus poenitens ea indiget.

4. Ad fundament. oppositæ sent. resp. Peccata oblita non esse subiecta clauibus directè, esse tamen subiecta indirectè, quod sufficit, vt remittantur, & censeantur inclusa in illa confessione, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* & quod tollatur censura, & reseruatio stante potestate confessarii, & intentione ipsius faciendi actum perfectum, & iuxta mensuram indigentiæ poenitentis.

Deinde cum peccata sint reseruata ratione censuræ, sublata censura aufertur etiam reseruatio. Vt autem auferantur censuræ non est necesse, quod ab irretito explicentur, nec quod ab absoluente in specie cognoscantur, vt constat ex praxi litterarum Summi Pontificis quatenus in ijs absoluit in ordine ad aliquam peculiarem gratiam obtinendam. Et quia absolutio à censuris impendi potest etiam sub conditione argumento *ex cap. præterea* 2. *de appellat.* Vnde quis potest absoluere in genere ab omni censura, à qua potest absoluere, cum conditione, si adsit. Et ideo cum sacerdos tempore mortis intendat absoluere poenitentem iuxta mensuram indigentiæ ipsius, absoluet etiam ab omnibus censuris iure explicatis, siue oblitis, stante præsertim interpretatiua voluntate, immò etiam explicita poenitentis de absolutione perfecta ab omni vinculo peccati, & canonico. Cum enim dolor se extendere debeat ad omnia peccata etiam oblita, voluntas quoque de obtinenda absolutione, cum sit commensurata dolori, se extendet non solum ad omnia peccata, sed etiam ad omnia alia vincula.

5 Ex dictis colligitur, quod si quis in periculo, vel articulo mortis excusaretur, ne explicaret aliquod peccatum reseruatum, etiam si haberet annexam censuram, posset postea transacto periculo à quocunque confessario absolui cum solo onere comparendi coram superiore; si haberet annexam censuram. Militat enim eadem ratio, nam sacerdos ab illo quoque indirectè absoluit, & cum habeat facultatem absoluendi directè, facit quod non remaneat amplius reseruatum superiori, tanquam iudicialiter dimissum ab eo, qui poterat dimittere. Quod enim quis teneatur peccata non explicata in confessione, directè subiicere clauibus prouenit solum ex natura confessionis, quæ debet esse integra, & ideo est obligatio, quæ consurgit ex ipsa confessione, & ideo quod poenitens teneatur tale peccatum in specie explicare in subsequenti confessione non oritur ex reseruatione, & cum oriatur ex ipsa confessione, signum est, quod reseruatio sit extincta.

An

An si moribundus inualide confiteatur remaneat liber à reseruatione censurarum, ita vt possit postea à quolibet absolui cum sola obligatione se præsentandi.

Quæst. 191.

S V M M A.

1 *Non tolli reseruationem qui negent.*
2 *Tolli reseruationem qui affirment.*
3 *Remanere absolutum à censuris cum onere se præsentandi probatur.*
4 *Confirmatur.*
5 *Obiectiones soluuntur, num. 6. & 7.*
8 *Idem dicendum de absoluto à censuris annexis peccato dolose occultato in Confessione.*

1 PRima sententia negat tolli reseruationem, & proinde non solum debere comparere ad recipienda mandata, sed etiam vt absoluatur. Ita Suarez *disp. 31. de poenit. numer. 22.* Laiman *lib. 4. theol. mor. tract. 7. capit. 8. num. 9.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 183. num. 15. & in Bul. Cruc. §. 9. numer. 95.* Filiuc. *tract. 8. cap. 6. numer. 149.* Homobon. *de casib. reser. part. 1 cap. 5. obseruat. 5.* Lauor *de iubil. par. 1. cap. 14. num. 93.* Floron, *par. 1. de casib. reser. cap. 4. §. 9. num. 3.* Polacchus *de iubileo in Bullam Vrbani VIII. sect. 42. num. 69.* & alii apud eosdem Doctores, qui licet non loquantur in hoc casu, loquuntur tamen in simili, nempe quando quis virtute iubilei inualide absoluitur. Prob. Omnis fauor qui conceditur moribundis, est concessus sub conditione confessionis validæ: ergo deficiente conditione cessat concessio. 2. Facultas absoluendi à reseruatis est in ordine ad absolutionem validam, ergo si absolutio est nulla, erit etiam nulla absolutio a censuris.

2 Secunda sententia asserit remanere ablatam reseruationem. Ita Henriquez *lib. 7. sum. cap. 11. §. 4.* Thomas Vadinus *de Iubileo pag. 58.* Cæsar Bottonus *in obseruat. ad Bullam Sixti V. ver. Conscientia sua.* Bossius *de iubileo sect. 1. casu 34. num. 9.* & sequitur ex eorum doctrina, qui volunt, quod inualide confessus reseruata habentia annexam censuram debito superiori remaneat liber à reseruatione, ita Caiet. verbo casus in fine. Armilla *ibid. num. 4.* Tabien *verbo. Confessio. 2. num. 16.* Syluester *verbo Confessio 1. num. 21.* qui alios citat. Couarruu. *in Cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 13. conclus. 4. & 6. Graff. part. 1. decis. lib. 1. cap. 13. num. 74.* Angles *in Florib. quæst. de confes. art. 5. difficul. 1.* Palat. *in 4. dist. 17. quæst. vlt. & communiter.*

2 Dicendum igitur est. Remanere absolutum à censuris, & solum teneri se præsentare superiori ad excipienda mandata ipsius, ita vt possit à quocunque confessario à peccatis absolui. Prob. Absolutio à censuris est actus distinctus ab absolutione à peccatis: ergo licet absolutio à peccatis non sit valida, non per hoc erit inualida absolutio à censuris. Anteced. patet. Quia absolutio à peccatis fundatur in potestate sacerdotali, per quam conficitur sacramentum poenitentiæ, absolutio verò à censuris in iurisdictione fori externi, quæ competit etiam non sacerdoti: vnde sunt actus distinctæ iurisdictionis. Conseq. prob. Ideo absolutio à peccatis est inualida, quia ponitur obex ex parte poenitentis, quo impeditur ne sortiatur suum effectum: ergo cum non ponatur in ordine ad absolutionem à censuris, erit valida, quia in absoluente est sufficiens facultas. Quod autem non ponatur obex in ordine ad absolutionem à censuris, constat, quia non requirit aliquam dispositionem ex parte poenitentis, sicut requirit absolutio à peccatis.

Con-

4 Confir. Absolutio à censuris est prior absolutione à peccatis, & independens, atque separabilis: vnde potest superior absoluere à censuris, & remittere poenitentem ad inferiorem, vt absoluatur à peccatis. ergo quando absoluitur constitutus in periculo mortis valebit absolutio à censuris tãquam prior, & in dependens, licet non valeat absolutio à peccatis. Vnde subintrat regula Vtile. *de reg. iur. in 6. quod vtile non debet per inutile vitiari.* Quod habet locum in ijs, quæ separari possunt, quia tunc retinetur, quod vtile est, & reijcitur inutile; sicut facit ipsa natura, quæ inutilia reijcit, vt vtilia conseruet. Neque enim præsumitur, quod quis ita operetur, vt actus ipsius deficiat, sed vt valeat omni meliori modo *l. 3. ff. de milit. test.* & proinde illa semper interpretatio eligitur, per quam actus quocunque modo valere possit. *l. Quoties. ff. de reb. dub.* & capit. Abbate. *de verbor. signific.*

5 Ad 1. in oppositum neg. antecced. Nam facultas concessa omnibus sacerdotibus pro constitutis in periculo, seu articulo mortis, & quod reseruatio non habeat locum pro illo tempore, non est sub conditione, sed absoluta, occasione tamen illius status, in quo poenitens reperitur, vt constat ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* vbi absolutè docet, quod quilibet sacerdos possit absoluere quoscunque poenitentes, & quod tunc temporis nulla sit reseruatio. Et ideo cum non dependeat ab aliqua conditione, non potest deficere ex defectu conditionis.

6 Ad 2. Facultatem absoluendi à censuris esse in ordine ad absolutionem à peccatis tanquam ad finem ipsius absolutionis à censuris, si quidem hæc absolutio ad illam ordinatur; non autem tanquam ad finem Ecclesiæ concedentis dictam facultatem; nam finis poenitentis est fauor illius status, in quo est poenitens. Hic autem fauor adhuc obtinetur etiam in sola absolutione à censuris absque absolutione à peccatis, vt si impertiretur à clerico non sacerdote, & talis absolutio sortitur suos effectus, nam absolutus tantum à censuris non priuatur Ecclesiastica sepultura, nec suffragijs Ecclesiæ. Quare licet absolutio à peccatis sit inualida, non cessat adequatè finis concessionis, quia non cessat adequatè fauor illius status; vt autem cesset concessio debet adequatè cessare finis. §. *Affinitatis. instit. de nupt.* & *l. Liberorum.* §. 1. *ff. de his qui notan. infam.* & notat. Tiraquel. *tract. Cessante causa limit.* 22. *numer.* 11.

7 Dices. In articulo mortis nulla est reseruatio, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* ergo non potest tolli, quod enim non est, non potest tolli, cum non entis nullæ sint qualitates, ergo cum non sit ablata reseruatio reuiuiscet transacto articulo mortis, si peccata non sunt dimissa, quibus est annexa censura. Resp. In articulo mortis nullam esse reseruationem, non quia reuera peccata, & censuræ reseruatæ non sint, sed quia conceditur facultas delegata cuilibet sacerdoti, vt non obstante reseruatione possit ab ipsis absoluere. Quare quando, in reseruatione alicuius censuræ excluditur articulus mortis, solum declaratur, quod pro illo casu non restringitur facultas delegata cuilibet sacerdoti pro illo tempore, & ideo si absoluit, remanet sublata censura, nec potest amplius reuiuiscere.

8 Ex dictis colligitur cum Bottono *ad Bullam Sixti V. ver. Conscientia sua. pag.* 118. Thoma Vadino *de iubil. pag.* 58. Bossio *de iubil. sect.* 1. *casu* 34. *numer.* 10. Poenitentem remanere absolutum etiam à censuris annexis peccato, quod fortè dolose tacuit in confessione. Ratio autem est, quia cum Sacerdos habeat facultatem generalem absoluendi ab omnibus censuris, absolutio operatur illum effectum, quem ipse intendit. Cum ergo sacerdos in illo casu intedat generaliter absoluere ab omnibus censuris, & subuenire

Pasqualig. Aaa

nire poenitenti, quantum potest, remanent sublatæ etiam illæ, quæ sunt annexæ peccatis non explicatis, quia non est necesse, quod explicentur, vt auferantur.

An si quis in periculo mortis inualide confiteatur, remaneat sublata reseruatio peccatorum, quæ sunt absque censura.
Quæst. 192.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Sententia Affirmatiua.*
3 *Explicatur, & probatur.*
4 *Fundamentum oppositum resoluitur.*

1 MAior difficultas est de peccatis reseruatis, quæ non habent annexam censurã, cum reseruatio cadat supra ipsa peccata. Prima ergo sententia tenet, non auferri reseruationem. Ita ij omnes, qui id docent de inualida confessione facta tempore iubilei, quos citaui. *quæst. præcedent. num.* 1. & præterea Bossius *sect.* 1. *de iubileo. casu* 34. *numer.* 11. Vega *par.* 1. *sum. capit.* 44. *casu* 5. Alphonsus de Leone *par.* 2. *de iubileo. num.* 205. Fundamentum est, quia tota facultas sacerdotis pro illo casu in ordine ad peccata reseruata est quòad absolutionem, ita vt absoluendo tollat reseruationem, si quidem est facultas absoluendi ab ijs peccatis, ergo si absolutio est nulla non tollit reseruationem; si quidem quod nullum est, nullum parit effectum.

2 Secunda tamen sententia tenet, quod remaneat sublata reseruatio, & proinde quilibet confessarius possit ab ijs peccatis absoluere. Ita Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 16. §. 5. & *in Glos. littera B.* & *C.* & *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 4. Bottonus *ad Bullam Sixti V.* ver. *conscientia sua pag.* 118. Thomas Vadinus *de iubil. pag.* 58. Comitol. *lib.* 1. *respon. moral. quæst.* 30. *numer.* 2. & probabile putat Bossius *de iubil. sect.* 1. *casu* 34. *num.* 12.

3 Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Ratio autem est, quia licet absolutio à peccatis reseruatis sit vnicus actus, habet tamen duplicem virtutem, alteram, qua relaxat peccata, quà peccata sunt; & alteram, qua tollit reseruationem; vnde posset resolui in duplicem actum realiter distinctum; nam superior potest relaxare reseruationem, & remittere poenitentem pro absolutione à peccatis ad inferiorem. ergo valebit dicta absolutio, quatenus est relaxatio reseruationis, licet non valeat, quatenus est absolutio à peccatis. Conseq. prob. Actus qui ex vno capite non valet, substinetur, & confirmatur ex alio capite, ex quo valere potest cap. Ad dissoluendum. *de despons. impub.* & notant Barbat. *consil.* 60. *num.* 24. ver. *Quod ostendo.* Surd. *consil.* 34. *num.* 6. Rota *decis.* 102. *numer.* 8. *par.* 3. *Recent.* ergo cum actus absolutionis possit valere quatenus cadit supra reseruationem, licet non valeat quòad remissionem peccatorum, debet substineri, vt tollens reseruationem. Vnde subintrat regula *cap. vni.* §. *Idem quoque* de despons. impub. in 6. Quod actus valet, vt potest, licet non valeat, sicut agitur.

4 Ad fundamentum in oppositum neg. Conseq. Nam causa applicata subiecto, quando potest producere plures effectus, si subiectum sit incapax vnius, producit alterum; cum ergo absolutio possit habere effectum tollendi peccata, & auferendi reseruationem, si non potest tollere peccata, quia reperit obicem, tollet reseruationem, nam quòad hunc effectum nul-

lus

us adest obex, Neque sequitur, quod id, quod nullum est, aliquem habeat effectum, si quidem absolutio prout respicit reseruationem, non est nulla.

An si quis in articulo mortis non possit confiteri, nisi unum, aut alterum peccatum, aut solum confiteatur per nutus, auferatur reseruatio, ita vt possit postea cuicumque confiteri. Quæst. 193.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua tenetur, & probatur.*
2 *Confirmatur, & num. 3.*
4 *Obiectionis solutio.*

1 Difficultas procedit siue peccata sint pure reseruata, siue etiam habeant annexam censuram. Et quia casum apud neminem reperi, ideo resoluendus est iuxta ea, quæ in superioribus ex aliorum mente dicta sunt. Dicendum autem est. Reseruationem remanere sublatam, atque adeo posse postea poenitentem absolui à quocunque alio. Ita sentire debent ii, qui tenent quod remaneat sublata tàm quò ad peccata, quem quòad censuras oblitas. Prob. Quando quis confitetur vnum, aut alterum peccatum, & de coeteris in genere se accusat, aut quando se accusat per nutus, confessio est integra formaliter, & habet illam integritatem materialem, quæ pro illo casu possibilis est. Ergo remanet sublata reseruatio. Conseq. Prob. Peccata, & censuræ subiiciuntur clauibus eo modo, quo subiici possint, & omnia in generali accusatione; ergo facultas absoluendi operatur circa ipsa totum id, quod potest, quia stante tali subiectione ad claues, fiunt capacia effectus clauium; vnde remanent remissa vigore absolutionis. Ergo tollit etiam reseruationem, siquidem facultas se extendit etiam ad ipsam tollendam.

2 Confir. Non potest remitti peccatum reseruatum, nisi tollatur reseruatio, & censura, cum vtraque impediat absolutionem: ergo cum absoluens in articulo mortis intendat absoluere ab omnibus peccatis, intendit etiam tollere reseruationem, & censuram annexam iuxta facultatem, quam habet, cum intendat operari totum id, quod est necessarium. Confir. 2. Obligatio, quæ remanet in poenitente subiiciendi iterum clauibus peccata, quæ in specie non subiecit, non est in ordine ad substantiam iudicii, nam iudicium sacramentale validum fuit, atque adeo habuit, quæ ipsi substantialia sunt; sed in ordine ad integritatem iudicii; vt possit poenitens perfecte iudicari, & suscipere congruam satisfactionem; cum ad hunc effectum sit necessarium explicare peccata in specie, & in numero, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. De poenitentia. Ergo in illo iudicio fuit sublata omnis reseruatio, tum quia reseruationis ablatio requiritur ad substantiam, & validitarem iudicii sacramentalis, cum non possit esse validum durante reseruatione. Tum quia, vt auferatur reseruatio, non requiritur expressa explicatio peccatorum reseruatorum, cum auferri possit etiam in genere.

3 Confir. 3. Genus includit omnes species, atque adeo etiam indiuidua, atque adeo secum trahit *l. Omnes. C. de præscrip. triginta annor.* vbi Angelus. Craueta *Consil.* 134. *num.* 5. Menoch. *consil.* 266. *num.* 69. Atque generalis expressio non minus operatur, quàm singulorum expressio. *l. si duo. in fine. ff. de adminis. tut.* & notant Socin. *in l.* 1. *ff. de vul. & pupil. subst.* vbi, & coeteri Doctoris Surd. *Consil.* 358. *numer.* 20. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. glos.* 8. *inin. num.* 22. Et pro-

inde comprehendit directe omnia particularia, & nullum excludit, vt notat Feder. de Senis. *Consil.* 85, *num.* 2. Ergo quando in articulo mortis fit cõfessio aliquorum peccatorum, & non potest fieri integra, sed sufficit generalis accusatio, siue voce, siue per nutus, ex vi generalis accusationis illa confessio æquipollet speciali, & operatur, quod singula peccata habeantur pro expressis in specie, & directe omnia comprehendit. Ergo facultas quoque absoluendi causat totum suum effectum non secus, ac si in specie omnia fuissent expressa, siquidem ex impossibilitate cessat obligatio exprimẽdi in specie.

4 Dices. In generali concessione non veniunt, quæ indigent speciali expressione: ergo neque in generali accusatione habebuntur pro expressis peccata in specie, cum singula indigeant speciali expressione. Resp. neg. conseq. Nam tunc non habentur pro expressis in generali expressione, quæ indigent speciali expressione, quando generalis expressio est talis, vt complecti possit tàm quæ non indigent speciali expressione, quàm quæ indigent. At quando ex natura sua est talis, vt complectatur determinate solum ea, quæ indigent speciali expressione, tunc absque dubio ea omnia complectitur, quæ potest complecti ex vi suæ significationis. Cum ergo omnia peccata indigeant speciali expressione, fit quod generalis accusatio de ipsis in foro poenitentiali habeatur pro indiuidua singulorum expressione. Neque vrgeri potest, quod reseruata requirant aliquam expressionem magis specialem; nam non est necesse explicare in confessione reseruationem, sed sufficit ea confiteri habenti facultatem absoluendi.

An si in reseruatione non excipiatur articulus mortis, possit adhuc in tali casu à quocumque impendi absolutio. Quæst. 194.

S V M M A

1 *Affirmatiua sententia statuitur, & probatur.*

2 *Confirmatur.*

1 Aliquando in reseruatione non solet excipi articulus mortis quod præsertim contingit, quando Episcopi sibi reseruant casus, aut superiores religionum; dubitatur ergo, an tunc possit poenitens à quocunque absolui in articulo mortis. Et affirmatiue respondẽdum est, vt docent Vgolin. *de censur. sum. pont. reser. par.* 3. *ver. Nisi in mortis articulo. quæst* 2. Sousa *in Bul. Coenæ. cap.* 23. *disp.* 99. *num.* 7. Ratio autem est, quia vt habetur ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt in articulo mortis nulla esset reseruatio. Ergo cum ex perpetua consuetudine Ecclesiæ stabilitum sit reseruationem non habere vim in articulo mortis, quæcunque reseruatio fiat, non se extendet ad ipsum, quia mensurabitur semper secundum mensuram vniuersalis consuetudinis, atque adeo quilibet poterit absoluere non secus, ac si non esset facta reseruatio.

2 Confir. Clausula exceptiua articuli mortis est solita apponi in reseruatione. ergo si non apponatur, habetur adhuc pro apposita, quia clausula apponi solita habetur pro expressa, etiam si non apponatur. *l. Fin. in fine. C. Fideius.* vbi Bal. Ias. *in l. Argentarius. num.* 7. *ff. de eden.* testans de communi. Felin. *in cap. Cum M. de constit.* Quod præsertim verũ est, quia ex natura rei exigitur talis exceptio, ita vt sit necessaria prò iustificanda reseruatione. Potestas enim reseruandi casus est in

in ædificationem, non autem in destructionem, vt habet citat. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenitent.* & proinde potest solum eousque extendere suum actum, quousque potest esse proficuus; & si ita extendatur, vt fiat damnosus, & tendat in perniciem, nulliter extenditur, sed desinit esse actus talis potestatis. Si autem extenderetur ad articulum mortis, extenderetur in perniciem animarum, quia reseruatio esset occasio, quod aliquis periret. Vnde reseruatio ex natare sua habet semper annexam exceptionem articuli mortis.

An hereticus denunciatus possit absolui à quocunque etiam in solo periculo mortis.

Quæst. 125.

S V M M A.

1 *Hæreticus denunciatus non potest à quocumque absolui in solo periculo mortis.*
2 *Sententia opposita firmatur. num. 3.*
3 *Preceptum confitendi non minus vrget in articulo, quam in periculo mortis.*
4 *Resoluuntur obiectiones. num. 5.*

1 PRima sententia est negatiua. Ita Canus *Relect. de poenit. par.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4 *ar.* 4. Couaruu. *in capit. Alma mater. par.* 1. §. 11. *num.* 8. & prob. Quia in Bulla coenæ, vbi reseruatur hæresis, excluditur tantum articulus mortis, non autem periculum. Quando autem conceditur facultas etiam pro periculo mortis solet exprimi vt in cap. *Si quis suadente.* 17. *quæst.* 4. Deinde Facultas absoluendi pro articulo mortis est priuilegium; priuilegium autem est strictè interpretandum, vt quam minimè fieri possit, lædat ius commune.

2 Secunda sentent. asserit posse absolui non solum in mortis articulo, sed etiam in periculo. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *ar.* 5. ver. *Tertius casus.* Adrianus *quæst.* 3. *de confess.* ver. *Tertius casus.* Viuald. *in candel. in explicat. Bul. coenæ. num.* 137. Vgolin. *de censur. Rom. Pont. reser. par.* 3. verbo. *Nisi in mortis articulo. quæstion.* 1. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 59. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 1. Soula *lib.* 3. *Aphoris. Inquisit. cap.* 4. *num.* 2.

3 Dicendum est. Hæreticum etiam denunciatum posse absolui non solum in articulo mortis, sed etiam in probabili periculo. Desumitur ex Glos. *in cap. Pastoralis.* verbo. *Preterquam. de offic. iud. ordin.* vbi vult esse in articulo mortis, qui est in periculo, vt quando quis est commissurus prælium ad effectum obtinendæ absolutionis. Ratio autem est. Quia in cap. Eos qui. de sentent. excommunicat. in 6. vbi generaliter statuitur circa eos, qui iuxta concessionem iuris absoluuntur à censuris reseruatis Summo Pontifici in articulo mortis, de quibus in cap. *Quod de his.* & in cap. *Quamuis de sent. excommunicat.* quod in aliis locis dicitur mortis articulus, ibi dicitur mortis periculum: ergo ex hoc tex. sumitur interpretatio, quod facultas absoluendi pro mortis articulo intelligatur etiam pro mortis periculo. Confir. In mortis periculo non minus vrget præceptum confitendi, quam vrgeat in mortis articulo. Ergo faculeas absoluendi in mortis articulo extenditur etiam ad mortis periculum. Conseq. prob. Talis facultas est concessa, vt possit quilibet prouidere propriæ saluti, quando tenetur prouidere de iure naturali: ergo cum teneatur etiam in mortis periculo, tunc quoque adest facultas.

4 Ad 1. oppositæ sententiæ resp. Non semper solere exprimi mortis periculum, licet etiam pro ipso sit concef-

cessa facultas, quia sufficit, quod in iure explicetur, quod facultas concessa pro mortis articulo, sit etiam pro periculo, vt dictum est numer. praecedenti. Præsertim, quia mortis periculum, & articulus in ordine ad hanc facultatem absoluendi confunduntur; sic quod in cap. *Si quis suadente.* 17. *quæst.* 4. dicitur mortis periculum, in cap. *de cætero:* & cap. *Quod de his. de sent. excommunicat.* dicitur mortis articulus.

5 Ad 2. Priuilegium esse strictè interpretandum, quando est purum priuilegium; non autem quando habet etiam rationem legis; nam cum tunc sit ordinatum ad bonum commune, debet accipi tamquam lex fauorabilis, atque adeo debet latè interpretari. Tale autem est huiusmodi priuilegium, cum non sit concessum priuatæ personæ, sed conditum pro tota communitate, & pro prouidendo in communi omnium saluti. Vnde tanquam beneficium Ecclesiæ ordinatum ad salutem animæ non recipit restrictionem; sed ampliationem. *l. Beneficium. ff. de constit. princip.* & notant Io. Andr. *in cap. Olim. de verbor. significat.* Butr. ibid. Syluest. verbo. *Priuilegium. num.* 3. Accedit, quod talis facultas non est ex priuilegio, sed est de iure communi. Quia reseruatio excipit articulum mortis, & ideo restrictio iurisdictionis non se extendit ad mortis articulum, & proinde facultas absoluendi pro articulo mortis remanet prout de iure communi. Imo restrictio ipsa tanquam continens odium, & pœnam strictè interpretari debet, ita vt dum non extenditur ad articulum, nec etiam extendatur ad periculum mortis.

An hæreticus relapsus absolui possit à quocunque, quando potest absolui non relapsus. Quæst. 196.

S V M M A.

1 *Hæretici relapsi spiritualiter reconciliantur Ecclesiæ.*
2 *Hæreticus relapsus in articulo, & periculo mortis potest à quolibet absolui, sicut non relapsus, & non.* 3.
3 *Hæreticus relapsus, et condemnatus habetur pro cossituto in probabili periculo mortis.*
4 *Etiam absens, vel fugitiuus.*

---

1 QVamuis hæretici relapsi non admittantur, ad pœnitentiam in ordine ad pœnam temporalem, quia hæc nunquam eis remittitur, spiritualiter tamen reconciliantur Ecclesiæ, & conceduntur ipsis sacramenta pœnitentiæ, & eucharistiæ, vt constat ex praxi, & tradunt communiter D. Tho. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. Eymericus *par.* 2. *Director. Inquisit. quæst.* 40. *num.* 3. *& quæst.* 58. *num.* 3. Peña *ibid. com.* 83. Farinac. *de hæres. quæst.* 193. §. 1. *num.* 32. *& sequent.* Ratio autem est; quia sicut vnusquisque in ordine ad Deum pœnitere semper potest; quam diu viuit; ita etiam debet Ecclesia hanc pœnitentiam semper acceptare, & subministrare remedia necessaria pro salute. Difficultas autem est, an talis hæreticus relapsus possit à quocunque absolui in articulo, & periculo mortis.

2 Dicendum est. *Posse à quocunque absolui in articulo, & etiam in probabili periculo mortis.* Ratio autem est, quia Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de pœniten.* vniuersaliter docet, nullam adesse reseruationem in articulo mortis; & posse vnumquemque sacerdotem quoscunque pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere, nec alicubi excluditur hæreticus relapsus: ergo cum facultas sit vniuersalissima, nec aliquis excludatur, extendetur etiam ad relapsos, præsertim cum non sit de mente Ecclesiæ

eos

eos priuare, si poeniteant, remediis necessariis ad salutem. Confir. In Bulla Coenæ, vbi strictissimè reseruatur hæresis quæcunque, excipitur tamen absolutè articulus mortis, nec ab hac exceptione excluduntur relapsi: ergo cum articulus mortis comprehendat etiam probabile periculum, vt constat ex dictis quæst. præced. poterit relapsus quoque absolui.

3 Immò poterit à quocunque absolutè absolui in quocunque tempore, statim ac est declaratus, & condemnatus tanquam relapsus, vt notat Carena. *De inquisit. par. 2. tit. 2. S. 7. num* 62. Cum enim relapsus relaxetur curiæ sæculari, etiam quando absens condemnatur iuxta Cap. *Ad abolendam. S. illos quoque de haret.* & notat Peña *ad Direct. Inquisit. par. 2. com.* 83. *Littera* C. Simanch. *Cathol. instit. tit.* 57. *num.* 23. Roias *singul.* 23. *num.* 6. Farinac. *de haresi quæst.* 185. S. 14. *num.* 217. Scortia *in select. constit. theor.* 36. *num.* 2. Sanctarel. *de haresi. capit.* 42. *num.* 17. Carena *de inquisit. par.* 2. *tit.* 2. S. 6. *numer.* 37. & 38. atque adeo censeatur destinatus morti, habetur pro constituto in articulo mortis, aut saltem in probabili periculo iuxta ea, quæ supra dicta sunt, & notat etiam Duard. *in Bullam Cœnæ lib.* 3. S. 2. *quæst.* 2. *num.* 1. ver. *Vel cum quis per iudicis*, & ideo pro ipso cessat omnis reseruatio.

4 Ex his colligitur. Quod relapsus in absentia condemnatus, & relaxatus curiæ sæculari, dum se occultat, & fugitiuus est, poterit à quocunque absolui. Ratio est, quia est semper in probabili periculo, quod capiatur à Curia, atque adeo in probabili periculo mortis, quia sequuta captura certus est, quod morte plectetur. Hoc tamen solum habet locum, quando degit in terris, in quibus Curia sæcularis procedit contra huiusmodi relapsos, nam si non procederet, sicut cessaret periculum capturæ, & mortis, ita non haberet locum facultas absoluendi.

An ante absolutionem hæreticus sit prius examinandus, si sit in articulo, vel periculo mortis. Quæst. 197.

SVMMA.

1. *Affirmatiua sententia.*
2. *Negatiua stabilitur, & probatur.*
3. *Confirmatur.*

1 ESse hæreticum prius ab Inquisitoribus diligenter examinandum, si mortis periculum non sit ita proximum, vt statim mors sequutura sit, sed probabiliter supersit tempus sufficiens ad recurrendum ad Inquisitorem, vel Episcopum, tradunt Simanch. *Cathol. instit. tit.* 3. *num.* 3. Conaruu. 4. *decret. par.* 1. S. 11. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 3. Penna 2. *par. direct. com.* 15. Farinac. *de haresi quæst.* 193. S. 1. *n.* 20. Sousa *lib.* 2. *Aphoris. capit.* 44. *numer.* 9.

2. Verùm licet hoc sit expediens, quando est moraliter certum, quod adsit sufficiens tempus, non est tamen necessarium. Ratio autem est. Quia per Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* & per Bullam coenæ non adest reseruatio pro illo tempore, sed quilibet sacerdos potest quemcunque hæreticum admittere ad sacramentalem poenitentiam, & si sic dispositus absoluere; nec ibi requiritur, quod prius examinetur ab inquisitoribus. Si autem esset necessaria talis præuia examinatio, aut de intentione legis, id expressum fuisset, dum fuit declaratum, quod quilibet in tali casu possit absoluere. *l. Si seruus. S. Prætor ait.* ver. *Non dixit. ff. de acquir. hæred.* & cap. *Ad audientiam 2. de decimis.* præsertim cum id facile exprimere potuerit.

tuerit, vt notat Menoch. *consil. 30. numer. 8.*

3 Confir. Ideo esset prius examinandus vt innotesceret, an verè poeniteat, & resipiscat, & ad catholicam fidem reuertatur. Hoc autem fieri potest ab ipso confessario, quantum sufficit, vt possit admitti ad percipienda sacramenta. ergo non adest necessitas, quod ab inquisitoribus vel Episcopo examinetur. Confir. 2. Ideo esset examinandus ab inquisitoribus, aut Episcopo, vt possit absolui, ita vt examen tanquam medium ordinaretur ad absolutionem. Hoc autem non est necessarium, quia ponere media pro assequendo aliquo fine spectat ad eum, ad quem spectat inducere finem; nam ad eum spectat iudicium de mediis, ad quem spectat iudicium de fine iuxta Arist. 1. *Eth. cap.* 1. & cap. *Præterea. de offic. deleg.* Ergo cum inquisitores, & Episcopi non possint absoluere ab hæresi in foro conscientiæ, vt tradunt Ricciul. *lib. 5. de person. extra Eccles. grem. cap. 15. per totum.* Sanctarel. *de hæresi cap. 4. dub. 7. per totum.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 12. num. 3.* alios citans Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 46. n. 26.* vbi alios citat. Carena *de inquisit. par. 2. tit. 1. §. 26. num. 136.* non poterunt iudicare in ordine ad absolutionem in foro conscientiæ, an hæreticus resipuerit, & an sit dispositus pro obtinenda absolutione, atque adeo nec etiam in ordine ad hunc finem illum examinare; siquidem cum finis absolutionis non spectet ad ipsos, nec etiam spectabit iudicium de mediis: sed solum erunt examinandi ab ipsis in ordine ad reconciliationem pro foro externo.

An hæreticus, qui in articulo mortis non potuit absolui à censuris, possit absolui post mortem. Quæst. 198.

S V M M A.

1 *Affirmatiua sententia stabilitur.*
2 *Extendi etiam ad relapsum negatur.*
3 *Probatur extendi.*
4 *Signa poenitentiæ qualia debent esse.*

1 QVando hæreticus in articulo mortis dedit signa poenitentiæ, & non fuit absolutus vel quia non aderat, qui absolueret, vel quia, qui erant præsentes, putabant, se non posse absoluere, poterit post mortem absolui ab excommunicatione; & reconciliari Ecclesiæ. Ita tenent Simanch *Cathol. Instit. tit. 3. Rubr. de absolut. num. 4.* Azor. *par. 1. instit. lib. 8. cap. 19.* vet. *Quæro an etiam.* Farinac. *de hæresi quæst. 165. §. 1. num. 20.* Sousa *lib. 2. Aphorism. cap. 44. num. 10.* Et ratio est, quia Ecclesia se ostendit semper piissimam matrem quoad ea, quæ concernunt salutem erga poenitentes; & ideo semper eos recipit; quoad subministranda remedia. Cum ergo recipiat semper hæreticos ad poenitentiam, recipiet etiam post mortem; si non fuerunt recepti dum viuerent quoad ea remedia, quæ potest subministrare, qualia sunt suffragia.

2 An autem hoc locum habeat in hæretico relapso, videtur negatiuè respondendum. Quia cum non admittantur ad ecclesiasticam sepulturam, vt tradunt Simanch. *Catholic. instit. tit. 57. numer. 13.* Treuisan. *decis. 36. num. 15. lib. 2.* Carena *de Inquisit. part. 2. tit. 2. §. 6. num. 41.* neque reconciliarentur Ecclesiæ, sed tantum reincorporentur, vt ait Carrera *in quæst. criminal. cap. 1. de hæres. num. 15. ver. Sed certè.* per administrationem sacramentorum; nec etiam videntur absoluendi, cum absolutio fiat in ordine ad Ecclesiasticam sepulturam.

E con-

3 E contra vero cum absolutio fit etiam in ordine ad participanda suffragia Ecclesiæ, quibus liberari possint à pœnis purgatorii, non videtur conforme pietati Ecclesiæ, quam ostendit præcipuè erga animas detentas in purgatorio, quod velit animas hæreticorum licet relapsorum, qui resipuerunt, & dederunt pœnitentiæ signa, privare his suffragiis, cum speciali amore tanquam coniunctas in charitate illas prosequatur; vnde ad hunc effectum videntur absoluendi etiam relapsi, quando ante mortem exhibuerunt signa poenitentiæ.

4 Sed dubitatur, qualia signa pœnitentiæ requirantur, vt possit hæreticus post mortem absolui. Resp. Sufficere illa signa, quæ sufficiunt pro obtinenda absolutione sacramentali, dum viuit. Si enim ista signa sufficiunt, vt censeatur conuersus ad Deum, sufficient etiam, vt censeatur conuersus ad Ecclesiam: Eo ipso autem, quod hæreticus reuertitur ad Ecclesiam, ipsum recipit, & reincorporat. Hoc tamen debet accipi cum debita proportione, ita vt sicut signa poenitentiæ in ordine ad sacramentalem absolutionem debent esse in ordine ad accusationem de peccatis: ita in casu nostro debent esse in ordine ad detestationem hæresis. Si tamen exhiberet signa poenitentiæ in ordine ad sacramentalem absolutionem, posset adhuc absolui post mortem ab hæresi, etiam si nullum signum detestationis hæresis exhiberet, quia eo ipso quod poenitet in ordine ad absolutionem à peccatis, detestatur etiam hæresim, siquidem sine tali detestatione nec verè pœniteret, nec posset absolui.

De absolutione à censuris quoad constitutos in periculo mortis.

Pasqualig.

An simplex Clericus possit in articulo mortis absoluere à censuris. Quæst. 198.

SVMMA.

1 *Simplex Clericus potens ferre censuras potest absoluere in articulo mortis.*
2 *Sententia negatiua.*
3 *Sententia affirmatiua substinetur. num. 4.*
5 *Soluitur obiectio.*
6 *Confirmatur.*
7 *Aliæ obiectiones enodantur. num. 8. & 9.*

1 Quod possit absoluere, si alias habeat iurisdictionem ad ferendas censuras, non potest in dubium verti, vt notat etiam Vgolin. *tab. de censur. cap. 2. §. 10. n. 6.* nam illius est soluere, cuius est ligare. cap. Verbum. *de poenit. dist. 1.* Quod habet locum, etiam si non habeat iurisdictionem supra censuras, quibus innodatur poenitens, nam cum cesset in tali casu omnis reseruatio, sufficit quæcunque iurisdictio in ordine ad censuras. Vnde solum difficultas est de simplici Clerico non habente iurisdictionem aliquam.

2 Prima sententia est negatiua. Ita Molina *tom. 4. de iust. & iure. disp. 63. num. 3.* Suarez *disp. 7. de censur. sect. 6. num. 6. & seq.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 13.* qui tamen subdit oppositum esse probabile, & in praxi adhibendum. Altorius *de censur. lib. 4. disp. 5. cap. 1. ver. Superest alia.* Duard. *in Bullam coenæ lib. 3. §. 2. q. 6. num. 6.* Conich. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 236.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punt. 3. num. 1.* Nugn. *3. par. quæst. 8. supplem. art. 6. dub. 5.* Nauarr. *in Manuali cap. 26. num. 26.*

ver. *Dixi presbiter.* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. ver. *Vtrum verò.* Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 83. *num.* 18. Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 1 §. 11. *num.* 9. Reginal. *lib.* 9. *Praxis fori poenit. num.* 9. Laiman *lib.* 1. *theol. moral. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. ver. *Porro.*

3 Secunda tamen sententia tenet, quod simplex Clericus, licet careat iurisdictione, possit in articulo mortis absoluere à censuris. Ita Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 6. Sayrus *lib.* 2. *Thesauri. cap.* 21. *num.* 2. Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 9. *num.* 3. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 4. *n.* 7. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 26. *ar.* 1. ver. *Sed hæsitabis.* Bartholom. Ledesma *de sacram. dub.* 14. *de excommunicat.* Baunius *de censur. tract.* 1. *tit. de iudice absol. à censur. quæst.* 3. ver. *Contraria igitur.* Felician. *de excommunicat. cap.* 42. Ripa *tract. de peste cap. de priuileg. vid. cav. pest. num.* 46. Angelus *verbo. Absolutio.* 3. *num.* 17. Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Bossius *discept.* 2. *moral. dub.* 9. *num.* 84. cum Glos. *in cap. A nobis* 2. *verbo Non potuerit. de sentent. excommunicat.* & in cap. *Pastoralis.* §. *Præterea. verbo. præterquam. de offic. ordinar.* & *in cap.* 2. *verbo. Ligata de poenit. & remis. in* 6. & ii omnes, qui volunt, laicum quoque deficientibus cœteris posse absoluere à censuris in articulo mortis, quos referam *quæst. seq. num.* 3.

4 Dicendum ergo est, Simplicem clericum licet carentem omni iurisdictone posse in articulo mortis in defectum sacerdotis absoluere à censuris. Probat Simplex clericus de iure communi est capax iurisdictionis spiritualis, quia cum sit ratione tonsuræ constitutus intra Ecclesiasticam hierarchiam cap. *Cum contingat. de ætat. & qualit ordinan.* potest etiam in iis participare, quæ sunt talis hierarchiæ, atque adeo in Ecclesiastica iurisdictione. ergo est illi concessa ad absoluendum à censuris in articulo mortis saltem in defectum aliorum. Conseq. prob. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* declarat, quod sit concessa facultas cuicunque sacerdoti absoluēdi à peccatis quoscumque penitentes. ergo cū id sit concessum ob fauorem poenitentū, qui sunt in tali statu, ita vt fauor faciat, quod talis facultas sit concessa, quibus cunque potuit concedi, cum militet hæc eadem ratio in facultate absoluendi à censuris, faciet idem fauor, quod talis facultas sit concessa, quibuscunque potuit concedi. Nam cum ratio sit anima legis *l. Cum oratio. ff. de bonis damnat.* illam extendit secundum propriam mensuram, & facit quod habeat locum, vbicunque ipsa reperitur *l. His solis.* ver. *Satis etiam cautè. C. de reuoc. donat.* & *l. Si postulauerit.* §. 2. *ff. ad leg. Iul. de adult.* ita vt casus, in quo militat eadem ratio, sit comprehensus sub lege Surd. *decis.* 276 *num.* 8. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *proem. num.* 105. Gutierez *lib.* 3. *pract. quæst.* 17. *num.* 84. Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo. Libertis num.* 48. Rebuf. *l. In lege censoria* 203. ver. *Itemque de seruis. ff. de verbor. significat.*

5 Dices. Non adesse eamdem rationem; nam maior necessitas est quòad absolutionem à peccatis, quàm quòad absolutionem à censuris. Verum reiicitur ista responsio. Nam finis, & ratio legis non consistit in necessitate, quæ solum est causa impulsiua, sed in fauore poenitentis, qui intenditur pro illo statu, dispositio autem non mensuratur ex causa impulsiua, sed ex finali, & ratione. Vnde cum tam in concessione facultatis absoluendi à peccatis, quam in concessione facultatis absoluendi à censuris militet eadem ratio, nempe fauor poenitentis; erit etiam eadem dispositio.

6 Confir. Voluntas dirigitur à ratione, & proinde consideratur semper vt informata ratione iuxta ea, quæ notant Bald. *num.* 121. *num.* 6. *in fine vol.* 3. Socin. *iun. consil.* 122. *num.* 20. *vol.* 3. Paris *consil.* 19. *num.* 168. *vol.* 2. Dec. *consil.* 1. *numer.* 227. *lib.* 1. Mantica *de coniect. vlt. vol. lib.* 6.

tit.

tit. 14. *num.* 9. Et proinde quisque præsumitur velle, quod est secundum regulas rectæ rationis, & præcipue id habet locum in eo, ad quem aliorum regimen spectat, cum ex officio teneatur procedere in regimine secundum dictas regulas. *l. Ex facto ff. de ind.* vbi Bald. Ias cum aliis *not.* 4. *num.* 5. Ripa *num.* 9. & cœteri Doctores. Ergo cum ad Ecclesiam spectet regimen suarum ouium, præsumitur in hoc regimine procedere secundum regulas rectæ rationis, & id præstare, quod ab ipsis exigitur. Ergo cum ratione charitatis, qua complecti debet suos subditos, & præcipuè poenitentes ad exemplum Pastoris Euangelici, qui relictis nonaginta nouem in deserto, venit quærere ouem, quæ perierat, debeat procurare ea, quæ ipsis proficua sunt, præsumitur etiam, quod adhibeat illis omnia, quæ potest, & conducunt ad bonum ipsorum spirituale. Ergo etiam, quod in articulo mortis velit posse absolui à censuris à simplici quoque clerico, cum hoc maxime conducat ad bonum spirituale ipsorum.

7 Dices. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* loquens de iis, qui in articulo mortis possunt absoluere, nominat tantum sacerdotes. ergo soli sacerdotes poterunt absoluere à censuris. Respon. neg. conseq. Quia Concilium ibi loquitur de absolutione sacramentali in ordine ad peccata reseruata; & quia solus sacerdos est capax facultatis in ordine ad talem absolutionem, ideo solos sacerdotes nominat, respectu quorum non adest reseruatio, quæ impediat, ne possit impertiri sacramentalis absolutio. Imo sicuti ibi facultas absoluendi sacramentaliter est omnibus, qui sunt capaces, concessa; ita etiam dicendum est, quod facultas absoluendi à censuris sit concessa omnibus, qui illius capaces sunt, vt supra dicebamus; nam à pari valet argumentum vt notat Euerar in Topica iuris loco 10. si quidem de similibus est idem iudicium. *l. Non possunt. ff. de legib.* & §. *Recte. instit. mandati.*

8 Dices 2. Facultas absoluendi à censuris est concessa pro articulo mortis, vt possit poenitens absolui à peccatis. ergo est tantum iis concessa, qui possunt absoluere à peccatis; non autem simplici Clerico. Resp. neg. antecd. Nam est æquè per se primo concessa ea facultas absoluendi à peccatis, vt dicetur infra, nam posset absolui poenitens à censuris, etiam si non posset absolui sacramentaliter à peccatis eo quod amisisset vsum rationis. Et ideo concessio ipsius non cessat ex eo, quod non habeat locum defectu capacitatis facultas absoluendi sacramentaliter.

9 Dices 3. Facultas absoluendi in articulo mortis à reseruatis est concessa ratione necessitatis, ne stante reseruatione aliquis periret, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 7. *de poenit.* Ergo facultas absoluendi à censuris non est concessa simplici clerico, cum in ipso non habeat locum ratio Concilii. Nam vel poenitens remanet in contumacia, & tunc perit non obstante absolutione à censuris. Vel conteritur; & tunc saluatur etiam absque absolutione. Resp. Esse concessam ratione necessitatis, non vt causæ finalis, vt dictum est etiam in superioribus; sed vt causæ impulsiuæ; causa enim finalis est fauor poenitentis constituti in illo statu. Deinde ratio necessitatis militat etiam pro absolutione à censuris, quia poenitens absque ipsa non est capax Ecclesiasticæ sepulturæ. Et quamuis secundum aliquos, si decedat in gratia, sit capax suffragiorũ Ecclesiæ, secundum alios tamen non est capax; & ideo vt certo ipsi consulatur, debet talis facultas esse cuicunque capaci concessa. Adde etiam, quod si absolutus non sit, non habet specialia suffragia pro seipso specialiter oblata: vnde ad summum participaret in communibus.

An in periculo mortis possit laicus absoluere à censuris. Quæst. 199.

S V M M A.

1 *Laico potest à Papa concedi facultas absoluendi à censuris.*
2 *Laicum in articulo mortis non posse absoluere à censuris, qui teneant.*
3 *Laicus absente Clerico, aut sacerdote potest absoluere à censuris in articulo mortis, probatur, & confirmatur. num. 4. 5. et 6.*
6 *Soluuntur obiectiones, et num. 8.*
9 *Secunda sententia in praxi tenenda est.*
10 *Sic absoluto non debet negari Ecclesiastica Sepultura cum suffragijs.*
11 *Petens absolui à laico, et non absolutus potest post mortem absolui ab habente facultatem.*

1 Difficultas procedit non ratione reseruationis, quia in articulo mortis cessat omnis reseruatio vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenitentia*. Sed ratione iurisdictionis, an scilicet sit ipsi concessa in tali casu. Certum est autem, posse à Summo Pontifice concedi laico facultatem absoluendi à censuris, vt notant Glos. *in cap. Bene quidem*. verbo. *Præter Romanum dist.* 96. & in cap. *Ad hoc verò*. verbo. *Ducibus. dist.* 32. Panormit. *in cap. Ab excommunicato, & in cap. Ecclesia S. Mariæ num.* 5. *de rescrip.* Felin. *in cap. Canonica de sent. excommunicat.* Tabiena verbo. *Absolutio* 2. *num.* 2. *ver. quæritur.* 5. Vgolin. de censur. *tab.* 1. *cap.* 2. §. 10. *num.* 4. Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 11. *num.* 33. ver. *Quarto.* Palud. in 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ar.* 3. *conclus.* 5. & alii communiter. Cum enim hæc facultas spectet ad iurisdictionem, & non ad ordinem, potest à Summo Pontifici, qui est supra ius canonicum *cap. proposuit. de concess. prabend.* delegari laico, cum non requirat ex natura rei, sed tantum de iure canonico, aliquod fundamentum in delegato. Solum ergo difficultas est, an sit delegata cuicunque laico pro articulo mortis, quando non adest aliquis clericus, aut sacerdos, à quo impendi possit absolutio.

2 Prima sententia asserit, laicum neque in defectum clerici posse absoluere à censuris constitutum in periculo mortis. Ita Imola *in l.* 1. *ff. de publ. iud.* Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 11. *num.* 9. Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 7. Nauar. *in Manuali cap.* 26. *nu.* 26. *ver. Dixi præsbiter.* & *in cap.* 1. *numer.* 84. *de poenit. dist.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *ar.* 4. *ver. Verum verò*. Sayr. *lib.* 2. *de censur. cap.* 21. *num.* 4. Corduba *in sum. quæst.* 18. *artic.* 2. *dicto* 1. Henriquez *lib.* 3. *de excommunicat. cap.* 27. *num.* 4. Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 3. *conclus.* 1. Turrian. *lib.* 2. *de censur. disp.* 24. *dub.* 4. Faber. *in* 4. *dist.* 25. *disp.* 4. *cap.* 8. Suarez *disp.* 7. *de censur. sect.* 6. *num.* 6. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 236. Laiman. *lib.* 1. *theol. moral. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 6. *nu.* 2. ver. *Porro licet.* Garzias *de benef. tom.* 2. *par.* 12. *cap.* 5. *num.* 353. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 6. *difficul.* 20. *num.* 14. Hurtad. *de censur. disp.* 15. *difficul.* 1. qui citat etiam Vasquez *de excommunicat. dub.* 18. Bonac. *disp.* 1. *de censur. in communi quæst.* 3. *punc.* 3. *num.* 1. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure disp.* 63. *num.* 3. Duard. *in Bullam coenæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 5. *num.* 7. Nugn. 3. *par. quæst.* 8. *supplem. ar.* 6. *dub.* 5. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 83. *num.* 18. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *numer.* 13.

3 Secunda sententia tenet, quod possit absoluere in absentia sacerdotis, aut clerici. Ita Glos. *in cap. A nobis.* 2. *verbo. non potuerit. de sentent. excommunicat.* & *in cap. Pastoralis.* §. *Præ-*

ter-

tera. verbo. Prater quam, de offic. ordinar. & in cap. 2. verbo. Ligata de poenit. & remiss. in 6. Abbas in dict. cap. A nobis. 2. de sent. excommun. Felin. & coeteri ibid. Dec. in cap. 3. num. 23. de iud. Oldrad. consil. 94. Sylvester. verbo. Absolutio 1. num. 8. Angelus verbo. Absolutio. 3. num. 17. Tabiena verbo. Absolutio. 2. num. 8. ver. Quaritur quinto. Armilla verbo. Absolutio. num. 4. D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 4. §. Septimus casus. Ripa tract. de peste. cap. de privil. iud. cau. pest. num. 46. Ledesma 3. par. 4. quæst. 26. ar. 1. ver. Sed bestiabis Bartholomeus Ledesma de sacramen. dub. 14. de excommunicat. Io. Sanchez in select. de sacram. disp. 44. numer. 7. Felician. de excommunicat. cap. 42. Io. Valerus in differ. utriusq. fori. verbo. Absolutio. differ. 13. num. 2. Io. à Cruce par. 2. director. conscient. dub. 4. de excommunicat. conclus. 1. Raguc. in lucerna Paroch. tit. de absolut. quæst. 124. Petrus Ledesma par. 1. summ. cap. 8. de excommunicat. dub. 4. ver. Dicolo secundo. Baunius de censur. tract. 1. tit. de iudice absol. à censur. quæst. 3. ver. Contraria igitur. Diana par. 3. tract. 3. resol. 77. Marchinus de peste par. 3. cap. 13. num. 3. & sequent. Philippus à Cruce in tract. 1. S. 1. Bossius. Di sept. 2. moral. dub. 101. n. 83.

4 Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Ratio est, quia voluntas interpretativa Ecclesiæ sufficit ad tribuendam iurisdictionem. Sed adest voluntas interpretativa Ecclesiæ, quod laicus possit absoluere à censuris in articulo mortis, ergo aderit etiam facultas. Maior prob. Voluntas interpretativa sufficit, vt aliquid sit voluntarium iuxta doctrinam D. Th. 1. 2. quæst. 6. ar. 3. in corpore communiter receptam; vnde vt imputetur peccatum sufficit voluntas interpretativa. ergo quando adest voluntas interpretativa Ecclesiæ de conferenda iurisdictione facit, quod iurisdictio sit voluntariè concessa. Min. prob. voluntas Ecclesiæ semper præsumitur recta, & talis, qualis secundum regulas rectæ rationis esse debet. Vnde mens superioris semper talis præsumitur, qualis de iure esse debet, vt notant Bald. in leg. Ex facto ff. de vulg. & pupil. substit. Felin. consil. 31. num. 1. Dec. consil. 64. num. 7. Gozadin. consil. 101. num. 10. Ias. in l. Cansas. num. 6. C. de transact. ergo præsumitur vt velit subuenire subditis, quotiescunque tenetur, atque adeo quod habeat illam voluntatem, quæ necessaria est pro subuentione: ergo quod habeat voluntatem concedendi iurisdictionem cuicunque laico absoluendi à censuris in articulo mortis. Conseq. ista prob. Constitutus in articulo mortis, & censuris irretitus est in graui necessitate quoad absolutionem: aliàs sine ipsa decederet, & priuaretur Ecclesiastica sepultura: ergo stante hac graui necessitate tenetur Ecclesia subuenire, & eligere media omnia necessaria pro subuentione, atque adeo concedere etiam laico iurisdictionem pro absolutione.

5 Confir. Quia Ecclesia tenetur succurrere moribundis in ordine ad salutem mediante sacramento poenitentiæ, contulit iurisdictionem absoluendi quibuscunque potuit, vt remedium esset obuium quàm maxime posset, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. de poenit. & ideo concessit cuicunque sacerdoti non obstante quacunque reseruatione, vt possit absoluere: ergo cum teneatur etiam succurrere quoad absolutionem à censuris, quia sunt in remedium, non autem in destructionem, debuit concedere omnibus, quibus potuit, absoluendi facultatem in articulo mortis.

6 Confir. 2. Potestas Ecclesiæ est in ædificationem, non autem in destructionem, vt habet Apostolus 2. Ad Corinth. 10. ergo tenetur ita illa vti, vt velit omnia, quæ necessaria sunt ad ædificationem: alias deficeret in iis, quæ pertinent ad munus proprium. Est autem necessarium pro ædificatione, quod concedat cuicunque, etiam laico, facultatem absoluendi moribun-

dum

inde comprehendit directe omnia particularia, & nullum excludit, vt notat Feder. de Senis. *Consil.* 85. *num.* 2. Ergo quando in articulo mortis fit cõfessio aliquorum peccatorum, & non potest fieri integra, sed sufficit generalis accusatio, siue voce, siue per nutus, ex vi generalis accusationis illa confessio æquipollet speciali, & operatur, quod singula peccata habeantur pro expressis in specie, & directe omnia comprehendit. Ergo facultas quoque absoluendi causat totum suum effectum non secus, ac si in specie omnia fuissent expressa, siquidem ex impossibilitate cessat obligatio exprimẽdi in specie.

4 Dices. In generali concessione non veniunt, quæ indigent speciali expressione: ergo neque in generali accusatione habebuntur pro expressis peccata in specie, cum singula indigeant speciali expressione. Resp. neg. conseq. Nam tunc non habentur pro expressis in generali expressione, quæ indigent speciali expressione, quando generalis expressio est talis, vt complecti possit tàm quæ non indigent speciali expressione, quàm quæ indigent. At quando ex natura sua est talis, vt complectatur determinate solum ea, quæ indigent speciali expressione, tunc absque dubio ea omnia complectitur, quæ potest complecti ex vi suæ significationis. Cum ergo omnia peccata indigeant speciali expressione, fit quod generalis accusatio de ipsis in foro poenitentiali habeatur pro indiuidua singulorum expressione. Neque vrgeri potest, quod reseruata requirant aliquam expressionem magis specialem; nam non est necesse explicare in confessione reseruationem, sed sufficit ea confiteri habenti facultatem absoluendi.

An si in reseruatione non excipiatur articulus mortis, possit adhuc in tali casu à quocumque impendi absolutio. Quæst. 194.

SVMMA

1 *Affirmatiua sententia statuitur, & probatur.*
2 *Confirmatur.*

1 Aliquando in reseruatione non solet excipi articulus mortis quod præsertim contingit, quando Episcopi sibi reseruant casus, aut superiores religionum; dubitatur ergo, an tunc possit poenitens à quocunque absolui in articulo mortis. Et affirmatiue respondẽdum est, vt docent Vgolin. *de censur. sum. pont. reser. par.* 3. ver. *Nisi in mortis articulo. quæst* 2. Sousa *in Bul. Coenæ. cap.* 23. *disp.* 99. *num.* 7. Ratio autem est, quia vt habetur ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt in articulo mortis nulla esset reseruatio. Ergo cum ex perpetua consuetudine Ecclesiæ stabilitum sit reseruationem non habere vim in articulo mortis, quæcunque reseruatio fiat, non se extendet ad ipsum, quia mensurabitur semper secundum mensuram vniuersalis consuetudinis, atque adeo quilibet poterit absoluere non secus, ac si non esset facta reseruatio.

2 Confir. Clausula exceptiua articuli mortis est solita apponi in reseruatione. ergo si non apponatur, habetur adhuc pro apposita, quia clausula apponi solita habetur pro expressa, etiam si non apponatur. *l. Fin. in fine. C. Fideius.* vbi Bal. Ias. *in l. Argentarius. num.* 7. *ff. de eden.* testans de communi. Felin. *in cap. Cum M. de constit.* Quod præsertim verũ est, quia ex natura rei exigitur talis exceptio, ita vt sit necessaria prò iustificanda reseruatione. Potestas enim reseruandi casus est in

in ædificationem, non autem in destructionem, vt habet citat. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenitent.* & proinde potest solum eousque extendere suum actum, quousque potest esse proficuus; & si ita extendatur, vt fiat damnosus, & tendat in perniciem, nulliter extenditur, sed desinit esse actus talis potestatis. Si autem extenderetur ad articulum mortis, extenderetur in perniciem animarum, quia reseruatio esset occasio, quod aliquis periret. Vnde reseruatio ex natare sua habet semper annexam exceptionem articuli mortis.

An hæreticus denunciatus possit absolui à quocunque etiam in solo periculo mortis.

Quæst. 195.

S V M M A.

1 *Hæreticus denuntiatus non potest à quocunque absolui in solo periculo mortis.*
2 *Sententia opposita firmatur. num.* 3.
3 *Preceptum confitendi non minus vrget in articulo, quam in periculo mortis.*
4 *Resoluuntur obiectiones. num.* 5.

1 PRima sententia est negatiua. Ita Canus *Relect. de poenit. par.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4 *ar.* 4. Couaruu. *in capit. Alma mater. par.* 1. *§.* 11. *num.* 8. & prob. Quia in Bulla coenæ, vbi reseruatur hæresis, excluditur tantum articulus mortis, non autem periculum. Quando autem conceditur facultas etiam pro periculo mortis solet exprimi vt in cap. *Si quis suadente.* 17. *quæst.* 4. Deinde. Facultas absoluendi pro articulo mortis est priuilegium; priuilegium autem est strictè interpretandum, vt quam minimè fieri possit, lædat ius commune.

2 Secunda sentent. asserit posse absolui non solum in mortis articulo, sed etiam in periculo. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *ar.* 5. ver. *Tertius casus.* Adrianus *quæst.* 3. *de confess.* ver. *Tertius casus.* Viuald. *in candel. in explicat. Bul. coenæ. num.* 137. Vgolin. *de censur. Rom. Pont. reser. par.* 3. verbo. *Nisi in mortis articulo. quæstion.* 1. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 59. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 1. Souza *lib.* 3. *Aphoris. Inquisit. cap.* 4. *num.* 2.

3 Dicendum est. Hæreticum etiam denunciatum posse absolui non solum in articulo mortis, sed etiam in probabili periculo. Desumitur ex Glos. *in cap. Pastoralis.* verbo. *Preterquam. de offic. iud. ordin.* vbi vult esse in articulo mortis, qui est in periculo, vt quando quis est commissurus prælium ad effectum obtinendæ absolutionis. Ratio autem est. Quia in cap. Eos, qui. de sentent. excommunicat. in 6. vbi generaliter statuitur circa eos, qui iuxta concessionem iuris absoluuntur à censuris reseruatis Summo Pontifici in articulo mortis, de quibus in cap. *Quod de his.* & in cap. *Quamuis de sent. excommunicat.* quod in aliis locis dicitur mortis articulus, ibi dicitur mortis periculum. ergo ex hoc tex. sumitur interpretatio, quod facultas absoluendi pro mortis articulo intelligatur etiam pro mortis periculo. Confir. In mortis periculo non minus vrget præceptum confitendi, quam vrgeat in mortis articulo. Ergo facultas absoluendi in mortis articulo extenditur etiam ad mortis periculum. Conseq. prob. Talis facultas est concessa, vt possit quilibet prouidere propriæ saluti, quando tenetur prouidere de iure naturali. ergo cum teneatur etiam in mortis periculo, tunc quoque adest facultas.

4 Ad 1. oppositæ sententiæ resp. Non semper solere exprimi mortis periculum, licet etiam pro ipso sit conces-

cessa facultas, quia sufficit, quod in iure explicetur, quod facultas concessa pro mortis articulo, sit etiam pro periculo, vt dictum est nuper. præcedenti. Præsertim, quia mortis periculum, & articulus in ordine ad hanc facultatem absoluendi confunduntur; sic quod in cap. *Si quis suadente*. 17. *quæst*. 4. dicitur mortis periculum, in cap. *de cætero*. & cap. *Quod de his de sent. excommunicat*. dicitur mortis articulus.

5 Ad 2. Priuilegium esse stricto interpretandum, quando est purum priuilegium; non autem quando habet etiam rationem legis; nam cum tunc sit ordinatum ad bonum commune, debet accipi tanquam lex fauorabilis, atque adeo debet late interpretari. Tale autem est huiusmodi priuilegium, cum non sit concessum priuatæ personæ, sed conditum pro tota communitate, & pro prouidendo in communi omnium saluti. Vnde tanquam beneficium Ecclesiæ ordinatum ad salutem animæ non recipit restrictionem; sed ampliationem. *l. Beneficium. ff. de constit. princip.* & notant, Io. Andr. *in cap. Olim. de verbor. signific.* Butr. ibid. Syluest. verbo. *Priuilegium. num.* 3. Accedit, quod talis facultas non est ex priuilegio, sed est de iure communi. Quia reseruatio excipit articulum mortis, & ideo restrictio iurisdictionis non se extendit ad mortis articulum, & proinde facultas absoluendi pro articulo mortis remanet prout de iure communi. Imo restrictio ipsa tanquam continens odium, & poenam stricte interpretari debet. ita vt dum non extenditur ad articulum, nec etiam extendatur ad periculum mortis.

An hæreticus relapsus absolui possit à quocunque, quando potest absolui non relapsus. Quæst. 196.

S V M M A.

1 *Hæretici relapsi spiritualiter reconciliantur Ecclesiæ.*

2 *Hæreticus relapsus in articulo, & periculo mortis potest à quolibet absolui, sicut non relapsus, & num. 3.*

3 *Hæreticus relapsus, et condemnatus habetur pro constituto in probabili periculo mortis.*

4 *Etiam absens siet fugitiuus.*

1 QVamuis hæretici relapsi non admittantur, ad poenitentiam in ordine ad poenam temporalem, quia hæc nunquam eis remittitur, spiritualiter tamen reconciliantur Ecclesiæ, & conceduntur ipsis sacramenta poenitentiæ, & eucharistiæ, vt constat ex praxi, & tradunt communiter. D. Tho. 2. 2. *quæst*. 11. *art*. 4. Eymericus *par*. 2. *Director. Inquisit. quæst*. 40. *num*. 3. & *quæst*. 58. *num*. 3. Peña *ibid. com*. 83. Farinac. *de hæres. quæst*. 193. §. 1. *num*. 32. & *sequent*. Ratio autem est; quia sicuti vnusquisque in ordine ad Deum poenitere semper potest; quam diu viuit; ita etiam debet Ecclesia hanc poenitentiam semper acceptare, & subministrare remedia necessaria pro salute. Difficultas autem est, an talis hæreticus relapsus possit à quocunque absolui in articulo, & periculo mortis.

2 Dicendum est. Posse à quocunque absolui in articulo, & etiam in probabili periculo mortis. Ratio autem est, quia Concilium Trident. *sess*. 14. *cap*. 7. *de poeniten*. vniuersaliter docet, nullam adesse reseruationem in articulo mortis; & posse vnumquemque sacerdotem quoscunque poenitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere, nec alicubi excluditur hæreticus relapsus: ergo cum facultas sit vniuersalissima, nec aliquis excludatur, extendetur etiam ad relapsos: præsertim cum non sit de mente Ecclesiæ

eos

eos priuare, si poeniteant, remediis necessariis ad salutem. Confir. In Bulla Coenæ, vbi strictissimè reseruatur hæresis quæcunque, excipitur tamen absolutè articulus mortis, nec ab hac exceptione excluduntur relapsi: ergo cum articulus mortis comprehendat etiam probabile periculum, vt constat ex dictis quæst. præced. poterit relapsus quoque absolui.

3 Immò poterit à quocunque absolutè absolui in quocunque tempore, statim ac est declaratus, & condemnatus tanquam relapsus, vt notat Carena. *De inquisit. par. 2. tit. 2. §. 7. num 62.* Cum enim relapsus relaxetur curiæ sæculari, etiam quando absens condemnatur iuxta Cap. *Ad abolendam. §. illos quoque de haret.* & notat Peña *ad Direct. Inquisit. par. 2. com. 83. Littera* C. Simanch. *Cathol. instit. tit. 57. num. 23.* Roias *singul. 23. num. 6.* Farinac. *de haresi quæst. 185. §. 14. num. 217.* Scortia *in select. constit. theor. 36. num. 2.* Sanctarel. *de haresi. capit. 42. num. 17.* Carena *de inquisit. par. 2. tit. 2. §. 6. numer. 37. & 38.* atque adeo censeatur destinatus morti, habetur pro constituto in articulo mortis, aut saltem in probabili periculo iuxta ea, quæ supra dicta sunt, & notat etiam Duard. *in Bullam Coena lib. 3. §. 2. quæst. 2. num. 1.* ver. *Vel cum quis per iudicis*, & ideo pro ipso cessat omnis reseruatio.

4 Ex his colligitur. Quod relapsus in absentia condemnatus, & relaxatus curiæ sæculari, dum se occultat, & fugitiuus est, poterit à quocunque absolui. Ratio est, quia est semper in probabili periculo, quod capiatur à Curia, atque adeo in probabili periculo mortis, quia sequuta captura certus est, quod morte plectetur. Hoc tamen solum habet locum, quando degit in terris, in quibus Curia sæcularis procedit contra huiusmodi relapsos, nam si non procederet, sicut cessaret periculum capturæ, & mortis, ita non haberet locum facultas absoluendi.

An ante absolutionem hæreticus sit prius examinandus, si sit in articulo, vel periculo mortis. Quæst. 197.

SVMMA.

1. *Affirmatiua sententia.*
2. *Negatiua stabilitur, & probatur.*
3. *Confirmatur.*

1. ESse hæreticum prius ab Inquisitoribus diligenter examinandum, si mortis periculum non sit ita proximum, vt statim mors sequutura sit, sed probabiliter supersit tempus sufficiens ad recurrendum ad Inquisitorem, vel Episcopum, tradunt Simanch. *Cathol. instit. tit. 3. num. 3.* Couaruu. *4. decret. par. 1. §. 11. num. 8.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 3.* Penna *2. par. direct. com. 25.* Farinac. *de haresi quæst. 193. §. 1. n. 20.* Sousa *lib. 2. Aphoris. capit. 44. numer. 9.*

2. Verum licet hoc sit expediens, quando est moraliter certum, quod adsit sufficiens tempus, non est tamen necessarium. Ratio autem est. Quia per Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* & per Bullam coenæ non adest reseruatio pro illo tempore, sed quilibet sacerdos potest quemcunque hæreticum admittere ad sacramentalem poenitentiam, & si sit dispositus absoluere; nec ibi requiritur, quod prius examinetur ab inquisitoribus. Si autem esset necessaria talis præuia examinatio, aut de intentione legis, id expressum fuisset, dum fuit declaratum, quod quilibet in tali casu possit absoluere. *l. Si seruus. §. Prætor ait.* ver. *Non dixit. ff. de acquir. hæred.* & cap. *Ad audientiam 2. de decimis.* præsertim cum id facile exprimere potue-

tuerit, vt notat Menoch. *consil.* 30. *numer.* 8.

3 Confir. Ideo esset prius examinandus vt innotesceret, an verè poeniteat, & resipiscat, & ad catholicam fidem reuertatur. Hoc autem fieri potest ab ipso confessario, quantum sufficit, vt possit admitti ad percipienda sacramenta. ergo non adest necessitas, quod ab inquisitoribus vel Episcopo examinetur. Confir. 2. Ideo esset examinandus ab inquisitoribus, aut Episcopo, vt possit absolui, ita vt examen tanquam medium ordinaretur ad absolutionem. Hoc autem non est necessarium, quia ponere media pro assequendo aliquo fine spectat ad eum, ad quem spectat inducere finem; nam ad eum spectat iudicium de mediis, ad quem spectat iudicium de fine iuxta Arist. 1. *Eth. cap.* 1. & cap. *Præterea*. *de offic. deleg.* Ergo cum inquisitores, & Episcopi non possint absoluere ab hæresi in foro conscientiæ, vt tradunt Ricciul. *lib.* 5. *de person. extra Eccles. grem. cap.* 15. *per totum.* Sanctarel. *de hæresi cap.* 4. *dub.* 7. *per totum.* Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 12 *num.* 3. alios citans Barbosa *de potest Episcopi alleg.* 4b. *n.* 26. vbi alios citat. Carena *de inquisit. par.* 2. *tit.* 1 §. 26. *num.* 136. non poterunt iudicare inordine ad obsolutionem in foro conscientiæ, an hæreticus resipuerit, & an sit dispositus pro obtinenda absolutione, atque adeò nec etiam in ordine ad hunc finem illum examinare; siquidem cum finis absolutionis non spectet ad ipsos, nec etiam spectabit iudicium de mediis: sed solum erunt examinandi ab ipsis in ordine ad reconciliationem pro foro externo.

An hæreticus, qui in articulo mortis non potuit absolui à censuris, possit absolui post mortem. Quæst. 198.

S V M M A.

1 *Affirmatiua sententia stabilitur.*
2 *Extendi etiam ad relapsum negatur.*
3 *Probatur extendi.*
4 *Signa poenitentiæ qualia debent esse.*

1 QVando hæreticus in articulo mortis dedit signa poenitentiæ, & non fuit absolutus vel quia non aderat, qui absolueret, vel quia, qui erant præsentes, putabant, se non posse absoluere, poterit post mortem absolui ab excommunicatione; & reconciliari Ecclesiæ. Ita tenent Simanch *Cathol. Instit. tit.* 3. *Rubr. de absolut. num.* 4. Azor. *par.* 1. *instit. lib.* 8. *cap.* 19. vet. *Quaro an etiam*. Farinac. *de hæresi quæst.* 163. §. 1. *num.* 20. Sousa *lib.* 2. *Aphorism. cap.* 44. *num.* 10. Et ratio est, quia Ecclesia se ostendit semper piissimam matrem quoad ea, quæ concernunt salutem erga pœnitentes, & ideo semper eos recipit; quoad subministranda remedia. Cum ergo recipiat semper hæreticos ad pœnitentiam, recipiet etiam post mortem; si non fuerunt recepti dum viuerent quoad ea remedia, quæ potest subministrare, qualia sunt suffragia.

2 An autem hoc locum habeat in hæretico relapso, videtur negatiuè respondendum. Quia cum non admittantur ad ecclesiasticam sepulturam, vt tradunt Simanch. *Catholicar. instit. tit.* 57. *numer.* 13. Treuisan. *decis.* 36. *num.* 15. *lib.* 2. Carena *de Inquisit. par.* 2. *tit.* 2. §. 6. *num.* 41. neque reconcilientur Ecclesiæ, sed tantum reincorporentur, vt ait Carrera *in quæst. crimin. cap.* 1. *de hæret. num.* 13. *ver. Sed certè.* per administrationem sacramentorum; nec etiam videntur absoluendi, cum absolutio fiat in ordine ad Ecclesiasticam sepulturam.

E con-

3 E contra vero cum absolutio fit etiam in ordine ad participanda suffragia Ecclesiæ, quibus liberari possint à pœnis purgatorii, non videtur conforme pietati Ecclesiæ, quam ostendit præcipuè erga animas detentas in purgatorio, quod velit animas hæreticorum licet relapsorum, qui resipuerunt, & dederunt pœnitentiæ signa, priuare his suffragiis, cum speciali amore tanquam coniunctas in charitate illas prosequatur; vnde ad hunc effectum videntur absoluendi etiam relapsi, quando ante mortem exhibuerunt signa pœnitentiæ.

4 Sed dubitatur, qualia signa pœnitentiæ requirantur, vt possit hæreticus post mortem absolui. Resp. Sufficere illa signa, quæ sufficiunt pro obtinenda absolutione sacramentali, dum viuit. Si enim ista signa sufficiunt, vt censeatur conuersus ad Deum, sufficient etiam, vt censeatur conuersus ad Ecclesiam; Eo ipso autem, quod hæreticus reuertitur ad Ecclesiam, ipsum recipit, & reincorporat. Hoc tamen debet accipi cum debita proportione, ita vt sicut signa pœnitentiæ in ordine ad sacramentalem absolutionem debent esse in ordine ad accusationem de peccatis: ita in casu nostro debent esse in ordine ad detestationem hæresis. Si tamen exhiberet signa pœnitentiæ in ordine ad sacramentalem absolutionem, posset adhuc absolui post mortem ab hæresi, etiam si nullum signum detestationis hæresis exhiberet, quia eo ipso quod pœnitet in ordine ad absolutionem à peccatis, detestatur etiam hæresim, siquidem sine tali detestatione nec verè pœniteret, nec posset absolui.

De absolutione à censuris quoad constitutos in periculo mortis.

An simplex Clericus possit in articulo mortis absoluere à censuris. Quæst. 198.

SVMMA.

1 *Simplex Clericus potens ferre censuras potest absoluere in articulo mortis.*
2 *Sententia negatiua.*
3 *Sententia affirmatiua substinetur. num. 4.*
5 *Soluitur obiectio.*
6 *Confirmatur.*
7 *Aliæ obiectiones enodantur. num. 8. & 9.*

1 Qvod possit absoluere, si alias habeat iurisdictionem ad ferendas censuras, non potest in dubium verti, vt notat etiam Vgolin. *tab. de censur. cap. 2. §. 10. n. 6.* nam illius est soluere, cuius est ligare. cap. Verbum. *de poenit. dist. 1.* Quod habet locum, etiam si non habeat iurisdictionem supra censuras, quibus innodatur pœnitens, nam cum cesset in tali casu omnis reseruatio, sufficit quæcunque iurisdictio in ordine ad censuras. Vnde solum difficultas est de simplici Clerico non habente iurisdictionem aliquam.

2 Prima sententia est negatiua. Ita Molina *tom. 4. de iust. & iure. disp. 63. num. 3.* Suarez *disp. 7. de censur. sect. 6. num. 6. & seq.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 13.* qui tamen subdit oppositum esse probabilius & in praxi adhibendum. Altorius *de censur. lib. 4. disp. 5. cap. 1. ver. Superest alia.* Duard. *in Bullam coenæ lib. 3. §. 2. q. 6. num. 6.* Conich. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 136.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punt. 3. num. 1.* Nugn. *3. par. quæst. 8. supplem. ar. 6. dub. 5.* Nauarr. *in Manuali cap. 26. num. 26.*

Pasqualig.

 ger.

ver. *Dixi presbiter*. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. ver. *Vtrum verò*. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 83. *num.* 18. Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 1 §. 11. *num.* 9. Reginal. *lib.* 9. *Praxis fori poenit. num.* 9. Laiman *lib.* 1. *theol. moral. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. ver. *Porro.*

3 Secunda tamen sententia tenet, quod simplex Clericus, licet careat iuridictione, possit in articulo mortis absoluere à censuris. Ita Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 6. Sayrus *lib.* 2. *Thesauri, cap.* 21. *num.* 2. Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 9. *num.* 3. D. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 4. *n.* 7. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 26. *ar.* 1. ver. *Sed hæsitabis*. Bartholom. Ledesma *de sacram. dub.* 14. *de excommunicat.* Baunius *de censur. tract.* 1. *tit. de iudice absol. à censur. quæst.* 3. ver. *Contraria igitur*. Felician. *de excommunicat. cap.* 42. Ripa *tract. de peste cap. de priuileg. vid. cau. pest. num.* 46. Angelus *verbo. Absolutio.* 3. *num.* 17. Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Bossius *discept.* 2. *moral. dub.* 9. *num.* 84. cum Glos. *in cap. A nobis* 2. *verbo Non poterit. de sentent. excommunicat.* & in cap. *Pastoralis.* §. *Præterea. verbo. præterquam. de offic. ordinar.* & *in cap.* 2. *verbo. Ligata de poenit. & remis. in* 6. & ii omnes, qui volunt, laicum quoque deficientibus cœteris posse absoluere à censuris in articulo mortis, quos referam *quæst. seq. num.* 3.

4 Dicendum ergo est, Simplicem clericum licet carentem omni iurisdictione posse in articulo mortis in defectum sacerdotis absoluere à censuris. Prob. Simplex clericus de iure communi est capax iurisdictionis spiritualis, quia cum sit ratione tonsuræ constitutus intra Ecclesiasticam hierarchiam cap. *Cum contingat. de ætat. & qualit ordinan.* potest etiam in iis participare, quæ sunt talis hierarchiæ, atque adeo in Ecclesiastica iurisdictione, ergo est illi concessa ad absoluendum à censuris in articulo mortis saltem in defectum aliorum. Conseq. prob. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* declarat, quod sit concessa facultas cuicunque sacerdoti absoluēdi à peccatis quoscumque penitentes. ergo cū id sit concessum ob fauorem pœnitentū, qui sunt in tali statu, ita vt fauor faciat, quod talis facultas sit concessa, quibus cunque potuit concedi, cum militet hæc eadem ratio in facultate absoluendi à censuris, faciet idem fauor, quod talis facultas sit concessa quibuscunque potuit concedi. Nam cum ratio sit anima legis *l. Cum oratio. ff. de bonis damnat.* illam extendit secundum propriam mensuram, & facit quod habeat locum, vbicunque ipsa reperitur *l. His solis.* ver. *Satis etiam cautè. C. de reuoc. donat.* & *l. Si postulauerit,* §. 2. *ff. ad leg. Iul. de adult.* ita vt casus, in quo militat eadem ratio, sit comprehensus sub lege Surd. *decis.* 276 *num.* 8. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 7. *proem. num.* 105. Gutierez *lib.* 3. *pract. quæst.* 17. *num.* 84. Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo. Libertis num.* 48. Rebuf. *l. In lege censoria* 203. ver. *Itemque de seruis. ff. de verbor. significat.*

5 Dices. Non adesse eamdem rationem; nam maior necessitas est quòad absolutionem à peccatis, quàm quòad absolutionem à censuris. Verum reiicitur ista responsio, Nam finis, & ratio legis non consistit in necessitate, quæ solum est causa impulsiua, sed in fauore poenitentis, qui intenditur pro illo statu, dispositio autem non mensuratur ex causa impulsiua, sed ex finali, & ratione. Vnde cum tam in concessione facultatis absoluendi à peccatis, quam in concessione facultatis absoluendi à censuris militet eadem ratio, nempe fauor poenitentis; erit etiam eadem dispositio.

6 Confir. Voluntas dirigitur à ratione, & proinde consideratur semper vt informata ratione iuxta ea, quæ notant Bald. *num.* 121. *num.* 6. *in fine vol.* 3. Socin. *iun. consil.* 122. *num.* 20. *vol.* 3. Paris *consil.* 19. *num.* 168. *vol.* 2. Dec. *consil.* 1. *numer.* 227. *lib.* 1. Mantica *de coniect. vlt. vol. lib.* 6. *tit.*

tit. 14. *num.* 9. Et proinde quisque præsumitur velle, quod est secundum regulas rectæ rationis, & præcipue id habet locum in eo, ad quem aliorum regimen spectat, cum ex officio teneatur procedere in regimine secundum dictas regulas *l. Ex facto ff. de ind.* vbi Bald. Ias cum aliis *not.* 4. *num.* 5. Ripa *num.* 9. & cœteri Doctores. Ergo cum ad Ecclesiam spectet regimen suarum ouium, præsumitur in hoc regimine procedere secundum regulas rectæ rationis; & id præstare, quod ab ipsis exigitur. Ergo cum ratione charitatis, qua complecti debet suos subditos, & præcipuè poenitentes ad exemplum Pastoris Euangelici, qui relictis nonaginta nouem in deserto, venit quærere ouem, quæ perierat, debeat procurare ea, quæ ipsis proficua sunt, præsumitur etiam, quod adhibeat illa omnia, quæ potest, & conducunt ad bonum ipsorum spirituale. Ergo etiam, quod in articulo mortis velit posse absolui à censuris à simplici quoque clerico, cum hoc maxime conducat ad bonum spirituale ipsorum.

7 Dices. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* loquens de iis, qui in articulo mortis possunt absoluere, nominat tantum sacerdotes. ergo soli sacerdotes poterunt absoluere à censuris. Respon. neg. conseq. Quia Concilium ibi loquitur de absolutione sacramentali in ordine ad peccata reseruata; & quia solus sacerdos est capax facultatis in ordine ad talem absolutionem, ideo solos sacerdotes nominat, respectu quorum non adest reseruatio, quæ impediat, ne possit impertiri sacramentalis absolutio. Imo sicuti ibi facultas absoluendi sacramentaliter est omnibus, qui sunt capaces, concessa; ita etiam dicendum est, quod facultas absoluendi à censuris sit concessa omnibus, qui illius capaces sunt, vt supra dicebamus; nam à pari valet argumentum vt notat Euerar in Topica iuris loco 10. si quidem de similibus est idem iudicium. *l. Non possunt. ff. de legib.* & S. *Recte. instit. mandati.*

8 Dices 2. Facultas absoluendi à censuris est concessa pro articulo mortis, vt possit poenitens absolui à peccatis. ergo est tantum iis concessa, qui possunt absoluere à peccatis; non autem simplici Clerico. Resp. neg. anteced. Nam est æquè per se primo concessa ea facultas absoluendi à peccatis, vt dicetur infra, nam posset absolui poenitens à censuris, etiam si non posset absolui sacramentaliter à peccatis eo quod amisisset vsum rationis. Et ideo concessio ipsius non cessat ex eo, quod non habeat locum defectu capacitatis facultas absoluendi sacramentaliter.

9 Dices. 3. Facultas absoluendi in articulo mortis à reseruatis est concessa ratione necessitatis, ne stante reseruatione aliquis periret, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 7. *de poenit.* Ergo facultas absoluendi à censuris non est concessa simplici clerico, cum in ipso non habeat locum ratio Concilii. Nam vel poenitens remanet in contumacia, & tunc perit non obstante absolutione à censuris. Vel conteritur; & tunc saluatur etiam absque absolutione. Resp. Esse concessam ratione necessitatis, non vt causæ, finalis, vt dictum est etiam in superioribus; sed vt causæ impulsiuæ; causa enim finalis est fauor poenitentis constituti in illo statu. Deinde ratio necessitatis militat etiam pro absolutione à censuris, quia poenitens absque ipsa non est capax Ecclesiasticæ sepulturæ; Et quamuis secundum aliquos, si decedat in gratia, sit capax suffragiorū Ecclesiæ, secundum alios tamen non est capax; & ideo vt certo ipsi consulatur, debet talis facultas esse cuicunque capaci concessa. Adde etiam, quod si absolutus non sit, non habet specialia suffragia pro seipso specialiter oblata; vnde ad summum participaret in communibus.

tera. verbo. Præterquam, de offic. ordinar. & *in cap. 2. verbo. Ligata de poenit.* & *remisse in 6.* Abbas *in dict. cap. A nobis. 2. de sent. excommun.* Felin. & cœteri ibid. Dec. *in cap. 2. num. 23. de iud.* Oldrad. *consil. 94.* Syluester. *verbo Absolutio 1. num.* 8. Angelus *verbo. Absolutio. 3. num.* 17. Tabiena *verbo. Absolutio. 2. num.* 8. ver. *Quæritur quinto.* Armilla *verbo. Absolutio. num.* 4. D. Anton. *3. par. tit. 17. cap. 4. §. Septimus casus.* Ripa *tract. de peste. cap. de priuil. iud. cau. pest. num.* 46. Ledesma *2. par. 4. quæst. 26. ar. 1. ver. Sed hæsitabis* Bartholomeus Ledesma *de sacramen. dub. 14. de excommunicat.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 44. numer. 7.* Felician. *de excommunicat. cap.* 42. Io. Valerus *in differ. vtriusq. fori verbo. Absolutio. differ. 13. num.* 2. Io. à Cruce *par. 2. director. conscient. dub. 4. de excommunicat. conclus.* 1. Raguc. *in lucerna Paroch. tit. de absolut. quæst.* 124. Petrus Ledesma *par. 1. summ. cap. 8. de excommunicat. dub. 4. ver. Digolo segundo.* Baunius *de censur. tract. 1. tit. de iudice absol. à censur. quæst. 3. ver. Contraria igitur.* Diana *par. 5. tract. 3. resol. 77.* Marchinus *de peste part. 3. cap. 13. num. 3. & sequent.* Philippus à Cruce *in tract. 1. §. 1.* Bossius. *Di sept. 2. moral. dub. 103. n. 83.*

4 Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Ratio est, quia voluntas interpretatiua Ecclesiæ sufficit ad tribuendam iurisdictionem. Sed adest voluntas interpretatiua Ecclesiæ, quod laicus possit absoluere à censuris in articulo mortis. ergo aderit etiam facultas. Maior prob. Voluntas interpretatiua sufficit, vt aliquid sit voluntarium iuxta doctrinam D. Th. 1. 2. *quæst. 6. ar. 3. in corpore.* communiter receptam; vnde vt imputetur peccatum sufficit voluntas interpretatiua. ergo quando adest voluntas interpretatiua Ecclesiæ de conferenda iurisdictione facit, quod iurisdictio sit voluntariè concessa. Min. prob. voluntas Ecclesiæ semper præsumitur recta, & talis, qualis secundum regulas rectæ rationis esse debet. Vnde mens superioris semper talis præsumitur, qualis de iure esse debet, vt notant. Bald. *in leg. Ex facto ff. de vulg. & pupil. substit.* Felin. *consil. 31. num. 2.* Dec. *consil. 64. num. 7.* Gozadin. *consil. 101. num. 10.* Ias. *in l. Causas. num. 6. C. de transact.* ergo præsumitur vt velit subuenire subditis, quotiescunque tenetur, atque adeo quod habeat illam voluntatem, quæ necessaria est pro subuentione: ergo quod habeat voluntatem concedendi iurisdictionem cuicunque laico absoluendi à censuris in articulo mortis. Conseq. ista prob. Constitutus in articulo mortis, & censuris irretitus est in graui necessitate quoad absolutionem; alias sine ipsa decederet, & priuaretur Ecclesiastica sepultura: ergo stante hac graui necessitate tenetur Ecclesia subuenire, & eligere media omnia necessaria pro subuentione, atque adeo concedere etiam laico iurisdictionem pro absolutione.

5 Confir. Quia Ecclesia tenetur succurrere moribundis in ordine ad salutem mediante sacramento poenitentiæ, contulit iurisdictionem absoluendi quibuscunque potuit, vt remedium esset obuium quàm maximè posset, ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* & ideo concessit cuicunque sacerdoti non obstante quacunque reseruatione, vt possit absoluere: ergo cum teneatur etiam succurrere quoad absolutionem à censuris, quia sunt in remedium, non autem in destructionem, debuit concedere omnibus, quibus potuit, absoluendi facultatem in articulo mortis.

6 Confir. 2. Potestas Ecclesiæ est in ædificationem, non autem in destructionem, vt habet Apostolus 1. *Ad Corinth.* 10. ergo tenetur ita illa vti, vt velit omnia, quæ necessaria sunt ad ædificationem; alias deficeret in iis, quæ pertinent ad munus proprium. Est autem necessarium pro ædificatione, quod concedat cuicunque, etiam laico, facultatem absoluendi moribun-

dum

quod laicus non posset absoluere à censuris in articulo mortis, talem absolutionem non operari, vt postea possit poenitens absolui à quocunque sacerdote. Quia cum absolutio impertita à laico non fundetur in debita facultate, est omnino nulla, atque adeo non potest tollere reseruationem, si quidem, quod nullum est non potest parere aliquem effectum. *l. Non putauit, §. Non quæuis. ff. de bonor. possess. contra tab.* & cap. *illud. De iurepatronat.* Nec est eadem ratio, ac de absolutione à peccatis, nam hæc ideo, licet inualida, tollit reseruationem, quia fundatur in debita facultate, quæ pro articulo mortis est in quolibet sacerdote.

An in articulo mortis possit impendi, absolutio à censuris extra sacramentum poenitentiæ.

Quæst. 200.

S V M M A.

1 *Affirmatiua sententia stabilitur, & confirmatur, num.* 2. 3. & 4.

1 Contingere potest, quod in articulo mortis quis non sit capax sacramenti poenitentiæ, quia nimirum amiserit vsum rationis, nec potest aliquod peccatum confiteri, & se accusare cum dolore, dubitatur ergo, an si sit innodatus censuris, possit ab ipsis absolui. Dicendum est posse absolui, etiam si non possit absolui à peccatis. Ita Nauar. in Manuali *cap.* 27. *num.* 272. *ver. sexta.* Zambran. *in suis decis. capit.* 4. *de poenit. dub.* 4. *num.* 18. Vgolin. *de censur.* Tab. 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 4. & *de Censur. Papæ reser. par.* 3. *cap.* 2. §. 2. *numer.* 2. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 12. *Suarez. disp.* 7. *de censuris sect.* 6. *num.* 7. Bossius *discep.* 2. *mor. dub.* 4. *num.* 37. Reginal. *lib.* 9. *num.* 8. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 10.

2 Ratio autem est, Quia sumus in iis, quæ separabilia sunt, nam absolutio à censuris stare potest sine absolutione à peccatis: ergo potest vna habere locum sine alia, quia in separabilibus vnum non vitiatur ex defectu alterius *l. certi condictio* §. 1. *ff. si certo pet.* & *l.* 4. §. *Si is, qui duplum. ff. de verbor. obligat.* & *l. Sancimus C. de donat.* Vnde etiam quando plura in vno, & eodem priuilegio conceduntur, quæ separabilia sint, si quis amittat priuilegium quoad vnum, non amittit quoad coetera, vt tradunt Abbas in Cap. *Cum accessissent. de constit.* Bossius. *Tit. de principe num.* 20. Horat. Mandos. *de priuil. ad instar. glos.* 15. *num.* 24. Quos sequitur Merol. *tom.* 3. *theol. mor. dub.* 6. *cap.* 7. *num.* 56.

3 Confir. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* declarat, quod in articulo mortis possit quilibet absolui à censuris, & peccatis quantumuis reseruatis, nec ponit aliquem ordinem inter vnam, & alteram absolutionem, sed absolute concedit posse vtrumque habere locum: ergo cum simus in fauorabilibus, in quibus est facienda lata interpretatio, non est ponenda aliqua dependentia inter has absolutiones. Præsertim, quia dictio (Et) qua Concilium coniungit vtramque absolutionem, non requirit concursum vtriusque copulati, sed sufficit vnum iuxta ea, quæ tradunt Roman. *Consil.* 104. *num.* 4. Alexan. *consil.* 64. *num.* 9. *vol.* 7. Plot. *de in litem iur.* §. 6. *numer.* 33. ergo ut concessio habeat locum, sufficit, si possit habere locum absolutio à censuris.

4 Confir. 2. Contingere potest, quod moribundus non sit capax sacramenti poenitentiæ, quia nimirum ami-

miserit usum rationis, sit autem capax sacramenti extremæ vnctionis: ergo vt possit hoc sacramentum ministrari, debet absolui à censuris. Conseq. prob. Tum quia cum absolutio à censuris sit concessa pro illo statu in fauorem animæ, debet ampliari, ita vt prosit in iis omnibus, in quibus prodesse potest, atque adeo in ordine ad obtinenda ea sacramenta, quæ potest obtinere. Tum quia fieri potest, quod fuerit tantum attritus, & se putauerit contritum, atque adeo per sacramentum extremæ vnctionis iustificetur, & saluetur: vnde ad hunc quoque effectum debet absolui à censuris.

An requiratur signum contritionis, vt moribundus possit absolui à censuris. Quæst. 201.

S V M M A.

1 *Absolutio à censuris non requirit dispositionem in absoluendo.*
2 *Posse absolui probatur, & num.* 3.
4 *Satisfit obiectioni.*
5 *Perseuerantia in contumacia vsque ad vltimum vsum rationis, vt non obstet.*
6 *Vt peccet non absoluens moribundum in tali statu.*

1 Difficultas non procedit de absolutione valida, quia cum absolutio à censuris nõ requirat aliquam dispositionem in absoluendo, sufficit debita iurisdictio in absoluente, vt valida sit, sed de absolutione licita. Prima autem sententia tenet prærequiri signum poenitentiæ. Ita Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 5. Nauar. *capit.* 27. *Manual. num.* 272. *ver. sexto*. qui volunt peccare mortaliter absoluentem eum, qui non dedit signa poenitentiæ. Prob. potest hæc opinio ex cap. *Per tuas. De sent. excommunicat.* ibi. *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur*: ergo non potest absolui, qui non recedit à contumacia. Qui autem non dat signa poenitentiæ, non constat an recesserit.

2 Sed secunda sententia tenenda est, quam tradunt Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 12. *num.* 12. Suarez. *disp.* 7. *de censur. sect.* 7. *num.* 7. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 10. Reginal. *lib.* 9. *Praxis fori poenit. num.* 8. Squillan. *de priuil. Cler. cap.* 1. *numer.* 47. *ver. An autem*. Calpens. *tom.* 2. *Cursus theolog. tract.* 25. *disp.* 2. *sect.* 13. *num.* 140. Diana *par.* 7. *resol.* 10. Bossius *discep.* 2. *mor. dub.* 4. *num.* 38. Hoc autem debet intelligi, nisi constet, quod impoenitens fuerit, & cum tali impoenitentia deuenerit ad statum illum, in quo non potest amplius poenitere, quod tamen vix contingere potest, quod an sit verum constabit infra.

3 Ratio autem est. Quia quisque præsumitur memor propriæ salutis, nisi de opposito constet. *l. fin.* §. *Ad leg. Tul. repet.* & tradit Menoch. *lib.* 5. *præsump.* 5. præsertim quando est in illo statu, vt illam speciali modo teneatur procurare. Vnde, cum non constet moribundum esse impoenitentem, debet præsumi poenitens tanquam memor propriæ salutis, atque adeo absoluendus erit à censuris. Confir. Vt quis possit absolui à censuris sufficit voluntas interpretatiua, qua velit absolui. Sed talis voluntas est in huiusmodi moribundo. ergo. Maior constat ex eo, quia sicut voluntas interpretatiua est sufficiens, vt aliquid imputetur ad peccatum: ita etiam est sufficiens, vt quis constituatur volens, & petens id, de quo est voluntas interpretatiua. Min. prob. Quia si moribundus cognosceret statum suum, in quo de præsenti est, proculdubio poeniteret, & poterat absolui abiecta omni contumacia, cum ex naturali incli-

na-

natione quisque curet auertere à se malum, & sibi prouidere, nec possit sibi malum velle, hoc autem sufficit, vt habeatur voluntas interpretatiua *l. pen. ff. de iur. cod.* & *l. fin. ff. de hæred. instit.* & *l. Titius §. Lucius Titius. ff. de liber. & posth.* & *l. Iam hoc iure. ff. de vulg. & pupil. substit.* & iuxta ea, quæ tradunt Socin. *seni. in l. 1. num.* 38. *ver. Nonò limito. ff. de vulg. & pup. subst.* Calcan. *consil.* 163. *numer.* 2. Lancel. Galiaut. *in l. Centurio. num.* 51. *ff. de vul. & pupil.* Bart. *num.* 20. *in l. 1. testamenta* 1. *num.* 3. *C. de militar. test.* Castrens. *in l. fin. num.* 3. *ver. Sed contra ff. de instit. & substit.* Crauetta *consil.* 776. *numer.* 18. Sigaorel. *consil.* 189. *num.* 10. Mantica *de coniect. vlt. volun. lib.* 3. *tit.* 29. *num.* 4. Paris. *consil.* 41. *num.* 51. *vol.* 2.

4 Dices; Semel malus præsumitur semper malus in eodem genere mali, iuxta regulam iuris: ergo cum moribundus fuerit contumax, nec ostenderit aliquod signum poenitentiæ, præsumitur adhuc contumax. Resp. Præsumi malum, nisi ex aliquo capite colligatur correctio, cum enim voluntas humana sit mutabilis. cap. *Cum Martha. ver. Coeterum, de celebrat. missar.* etiam ex coniecturis colligitur mutatio, vt habet Rota *decis.* 721. *numer.* 8. *par.* 2. *recent. & decis.* 557. *n.* 5. *par.* 4. *recent.* atque adeo etiam emendatio. In casu autem præsenti adsunt coniecturæ, & voluntas interpretatiua, quod sit mutatus, & petat absolutionem, vt constat ex dictis. Vnde ex his solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ.

5 Ex dictis colligitur. Quod licet moribundus perseuerauerit in contumacia vsque ad vltimum vsum rationis, nisi constet, quod habuerit obstinatam voluntatem decedendi in contumacia, poterit absolui à censuris. Quia sicut voluntas testatoris ex ijs etiam, quæ post mortem ipsius emergunt potest interpretari mutata. *l. Vtilitatem.* & *l. In confirmando. ff. de confir. tut.* ita etiam voluntas moribundi debet interpretari mutata concussa mortis timore, & imminenti punitione, quæ ad censuras consequitur. Vt autem possit absolui à censuris sufficit talis mutatio interpretatiua; vt constat ex dictis.

6 Colligitur 2. cum Bossio *discep. moral.* 2. *num.* 38. Peccaturum grauiter, vel contra iustitiam, si ex officio incumbit; vel contra charitatem, qui non absolueret à censuris moribundum in tali statu constitutum, non solum quando est capax aliquorum sacramentorum, siquidem priuaret ipsum etiam ijs sacramentis; sed etiam quando non est capax; nam adhuc ipsi graue damnum sequeretur, nempe priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, & solum posset excusari, quando rationabiliter iudicaret non esse capacem talis absolutionis.

An possit absolui à censuris, qui non est dispositus pro absolutione à peccatis. Quæst. 202.

SVMMA.

1 *Absolui possit à censuris non dispositus ad absolutionem à peccatis. num.* 2.
3 *Reijciuntur argumenta opposita. num.* 4.

1 Quia contingere potest, quod quis obiiciat contumaciam, sed tamen ex effectu ad aliquod peccatum, seu quia nolit ignoscere inimico, non sit dispositus pro recipienda absolutione sacramentali, ideo dubitatur, an possit absolui à censuris, si sit in articulo mortis. Dicendum est. Posse absolui à solis censuris. Ratio est. Quia absolutio à censuris non requirit aliquam dispositionem in absoluendo; & de iure communi sufficit, quod abiiciat contumaciam, & petat ab-

absolutionem cap. *Per tuas de sentent. excommunicat.* Ergo quamuis non sit dispositus pro absolutione sacramentali, poterit à censuris absolui. Conseq. prob. Absolutio potest sortiri suum effectum, cum possit sortiri etiam in inuito, vt docent communiter. Suarez *d sp. 7. de censur. sect. 7. dub. 5.* Vasquez *de excommunicat. dub. 18. nnmer.* 14. Rodriquez *par. 1. sum. capit. 83. num.* 13. Auila *de censur. par. 2. cap. 7. dub.* 2. Alter. *lib. 4. disp. 6. cap. 2.* & alii. Nec adest aliqua prohibitio, quod non impendatur ei, qui non est dispositus pro sacramentali absolutione, cum possit impendi etiam extra sacramentum poenitentiæ; quando non constat de dispositione poenitentis pro sacrementali absolutione, nisi facultas limitata sit ad absoluendum solum in sacramento poenitentiæ. ergo.

2 Confir. Quando quis comparet coram iudice pro obtinenda absolutione, sufficit, si abiecerit contumaciam, vt possit absolui, nec requirit iudex aliquid aliud. ergo etiam in articulo mortis poterit absolui, si deponat contumaciam, licet non sit dispositus pro sacramentali absolutione; quia cum in articulo mortis nulla sit reseruatio, illa facultas, quæ est ordinaria in iudice, est delegata pro articulo mortis. Confir. 2. Potest vna censura auferri absque alia, vt tradunt communiter cum D. Th. *in 4. dist. 18. quæst. 18. ar. 5.* atque adeo absque eo, quod absoluendus deponat contumaciam respectu omnium. Ergo poterit etiam absolui absque eo, quod verè poeniteat de peccatis.

3 Dices. Facultatem absoluendi à censuris reseuatis pro articulo mortis esse concessam ob salutem animæ, & ideo non posse reduci ad praxim, quando moribundus illam contemnit, sicut contemnit, quando non verè poenitet de omnibus peccatis. Resp. Salutem animæ non esse finem proximum talis concessionis, sed remotum; finis enim proximus est fauor moribundi in ordine ad reconciliationem cum Ecclesia, hic autem finis habet locum, etiam si moribundus non sit dispositus pro sacramentali absolutione.

4 Dices. Peccata sunt ita inter se connexa, vt non possit remitti vnum absque alio, atque adeo nec possit quẽ verè poenitere de vno, nisi poeniteat de omnibus. ergo dum moribundus non est dispositus pro absolutione sacramentali, nec etiam vere poenitet de peccatis. ergo nec etiam deponit contumaciam respectu illius peccati, cui est annexa censura; cum non possit deponere, nisi poeniteat. Resp. Non posse deponere contumaciam, nisi poeniteat poenitentia extrinseca, quæ consistit in humiliatione, & exhibitione debiti obsequii: secus autem nisi poeniteat poenitentia intrinseca, & ex corde, quæ sit poenitentia virtuosa, & sufficiat pro sacramento poenitentiæ. Cum enim Ecclesia non iudicet de occultis, sed solum de manifestis, non requirit in ordine ad absolutionem à censuris, nisi solam extrinsecam poenitentiam, & ea signa, quæ sufficiant, vt absoluendus censeatur in foro externo recedere à contumacia.

An absolutus à censuris in articulo mortis sit absolutus etiam pro foro externo. Quæst. 203.

S V M M A.

1 *Absolutio à censuris potest impendi, & pro foro interno, & pro foro externo, & quomodo.*
2 *Sententia affirmatiua.*
3 *Confirmatur.*
3 *Taliter absolutus tenetur postea se presentare.*

1 Quia absolutio à censuris potest impendi solum pro foro conscien-

ſcientiæ, & etiam pro foro externo, dubitatur, an abſolutus à cenſuris reſeruatis in articulo mortis ſit abſolutus non ſolum pro foro interno, ſed etiam pro externo. Eſt autem ſupponendum, quod abſolutio ſolum pro foro interno, quamuis reuera tollat cenſuram, & reddat abſolutum coram Deo, relinquit tamen facultatem iudici procendi non ſecus, ac ſi nulla fuiſſet ſubſequuta abſolutio, & proinde ſic abſolutus in foro externo habetur pro non abſoluto, vt communiter docent Henriquez *lib. 13. ſum. cap. 17. num. 5.* Auila *de cenſur. par. 2. cap. 8.* *diſp. 3. dub. 12.* Rodriquez *adr. 1. ſum. cap. 83. num. 9.* Sanchez *lib. 2. ſum. cap. 11. num. 13. & lib. 8. de matrim. diſp. 34. num. 29.* Suarez *diſp. 7. de cenſur. ſect. 5. numer. 30.* Medina *lib. 2. ſum. cap. 12. in fine.* Alteriis *de cenſur. lib. 4. diſp. 1. cap. 2. & diſp. 4. cap. 4.* Miranda *tom. 1. Manual. quæſt. 46. ar. 7.* Filliuc. *tract. 11. cap. 9. num. 292.* Reginal. *lib. 9. num. 5.* Coninch. *diſp. 14. de cenſur. dub. 16. numer. 227.* Bonac. *diſp. 1. de cenſur. quaſtion. 3. punc. 10. num. 1.*

2 Dicendum eſt. Abſolutum in articulo mortis à cenſuris remanere abſolutum etiam pro foro externo. Ita Couaruu. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. num. 8. ver. Quod ſi mortuus.* Sot. *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. ar. 4. ad 2. argu.* Vgolin. *de cenſur. Papæ reſer. par. 3. ver. Niſi in mortis. §. 3. num. 4.* Prob. Facultas abſoluendi à cenſuris pro articulo mortis non eſt cum aliqua limitatione, ſed abſoluta. Ergo eſt etiam in ordine ad forum externum. Conſequentiam hanc deducunt Nauar. *cap. 27. Manual. num. 278.* Rodriquez *par. 1. ſum. cap. 83. num. 9.* Suarez *diſp. 7. de cenſur. ſect. 5. numer. 21.* Filliuc. *tract. 11. num. 291.* Bonac. *diſp. 1. de cenſur. quæſt. 3. punc. 10. num. 2.* & alii, qui volunt, quod facultas abſolutè conceſſa ſit etiam pro foro externo. Et ratio eſt. Quia reſtrictio, præſertim in fauorabilibus non eſt inducenda, niſi à concedente appoſita ſit, aut de ipſa conſtet ex modo conceſſionis. *l. 1. §. Generaliter. ff. de leg. præſt.* & *l. De pretio. ff. de publ. in rem. act.* & *l. fin. in fine. C. de dot. promiſ.* & cap. *Solitæ. §. fin. de maior. & obed.* & ideo, cum facultas abſoluendi à cenſuris pro articulo mortis ſit abſoluta, & abſque vlla reſtrictione, vt deſumitur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7. de pœnit.* eſt generaliter accipienda ſine reſtrictione ad ſolum forum internum.

3 Confir. Si talis facultas non eſſet etiam pro foro externo, qui euaderet ab illo periculo, deberet de nouo abſolui pro foro externo ſed non eſt neceſſaria alia abſolutio, ſiquidem circa eam nihil aliud requirunt, niſi vt abſolutus in articulo mortis poſtea ſe præſentet coram ſuperiore eius mandata ſuſcepturus vt in cap. *de cœtero.* & cap. *Quod de his.* & cap. *Quamuis. de ſent. excommunicat.* & cap. *Eos, qui. Eodem. tit. in 6.* Si autem non ſe extenderet abſolutio etiam ad forum externum, deberent non ſolum accedere ad mandata ſuſcipienda, ſed etiam de nouo abſolui pro externo foro.

Ad quas cenſuras ſe extendat facultas abſoluendi in periculo mortis. Quæſt. 204.

S V M M A.

1 *Sententia limitans.*
2 *Sententia extendens ad omnes cenſuras probatur. num. 3.*
4 *Concilium Tridentinum explicatur.*
5 *Declaratur amplius ſententia.*
6 *Dictio Nullus vt debeat ſumi.*
7 *Reſoluuntur fundamenta oppoſitæ ſententiæ.*

1 PRima ſententia tenet ſe extendere tantum ad eas cenſuras.

quæ impediunt facramentalem abfolutionem à peccatis, & receptionem aliorum facramentorum, & Ecclefiafticam fepulturam, vt funt excommunicatio, interdictum perfonale, fufpenfio à receptione facramentorum; non autem fufpenfio ab ordine, officio, & beneficio. Ita Sanchez *lib. 2. fum. cap. 13. num. 12.* Zambran. *in fuis decif. cap. 4. de poenit. dub. 4. num. 17.* Layman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 12. num. 13.* Bonac. *difp. 1. de cenfur. quæ. 3. punt. 3. num. 8.* Squillan. *de priuileg. Cler. cap. 1. num. 47.* Fundamentum eft. Quia licet Concilium Trident. *feff. 14. cap. 7.* non reftringat facultatem ad has cenfuras, reftringitur tamen per rationem conceffionis, quam ibi affignat, ne fcilicet hac occafione (referuationis) aliquis pereat: ergo cum ratio fit menfura facultatis conceffæ, fe extendet folum ad illas cenfuras, quæ aliquo modo obeffe poffunt faluti æternæ, non autem ad cæteras. Confir. Praxis ita declarat hanc conceffionem, vt non fe extendat ad omnes cenfuras.

2 Secunda tamen fententia tenet, quod hæc facultas fe extendat ad omnes cenfuras. Ita Vgolin. *de cenfur. tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 2. ver. Quæ regula. & de cenfur. fo*[illegible] *Pontific. refer. par. 3. ver. Nifi in mortis. §. 2. num. 1. ver. Quæ regula.* Boffius *difcep. 2. moral. dub. 3. num. 36.* Cafpens. *tom. 2. curfus theol. tract. 25. difp. 2. fect. 13. numer. 139.* Diana *part. 7. tr. 10. refol. 11.*

3 Et hæc pofterior fententia mihi videtur probabilior attendendo declarationem Concilij Trident. *feff. 14. cap. 7. de poenitent.* ibi enim declarat quod quilibet facerdos in articulo mortis abfoluere poffit à quibusuis cenfuris. Vnde cum non folum dicat indefinite, & vniuerfaliter, quod poffit abfoluere à cenfuris, fed vtatur dictione quibufuis, neceffario intelligir quod poffit ab omnibus, quæcunque illæ fint, nam dictio quibufuis ita vniuerfalis eft, vt omnia comprehendat, vt notant Alexan. *confil. 30. num. 14. vol. 5.* Seraphin. *decif. 1022. num. 1.* Farinac. *par. 4. Prax. crimin. quæft. 93. num. 12.* Glof. *in Clemen. 1. ver. Quæuis alia de re iud.* & habet talem vim, vt attribuat difpofitionem vnicuique feorfim, & ita diftribuat non fecus, ac fi fpecialiter de vnaquaque feorfim difpofitum effet, vt de dictione quilibet, quæ eft eiufdem fignificationis, notant Caffan. *in confuet. Burgun. rubr. 7. §. 3. ver. Vn chacun. num. 1.* Paris *confil. 48. n. 3. lib. 2.* Surd. *confil. 549. numer. 5.* Et ideo quamuis ante Concil. Trident. hoc non habuiffet locum, modo tamen debet habere locum, quia eft fequuta declaratio ipfius, quæ etiam poteft antiquum ius ampliare.

4 Dices, Concilium Trident. limitatè loqui, quia eius dictum limitatur à Praxi, & à ratione, quam ibi explicat. Sed reijcitur hæc refponfio. Nam fi Concilium voluiffet aliquo modo coarctare fuam declarationem, & non potius ampliare, non fuiffet vfus dictione ampliatiua, *Quibufuis*, quæ habet vim ampliendi ad omnes, & fingulas cenfuras. Confir. Si Concilium locutum fuiffet cum dicta reftrictione, verbum *Quibufuis* fuiffet fuperfluum, hoc autem non debet admitti, præfertim cum ad euitandam fuperfluitatem verborum debeant trahi etiam ad impropriam fignificationem. *l. Si ribi. ff. fi cert. pet.* & *cap. Si fententi. de fent. excommunicat. in 6.* & notant Surd. *de alim. tit. 2. quæft. 10. num. 39.* Crauet. *confil. 294. num. 3.* Roland. *confil. 61. num. 16. lib. 3.* Tufch. *littera S. conclu. 895. num. 30.*

5 Quod amplius declaratur ex eo quod *ibid.* habet Concilium, nimirum quod in articulo mortis nulla fit referuatio. Hoc autem non poffet verificari, fi adeffent aliquæ cenfuræ, à quibus non poffet moribundus abfolui, nam verum effet, quod adeffet referuatio quoad has cenfuras, & confequenter falfum, quod nulla effet referuatio. Dictio enim nullus vniuerfalis eft, omnia excludens etiam acceſſoria, vt

vt notant Panorm. per illum tex. *in cap. ad nostrum, num. 5. de elect.* Roma. *consil.* 199. Bart. *consil.* 47. *init. lib.* 2. Corn, *consil.* 70. *num.* 12. *vol.* 2. Gemin. *consil.* 35. *num.* 4. & 5. Gozadin. *consil.* 51. *num.* 23. Veral. *decis.* 283. *numer.* 2. *par.* 3. Cened. *Singul.* 76. *numer.* 5. Seraph. *decision.* 843. *numer.* 6.

6 Quod præsertim valet, quia dictio *Nullus*, non solum est vniuersalis, sed etiam negatiua. Vniuersalis autem negatiua non potest stare cum aliqua de ijs, quas negant, sed in totum vitiatur, & falsa sit, si in vno tantum non verificetur *l. Si Titij qui ducenta. §. Vtrum. ff. de rebi dub.* & notant Tas. *§. In personam numer.* 28. *instit. de act.* Ripa *in l.* 1. *num.* 16. *ff. de inter.* Natta *consil.* 624. *num.* 3. Surd. *consil.* 158. *num.* 5. Vnde si aliqua reseruatio extaret, sicut extaret, si moribundus ab aliqua censura non posset absolui, non esset vera vniuersalis negatiua, quod nulla esset reseruatio. Ratio autem est, quia cum negatio sit malignantis naturæ, eo ipso, quod est vniuersalis totum omnino tollit, ita vt nihil relinquat; vnde dicitur, quod plus negat negatiua vniuersalis, quàm affirmet vniuersalis affirmatiua. Ita Bald. *in cap.* 1. *init. de prohibit. feud. alien.* Berouis *consil.* 2. *num.* 2. Surd. *consil.* 103. *num.* 7. Tiraquel. *in leg. Si vnquam. verbo. Reuertatur. numer.* 93. *C. de reuoc. donat.*

7 Ad fundamentum pro opposita sentet. resp. Dispositionem, seu declarationem Concilii Trident. esse vniuersalissimam, vt constat ex dictis, nec debere restringi à ratione illa, ne hac occasione aliquis pereat, quia non est ratio, seu causa finalis secundum quam solum est facienda, sed est causa impulsiua, quæ non est mensura dispositionis. Accedit etiam, quod restrictio non est facienda, quando verba illam non patiuntur; constat autem ex dictis, quod Concilii verba nullam admittunt restrictionem, aliàs non verificarentur. Denique sumus in fauorabilibus, in quibus facienda est lata interpretatio, quantum verba ipsa patiuntur. Quod autem additur de praxi nihil releuat, quia neque de ipsa constat, & si constaret tanquam contraria claris verbis Concilii non esset admittenda *l.* 3. *in fine. C. de liber. præter.* & notat Rota *cum aliis decis.* 126. *num.* 3. *par.* 2. *recent.*

An facultas absoluendi à censuris in articulo mortis se extendat etiam ad irregularitatem.

Quæst. 205.

S. V. M M A.

1 *Quotuplex sit irregularitas.*
2 *Opinio affirmans.*
3 *Sententia negatiua tenetur, & stabilitur. num.* 4. 5. & 6.
7 *Fundamentum oppositum destruitur.*

---

1 CVm irregularitas alia sit ex delicto, alia sine delicto, quæ contrahitur solum ex dispositione iuris canonici ob aliquos actus licitos, qualis est bigamia, iuridica effusio sanguinis, certum esse debet, facultatem absoluendi in articulo mortis non se extendere ad irregularitas posterioris generis. Hæ enim irregularitates sunt impedimenta quædam canonica, quæ inhabilitant quòad ordines, & officia ecclesiastica, & concernunt ordinem politiæ Ecclesiasticæ, & ideo non sunt obiectum facultatis absoluendi, sed iurisdictionis, qua administratur ecclesiastica politia; nec possunt tolli per absolutionem, sed solum per dispensationem. Vnde solum remanet difficultas de irregularitate, quæ nascitur ex delicto.

Pri-

2 Prima autem opinio esse potest, quod dicta facultas extendatur etiam ad irregularitates ex delicto, & citari possunt, qui hoc ipsum tenent quoad facultatem concessam per Bullam Cruciatæ, vt Rodriquez *in Bul. Cruciata*, §. 9. *num.* 64. Gutierez *lib.* 1. *canon. quæst. cap.* 3. *num.* 6. Qui tamen excipit irregularitatem ex homicidio, vel ex membri mutilatione culpabili, cum ob defectum lenitatis impedit sacros ordines recipere. Et pro hac sententia citantur Victoria, Canus, & Bannes ab Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 13. *num.* 6. *in com. littera. Q.* Hanc prætetea sententiam tenent Cordub. *lib.* 5. *tit. de indulgent. quæst.* 43. *dub.* 4. & *in sum. quæst.* 28. *in fine.* Medina *lib.* 1. *sum.* §. 9. & 2.2. *quæst.* 69. *ar.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 4. *ar.* 1. Fundamentum huius sentent. est, quia cum irregularitas, originem habeat à censura, vt cum nimirum excommunicatus celebrat, est accessoria censuræ, atque adeo sequitur naturam illius, & pro censura reputatur. Addit tamen Gutierez *num.* 7. *cit. cap.* quod talis absolutio non valet pro foro externo, sed tantum pro interno, quia in foro externo irregularitas tollitur tantum dispensatione.

3 Secunda sententia tenet, quod dicta facultas nullo modo se extendat ad irregularitates. Ita ij, qui tradunt, quod in generali concessione absoluendi à censuris non comprehenditur irregularitas. Ita Alexan. *in cap. Minor. dist.* 50. per illum tex. Domin. ibid. Nauar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 194. ver. *Quarto.* & *num.* 254. qui citat etiam Villadiegum *de irregular. col.* 43. Sotus *lib.* 5. *de iust. & iure. quæstion.* 1. *ar.* 4. *ver. Ex his.* Lopez *par.* 2. *instruc. cap.* 92. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 26. *ar.* 2. *tract. de irregul. reg.* 4. *fol.* 363. Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 13. *num.* 6.

4 Cum hac ergo sententia tenendum est, quod facultas absoluendi à censuris in articulo mortis non se extendat ad aliquam irregularitatem. Ratio autem est. Quia facultas concessa pro articulo mortis est tantum in ordine ad censuras, vt constat ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* Nomine autem censuræ non venit irregularitas, sed tantum excommunicatio, suspensio, & interdictum; vt decernitur in cap. *Quærenti de verbor. significat.* ibi enim Pontifex interrogationi, quid per Ecclesiasticam censuram intelligatur, respondet intelligi *suspensionem, interdictum, & excommunicationem.* Sicut ergo censura vltra dictas tres non extenditur, ita neque etiam facultas absoluendi à censuris.

5 Confir. Licet simus in iis, quæ concernunt fauorem, non est tamen facienda extensio à censuris ad irregularitates, cum sint in diuerso genere; siquidem censura est in ordine poenæ medicinalis priuans aliquibus bonis Ecclesiasticis. Irregularitas vero non est in ordine poenæ medicinalis, sed in genere canonici impedimenti inhabilitante ad ordines recipiendos, & ad receptos exercendos, & proinde vna nō veniat nomine alterius, & militet diuersa ratio. Vt enim locum habeat extensio etiam in fauoralilibus, non debet excedere propriam naturalem, aut ciuilem significationem verborum, vt tradunt. Bald. *in l. Qui se patris, C. vnde liberi.* Castrens Salicet. ibid. Cancer. *par.* 2. *variar. resolut. cap.* 1. *num.* 186. Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 2. *numer.* 5. Salas *disp.* 21. *sect.* 3. Bonac *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. *punc.* 8. *num.* 8. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 5. *punc.* 3. §. 3. *num.* 8. & communiter. Et consonat enim praxis Ecclesiæ; nam Summus Pontifex, quando in iubileis concedit amplissimam facultatem absoluendi à quibuscunque censuris, regulariter declarat, quod per talem facultatem non intendit dare facultatem dispensandi super aliqua irregularitate, ex quo colligitur, quod generalis facultas absoluendi ab omnibus censuris non se extendat ad aliquam irregularitem.

6 Confir. 2. Facultas absoluendi à censuris non est facultas dispensandi

in

in lege superioris, sed respicit solum aliquid personale, nempe ablationem illius ligaminis, quo personæ deiiciuntur, & proinde non est facultas aliqua publica, sed priuata, concernens esse priuatum. Ergo non se extendit ad tollendam aliquam irregularitatem. Conseq. prob. Facultas tollendi irregularitatem est necessario facultas dispensandi in lege superioris, atque adeo facultas publica, siquidem irregulares, non priuatim, sed publice reiiciuntur à lege, ne admittantur ad ordines, aut ad eorundem exercitium, & ideo si tollendum est impedimentum irregularitatis, siue in foro externo, siue in foro conscientiæ, dispensandum est in lege, quæ ponit tale impedimentum.

7 Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ. Nam non est verum, quod irregularitas sit accessoria censuræ, cum non veniat in consequentiam illius; neque quod originem haberet à censura, sed originem habet à lege, quæ illam inducit ex præsuppositione non solum censuræ, sed etiam contrauentionis mandati Ecclesiæ de abstinendo ab aliquo actu: & ideo non sequitur naturam censuræ, neque quæ sunt disposita de ipsa censenda sunt disposita de irregularitate.

An qui dedit signa poenitentiæ possit post mortem absolui à censuris. Quæst. 206.

S V M M A

1 *Signa pœnitentiæ qui dedit potest post mortem absolui à censuris.*
2 *Opinio Fernandez refellitur.*
3 *Quot debeant testificari de signis datis.*
4 *Post mortem nequit à quocunque dari absolutio in hoc casu.*

---

1 Dicendum est posse absolui ad effectum, vt fruatur ecclesiastica sepultura, & suffragiis Ecclesiæ. Ita Villalob. *par. 1. sum. tract. 16. difficult. 20. num. 20.* Moscosus *in sum. num. 16. cap. 7. numer. 5.* Ratio autem est, Quia cum absolutio ab excommunicatione sit reconciliatio, per quam absolutus ita reconciliatur, vt admittatur ad participandum in bonis Ecclesiæ, potest fieri hæc admissio etiam post mortem in ordine ad ea bona, quæ Ecclesia potest mortuis communicare.

2 Addit etiam Fernandez *part. 1. Instruc. sacer. docum. 6. num. 5.* quod post mortem potest absolui ab excommunicatione, etiam si non exhibuerit signa pœnitentiæ, dummodo non constet, quod mortuus sit in peccato mortali. Sed hoc prorsus reiiciendum est tanquam contrarium determinationi Cap. *A nobis 2. de sent. excom.* nam ibi decernitur, vt possit absolui si constiterit per euidentia signa de ipsius viuentis poenitentia. Vnde cum facultas absoluendi sit sub conditione, deficiente conditione deficit facultas, iuxta notata in Clemen. *1. de concess. preb.* & in Clem *Iudex. De offic. deleg.* Nam dictio, *Si.* inducit formam; vt notant Bald. *in Auth. Matri C. quando mul. offic. tut.* Ruin. *concil. 199. num. 1. vol. 1.* Dec. *consil. 39. num. 19. consil. 35. num. 8.* Surd. *consil. 371. num. 69.* Nec obstat, quod in hoc casu posset absolui, dum viueret, vt dictum est supra. Nam militat diuersa ratio; tum quia in viuente, absolutio inseruit ad recipiendum aliquod sacramentum, per quod, si sit attritus, potest saluari, & pro salute, omnia media adhibenda sunt. Tum quia post mortem non agitur de tollenda excommunicatione, quæ sit ordinata ad medicinam, sed de tollendis effectibus excommunicationis, qui sunt per modum poenæ iam inflictæ, & ideo non possunt

sunt tolli, nisi constet, quod deposita sit contumacia.

3 Quot autem testes requirantur, qui testimonium dent de signis poenitentiæ. Resp. Sufficere vnicum testem vt notant Boich. *in cap. A nobis. 2. nu. 6. de sent. excommunicat.* Astensis *lib. 5. tit. 16.* Villalob. citat, & alii, qui hoc ipsum docent de signis poenitentiæ in ordine ad absolutionem sacramentalem, de quo supra. Versamur enim in iis, quæ non sunt alicui præiudicialia, pro quibus sufficit vnicus testis, vt ibidem dictum est.

4 Sed difficultas est. An in hoc casu possit à quocunque impendi absolutio. Negatiue respon. Innocent. *in cap. A nobis. 2. de sent. excommunicat.* Panorm. *ibid.* Nauar. *cap. 26. Manual. num. 32.* Syluester. *verbo Absolutio 1. num. 8.* Villalob. *part. 1. sum. tract. 16. diffical. 20. num. 20.* Quæ tamen doctrina habet locum, quando potest haberi recursus ad eum, ad quē de iure pertineret absolutio. Nam si non haberi potest, militat eadem ratio, ob quam in articulo mortis posset à quocunque absolui, nimirum fauor Ecclesiæ indulgentis quibuscunque, qui ex hac vita decedunt. Quod autem absolutio ab excommunicatione debeat impendi post mortem ab eo, ad quem de iure spectat, decernitur in Cap. *A nobis. 2. de sent. excommunicat.* Et ratio est. Quia censura per mortem innodati mutat statum: nam quandiu viuit, habet rationem medicinæ, & ideo si sortitur suum effectum resipiscentiæ, conceditur relaxari in articulo mortis, quia iam est obtentus finis, ad quem ordinabatur. At secuta morte non habet amplius rationem medicinæ, sed est mera poena; inferior autem non potest relaxare poenam impositam à superiori.

De modo, quo imponenda est obligatio absolutis à censuris reseruatis in periculo mortis.

An obligatio comparendi coram superiore sit imponenda sub iuramento. Quæst. 207.

SVMMA.

1 *Affirmatiua sententia.*
2 *Generaliter non esse exigendum iuramentum docet Aulla.*
3 *Generaliter esse exigendum iuramentum sustinetur.*
4 *Casus in quibus non est exigendum iuramentum.*
5 *Absolutio absque iuramento etiam malitiose non exacto valet.*

1 Esse sub iuramento imponendam statuitur in Cap. *de cætero.* Cap. *Ea noscitur,* & Cap. *Quod de his.* & Cap. *Quamuis, De sent. excommunicat.* & notant communiter Doctores Henriquez *lib. 6. sum. cap. 10. num. 11.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 13. num. 24.* Suarez *disp. 7. de censur. sect. 8. nu. 25.* Sayr. *lib. 3. Thesauri cap. 25.* Vasquez. *tract. de excommunicat. dub. 18. num. 6.* Reginald. *lib. 9. Praxi fori poenit. num. 11.* Coninch. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 235.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. part. 4 num. 11.* Hoc autem iuramentum non est vniuersaliter exigendum ab omnibus, qui absoluuntur, sed solum ab iis, qui aut nullum, aut temporale impedimentum habent; & ideo si constitutus in periculo mortis habeat simul impedimentum perpetuum, non erit ab ipso exigendum dictum iuramentum. Vnde tunc solum est exigendum, quando imponenda est obligatio se præsentandi, & proinde cum talis obligatio non sit imponenda impuberibus, nec etiam est ab ipsis exigendum iuramentum, quod deciditur in

in Cap. *Quamuis. De sentent. excommunicat.* & etiam in aliis cit. tex. quoad habentes perpetuum impedimentum.

2 An autem generaliter exigendum sit negat Auila *de censur. part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* asserens esse exigendum solum, quando agitur de excommunicatione contracta ob percussionem clerici. Et fundatur in eo, quia in omnibus textib. in quibus decernitur imponendum, agitur solum, quando quis absolaitur ob clerici percussionem: vnde cum simus in poenalibus, & odiosis, non debet fieri extensio ad coeteros casus.

3 Dicendum tamen est. In absolutione quoque ab aliis censuris esse imponendam obligationem, exacto iuramento. Ita communiter supponunt, dum agunt de obligatione huiusmodi imponenda. Ratio autem est, quia in citat. text. præcipitur quod sub iuramento iniungatur: vnde præscribitur forma, cũ qua est imponenda obligatio se præsentandi suam tunc traditur aliquid pro forma, quando præcipitur aliquid fieri in ipso actu. Authen. *Hoc ius porrectum. C. de sacrosanc. Eccles.* & *l. Cum hi ff. de transact.* & *leg. Hac consultissima ff. de testam.* & notant Glos. *in cap. Dudum. de elect.* Castrens. *consil. 71.* Ergo quotiescunque est imponenda huiusmodi obligatio, debet imponi semper cum eadem forma, cum forma præscripta à lege sit semper seruanda. Ergo cum impositio obligationis fuerit à lege extensa quoad omnes, qui absoluuntur à quauis censura iuxta cap. *Eos, qui, de sentent. excommunicat. in 6.* erit omnibus imponenda cum eadem forma; nam facta extensione actus, fit etiam extensio formæ, cum qua debet actus fieri.

4 Est tamen aduertendum. Quod si contingat, non posse exigi iuramentum, vel quia poenitens amiserit sensus, vel quia ex phrenesi non sit sui compos, vel quia vrgeat periculum imminentis mortis, vel ex aliquo alio capite: non per hoc est omittenda absolutio, vt notant Sayr. *lib. 3. cap. 25. num. 4.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 47.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. n. 34.* & alii communiter, quia facultas absoluendi pro illo casu, non est concessa exercenda sub illa forma de imponenda obligatione sub iuramento, ita vt si aliter exerceatur, nulliter procedatur, sed est absolutè concessa, cum sit concessa in fauorem omnium etiam illorum, qui non sunt capaces recipiendi dictam obligationem; sed solum adest præceptum de ipsa imponenda.

5 Ex his colligitur. Quod si absoluens non exigat dictum iuramentum, absolutio tamen valebit, etiam si ex malitia absoluentis non exigeretur: nam vt dictum est, facultas absoluendi est absoluta, atque adeo independens à iuramento. Peccaret tamen grauiter absoluens, si ex malitia non exigeret; nam in re graui violaret præceptum Ecclesiæ.

Sub qua forma iuramentum sit exigendum. Quæst. 208.

SVMMA.

1 *Forma exigendi iuramenti quæ.*
2 *Ratione formæ accidentalis, vt possit diuersificari iuramentum.*
3 *In absolutione priuata, quæ requiratur.*
4 *In absolutione publica, quæ requiratur.*

1 IN cap. *Quamuis. de sentent. excommunicat.* de iuramento, quod est exigendum ab ijs, qui temporali impedimento laborant, nec possint accedere ad Romanam Sedem, statuitur, quod sit præstandum secundum Ecclesiæ formam. ibi. *Quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur.* Dubitatur modo, quæ nam sit ista forma, cum qua ab absoluendis est præstan-

ſtandum iuramentum. Et quia in iuramento poteſt conſiderari forma ſubſtantialis, & forma accidentalis, ita vt forma ſubſtantialis ſit illa, in qua ſaluatur ſubſtantia iuramenti, quæ eſt, quod ſit inuocatio Dei in teſtimonium, vt docent communiter cum D. Th. 2. 2. *quaſt* 89. *art.* 1. Forma verò accidentalis ſit illa, quæ conſurgat ex qualitatibus, & alijs circumſtantijs iuramenti, certum eſt, quod debet exigi iuramentum ſecundum ſuam formam ſubſtantialem, aliàs non exigeretur verum iuramentum, & ideo remanet difficultas quòad formam accidentalem.

2 Ratione autem formæ accidentalis poteſt iuramentum diuerſimodè conſiderari. Nam poteſt conſiderari ſecundum modum, quo exprimitur, ſi quidem non ſolum verbis exprimi poteſt, ſed etiam alijs ſignis, vt tradunt Syluestr, verbo. *Iuramentum* 1.*init.* Tabiena verbo, *Iurare. numer,* 1. Armilla ibid. Sotus *lib.* 8. *de iuſt, & iure. quaſt.* 1. *ar.* 1. Aragon, 2, 2, *quaſt.* 89. *art.* 1. *antè dub, circa* 1. *conclus.* Rodriquez *par.* 1. *ſum, cap.* 191. *num,* 2. Couaruu. *de pact. par,* 1, *init. num.* 4. *alios citans.* Sayr. *lib.* 5. *clau, re*, *cap.* 1. *num,* 8. *& ſeq.* Azor. *par.* 1. *lib.* 11. *capit.* 1. *quaſt.* 4. Suarez *tom,* 2. *de relig, lib.* 1. *de iuram. cap.* 1. *num.* 4 Sanchez *lib,* 3. *in decal. cap.* 1. *num.* 2, & communiter, Quia ſufficit quod quocunque modo innoteſcat inuocatio Dei in teſtimonium, Poteſt etiam conſiderari ſecundum modum inuocationis, vnde conſurgit duplex modus, ſeu forma; nam aliquando iuramentum eſt conteſtatorium, per quod ſimpliciter Deus inuocatur in teſtimonium: aliquando vero eſt imprecatorium, ſeu execratorium, per quod iurans, contra ſe Dei vindictam imprecatur, ſi ipſum falsè in teſtimonium adducit. Denique ratione adnexorum conſurgit diuerſa forma accidentalis, nam aliud eſt ſimplex iuramentum, & aliud ſolemne. Simplex eſt illud, quod caret omni ſolemnitate. Solemne verò, quod ſub certa forma exhibetur, vt coram teſtibus, tactis ſacris euangeliis, &c.

3 Quod autem ſpectat ad abſolutionem priuatam, quando abſoluitur priuatim conſtitutus in periculo mortis, vel etiam ratione impedimenti, præſertim in confeſſione ſacramentali, non requiritur alia forma, præter ſubſtantialem, atque adeo ſufficit, ſi quocunque modo interueniat inuocatio Dei in teſtimonium notificata abſoluenti. Ratio eſt. Quia non debet à iure præſcribi, niſi illa forma iuramenti, quæ vniuerſaliter ſit poſſibilis, in quocunque caſu priuatæ abſolutionis. Si autem præſcriberetur aliqua certa forma accidentalis, multoties non eſſet poſſibilis exequutio illius, vel ex vno, vel ex alio impedimento. Et ideo debet relinqui, vt iuramentum exhiberi poſſit hoc, vel illo modo, prout ex natura ſua exhiberi poteſt.

4 In abſolutione verò publica, quia tunc ſolemniter exercetur, exigitur iuramentum ſolemne, nempe coram teſtibus, & ſecundum omnes illos ritus, quos Eccleſia ſolet adhibere, quando ab aliquo exigit iuramentum, & hoc eſt, quod dicitur in dicto cap. *Quamuis, de ſentent. excommunicat.* Quod nimirum iuramentum ſit præſtandum ſecundum Eccleſiæ formam. Nam intelligitur, quod tali modo ſit præſtandum in abſolutione publica, & ſolemni. Et ideo ſi contingat aliquem in periculo mortis publicè abſolui, erit ab ipſo exigendum ſolemne iuramentum. Ratio autem eſt, quia cum abſolutio fiat in facie Eccleſiæ, & rituali modo, debent etiam, quæ requiruntur pro ipſa obtinenda peragi in facie Eccleſiæ, atque adeò iuramentum præſtari coram teſtibus, &c. ita vt teſtes ſint abſolutè neceſſarii: aliàs iuramentum non eſſet publicum, & ſolemne; cæteri verò ritus variari poſſunt, præſertim iuxta diuerſam conſuetudinem Eccleſiæ.

An quando quis absoluitur in periculo mortis à censuris reseruatis sit exigendum iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ. Quæst. 209.

SVMMA.

1 *Idem est iuramentum parendi mandatis Ecclesię, ac iuramentum parendi mandatis absoluentis, aut eius cui debet præsentatio.*

2 *Sententia affirmatiua.*

3 *Sententia negatiua adducitur, probatur, & declaratur, num. 4. & 5.*

6 *Fundamentum oppositæ sententiæ refellitur.*

6 *Vbi iura non restringunt, non est restringendum.*

1 SIue iuramentum sit de parendo mandatis Ecclesiæ, siue de parendo mandato absoluentis, aut illius, cui se absolutus debebit præsentare, est idem omnino, vt notant Glos. *in cap. Ex tenore, verbo Debeant.* & in Cap. *Si qui verbo, Consensu. 7. quæst. 1.* Hostiens. *lib. 5. sum. tit. De excom. num. 14.* Syluester cum Archidiacono. *verbo. Absolutio. 3. num. 3.* Sayr. *lib. 2. de censur. cap. 18. num. 4.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 10.* Vnde potest, quocunque modo libuerit absoluendus iurare. Est autem certum, quod si absolutio sit publica, seu in foro externo, etiam si fiat ratione periculi, aut impedimenti est exigendum hoc iuramentum, vt habetur ex Cap. *Ex tenore*, & Cap. *De coetero. De sent. excommunicat.* & docent communiter Doctores Syluester, Sanchez, Sayr. locis citat. Couarruu. *in Cap. Alma mater. par. 1. §. 11. num. 11.* Nauar. *in Manuali cap. 26. numer. 7.* Graf. *par. 1. decis. lib. 4. cap. 17. numer. 2.* Vgolin. *tab. 1. de censur. capit. 19.* Henriquez *lib. 13. sum. cap. 28. §. 3.* Suarez *disp. 29. de censur. sect. 2.* Alter. *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 2.* & communiter. Difficultas autem est, an hoc iuramentum sit exigendum in absolutione priuata, quæ impenditur quòad forum conscientiæ.

2 Prima sentent. iuramentum de parendis mandatis Ecclesiæ esse exigendum ab eo quoque, qui priuatè quòad solum forum conscientiæ absoluitur. Ita Duard. *in Bullam Coenæ lib. 3. §. 4. quæst. 2. num. 3.* & fundamentum est, quia in cap. *Ex tenore*, & in cap. *De coetero*, & in Cap. *Cum desideres de sent. excommunicat.* præscribitur, quod exigatur: vnde cum iura generaliter loquantur, debent generaliter accipi; cum non sit destinguendum, vbi lex non distinguit. *l. 3. §. Generaliter. ff. de leg. præst.* & *l. de pretio. ff. de publ. in rem act.*

3 Secunda sent. asserit non esse necessario exigendum hoc iuramentum. Ita Franc. *in Cap. eos qui de sent. excom. in 6.* Caiet. *in sum. verbo. Absolutio. cap. 4.* Corduba. *quæst. 18. in 1. resp.* Henriquez *lib. 7. sum. capit. 28. num. 3. & in Com. littera C.* vbi alios citat. Alterius *tom. 1. de censur. lib. 4. disp 7. cap. 2. ver. Tandem solent.* Valer. *in differ. vtriusque fori. verbo. Absolutio. Differentia. 6. num. 3.* Filliuc. *tract. 11. cap. 10. num. 332. ver. In foro interiori*, Bossius *de iubil. casu 22. num. 16.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. pun. vlt. num. 4.*

4 In hac difficultate certum esse debet, quod stante Priuilegio, quod Leo X. concessit Fratribus Minoribus relato à Sorbo *in Compend. Priuileg. verbo. Absolutio quòad secul. 1. numer. 13.* Quod in absolutione ab excommunicatione non teneantur seruare formam, quæ seruatur in solemni absolutione, possunt omnes Regulares communicantes in priuilegiis prætermittere solemnitatem in absolutione priuata, atque adeo non exigere iura-

 men-

mentum de parendo mandatis Ecclesiæ. Non tamen ex concessione priuilegii licet inferre, quod secluso priuilegio sit exigendum dictum iuramentum, nam potuit impetrari ad tollendos scrupulos, & dubietatem, an posset prætermitti iuramentum.

5 Itaque probabilius puto, Non esse necessario exigendum dictum iuramentum, quando absolutio est tantum in foro conscientiæ, Ratio autem est, quia hoc iuramentum est intro ducum ex consuetudine Ecclesiæ, non iure Canonum; & pro excommunicatis publicis, & vitandis, vt habetur in Cap. *Cum desideres, De senent. excommunicat.* Ergo hæc consuetudo, quatenus obligat non est extendenda ad excommunicatos ocultos, & ad absolutionem in foro poenitentiali, cum Consuetudo sit stricti iuris, *l.* 1. §. *Si quis hoc interdicto. ff. de itin. actuq. priu.* Bart. ibid. Alexan. *consil.* 122. *in fine, vol.* 1. Et solum tantum habet de potentia, quantum de vsu, vt notant Bald. *in cap.* 1. *circa finem. qui feud. dar. pos.* Crotus *consil.* 67. *num.* 6. Bellon. *consil.* 42. *num.* 6. Neuizan. *consil.* 9. *num.* 32. Crauet. *consil.* 30. *num.* 5. Roland. *consil.* 94. *numer.* 17. *vol.* 2. Natta *consil.* 46. *num.* 2. Cephal. *consil.* 338. *num.* 45. Surd. *consil.* 346. *n.* 6. Et proinde non extenditur de casu ad casum *l. Quod. meo.* §. *fin. ff. de acquir. poss.* & notant cum Ias. & Natta Bet. *consil.* 99. *num.* 18. Surdus *consil.* 308. *num.* 6.

6 Neque obstat fundamentum oppositæ sentent. Nam Iura generaliter accipienda sunt, nec est distinguendum, in quo non distingunt ipsa, quò ad ea, in quibus procedunt; Vnde cum procedunt de absolutione publica, & solemni, quando volunt exigi prædictum iuramentum, vt desumitur ex dicto cap. Cum desideres. de sent. excommunicat, solum quòad ipsa generaliter accipienda sunt.

An in omni absolutione in foro exteriori sit exigendum iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ. Quæst. 210.

S V M M A.

1 *Iuramentum parendi mandatis Ecclesiæ vt diuersum à iuramento comparendi ante superiorem.*
2 *Sententia affirmatiua.*
3 *Sententia negatiua probatur.*
4 *Iuramentum parendi mandatis Ecclesiæ ad quod ordinatum.*

1 CVm iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ sit diuersum à iuramento de se præsentando ei, ad quem de iure spectat absolutio, vt contra Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 19. §. 5. *num.* 2. supponunt communiter; & desumitur ex Cap. *de coetero. de sentent. excommunicat*, vbi ponitur iuramentum consuetum, nempe de parendo mandatis Ecclesiæ exigendum ab eo, qui ratione impedimenti absoluitur; & rursus tanquam aliud iuramentum distinctum de se præsentando ei, ad quem de iure spectat absolutio, dubitatur, an hoc posterius iuramentum sit exigendum in omni publica absolutione à censuris.

2 Hostiens, *in sum. lib.* 5. *tit. de excommunicat. num.* 14. vult esse exigendum in absolutione à quacunque excommunicatione. E contra verò Medina *lib.* 2. *sum. cap.* 12. vult esse exigendum solum in absolutione ab excommunicatione ob percusionem Cardinalium, Episcoporum, & similium personarum, Verum hæc sententia Medinæ est falsa, quia in dicto Cap. *de coetero, de sentent. excommunicat.* absolutè dicitur, quod sit exigendum in ab-

absolutione ab excommunicatione ob Clerici percussionem. Et in Bulla cœnæ requiritur quoad omnes casus in ipsa reseruatos.

3 Itaque tenendum est, quod dictum iuramentum sit exigendum non in absolutione à quacunque censura reseruata, sed quando est contracta ob grauiora crimina. Ita Caiet. *verbo, Absolutio cap. penult.* Syluester. *verbo, Absolutio 3. num. 4.* Grat. *par. 1. decis. lib. 1. cap. 17. num. 3.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 24.* Suarez *disp. 19. de censur. sect. 2.* Alter. *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 2.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punt. vlt. num. 4. ver. Obserua.* Henriquez *lib. 13. sum. cap. 28. num. 4.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 2.* Coninch. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 204.* Hurtad. *disp. 14. de excommunicat. difficul. 4.* Palaus *par. 6. oper. mor. disp. 1. de censur. punc. 11. S. 3. num. 4.* Bossius *de iubileo, casu 22. num. 6.* Bauuius *de censur. tract. 2. disp. 3. quæst. 35. ver. Neganda est.* Ratio autem desumitur ex ipso iure, nam quando præscribitur esse exigendum huiusmodi iuramentum, agitur semper de criminibus grauibus, vt sunt grauis percussio Clerici, incendium, & casus contenti in Bulla coenæ. Ergo quando crimina non sunt adeo grauia non est necessarium exigere hoc iuramentum. Et ratio etiam finalis iuramenti militat in solis criminibus grauibus, nam eorumdem grauitas exigit, vt quàm maxime fieri potest prouideatur, ne rursus perpetuentur; & ideo supra obligationem, quæ aliàs adest non perpetrandi, Ecclesia præcipit, ne amplius ab absoluendo perpetrentur, & vult quod iuramento se obliget ad non perpetrandum, vt non solum ab obligatione ordinaria, sed etiam à iuramento retrahatur, vt colligitur ex Cap. *Cum desideres. de sentent. excommun.* vbi *Glos. verb. ad cautelam*.

4 Ex dictis colligitur. Iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ non esse in ordine ad quæcunque mandata, sed tantum in ordine ad illud, quo præcipitur seruari id, ob cuius transgressionem fuit contracta censura, vt desumitur ex cap. *Pessimam. 23. quæst. 8.* & Cap. *de coetero.* & Cap. *grauem de sentent. excom.* Glos. *in dict. cap. de coetero, verba Debeat.* Nauar. *in capit. 1. irit. num. 54. de poenitent. dist. 6.* Syluester *verbo Absolutio. 3. num. 4.* Suarez *disp. 19. de censur. sect.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 24.* Alter. *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 2.* & communiter. Vnde qui absoluitur contrahit nouam obligationem ad illud seruandum, & ideo si contraueniat poterit puniri etiam vt periurus.

An ab omnibus sit exigendum dictum iuramentum. Quæst. 211.

S V M M A.

1 *Iuramentum non est exigendum à pueris.*
2 *Bene tamen à mulieribus.*

1 NOn esse exigendum à pueris, traduat communiter Syluester *verbo. Absolutio 3. num. 4.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 29. num. 3.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 16. §. 5. num. 2.* Sayr. *lib. 2. thesauri. cap. 17. num. 3.* Alter. *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 2.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 24.* Bossius *de iubil. sect. 1. casu 22. num. 8.* Duard. *lib. 3. in Bullam Coenæ. §. 2. quæst. 15. num. 12.* Palaus *par. 6. oper. mor. disp. 1. de excom. pun. 11. §. 3. num. 4.* Ratio autem est. Quia pueri ante annos pubertatis non habent plenam deliberationem, & ideo præsumitur ex fragilitate potius, quàm ex malitia incidisse in talia crimina, & proinde non esse rursus perpetraturos cum acquisiuerit maturum iu-

iudicium, quod speratur præstaturos in ipsis, quod in aliis præstat iuramentum. Vnde in *Cap. 1. & in cap. fin. de sent. excom.* dicitur absoluendos impuberes ab Episcopo nulla facta mentione de dicto iuramento. Vt tamen notat Syluester citat, relinquitur arbitrio absoluentis, quando debeat exigi, vel non exigi; nam fieri potest, quod tanta sit malitia, vt suppleat ætatis defectum; & proinde possit exigi, & expediens sit, quod exigatur.

2 An autem sit exigendum à mulieribus. Respondendum est affirmatiuè, vt docent Syluester *verbo. Absolutio 3. num. 3.* D. Antonin. *3. par. tit. 24. cap. vlt.* §. 1. Sayr. *lib. 2. Thesaur. cap. 18. num. 4.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 19.* Alterius *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 2.* Duard. *in Bullam Coenæ lib. 2.* §. *2. quæst. 15. nu. 11.* Bossius *sect. 1. de iubil. casu 22. num. 8.* & communiter. Quia ex iure solum quòad pueros desumi potest argumentum quod non sit exigendum. Immò cum præsumatur abundantia malitiæ in foeminis, quæ talia delicta committunt, prouidendum est de vinculo iuramenti, vt imposterum ab ipsis cohibeantur: vnde à fortiori militat in ipsis ratio finalis exigendi iuramentum.

An dictum iuramentum exigendum sit in absolutione ad cautelam. Quæst. 212.

S V M M A.

1 *Censura dubia absoluitur ad cautelam.*
2 *Sententia affirmatiua tenetur.*

1 QVando contractio censuræ est dubia, solet impendi absolutio ad cautelam: vnde dubitatur, an tunc sit exigendum iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ. Est certum, quod quando excommunicatio est nulla, non est exigendum, quia neque tunc est necessaria absolutio: sed pro foro externo debet excommunicatio declarari nulla. Similiter etiam, neque est exigendum, quando excommunicatio, licet sit valida, est tamen iniusta, vt notat Syluester *verbo Excommunicatio 3. numer. 4.* Sayr. *lib. 2. thesari cap. 18. num. 2.* Bossius de Iubileo *sect. 1. casu 22. num. 12.* Quia cum excommunicatus, fuerit grauatus ob iniustitiam censuræ, non est illi addendum nouum onus. *Cap. Sacro.* §. *Caueant. de sentent. excommunicat.* vbi *Glos. verbo Absque grauamine.* Hostiens. ibid. Panorm. *num. 12.* Felin. *num. 7.*

2 Dicendum. In absolutione quoque ab excommunicatione ad cautelam exigendum est dictum iuramentum. Ita Sayr. *lib. 2. Thesauri. cap. 18. num. 2.* Alter. *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 2. ver. Tandem solent.* Bossius *de Iubileo sect. 1. casu 22. num. 11.* Et desumitur ex Cap. *cum contingat.* §. *Verum. De officio Delegati.* vbi statuitur, eum, qui allegat iniustitiam excommunicationis, & instat excommunicator, quod iuste excommunicauerit, debere prius absolui, antequam audiatur iuxta formam Ecclesiæ. Hæc autem est absolutio ad cautelam, quia excommunicatio est dubia, & tamen impendenda est iuxta formam Ecclesiæ, atque adeo debet exigi iuramentum. Et clarius ex Cap. *Venerabili. De sentent. excommun.* Ratio autem est, quia licet absolutio sit ad cautelam, est tamen vera absolutio, & cum solita solemnitate impendenda.

An in absolutione præter iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ, alia cautio sit exigenda. Quæst. 213.

SVM-

S V M M A.

1 *Sententia negatiua probatur, num. 2.*
3 *Fideiussio vt exigenda secundum Alterium.*

1 Videtur affirmatiue respond. Quia in Bulla Coenæ. §. *Ceterum à prædictis*, dum conceditur facultas absoluendi ab illis censuris in articulo mortis, præscribitur, vt nec tunc absoluant, nisi exibeant cautionem de satisfaciendo, & stando mandatis Ecclesiæ. Dicendum tamen est. Non esse necessariam aliam cautionem supra iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Ita Alter. *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. capit. 2. ver. Tandem solet*. Bossius. *sect. 1. de inbil. casu 22. num. 11.* Duard. *in Bullam Coenæ lib. 3. §. 2. quæst. 15. num. 10.* Sanchez *lib. 2. sum. capit. 13. numer. 17.*

2 Ratio autem est. Quia in Cap. *Ex tenore. De senten. excommunicat.* solum habetur, quod debeat exigi iuramentum, nec aliud requiritur, & in Cap. *Cum desideres. Eod. tit.* hoc iuramentum dicitur Cautio iuratoria. ibi *Cum cautio iuratoria, quam hodie, qui excommunicati sunt, præstant*, &c. Per quod explicatur, quod nomine cautionis veniat ipsum iuramentum. Ergo præter iuramentum, non est quid aliud exigendum. Præsertim quia in iure, nomine cautionis venit simplex promissio, nisi aliud explicetur, vt decernitur in *l. Sancimus. C. de verbors significat.* vbi Glos. Bart. & alii Doctores ibid. Et ideo cum in Bulla Coenæ requiratur tantum cautio absque alia expressione, intelligi debet de simplici promissione iuramento firmata. iuxta dict. tex. *Cap. Cum desideres.*

3 Addunt tamen Alter. *citat. cum* Zanchino *de hæret. cap. 16. num. 9.* Bonac. *disp. 1. de censur quæst. 3. pun. vlt. num. 5.* Posse absoluentem in foro externo exigere fideiussionem sub certa poena, & ipsam exigere, si absolutus non pareat; & hoc per rescriptum Innocentii Papæ IV. *incipit Cum per vestras*, & Alexandri IV. *incipit. Super extirpatione*, quæ sunt inter Litteras apostolicas, in fine Director. Inquisit. Sed subdunt, Tutius esse abstinere ab huiusmodi cautionibus pecuniarijs. Addo etiam, quod dicta rescripta non habent vim, nisi in absolutione ab excommunicatione ob crimen hæresis, cum pro ipsa tantum emanauerint.

An si parti sit satisfactum sit exigendum dictum iuramentum. Quæst. 214.

S V M M A.

1 *Non exigitur Iuramentum de satisfactione exhibenda.*
2 *Sed debet exigi Iuramentũ de stando mandatis Ecclesiæ.*

1 Non esse exigendum iuramentum de satisfactione exhibenda, certum omnino est, cum stante sufficientia ipsius non sit vlterius exhiben. Sed quòad iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ dicendum est. Esse omnino exigendum. Ita Couaruu. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. num. 11.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 13. num. 18.* Bossius *sect. 1. de inbil. casu 22. numer. 7. & communiter.* Quia finis huius iuramenti non est satisfactio parti exhibenda, sed cohibere absoluendum, ne rursus ha-

labatur in idem crimen, vt habetur ex cap.. *Cum desideres de sent. excommunicat.* Hic autem finis semper militat etiam satisfactione parti impensa.

An si non exigatur dictum iuramentum teneat absolutio.
Quæst. 215.

SVMMA.

1 *Ceremoniæ solitæ fieri in absolutione solemni, si interueniat substantia, omissæ non inualidant absolutionem.*
2 *Sententia asserens valere absolutionem non exacto iuramento.*
3 *Sententia opposita declaratur, & extenditur num. 4. 5. & seq.*
10 *Satisfit obiectionibus.*
11 *Potentia vt non tollatur à Summo Pontifice.*

1 IN absolutione ab excommunicatione, quæ solemni modo fit seruari solent non nullæ coeremoniæ de quibus in cap. *A nobis. de sentent. excommunicationis.* Qas tamen si quis prætermittat, dummodo interueniat substantia absolutionis, valida erit absolutio, vt tenent communiter Nauar. *cap. 26. Manual. num.* 8. Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 19. §. 5. Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 28. Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 12. D. Antonin. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 77. §. 1. *ver. Testium.* Angelus *verbo Absolutio.* 3. *num.* 2. Tabiena. *num.* 8. Caiet. *verbo Absolutio ab excom. ver. Quòad tertium.* Sayr. *lib.* 2. *thes. cap.* 18. *num.* 19. Auila *par.* 2. *de censur. par.* 7. *disp.* 3. *dub.* 3. Alter. *lib.* 4. *de censur. disp.* 7. *cap.* 2. Reginal. *lib.* 9. *num.* 73. Bonacina *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *punc. vlt. proposit.* 3. *ver. deinde.* Quia cum sint extrinsecæ, non vitiat earum defectus substantiam actus absolutionis. Vnde difficultas remanet de iuramento standi mandatis Ecclesiæ.

2 Prima, & communis sententia asserit valere absolutionem etiam si non exigatur dictum iuramentum. Ita Glos. *in cap. cum desideres. de sent. excommun.* Panorm. *ibid.* Syluester *verbo. Absolutio* 3. *num.* 3. Tabiena *ibid. num.* 1. Angelus *num.* 12. *citans Innocent.* & Io. Andr. Caiet. *verbo Absolutio. cap.* 4. Nauar. *in cap.* 1. *init. num.* 54. *de poenit. dist.* 6. Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 28. *num.* 4. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 2. Sum. Astens *par.* 2. *lib.* 7. *tit.* 15. *ar.* 1. *quæst.* 1. D. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *capit.* 77. §. 1. Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 19. §. 5. *num.* 3. Sayr. *lib.* 2. *Thesauri capit.* 17. *num.* 5. Alter. *tom.* 1. *de censur. lib.* 4. *disp.* 7. *cap.* 2. Valer. *in differ. vtriusque fori. verbo. Absolutio differ.* 6. *num.* 2. Bossius *de iubil. sess.* 1. *casu* 22. *numer* 24. & in specie de censuris in Bulla coenæ reseruatis. Vgolin. *de censur. sum. Pont. reser. par.* 3. *ver. Nec etiam tunc.* §. 1. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 35.

3 Secunda sentent. loquendo de censuris in Bulla coenæ reseruatis, asserit absolutionem esse nullam, si non exigatur iuramentum. Ita Viual. *in candel. tit. de excommunicat. Bul. coenæ.* §. *Coeterum. numer.* 10. *in vlt. impress.* Duard. *in Bullam coenæ lib.* 3. §. 2. *q.* 16. *num.* 4. Prob. *in Bulla coenæ.* §. *Coeterum.* dicitur, quod nec in articulo mortis possit quis absoluere ab illis censuris, nisi exhibita cautione de stando mandatis Ecclesiæ. Ergo cautio est conditio sine qua non: nam dictio *Nisi* importat conditionem *l.* 1. *ff. de indiem addit.* 2 Absolutio extra mortis articulum absque speciali delegatione esset nulla, vt constat ex decreto Clementis VIII. *de casib. reseruat.* vbi declarat talem absolutionem esse nullam, vtpote impensam contra prohibitionem Bullæ. Sed etiam data absque prævia cautione est contra prohibitionem

nem Bullæ. ergo, 3 Quæ fiunt contra legis prohibitionem habentur pro infectis, cap. *Quæ contra de reg. iur. in 6.* præsertim quando lex habet perpetuam causam prohibitionis, vt notant Panorm. *in cap. ad Apostolicam. numer. 11. de regular.* Syluester verbo, *Lex quæst. 28.* Absolutio autem absque prævia cautione esset contra legis prohibitionem nempe Bullæ.

4 In hac difficultate certum existimo, quod absolutio à censuris extra Bullam coenæ reseruatis, sit valida, etiam si non exigatur iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Quia tale iuramentum ex consuetudine Ecclesiæ introductum est, vt habetur ex cap. *Cum desideres, de sentent. excom.* non tanquam pertinens ad substantiam absolutionis, sed ad refrenendam malitiam, & ad manutenendam seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ, vt habetur ex cap. *Super eo. 2. de sent. excommunicat.* vbi Glos. *verbo, Iuramentum.* Et proinde qui non vult præstare tale iuramentum, potest absolui, vt statuitur in dicto cap. *Super eo*, ex quo tex. Glos. *ibid. verbo, Cum promissione.* reprobat opinionem asserentem absolutionem esse nullam, nisi exhibeatur tale iuramentum.

5 Maior difficultas est de censuris reseruatis in Bulla Coenæ; nam in §. *Cæterum* habetur: *A prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, &c.* Ex quibus constat, quod summus Pontifex vult, quod præcedat dictum iuramentum, vt constitutus in articulo mortis possit absolui. Itaque existimo per dictam clausulam præscribi formam seruandam in absolutione a dictis censuris in articulo mortis. Ratio autem est, Quia licet, quando in concessione exprimitur id, quod de iure communi inest, non inducatur noua forma, vt notant Glos. *in Clemen. 1. Verbo, Repererit. de offic. deleg.* Cardin. *ibid. quæst. 13.* Imola *num. 20. & 21.* Bonifac. *num. 36.* Archidiacon. *in Cap. Dudum. 18. quæst. 2.* Innocent. *in Cap. fin. de præsump.* Abbas *ibidem num. 16.* Felin. *num. 29.* Couaruu. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 9. num. 8.* & communiter, sed sit quædam admonitio, vt seruetur quod in iure præscribitur. Quia expressio illius, quod tacite inest, nihil operatur. Cap. *Significasti de elect. & l. Conditiones, quæ extrinsecus. ff. de condit. & demonstr.*

6 Attamen quando præscribitur alio modo, ac de iure insit, inducet formam, ac conditionem, vt notant Cardin. *in Clement. 1. quæst. 2. de concess. praeben.* Imola *ibid. num. 12.* Bonifac. *in Clemen. 1. num. 36. de offic. de. leg.* Felin. *in cap. fin. num. 33. de Præsump.* & in Cap. *Cum dilecta. De rescriptis*, Abbas ibid. *num. 12.* Couaruu. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 9. num. 8.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 33. num. 4.* Et desumitur ex Cap. *Cum dilecta. De rescriptis.* vbi Glosa, *verbo Iuris.* In Bulla autem coenæ alio modo præscribitur iuramentum exigendum, nam non dicitur, quod exigatur iuramentum, sicut dicitur in iure communi: Sed quod non possit poenitens absolui, nisi eo præstito: Ex quo modo loquendi iuramentum transit in conditionem, sine qua poenitens non possit absolui, & proinde pertinet ad formam.

7 Præterea Dictio, *Nec etiam* est extensiua prohibitionis præmissæ ad casum articuli mortis. *Clemen. 1. §. fin. de re iud.* & notant Ruin. *consil. 43. num. 19. lib. 2.* Menoch. *consil. 901. num. 36.* Gonzalez. *ad Reg. 8. Cancel. glos. 36. num. 25.* Paris. *consil. 46. num. 30. vol. 4.* Surd. *decis. 8. num. 12.* Honded. *consil. 40. num. 26. lib. 2.* Seraph. *decis. 561. num. 1.* Duran. *decis. 60. num. 27.* Rota *decis. 301. num. 22. par. 5. recent. & decis. 567. num. 1. part. 1. Recent.* Quia iuxta suam naturam est implicatiua *l. etiam. ff. de error. significat.* Ergo sicuti stante prohibitione præmissa, nemo potest absoluere ex-

extra mortis articulum; ita in virtute eiusdem prohibitionis non poterit absoluere in articulo mortis, nisi exhibito iuramento, atque adeo iuramentum pertinebit ad formam.

8 Rursus, Dictio, *Nisi*, in eadem clausula est limitatiua, & taxatiua, vt in *l. Consulta*, *C. de testamen.* & notant Couaruu. *De sponsal. cap. 4. par. 2. §. 1. num. 8.* Flamin. *lib. 5. de resignat. quæst 6. num. 183.* Et proinde inducit formam iuxta ea, quæ notant Osasch. *decis. Pedem. 174. numer. 2.* Grat. *consil. 15. num. 15. vol. 1.* Cenedo *singul. 23. num. 6.* Et sensus est, quod nec in articulo mortis possit, quis absoluere, nisi forma seruata iuramenti præmissi.

9 Hoc tamen non obstante existimo, quod etiam si non exigatur iuramentum, absolotio erit valida. Et ratio est, quia quando sopponitur alicui conuenire potestas, & præcipitur, quod procedat cum aliquo modo, seu forma, tunc actus valet, etiam si prætermittatur ille modus, vt tradunt Abbas *in Can. Ex parte. De constit.* Syluester. verbo. *Consilium num. 6.* Et ratio est. Quia quando traditur potestas exercenda cum aliquo modo, præscribitur mensura, intra quam est exercenda: & ideo si non exerceatur cum illo modo, actus egreditur terminos potentiæ, & proinde est nullus. Quando vero supponitur potentia, & præscribitur modus, superadditur tantum potentiæ nouus modus, non autem coarctatur ad mensuram modi. Et ideo quando habenti facultatem datur certa forma, actus tenet illa non seruata, si non adsit decretum irritans, vt tradit *Rota decis. 574. num. 52. num. 3. par. 4. Recent.* In casu autem nostro Bulla Coenæ sopponit facultatem in quolibet sacerdote absoluendi in articulo mortis à quibuscunque reseruatis, siquidem nunquam in Ecclesia fuit aliqua reseruatio pro articulo mortis, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenit.* & præscribit formam, cum qua à censuris in dicta Bulla contentis est absoluendum in articulo mortis: Vnde iuxta doctrinam traditam valebit absolutio licet non sit seruata forma.

10 Hinc facile resp. ad argumenta in oppositum, Ad 1. namque respond. Quod licet iuramentum sit condicio, sine qua non, ea tamen non seruata non irritatur actus, quia in appositione non traditur, sed supponitur facultas ad ipsum, vt constat ex dictis. Ad 2. Absolutionem extra mortis articulum non solum esse contra prohibitionem Bullæ, sed etiam absque facultate ad actum, quia reseruatio illam tollit. At in articulo mortis, licet sit contra prohibitionem Bullæ quoad formã seruandam, non est tamen sine sufficienti facultate, & ideo valet. Ad 3. Quæ fiunt contra legis prohibitionem heberi pro infectis, & esse nulla, quando lex tollit potentiam ad actum, quia sublata facultate deficit fundamentum validitatis; non autem quando relinquit potestatem, & solum prohibet exerceri; nam tunc cum remaneat fundamentum validitas, valet etiam actus. Vnde, vt actus prohibitus sit nullus, necessaria est priuatio potentiæ, iuxta ea, quæ tradunt Glos. *in cap. 1. verbo. Non potest. De reg. iur. in 6.* Couaruu. *in Reg. Possessor. par. 2. §. 4. num. 4.* Rolan. *consil. 2. num. 40. lib. 2.* Paris. *consil. 58. num. 45. lib. 4.* Gratian. *decis. 51. num. 6.* Surd. *consil. 98. num. 1. & 364. num. 14.* Tiraquel. *post leg. Connub. glos. 4. num. 1.* Syluester verbo, *Excommunicatio 10. num. vlt.* Angelus verbo, *Excommunicatio 7. numer. vlt.* Sanchez. *lib. 6. de matrim. disp. 38. num. 20.* vbi alios refert. In dicto autem, *§. Coeterum Bul. coenæ*, non tollitur potentia, sed tantum prohibetur; ne fiat actus absque solemnitate iuramenti. Immò neque propriè continet prohibitionem, cum prohibitio conuertatur in præceptum, & illi æquipolleat: si quidem non tendit ad aliquid tollendum, sed ad ponendam formam, cum qua absolutio debet impertiri,

Quod

10 Quod autem Summus Pontifex non tollat potentiam, colligitur etiam ex eo, quod non est secundum piã intentionem Ecclesiæ, quod aliquis exponatur periculo damnationis æternæ, sicuti exponeretur, si absolutio non esset valida non exhibito iuramento: nam facile contingere potest, quod confessarius aut nesciens, quod sit exigendum, aut non aduertens, nec item poenitens id sciat, vnde si absolutio esset nulla, & poenitens esset tantum attritus, damnaretur. Immò etiam ex verbis Bullæ; nam in dicto §. *Coeterum.* Pontifex habet; *quod Nullus nisi in mortis articulo, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis cautione præstita absolui possit*, vnde cum dictio possit se teneat ex parte poenitentis, & non ex parte sacerdotis, non operatur circa facultatem, quam quilibet sacerdos habet pro articulo mortis, atque adeo nec illam tollit, sed tantum ponit impedimentum ex parte poenitentis.

An sit peccatum mortale prætermittere solemnitatem absolutionis, quando publicè absoluitur moribundus.

Quæst. 211.

SVMMA.

1 *Interueniente iusta causa, non interuenit peccatum.*
2 *Sententia negatiua tenetur facta absolutione sine cerimoniis, secluso contemptu absque causa.*
3 *Quid dicendum in absolutione à reseruatis, & solemni. num. 4. & 5.*
6 *Absoluens moribundum nolentem iurare, grauiter peccat, licet valide absoluat.*

1 Difficultas procedit de solemnitate, prout non solum includit coeremonias, quæ ex præscripto Ecclesiæ adhiberi solent in absolutione ab excommunicatione, sed & iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Est autem certum, quod nullum sit peccatum, quando omittuntur ex iusta causa. Causæ autem, ob quas possunt omitti recensentur à Sayra *lib. 2. Thesauri cap. 18. num. 19.* Et prout facit ad nostrum propositum, licitè ommittantur, quando dubitatur, absoluendum fore breui moriturum, vt communiter docent. Rursum certum est etiam, quod eas omittere sine causa, est saltem peccatum veniale; solum dubitatur, an sit mortale.

2 Quod autem non sit peccatum mortale eas omittere sine causa, secluso contemptu tradunt Suarez *disp. 19. de censur. sect. 2. num. 13.* qui tamen addit nisi forte absolutio esset publica, & solemnis ad Ecclesiæ satisfactionem. Tanner, *tom. 4. sum. disp. 6. quæst. 10. dub. 6. numer. 124.* Turrian. *lib. 2. de censuri disp. 24. dub. 3.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 2.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 16. difficul. 14. num. 5.* Diana *par. 5. tract. 9. resol. 23.* Bañunius *de censur. tract. 2. disp. 3. quæst. 35. ver. Dico 2.* & alii. Quia inquiunt res non est tanti momenti, vt constituat materiam peccati mortalis.

3 In hac difficultate existimo non esse peccatum mortale, omittere coeremonias etiam cum iuramento de stando mandatis Ecclesiæ, quando censuræ non sunt reseruatæ in Bulla coenæ, licet absolutio sit publica. Ratio autem est, Quia licet absolutio sit publica, & pro foro externo, transit tamen in modum priuatum, & est extra regulam ordinariam, quia impenditur intuitu mortis propinquæ, atque adeo in tempore, in quo pietas Ecclesiæ debet magnopere relucere; Vnde habet locum regula, quod ratione loci, & temporis detrahendum est seueritati disciplinæ, cap. *Vt constitueretur. dist. 10.* & cap. *Comessationes. dist. 44.* & cap. *Ordinationes. 9. quæst. 1.* & cap. *fin. de transac.* & cap. *Super eo. 2. de sent. excommunicat.* Huiusmodi autem coere-

moniæ, ficut etiam iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ pertinent ad feueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ, ex dicto *cap. Super eo*.

4 In solemni tamen absolutione; quæ fit in facie Ecclesiæ, ex istimo esse peccatum mortale omittere in totum dictas coeremonias. Dixi in totum, quia omittere vnam, aut aliam iuxta qualitatem personæ absoluendæ, non esset saltem graue peccatum. Ratio est. Quia hæ coeremonæ præcipiuntur in iure, vt in cap. *A nobis. 2. de sent. excommunicat.* 2. ex quo tex. illas colligunt Hostiens, *in sum. lib. 5. Tit. de sentent. excom. num.* 14. §. *Et qualiter.* Astensis *par. 2. lib. 3. tit. 15. ar. 3.* D. Antonin. *3. par. tit. 24. cap. 77.* Couarru. *in cap. Alma mater, par. 1. §. 11. numer.* 11. & alij, & constituunt formam ritualem, cum qua est ministranda absolutio. Ergo si omittantur absque causa erit peccatetum graue, quia est graue omittere ritus, cum quibus functiones Ecclesiasticæ præscribuntur exercendæ, vt constat in alijs similibus. Et quia cum pertineant ad seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ, vt dictum est numer. præcedent. grauiter læditur per totalem omissionem seueritas disciplinæ.

5 Denique si censuræ sint reseruatæ in Bulla coenæ, erit peccatum mortale omittere iuramentum de stando mandatis Ecclesiæ, siue absolutio sit solemnis, siue priuata. Ratio autem est, Quia in dicta Bulla §. *Caeterum*, præcipitur, quod exigatur tale iuramentum: ita vt poenitens non possit absolui, nisi in articulo mortis illud exhibeat. Ergo præcipitur tanquam res grauis: si quidem Pontifex tanti facit hoc iuramentuo, vt nolit impendi absolutionem, si non interueniat; atque adeo denegationem absolutionis in articulo mortis facit æquiualere negationi iuramenti.

6 Ex his colligitur, quod si constitutus in articulo mortis nollet præstare hoc iuramentum, absoluens peccaret grauiter, licet absolutio teneret, si quidem in re grauiviolatet præceptum Ecclesiæ, Non posset tamen moribundus absolui sacramentaliter, seu à peccatis, quia non esset dispositus, nam non vellet implere præceptum Ecclesiæ in re graui, atque adeo permaneret in continuo peccato.

De obligatione comparendi coram superiore ratione casuum reseruatorum.

An absolutus à reseruatis in periculo seu articulo mortis teneatur comparere coram superiore.

Quæst. 212.

SVMMA.

1 *Absolutus à casu reseruato habente annexam censuram, post periculum mortis tenetur se sistere superiori.*

2 *Absolutus à reseruatis etiam non habentibus annexam censuram tenetur comparere.*

3 *Opposita sententia substinetur. num. 4.*

5 *Enodantur difficultates opposita.*

1 Conueniunt omnes, quod si casus reseruatus habeat annexam censuram, tenetur absolutus, si conualuerit, & cessauerit impedimentum comparere coram superiore recepturus mandata ipsius, vt habetur ex cap. *Eos qui. de sent. excom. in 6.* & Extrauag. *Inter cunctas. §. Incendiarios. de priuileg.* Vnde solum difficultas est de reseruatis, quæ non habent annexam censuram.

2 Prima sententia docet, quod absolutus à reseruatis etiam si non habeant annexam censuram, tenetur comparere coram superiore, si euaserit, & cessauerit impedimentum. Ita Hurtad

de

de sacram. poenit. disp. 11. *difficul.* 13. Cuius fundamentum est. Quia facultas cocessa in iure absoluendi in periculo mortis à reseruatis, quæ habent annexam censuram extensa est etiam ad reseruata sine censura, ergo debet fieri extensio cum eodem onere, quod est impositum iis, qui absoluuntur ab ijs, quæ habent annexam censuram.

3 At communis sententia est in oppositum. Ita specialiter Palud. *in.4. dist* 17. *quæst.* 3. *art.* 4. *difficul.* 5. Syluester *verbo, Confessio.* 1. *quæst.* 19. *in fine.* Nauar. *cap.* 26. *Manual. num.* 26. Medina *lib.* 2. *sum. capit. ult. reg.* 2. Angles *in florib. quæst. de confes. ar.* 4. *difficul.* 5. Corduba *in sum. quæst.* 18. *art.* 2. *dicto* 2. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 9 *num.* 2. Rodriquez *in Bullam Cruciatæ.* §. 9. *num.* 56. Zambran. *in decis. cap.* 4. *de pœnit. dub.* 4. *num.* 25. Laiman *lib.* 5. *theol. moral, tract.* 6. *cap.* 12. *numer.* 15. Sanctor. *de casib. papal. cap.* 13. *num.* 147. Mercer. *de sacram. quæst.* 9. *supplem. artic.* 6. Præpositus *quæst.* 7. *de minist. sacram. poenit. dub.* 5. *num.* 42. *ver, In tali articulo*, Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 24. Suarez *disp.* 30. *de poenit. sect.* 3. *num.* 6. Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *ar.* 1. *dub.* 3. *num.* 15. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 68. Alter. *tom.* 1. *de censur. lib.* 1. *disp.* 6. *cap.* 7. Duard *in Bullam coenæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. *numer.* 13. Barbosa *de potes. Epis. par.* 2. *allegat.* 25. *num.* 8. Bossius *discep.* 1. *mor. dub.* 15. Coninch *disp.* 8. *de poenit. dub.* 2. Reginal. *lib.* 1. *Praxis fori poenit. numer.* 61, & *lib.* 8. *num.* 24. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *punc.* 3. *num.* 19. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 199. Squillante *de priuileg. Cler. capit.* 1. *numer.* 44.

4 Et hæc posterior sententia tenenda est tanquam certa, Ratio autem est, quia vt habet Concil. Triden. *sess.* 14. *cap.* 7. *In articulo mortis nulla est reseruatio*. Quod etiam extenditur ad periculum mortis, si quidem iura reseruantia aliquos casus excipiunt etiam periculum mortis: vnde quod cap. *Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. dicitur mortis periculũ, dicitur mortis articulus in cap. *Non dubium.* & cap. *Ex noscitur de sent. excommunicat.* & alibi, ergo cùm sit ablata reseruatio, seu potius non posita pro tali casu, non remanet ratione reseruationis aliqua obligatio, quia causa, quæ non est, non potest relinquare post se aliquem effectum. Confir. Qui absoluitur à reseruatis à iudice proprio quòad ipsa reseruata, siue sit iudex ordinarius, siue delegatus, & ex priuilegio, non tenetur amplius comparere coram superiori, at qui absoluitur in virtute iubilei, ergo neque qui absoluitur in periculo mortis, quia cũ tunc non adsit reseruatio, sacerdos absoluit vt iudex proprius, Denique quia, quando non adest censura, absolutio adæquatè remittit peccata, & ideo non remanet aliquid aliud iudicandum, at in censura, cum pertineat ad forum externum, relinquitur poenitens iudicandus in foro externo, cum per absolutionem sit tantum iudicatus in interno.

5 Neque subsistit fundamentum oppositæ sententiæ. Si quidem extensio fit solum secundum mensuram, & exigentiam rationis; cum ratio sit illa, quæ ampliat, & restingit *l. Vnum ex familia* §. *fin. ff. de leg.* 2. & *l. Si is, qui animo. ff. de acquir. posses.* Vnde cum sit diuersa ratio de reseruatione peccati, & de reseruatione censuræ, quod statuitur ratione censuræ non potest extendi ad reseruationem peccati. Ratione namque censuræ adest obligatio suscipiendi mandatum, & præstandi debitam obedientiam, & obsequium, atque adeo euacuandi contumaciam, quod non habet locum in sola reseruatione peccati seclusa censura.

An

An si impendatur absolutio facultate concessa cum onere comparendi coram superiori, teneatur absolutus comparere, si ante absolutionem ignorauit tale onus?

Quæst. 213.

S V M M A.

1 *Omnes sacerdotes quoad facultatem iudicialem absoluendi sunt æquales.*
2 *Semel legitime absolutus implet totam obligationem iuris Diuini.*
3 *Pænitens nequit obligari ad se sistendum superiori absque aliquali sui consensu.*
4 *Sciens post absolutionem onus se præsentandi non tenetur acceptare.*
5 *Onus se præsentandi propositum post confessionem, ante absolutionem non tenetur pœnitens acceptare, & nihilominus debet absolui.*
6 *Regulares vt debeant absolui à reseruatis.*

1 QVamuis etiã in periculo mortis nulla sit reseruatio iuxta determinionem sacrorum Canonum. Quia tamen posset concedi facultas absoluendi à reseruatis, maxime quando de nouo reseruatur aliquis casus cum onere comparendi transacto periculo, ideo dubitatur, an si absolutus nesciat tale onus ante absolutionem, sed solum post absolutionem teneatur competere. Est autem supponendum. Subditum non posse obligari subditum absolutum ab inferiori iure reseruationis, vt compareat postea coram superiori, vt notat etiam Vasquez 3. par. quæst. 93. art. 2. dub. 6. num. 14. Ratio autem est, quia si semel aliquis subiicitur à suo superiore alicui sacerdoti, remanet absolutus à suprema potestate, quæ sit in terris; quia omnes sacerdotes, quòad facultatem iudicialem absoluendi sunt pares, cum illam accipiant in sua ordinatione, & exerceant non nomine alicuius superioris, sed nomine Christi, ita vt principalis absoluens sit Christus, & sacerdos se habeat vt minister repræsentans ipsum Christum, cum sit destinatus ad fungendas vices ipsius, vt habet Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* Vnde non remanet in tribunali sacramentali alius superior iudex, ad quem tanquam ad vltimum deuolui possit causa poenitentis, sicut remanet quòad censuras. Et proinde tota iurisdictio superiorum in ordine ad sacramentum poenitentiæ coarctatur ad applicandum materiam, nempe subditos sacerdotibus, vt in ipsos exercere possint facultatem, quam in sua ordinatione recipiunt.

2 Supponendum 2. Poenitentem semel à peccatis legitime absolutum compleuisse totã obligationem, quam habet ex iure diuino; nam præceptum diuinum solum obligat, vt habens conscientiam peccati mortalis sistat se coram sacerdote tamquam vicario Christi, & ab ipso iudicetur. Et ideo, sequuta absolutione completum est iudicium sacramentale, & satisfactum præcepto diuino. Ex hoc autem fit, quod non possit aliquis superior obligare subditos, vt sibi vel alteri confiteantur peccata iam rite semel confessa, etiam si reseruata essent. Nam cum in iudicio sacramentali omnes sacerdotes sint pares, non potest quis obligare, vt causa rite discussa, & sententiata in vno tribunali deducatur ad aliud, quia cum nomine Christi indicata, & completa sit, non potest, quis amplius se ingercre, nam inferior se ingereret in iis, quæ nomine superioris gesta sunt ad nouam discussionem reuocando, quod non solum non potest fieri, sed etiam inualide fieret.

3 Supponendum 3. Pœnitentem non posse obligari ad se præsentãdum coram superiore, nisi interueniat aliquo modo consensus ipsius. Quod dupliciter contingere potest, vt notant

Vas-

Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 6. *num.* 13. Hurtad. *disp.* 11. *de poenit. difficul.* 11. Nimirum si poenitens voto, aut iuramento ad id se obliget; potest enim superior negare facultatem inferiori absoluendi à reseruatis, nisi poenitens tali modo se obliget. Vel si ex pacto conueniat cum inferiori se sistendi coram superiore, ita vt superior concedat licentiam inferiori absoluendi à reseruatis cum condicione, quod ita conueniat cum poenitente, aliàs ne absoluat. An autem possit confessarius per modum poenitentiæ imponere poenitenti, vt se præsentet coram superiore, non est huius loci id decernere. Difficultas modo est, an si poenitens nesciat onus se præsentandi coram superiore antequam absoluatur, nec in ipsum saltem tacite consentiat, teneatur comparere, si solum post absolutionem explicetur.

4 Dicendum est. Si hoc onus solum post absolutionem notificetur poenitenti, non tenetur ipsum acceptare, seu consentire, atque adeo nec comparere coram superiori. Quod habet locum non solum in iis, qui absoluuntur in periculo vitæ constituti, sed etiam in coeteris. Ita Vasquez 3. *part. quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 6. *nu.* 13. & sequent. Coninch *disp.* 8. *de poenit. dub.* 15. *num.* 119. *ver. Hinc inferunt.* Hurtad. *disp.* 11. *de poenit. difficul.* 12. *ver. Vasquez vero.* Ratio autem est. Quia cum sit absolutus ante acceptationem oneris, non potest amplius obligari ad comparendum coram superiore; neque enim auctoritatiuè potest obligari vt constat ex dictis *num.* 1. quia cum iam sit cōpleta causa, & in ipsa absolutus nomine Christi, non potest humana iurisdictio se intromittere ad imponendum aliquod onus circa peccata iam remissa. Neque etiam ex pacto, cum tale pactum non intercedat, nec ad ipsum cogi possit, neque ad iuramentum, aut votum.

5 Ex his colligitur cum Coninch. citato. *num. præceden.* Quod si hoc onus proponatur poenitenti ante absolutionem, facta tamen confessione non teneri ipsum acceptare, & nihilominus debere absolui. Ratio autem est, quia facta confessione acquisiuit ius ad absolutionem in virtute iudicij sacramentalis iam incoepti, atque adeo in virtute institutionis Christi. Neque obstat, quod nolit acceptare onus imponendum, quia tale onus fundatur solum in voluntate humana superioris, ius autem quæsitum poenitenti fundatur in institutione Christi, atque adeo in voluntate ipsius: & ideo in hoc concursu debet præualere ius poenitentis, cum obligatio comparendi nequeat ipsi imponi, nisi consentiat; nec possit cogi ad consentiendum nisi indirectè, negādo inferiori facultatem absoluendi, quæ facta iam confessione nequit denegari.

6 Secundo colligitur, hoc non habere locum in Regularibus, quia quoad casus reseruatos intra religionem tenentur superiores iuxta Decretum Clement. VIII. *De casib. reseruatis pro regularib.* concedere facultatem confessariis ordinariis absoluendi ab ipsis sine aliquo onere, ibi. *Et quibus etiam reseruatorū absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse imprimis confessarius iudicauerit. Imo si superior nolit committere, potest poenitens pro illa vice absolui, petita, & non obtenta licentia.*

An absoluens in articulo mortis à censuris reseruatis, teneatur imponere poenitenti, vt si conualuerit, compareat coram superiore. Quæst. 214.

SVMMA.

Absoluens à censuris reseruatis in articulo mortis tenetur imponere onus se præsentandi poenitenti si conualuerit.

Fi-

2 *Finis præsentationis qui.*
3 *Absoluens, & non imponens onus se præsentandi peccat mortaliter.*
4 *Absoluens à solis censuris tenetur etiam onus se præsentandi imponere.*

---

1 Dicendum est, Teneri absoluentem imponore onus poenitenti, vt si conualuerit, compareat coram superiore, à quo de iure esset absoluendus, eius mandata suscepturus. Ita communiter omnes Heuriquez *lib. 6. sum. cap. 9. num. 7.* Auila *par. 2. de censur. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* Vgolin. *de censur. Papæ reser. par. 3. cap. 2. §. 1. num. 1.* Sayr. *lib. 2. de censur. cap. 20. numer. 27.* Syluester verbo, *Absolutio 1. num. 8.* & Absolutio 3. *num. 16.* Alter. *lib. 1. de censur. disp. 6. cap. 7.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 24.* Nauar. *in Manuali, cap. 26. num. 26. & cap. 27. num. 113.* Suarez *disp. 30. de poenit. sect. 3. num. 6.* Vasquez *3. par. quæst. 91. ar. 6. dub. 8. num. 6. & quæst. 93. ar. 1. dub. 6. num. 14.* Duard. *in Bullam coenæ lib. 3. §. 2. quæst. 3. num. 6. & 7.* Zambran. *in decis. cap. 4. de poenit. dub. 4. numer. 25.* Coninch. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 235.* Bonae. *disp. 1. de censur. q. 3. punc. 3. num. 11.* Medina *lib. 2. sum. cap. ult. reg. 2.* Palud. *in 4. dist. 17. q. 3. ar. 1. in fine.* Angles *in florib. quæst. de confes. ar. 4. difficul. 5.* Corduba *in sum. quæst. 18. ar. 2. dictor.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ. §. 9. num. 56.* Polidor. Ripa *de actis in ar. mor. capit. 35. num. 2.* Couaruu. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. num. 6. ver. Quod si quis.* Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 25 num. 8.* & communiter Canonistæ in tex. mox citaudos, & passim decernitur in iure, vt in cap. *de caetero,* & in cap. *Quod de his,* & in cap. *Quamuis, de sentent. excommunicat.* & in cap. *Eos qui. Eodem tit. in 6.* & in Clement. *Si quis suadente. §. Caeterum. de poenitent.*

2 Finis autem huius præsentationis est, vt explicatur in dicto cap. *Eos qui,* Ne censuræ Ecclesiasticæ illudãtur. Hoc est, ne frustrẽtur suo fine, cũ enim sint impositæ tanquam poenæ medicinales, vt peripsas homines ad debitam rescipiscentiam inducantur, & ad præstandum id, ad quod tenentur, nisi subsequeretur talis præsentatio frustrarentur suo fine, quia absolutus non reciperet mandatum iudicis de eo, quop sibi præstandum est, siue in satisfactionem partis, & Ecclesiæ, siue ex quocunque alio capite. Ex quo patet, quod licet in articulo mortis, aut stante quocunque alio impedimento relaxetur reseruatio in ordine ad absolutionem, reseruatur tamen iudicium Apestolicæ Sedi de iis, quæ ab absoluto à censeris præstanda sunt, pro quo ab absoluente ad ipsam transmitti debet.

3 Ex his colligitur, Sacerdotem absoluentem in articulo mortis, aut alio impedimento impeditum, peccare mortaliter, si non imponat onus ei, quem absoluit à censuris comparendi coram eo, à quo debuisset de iure absolui. Cum enim hoc ipsi iniungatur à sacris canonibus, & simus in materia graui; deficit notabiliter in proprio munere, & lædit grauiter Ecclesiasticam disciplinam.

4 Colligitur 2. Eum quoque qui à solis censuris absoluit, quia non potest absoluere à peccatis teneri similiter imponere absoluendo obligationem comparendi coram suo superiore pro suscipiendis mandatis. Si quidem iura, quæ ad id obligant absoluentes generaliter ioquuntur. Et obligatio comparendi non imponitur intuitu absolutionis à peccatis, sed absolutionis à censuris; & est medium institutum, vt censuræ consequantur suum finem: & ideo obligatio afficit absoluentem, non quatenus absoluit à peccatis, sed quatenus absoluit à censuris.

An

An quando censuræ sunt occultæ sit imponenda obligatio se præsentandi coram superiore.

Quæst. 215.

S V M M A.

1 *In censuris occultis onus se presentandi non debere imponi, qui negent.*
2 *Sententia affirmatiua stabilitur, vt certa.*
3 *Obligatio comparendi ad quid ordinetur.*
3 *Obligatio comparendi consequitur reseruationem.*

1 PRima sententia est negatiua. Ita Valer. *in different. vtriusque fori. verbo Hæresis, different.* 5. *num.* 2. Pollachus *De iubileo sect.* 2. *num.* 6. qui licet loquantur solum quòad excommunicationē ex hæresi, eorum tamen ratio procedit vniuersaliter. Fundamentum ipsorum est. Quia excommunicatus occultus, seu alia censura irretitus non indiget absolutione quòad Ecclesiam, seu quòad forum exterius: ergo non est ipsi imponendum onus, vt compareat coram superiore.

2 Sed hæc sententia est prorsus tanquam falsa reiicienda, & ideo communiter docent, præsertim quæst. præcedenti citati, quod siue censura sit publica, siue occulta, semper est imponenda obligatio comparendi coram superiore, & in specie Bossius *discept.* 1. *moral. dub.* 14. *num.* 137. *ver. Et licet.* Ratio autem est. Quia obligatio comparendi coram superiore est vniuersaliter imponenda iis, qui debent pro absolutione ad ipsum recurrere, vt decernitur in Cap. *De cætero,* & Cap. *Quod de his,* & Cap. *Quamuis. De sent. excommunicat.* Sed quando censura est reseruata, siue sit publica, siue occulta, semper est recurrendum ad superiorem pro absolutione, quia reseruatio tollit iurisdictionem ab inferiori: ergo semper est imponenda talis obligatio.

3 Confir. Obligatio comparendi coram superiore non est in ordine ad obtinendam absolutionem quòad Ecclesiam, seu quòad forum externum, quia remanet absolutus pœnitens etiam in ordine ad ipsum, vt constat ex dictis in superioribus; sed in ordine ad recipienda mandata ipsius, vt decernitur in citatis textib. Hæc autem mandata habent locum, siue censura sit publica, siue occulta: ergo etiam obligatio comparendi. Confir. 2. Obligatio comparendi venit in consequentiam ad reseruationem, ita vt tanquam ex radice ab ipsa originem trahat: ergo semper habet locum, quoties habet locum ipsa reseruatio, quia ex eadem causa, & radice semper originatur idē effectus. Et ratio est quia cum censura sit reseruata, quando pro articulo, & periculo mortis conceditur facultas absoluendi, nō tollitur omnino reseruatio, sed solum conceditur facultas pro sola absolutione, & superior adhuc sibi reseruat recognitionē causæ, & impositionem mandati, & proinde semper, quando adest reseruatio siue censura sit publica, siue occulta, obligat absoluentem, vt iniungat pœnitenti, quod compareat coram superiore.

An hæretico sit imponenda obligatio, quod compareat coram superiore. Quæst. 116.

S V M M A.

1 *Hæretico est impounendum onus comparendi.*
2 *Hæretico occulto est imponendum onus comparendi.*

3 *Quomodo agendum cum capace, & non capace reconciliationis.*
4 *Quomodo cum suspecto.*
5 *Quomodo cum relapso.*
6 *Quomodo cum inditiato.*
7 *Resoluuntur obiectiones, num. 8. & 9.*

---

1 QVodnon sit iniungendum hæretico, quod compareat coram superiore ad ipsius mandata recipienda tradunt absolute Ioan. Valerus *in different utriusq. fori verbo. Haresis differentia* 5. *num.* 2. Polachus *de iubileo sect.* 42. *num.* 6. Riccius *decis.* 280. *num.* 4. *par.* 3. Carena *de Inquisit. par.* 2. *tit.* 1. §. 26. *num.* 135. *ver. Sed pulcherrimum.* Econtra verò quod sit talis obligatio imponenda cuicunque hæretico absolutè tradit Bossius *discept.* 1. *moral. dub.* 14. *num.* 137. *ver. Et licet.* & idem videntur sentire communiter, dum absolutè, & sine vlla exceptione docent, quod excommunicatis est huiusmodi obligatio imponenda.

2 Sed quod spectat ad hæreticum occultum constat ex dictis in quæst. præcedenti, esse obligandum, vt compareat coram superiore, cui erat reseruata absolutio, nam licet occultus sit, militat tamen in ipso illa ratio, ob quam coeteris imponenda est huiusmodi obligatio, vt dictum est quæst. præced. Neque sibi in aliquo præiudicat, cum compareat in ordine ad forum pœnitentiale; & proinde hæc obligatio erit semper imponenda, quando agitur de comparendo solum in ordine ad forum poenitentiale.

3 Si vero hæreticus sit delatus ad forum externum: tunc considerandum est, an iuxta praxim sacri Tribunalis sit capax reconciliationis, an vero non sit capax. Si enim est capax reconciliationis, est ei imponenda obligatio, vt se præsentet. Nam in tantum non esset imponenda, in quantum non posset obligari ad subeundum damnum, seu poenam, quæ ipsi imponeretur; at hoc non obstat, quia maius damnum, & maiorem poenam subiret non comparendo, quam comparendo. Nam si comparear recipitur tanquam poenitens, & misericorditer cum ipso proceditur quoad poenas imponendas. At si non compareat, habetur pro impoenitenti, & traditur curiæ sæculari, vt docent Eymer. *par.* 3. *direct.* Rubr. *de* 13. *modo terminand. proces. num.* 212. Penna ibid. *comen* 49. Simanch. *de cathol. prascript. tit.* 2. *num.* 1. Farinac. *de haresi quæst.* 185. §. 7. *num.* 93. & seq. Sousa *lib.* 2. *Aphoris. cap.* 49. *numer.* 1.

4 Et hoc à fortiori habet locum, si ille qui est hæreticus laboraret tantum suspicione hæresis in foro externo, & solum vt talis esset denunciatus; nam hoc non obstante; si non comparea t intra terminos præfixos, & post libellos aggrauatorios, habetur pro contumaci, & declaratur hæreticus cap. *Cum contumacia. de haret. in* 6. & traditur curiæ sæculari, vt notant Eymer. 3. *par. direct.* Rubr. *de.* 13. *modo termin. proces. num.* 212. ex capit. *Vt inquisitionis.* §. *Prohibemus. de haret. in* 6.

5 Si vero hæreticus sit relapsus, considerandum est, an de relapsu sit indiciatus apud forum Inquisitionis. Quia si est indiciatus, cum non admittatur ad poenitentiam quoad poenam temporalem, sed tradatur curiæ sæculari, vt tradunt Simanch. *de Cath. prascrip. tit.* 57. *n.* 23. Roias *sing.* 23. *nu.* 6. Farinac. *de haresi. quæst.* 185. §. 14. *n.* 217. non est imponenda obligatio, vt compareat coram iudice, Ratio autem est, quia nemo tenetur facere illud, vnde mors sibi obueniat, vt communiter docent. D. Th. 2. 2. *quæst.* 69. *ar.* 4. *ad* 1. Caiet. *ar. vlt. ad* 8. Sylnester *verbo Accusatio. quæst.* 12. Armilla *quæst.* 21. Sed potest qualitercunque redimere propriam vitam. Vnde cum relapsus sit certus de morte sibi inferenda si compareat, non est ad id obligandus. Præsertim quia ius naturale conseruandi propriam vitam fauet relapso, & solum ius positiuum est contra ipsum; quia ex solo iure positiuo tenetur

tur absoluens imponere obligationem comparendi: vnde in tali concursu ius positiuum cedit naturali.

6 Si verò non est indiciatus, cum tunc non tradatur curiæ sæculari, sed tanquam poenitens, & volontariè se præsentans recipiatur, vt tradunt Albertin. *de agn. quæst.* 25. *num.* 25. Castro *lib.* 2. *de hæret. punit. cap.* 2. Penna *par.* 3. *direct. com.* 12. *num.* 56. *ver. Sed quod si.* Sousa *lib.* 2. *Aphoris. cap.* 45. *num.* 16. Considerandum est, quanam poena puniendus esset, si se præsentaret. Quia si esset poena, quæ compararetur morti, aut etiam paulo inferior, non esset ob eandem rationem imponenda obligatio comparendi. Et hoc non solum habet locum in hæretico relapso, sed etiam in qnocunque alio. Quia semper habet locum ius narurale arcendi à se mala.

7 Dices. Ius naturele obligat ad punienda delicta, & quòad hoc respicit bonum commune, cum intersit communitati, quod delicta puniantur. ergo hoc ius debet præualere contra ius hæretici. Resp. Ius narurale obligare ad punienda delicta eo pacto, quo puniri possunt: non tamen obligat reum, vt se puniendum exhibeat. Et ideo ius naturale non concurrit ex hoc capite cum iure naturali defensionis, quia si reus potest fuga se subtrahere punitioni, non obstante quod de iure naturali delicta sint punienda, multo magis potest non se exhibere puniendum. Sed cum iure naturalis defensionis concnrrit ius canonicum positiuum de obligando ad comparendum.

8 Dices 2. Posse comparere per procuratorem, & hoc pacto se subtrahere poenis. Resp. Obligationem, quæ debet imponi, quando absoluitur, esse de se præsentando personaliter, vt constat ex cap. *Cœterum de sent. excommunicat.* & ideo, si non potest personaliter comparere, non debet obligari, vt compareat per procuratorem; sicur non obligantur ad comparendum per procuratorem, qui habent perpetuum impedimentum.

9 Dices 3. Posse comparere solum in ordine ad forum poenitentiale. Resp. Non posse, quia cum quocunque modo compareat, cum Tribunal fori externi habeat ius ad ipsum capiendum, & puniendum, vtetur iure suo, & ipsum derinebit in ordine ad procedendum contra ipsum in foro externo.

An quando impuberes absoluuntur in articulo mortis à reseruatis sit imponendum onus comparendi coram superiore. Quæst. 217.

SVMMA

1 *Impuberes excusari à iuramento præstando, non ab iniunctione oneris comparendi, qui dicant.*

2 *Impuberibus absolutis in articulo mortis à reseruatis non est imponendum onus comparendi: num. 3.*

4 *Puberes possunt absolui absque onere comparendi, quando deliqnerunt impuberes.*

5 *Fundamenta opposita sententiæ destruuntur.*

---

1 PRima sententia tenet, quod excusentur solum à iuramento præstando de comparendo, nō autem ab iniunctione oneris comparendi. Ita Summa Pisanel. *verbo Absolutio*. Summa Astens, & Archidiacon. apud Syluestr. *verbo. Absolutio.* 4. *num.* 3. §. *Decimus septimus. ver. Quidam vero quantum ad hoc*, qui hanc eamdem sententiam tenet. Fundamentum est. Quia in cap. *Quamuis. de sent. excommun.* impuberes excipiuntur solum à præstando iuramento, cum ob defectum ætatis non sint capaces iurandi: non autem ab onere comparendi.

2 Secunda ſententia aſſerit, non eſſe impuberibus imponendum onus comparendi coram ſuperiore, ſi abſoluantur à reſeruatis in articulo mortis, Ita Panorm. in cap. *fi. de ſentent. excommunicat.* Carolus de Graſ. *de effect. cler. effectu 9. num.* 170. qui alios cit. Alter. *de cenſur. lib. 5. diſp. 22. cap. 2. dub.* 4. Tabiena verbo. *Excommunicatio 5. caſu 1. num.* 47. Sayr. *lib. 3. de cenſur. cap.* 28 *numer.* 35. Suarez *diſp. 22. de cenſur. ſect. 1. num.* 64. & 85. Duard. *lib. 3. in Bullam coenæ.* §. *2. q.* 10. *numer.* 14. Boſſius *diſcep. 1. moral. num.* 185. qui id vniuerſaliter tradunt, quando etiam extra mortis articulum abſoluuntur.

3 Et hæc ſententia omnino tenenda eſt. Quia in cap. *Quamuis. de ſent. excommunicat.* ſtatuitur, quod iis, qui impedimento temporali tenentur, iniungatur, vt ceſſante hoc impedimento adeant Apoſtolicam ſedem, & ab hoc onere iniungendo excipiuntur impuberes. ergo ipſis non eſt iniungendum, vt facti puberes adeant Apoſtolicam ſedem. Confir. Ex vi dicti text. poſſunt impuberes abſolui abſque impoſitione talis oneris. ergo nunquam ipſi ſubiicientur, quia beneficium indultum minori, ſi ſemel incipit habere locum, non extinguitur per ſuperuenientiam ætatis, vt habet Panor. cit. num. præced.

4 Et hoc habet locum, etiam ſi, quando abſoluuntur ſint facti puberes; dummodo impuberes commiſerint delictum. Quia in iudicando delicto non attenditur ad tempus iudicii, ſed ad tempus, in quo fuit commiſſum, & proinde conſideratur vt delictum perſonæ taliter qualificatæ, qualiter erat tempore delicti; vt notant Gloſ. *In l. Sicut, C. de legit, hæred.* vbi & Doctores, Duen. *Reg.* 259. Oddus *de reſtit. in integ. quæſt.* 80. *numer.* 99. Farinac. *in Praxi crim. quæſt.* 91. *numer.* 162. Graſſis *de effect. cler. effectu 9. num.* 169. alios citans. Quando ergo abſoluitur pubes à delicto commiſſo ante pubertatem, conſideratur vt delictum impuberis, atque adeo cum priuilegio de non imponendo onere adeundi Apoſtolicam Sedem.

5 Neque obſtat fundam. oppoſitæ ſent. Quia in illo tunc, vt dictum eſt *numer* 3. Impuberes excipiuntur non ſolum à præſtando iuramento, ſed etiam ab onere comparendi, vt conſtat ex verbis tex. ibi. *Quibuſdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant exceptis pueris* (nota quod excipit pueros ab eo toto, quod pro cœteris ſtatuitur) *ſub debito iuramenti, quod ſecundum Eccleſiæ formam præſtare tenentur, conſueuit iniungi, vt impedimento ceſſante ad Apoſtolicam Sedem accedant.* Ecce quomodo nedum excipit à modo, quo iniungitur acceſſus, nempe ſub iuramento, ſed etiam ab ipſo acceſſu. Et ratio eſt, quia conſideratur actus, vt proueniens à iudicio rationis minus perfecto, atque adeo ex minus perfecta deliberatione, & vt talis excipitur à regula de imponendo onere comparendi; & ideo cum exceptio non ſit ratione impedimenti perſonalis, ſed ratione qualitatis delicti, quia nunquam delictum immutatur, ſed retinet ſemper eamdem qualitatem, ideo durat etiam ſemper priuilegium de non comparendo.

An coeteris omnibus abſolutis à reſeruatis in periculo mortis, ſit imponenda obligatio adeundi Apoſtolicam Sedem. Quæſt. 218.

S V M M A.

1 *Non omnibus imponendum eſt onus comparendi.*

2 *Perpetuitas impedimenti, quænam dicenda, num. 3. & 4.*

5 *Probabilitas perpetuitatis facit probabile, quod non ſit imponendum onus comparendi.*

Ope-

5 *Operatio conformis regulis rectæ rationis est honesta.*

---

1 Non esse imponendam omnibus, sed iis solum, qui habent temporale impedimentum habetur ex Cap. *Quod de his*, & Cap. *Quamuis*. *De sentent. excom.* & Cap. *Per*, *qui de sentent. excommunicat. in 6.* &, notant communiter. Syluester verbo, *Absolutio*. 4. *num.* 3. §. *Decimus septimus*. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 9. *num.* 1. *littera* F. *in glos.* Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 19. *num.* 30. Suarez *disp.* 22. *de censur. sec.* 1. *num.* 35. Laiman *lib.* 1. *theol. mor. tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Alter, *lib.* 5. *de censur. disp.* 22. *cap.* 2. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 1. Coninch. *disp.* 14. *de censur. dub.* 16. *num.* 240. *ver. Nota* 3. Duard. *in Bullam Cœnæ*, *lib.* 3. §. 2. *quæst.* 10. *numer.* 4. Vnde absolutus in periculo mortis, ad quod deuenit ex infirmitate incurabili, vel si habeat aliud perpetuum impedimentum, non erit imponenda obligatio adeundi Apostolicam Sedem. Quia si impedimentum de præsenti excusat, cum sit perpetuum, perpetuo quoque excusabit.

2 Verum quia non semper perpetuitas impedimenti est certa, sed aliquando dubia, ideo difficultas est, quomodo in tali casu procedendum sit. Pro quo est aduertendum, quod in præsenti, dubietas non potest esse negatiua; nam eo ipso, quod non adesset motiuum iudicandi, quod futurum sit perpetuum impedimentum, non potest vllo pacto haberi pro perpetuo: solum ergo potest esse dubietas positiua, ita vt adsit mo tiuum iudicandi pro vtraque parte; nimirum, quod impedimentum sit futurum perpetuum; & quod non sit futurum perpetuum. Cum ergo dubium sit positiuum, existimo, quod stante tali dubio non sit imponenda obligatio adeundi Sedem Apostolicam.

3 Ratio autem est. Quia vel est magis probabile, quod impedimentum sit futurum perpetuum: vel æque probabile; vel minus probabile. Si est magis probabile, tunc debeo iudicare in fauorem poenitentis; quia cum impedimentum sit in possessione, itaut reddat poenitentem actu impeditum, poenitens quoque est in possessione illius iuris, quod ex impedimento consurgit, nempe vt non possit obligari vt accedat ad Romanam Sedem. Præsertim quia stante maiori probabilitate, quod impedimentum sit futurum perpetuum præponderat ratio in fauorem poenitentis, atque adeo etiam ius, ne possit obligari, cum ius oriatur ex probabilitate perpetuitatis impedimenti.

4 Si autem probabilitas sit æqualis pro vtraque parte, adhuc poenitens non debet obligari, quia cum detineatur impedimento probabiliter perpetuo, & æque probabiliter non perpetuo, cum impedimentum possideat, & consequenter poenitens sit in possessione iuris consurgentis ex impedimento, subintrat regula, quod in dubiis est melior conditio possidentis; & ideo tanquam possidens priuilegium eorum, qui habent perpetuum impedimentū non debet obligari, vt accedat ad Apostolicam Sedem.

5 Si vero perpetuitas impedimenti sit minus probabilis, quam non perpetuitas, adhuc poterit non imponi obligatio. Nam sicut certitudo perpetuitatis impedimenti facit certum, quod non sit imponenda obligatio, ita probabilitas perpetuitatis facit probabile, quod non sit imponendum. Et quamuis perpetuitas sit minus probabilis, solum sequitur, quod sit minus probabile; non autem quod non sit probabile. Cum ergo liceat sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, vt cum communissima sententia tradidi in Decis. moral. poterit quisque sequi opinionem, licet minus probabilem, quod impedimentum sit futurum perpetuum, & non imponere ob-

obligationem. In hoc enim aget iuxta regulas rectæ rationis, siquidem cum omnis opinio, eo ipso, quod est probabilis, sit conformis regulis rectæ rationis; cum probabilitas in eo consistat, quod opinio descendat à principiis vniuersalibus practicis, & sit quædam participatio ipsorum, atque adeo etiam à regulis rectæ rationis, operatio quoque, quæ est secundum talem opinionem erit conformis regulis rectæ rationis, atque adeo honesta.

An religiosis, qui à reseruatis absoluuntur in periculo mortis, sit imponenda obligatio adeundi Apostolicam Sedem.

Quæst. 219.

S V M M A.

1 *Legitime impediti excusantur ab onere adeundi Romanam Sedem.*
2 *Finis concessionis absoluendi impeditos.*
3 *Religiosis non est imponendum onus comparendi Romæ.*
4 *Religiosi possunt absolui absque hoc onere etiam extra articulum mortis.*
5 *Possunt etiam sic absolui ab alijs regularibus ratione priuilegiorum.*
6 *Casus Papales facti Episcopales vt fiunt Regularium Priuilegiorum.*
7 *Explicatur declaratio S. Congregationis.*

1 SVpponendum est. Impeditos legitimo impedimento excusari, ne adeant Romanam Sedem pro obtinenda absolutione à reseruatis quibuscunque, etiam contentis in Bulla Coenæ, vt tradunt Henriquez *lib. 6. sum. Cap. 10. num. 2. & 3.* Suarez *disp. 30. de poenit. sect. 3. num. 9.* Laiman *lib. 1. theol. mor. tract. 5. par. 2. cap. 6. num. 3.* Coninch. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 248.* Gutierez *de matrim. cap. 49. num. 8.* Couaruu. *in Cap. Alma mater par. 1. §. 11. numer 15. ver. Non oberit.* Alterius *lib. 1. de censur. cap. 6. cap. 8. ver. Sed hac exceptio, & lib. 5. disp. 22. capit. 2. quæsito 2.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. conclus. 3. ver. Quarto nota.* Nauar. *in Manuali cap. 27. numer. 88. & lib. 1. consil. 1. numer. 42. de constit.* Homobon. *par. 4. respons. moral. resp. 21. de censur.* Duard. *lib. 5. in Bullam. §. 2. quæst. 8. num. 9. & sequent.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. numer. 36. & 37.* Panorm. *in Cap. coetero num. 1. de sent. excommunicat.* Felin. *in Cap Quamuis. in fine Eodem tit.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punt. 2. num. 4.* Et desumitur ex Cap. *Ea noscitur. De sent. excommunicat.* & Cap. *Eos, qui. De sentent. excommun. in 6.* vbi Pontifex de omnibus generaliter loquitur, qui excommunicatione reseruata ligantur, & impediti sunt, ne possint ad Romanam Sedem accedere, & proinde, non debemus distinguendo restringere ad aliquod genus excommunicatorum. *l. 1. §. Generaliter. ff. de legat. præst.*

2 Et colligitur ex ipsa ratione legis finalis. Ideo enim conceditur, impeditos posse absolui, ne reseruatio, quæ inducta est in ædificationem, & beneficium animarum, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de poenitent.* fiat in destructionem. Hoc autem habet locum in quocunque casu reseruato, à quo si impediti perpetuo præsertim impedimento non possent ab alio, quàm, à Summo Pontifice absolui, reseruatio esset in destructionem, quia toto tempore vitæ priuarêtur cômunione fidelium, & participatione sacramentorum; & posset contingere, quod tempore mortis non haberét commoditatem recipiendi sacramenta, & damnarentur, quod est contra pietatem Ecclesiæ. Et proinde iuxta hanc rationem finalem extendenda est dispositio ad quoscunque casus reseruatos. *l. Illud. ff. ad leg. Aquil. & l. Illud. C. de sacrosanc. Eccles.*

3 Dicendum est, Non esse religiosis imponendum onus adeundi Sedem

dem Apostolicam, qui absoluuntur à reseruatis in articulo mortis. Desumitur ex Capit. *Monachi*, & Cap. *Cum illorum*. §. *Qui si claustrales*. *De sentent. excommunicat.* vbi licet sit sermo de excommunicatione ob violentas manus in Clericos, ratio tamen est generalis, & militat pro omni casu reseruato, vt dictum est *numer. praced.* Ratio autem est. Quia omnes impediti non tenentur durante impedimento adire Sedem Apostolicam, sed possunt ab inferiori absolui, vt dictum est *num.* 1. Religiosi autem sunt in perpetuo impedimento, ne possint ad Romanam Sedem accedere, quia inter alia impedimenta, quæ excusant ab accessu ad Romanam Sedem, est nō esse sui iuris Cap. *Mulieres. De sent. excom.* & notant inter alios Syluester ver. bo. *Absolutio*, 4. *num.* 9. *ver. Septimo vtrum*. Nauar. *Cap.* 27. *Manual. num.* 28. Sayr. *lib.* 3. *de censur. cap.* 28. *num.* 29. Suarez *disp.* 26. *de censur. sect.* 1. *num.* 86. Graffis *Effectu* 9. *Cler. numer.* 167. Bonac. *disp.* 2. *de censur. quæst.* 4. *pun.* 5. *num.* 2. *ver. Septimus*. Bellettus *in disquisit. cler. tit. de fauore cler.* §. 3. *num.* 3. Barbosa *de potest. Episc. al. leg.* 41. *num.* 29. Religiosi autem non sunt sui iuris, cum sint perpetuo sub potestate Superiorum. A quibus autem absolui possint, constabit ex mox dicendis.

4 Ex his autem colligitur. Religiosos non solum absolui posse in articulo mortis sine onere comparendi, sed etiam extra ipsum, quandocunque indigeant, cum sint impediti perpetuo impedimento. Cum autem iuxta dispositionem iuris Cap. Mulieres. Cap. *Monachi*, & alibi. *De sentent. excommunicat.* absolutio impeditorum remittatur Episcopo: Religiosi absolui poterunt à suo prælato iuxta dispositionem Pii V. *die* 21. *Iulii.* 1571. in qua concedit Regularibus Prælatis, vt in ordine ad absolutionem possint cum suis subditis, quidquid potest Episcopus cum proprijs, & ita docent Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 61. *artic.* 9. relata dicta constit. Suarez *tom.* 4. *in* 3 *par. disp.* 30. *sect.* 2. *numer.* 7. Henriquez *lib.* 7. *sum. capit.* 25 *num.* 3. *in glos. littera Q.* Marchin. *De sacram. ordin. tract.* 1. *par.* 9 *difficul.* 1. *num.* 9. Beia *pa.* 4. *casu* 37. *init.* Faustus *lib.* 3. *Thesauri Religios. quæst.* 125. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. capit.* 3. *dub.* 4. *num.* 5. Et habetur etiam ex Cap. Monachi, & Cap. Cum illorum. §. *Qui si claustrales*. *De excommun.* vbi licet tex. loquantur de excommunicatione ob violentas manus in clericos, ratio tamen est eadem pro omni censura reseruata. Et quia si sæcularium absolutio pertinet ad Episcopum, quia est ipsorum pastor, absolutio regularium pertinebit ad ipsorum Prælatum, cum sit eorundem Pastor.

5 An autem possint absolui etiam ab aliis Confessariis regularibus ratione priuilegiorum, affirmatiue respondendum est. Quia quando possunt Episcopi absoluere à casibus Romanæ Sedi reseruatis, possunt etiam Regulares iuxta ea, quæ tradunt Sanchez *lib.* 4. *in Decal. capit.* 54. *numer.* 27. Merol. *tom.* 1. *theol. moral. disp.* 1. *cap.* 2. *difficul.* 11. *num.* 540. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *de Dub. regular. q.* 13. *ver. Nota quarto*, vnde possunt absoluere à casibus à iure Episcopis reseruatis, vt notant Auersa *De sacram. poenit. quæst.* 17. *sect.* 6. Ludouic. à S. Ioan. *par.* 1. *sum.* 4 *quæst.* 9. *de sacram. poenit. art.* 4. *dub.* 3. in Append. Quia nimirum iuxta declarationem, & moderationem S. Congregat. *sub die* 26. *Nouembris* 1602. circa primum Decretum Clementis VIII. Possunt Regulares absoluere ab omnibus casibus, præter quam à contentis in Bulla coenæ, & coeteris quinque, de quibus in dicta declaratione, & ab iis, quos sibi Episcopi reseruant, manentibus quoad reliqua priuilegiis in suo robore, vt ibid. declarat. S. Congregatio. Ex quo fit, quod regulares habeant totam illam facultatem, quam habent Episcopi, præterquam quoad ea, quæ ipsi sibi reseruant, de quo etiam dixi *quæst. moral.*

moral. canon. 149. *numer.* 3.

6 Hinc autem fit, quod cum omnes casus Apostolicæ Sedi reseruati quòad impeditos fiant Episcopales, vt decernitur in Cap. Ea noscitur. *De sent. excommunicat.* & Cap. Eos qui. *De sent. excom. in* 6. & notant Felin. in Cap. *Quamuis. in fine. De sent. excom.* Abbas *in Cap. de coetera. eod. tit.* Couarru. *in Cap. Alma mater.* §. 11. *num.* 1. *ver. Non oberit.* Syluester. *verbo. Absolutio* 4. *numer.* 2. Nauar. *cap.* 23. *Manual. num.* 89. *ver. coeterum.* Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *num.* 13. Auila *par.* 2. *de censur. cap.* 2. *disp.* 1. *dub.* 6: *conclus.* 3. *ver. Primò quod.* Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 9. *num.* 7. Alter. *lib.* 1. *de censur. disp.* 6. *capit.* 8. Suarez *disp.* 30. *de poenit. sect.* 3. *& de censur. disp.* 22. *sect.* 1. Laiman *lib.* 1. *theol. mor. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 2. *num.* 4. Duard. *in Bul. coenæ, lib.* 3. §. 2. *quæst.* 8. *num.* 9. & alii. Fiunt etiam dicti casus de iurisdictione Regularium priuiligiatorum, quia ipsis solum est restricta iurisdictio quòad ipsos, quandiu manent sub reseruatione Apostolica: non autem quando ipsa relaxatur, & transeunt ad reseruationem Episcopalem à iure, vt dixi *cit. quæst.* 146. *moral. can. num.* 4.

7 Nec obstat, quod in dicta declaratione S. Congregat. habeatur, quod neque in casu necessitatis, & impedimenti possint regulares absoluere à casibus papalibus ibi recensitis; quia hoc intelligitur, quamdiu manent papales, & stant sub hac qualitate; non autem, quando amittunt hanc qualitatem, & fiunt à iure Episcopales. Cum enim aliquid prohibetur ratione alicuius qualitatis, cessante qualitate cessat prohibitio; quia quando dispositio requirit aliquam qualitatem, in qua fundetur, ea deficiente deficit dispositio. *l.* 4. §. *Toties. ff. de clam. inf.* & Capit. *Indemnitatibus.* §. *penul. de elect. in* 6. & notant Glos. *in l. Mancipia.* verbo. *Auocandum. ff. de ser. fugit.* Batt. *in l.* 1. §. *Quod autem ait. ff. Ne quid in flum. pub.* Surd. *consil.* 514. *num.* 8. *Menoch. lib.* 6. *præsump.* 15. *num.* 47. Præsertim quia cum S. Congregatio declarauerit, quod regulares possint vti priuilegiis quòad omnia, præter quàm quòad ibi expressa, remanet etiam declaratum, quod possint vti quòad reseruata Episcopis à iure.

An Nouitijs sit imponenda obligatio adeundi Sedem Apostolicam, si absoluantur in articulo mortis à reseruatis. Quæst. 220.

SVMMA.

1 *Nouitij gaudent priuilegijs professorum, numer.* 2.
3 *Nouitijs absolutis in articulo mortis est imponendum onus adeundi Romam, si discedant à Religione.*
4 *Negatiua sententia firmatur. num.* 5.
6 *Obiectionis resolutio.*
7 *Declaratio S. Congregationis quòad absoluentes Romæ, & extra Italiam.*
8 *Absoluto Nouitio in articulo mortis non est imponendum tale onus.*
9 *Quid dicendum de Superioribus, & de Generali. num.* 10.

1 Difficultas procedit ex eo, quod licet Nouitii sint sub iurisdictione Prælati Regularis, cui se voluntarie submittunt, quia tamen non est subiectio necessaria, sed dissolui potest, ideo dubitatur, an sit imponendum onus adeundi Romanam Sedem, dum à reseruatis absoluuntur, si contingat recedere à religione. Est autem supponendum, Nouitios gaudere priuilegiis professorum in ordine ad absolutionem à censuris, vt notant Syluester. *verbo Absolutio* 5. *num.* 4. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regular. quæst.* 20. *art.* 5. Miranda *tom.* 2.

Ma-

Manual. quæſt. 7. *art.* 3. Viuald. *in Candel. Tit. de abſolut. num.* 23. & 24. Io. à Cruce *lib.* 1 *de ſtatu relig. cap.* 6. *dub.* 15. *concluſ.* 4. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 24. *numer.* 5. Villalob. *par.* 1. *ſum. tract.* 16. *difficul.* 19. *num.* 4. Molfeſ. *par.* 1. *ſum. tract.* 7. *cap.* 18. *num.* 29. Peirin. *tom.* 2. *Priuileg. ad conſtit.* 2. *Iulii II.* §. 9. *numer.* 30. Hieronim. Rodriquez *in compen. quæſt. Reg. reſol.* 3. *num.* 12. Sayr. *lib.* 3. *de cenſur. cap.* 28. *num.* 14. Vecc. *in Praxi Nouit. diſp.* 6. *dub.* 15. *numer.* 5. *& ſeq.* Lezana *tom.* 1. *quæſt. reg. capit.* 24. *num.* 8. Reginal *lib.* 8. *Praxis fori poenit. num.* 58. Bonac. *diſp.* 3. *de cenſur. quæſt.* 4. *pun.* 5. *num.* 5. Boſſius, *diſcep.* 1. *moral. num.* 190. Extat enim priuilegium Clementis VII. pro Predicatoribus, & Pauli III. pro Ieſuitis, de quibus Suarez citat. in quo conceditur, quod Nouitii poſſint abſolui à quibuſcunque reſeruatis, à quibus abſolui poſſunt profeſſi. Quod etiam conceſſit Sixtus IV. Minoribus in ſua Conſtitutione *Regimini* §. 12. quæ eſt 14. huius Pontificis apud Rodriquez *in Bullario*.

2 Quod procedit etiam de iure communi, quia Nouitii veniunt nomine religioſi, vt notant communiter cum Gloſ. *in Clemen.* 1. verbo. *Religioſus. de elect.* Religioſi autem de iure communi abſoluuntur à reſeruatis Romanæ ſedi à ſuis Prælatis, vt conſtat ex dictis *quæſt. præced.* per cap. *Monachi.* & cap. *Cum illorum.* §. *Qui ſi clauſtrales. de ſent. excom.* Vnde non ſunt audiendi Tiraquel. *de retr. lign.* §. 1. Gloſ. 8. *n.* 31. Barboſa *in cap. ſi quis ſuadente nu.* 84. *quæſt.* 4. dum volunt, quod nequeant Nouitii abſolui à reſeruatis, ſicut abſoluuntur profeſſi.

3 An autem ſi abſoluantur in articulo mortis, aut etiam extra ipſum, ſit imponendum onus adeundi Romanam Sedem. Prima ſententia aſſerit eſſe imponendum, ſi contingat, quod recedant à religione. Ita Syluester verbo. *Abſolutio.* 5. *nu.* 4. ver. *Nonum.* Aſtens. *par.* 2. *lib.* 7. *tit.* 13. *ar.* 5. *quæſt.* 10. Viual. *par.* 2. *candel. Tit. de abſolut. num.* 23. Sayr. *lib.* 3. *de cenſur. cap.* 28. *num.* 15. Surdus. verbo. *Nouitius. tit. de abſol. Nouit.* ver. *Deinde.* Peirin. *tom.* 1. *Priuileg. ad conſtit.* 2. *Iulii II.* §. 9. *num.* 33. Bonac. *diſp.* 2. *de cenſur. q.* 4. *punc.* 5. *numer.* 5. Boſſius *diſcep.* 1. *moral. num.* 192. Quorum fundamentum eſt, quia abſoluuntur ob fauorem religionis, atque adeo ob temporale impedimentum: ergo ceſſante impedimento tenentur ſe præſentare Summo Pontifici.

4 Secunda vero ſententia tenet non eſſe imponendum onus comparendi. Ita ii, qui negant habere locum reincidentiam, ſi non adeant Romanam ſedem. Rodriquez *tom.* 1. *quæſt. regul. q.* 21. *ar.* 21. alter Rodriquez *in compen. quæſt. regul. reſol.* 3. *num.* 12. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 6. Portel. *in dub. regular. ver. caſus reſeruati. n.* 3?. Villalob. *par.* 1. *ſum. tract.* 16. *difficul.* 19. *num.* 4. Vecch. *in praxi Nouit. diſp.* 9. *dub.* 25. *num.* 2. & ſequent.

5 In hac difficultate hoc certum puto, quod ſi nouitii in articulo mortis, aut extra ipſum abſoluantur à ſuo Prælato, aut ab alio de prælati tamen commiſſione, non teneantur, ſi recedant à religione accedere ad Romanam ſedem. Ratio autem eſt, quia tunc non abſoluuntur tamquam impediti; ſed iure ordinario; nam abſoluuntur, vel in virtute priuilegiorum, de quibus dictum eſt *numer.* 1. in fine & proinde per facultatem ordinariam, quæ extinguit obligationem comparendi, cum iis tantum hoc onus imponatur, qui abſoluuntur facultate, quæ per accidens conuenit cap. *Eos, qui de ſent. excommunicat. in* 6. Vel in virtute facultatis, quæ conuenit Prælatis de iure communi iuxta dicta *num.* 2. quæ ſe extendit etiam ad nouitios, cum veniant nomine Religioſorum, & clauſtralium.

6 Neque recte obiicitur, quod in priuilegiis conceſſis pro tali abſolutione, nempe Clementis IV. pro Minori-

bus apud Cæsarub. verbo. *Absolutio ordinaria quoad Fratr. num.* 4. ver. *Item Clemens* Iulii II. in Bulla. *Virtute conspicuos*. apud Peirin. *tom.* 1. *priuileg. constit.* 2. *eiusd. Pontif.* statuitur reincidentia in easdem censuras; qnia Pontifices, dum ita statuunt non loquuntur quoad Nouitios, sed quoad eos, qui de proximo sunt ingressuri religionem. Cum enim concedant, quod ipsi quoque possint absolui à reseruatis, ne prætextu ingressus religionis obtineant absolutionem, statuunt, quod si non ingrediantur religionem, reincidant in easdem censuras; vnde non debet hoc extendi ad nouitios, cum de ipsis Pontifices non loquantur, & Clemens VII. & Paulus III. nihil statuant de hac reincidentia. Neque de iure communi habeat locum secundum quod etiam competit Prælatis facultas absoluendi nouitios, vt dictum est.

7 Maior difficultas est, si absoluatur ab aliquo alio confessario, & absque mandato Prælati. In quo illud certum est, quod si casus non contineatur in Bulla cœnæ, & pœnitens aut Romæ existat, aut extra Italiam, poterit absolui absque vllo onere comparendi, quia regulares virtute suorũ priuilegiorum possunt absoluere Romæ, & extra Italiam ab omnibus aliis casibus papalibus quoscunque pœnitentes iuxta declarationem S. Congregat Episcop. & Reg. approbatam ab Vrbano VIII. *die* 17. *Nouemb.* 1628.

8 Adhuc tamen puto si absoluatur à quocunque in articulo mortis, non esse ei imponendam obligationem adeundi Romanum Pontificem tanquam ei qui absoluitur cum perpetuo impedimento. Ratio autem est. Quia ea, quæ ordinantur ad finem, sequuntur naturam ipsius, & ab ipso accipiunt regulam, & mensuram, *l. Oratio ff. de sponsalibus*, censentur eiusdem naturæ, & conditionis cum fine, & ab ipso recipiunt denominationem, *l. Ex imperfecto. ff. de leg.* 3. *&* l. *sed & si quis.* §. 1. *ff. de vsufr. &* §. *Omne autem. Instit. de iure nat. gent. & ciuili*. Cum ergo Nouitiatus ordinetur ad professionem, atque adeo ad perpetuum impedimentum, ipse quoque habendus est pro impedimento perpetuo, siquidem coniungitur ex natura sua cum perpetuo, & per accidens est, quod non coniungatur. Quæ autem per accidens eueniunt, non attenduntur, quia non mutant rei substantiam, *l. Naturalem*, §. *Pauonum. ff. de acquir. rer. dom.* Præsertim quia, cum sit probabile, quod nouitius sit perseueraturus in religione, impedimentum quoque est saltem probabiliter perpetuum: vnde subintrant, quæ dicta sunt supra. Est tamen aduertendum, quod si Nouitius haberet in animo discessum à religione; tunc esset ipsi imponendum onus comparendi sub conditione, si nimirum discesserit à religione; nam tunc nouitiatus tanquam seiunctus à professione ex intentione Nouitij, non habetur pro impedimento perpetuo.

9. Ex dictis colligitur, Neque superioribus regularibus, quando absoluuntur siue in articulo mortis, siue extra ipsum à reseruatis, à quibus ipsi subditos, vel de iure communi, vel ex priuilegio possunt absoluere, esse imponendum onus se præsentandi. Quia tunc confessarius censetur electus ab ipsis cum tota illa facultate communicata, quam ipsi habent, quam possunt communicare in ordine ad seipsos absoluendos, notant communiter. Abbas *in Cap. Vniuersitatis. De sent. excommunicat.* Syluester verbo. *Excommunicatio* 5. *num.* 4. §. *Quintum.* Sayr. *lib.* 3. *de censur. cap.* 28. *num.* 24. Rodriquez *tom.* 1. *Quæst. Regul. quæst.* 20. *art.* 12. Barbosa *de potest. Episcopi alleg.* 41. *num.* 16. Bossius *discep.* 1. *mor. dub.* 19. *num.* 193. Neque enim caput debet esse deterioris conditionis, quã membra.

10 Si autem loquamur de absolutione, quæ impenditur ratione impedimenti, quæ dicta sunt Quæst. præced. in ordine ad subditos, habent lo-

cum

cum etiam in superioribus regularibus, qui alium maiorem superiorem recognoscunt; siquidem militat in ipsis eadem ratio impedimenti, cum non sint sui iuris, sed sint sub potestate alterius, & ideo poterunt absolui à quocunque confessario regulari, vel iuxta dicta quæst. præcedenti; vel quia, dum ipsum eligunt, censentur communicare totam facultatem, quam ipsi habent in ordine ad subditos, atque adeo etiam quam habent supra ipsos tanquam perpetuo impeditos, cum hæc quoque tanquam ordinaria, & de iure conueniens sit communicabilis. Quod autem spectat ad Generalem non poterit absolui tanquam impeditus, quia cum intra religionem non sit alligatus alienæ voluntati, non habet impedimentum, quod habent cæteri: vnde quando in articulo mortis absolueretur ab eo à reseruatis, à quo non posset alias de iure absolui, esset imponenda obligatio comparendi, si adsit tempus, intra quod, dum durat Generalatus, possit comparere. Hoc tamen est limitandum, vt non habeat locum, quando ex præscriptione constitutionum religionis debet in aliquo determinato loco residere, ita vt non possit inde discedere, nisi ex præscriptis causis, nam tunc est impeditus à lege, & completo Generalatu incipit impedimentum subiectionis.

An quando quis absoluitur in articulo mortis à reseruatis in virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei, aut alterius facultatis specialis sit imponendum onus comparendi. Quæst. 221.

S V M M A.

1 *Onus comparendi non debet imponi absoluto à reseruatis in articulo mortis virtute Iubilei, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius facultatis.*
2 *Quid dicendum de Hæreticis.*
3 *Attendenda est formula facultatis.*

1 Resp. Non esse imponendum, quando facultas concessa in Bulla, aut in Iubileo, aut alio modo se extendit ad illa reseruata, à quibus absoluitur. Ita Henriquez *lib. 13. sum. capit. 29. numer. 3.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 31.* Suarez *disp. 40. de poenit. sect. 3. num. 6.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. pun. 3. num. 15.* Duard. *in Bullam Coenæ lib. 3. §. 2. quæst. 10 numer. 22.* Bossius. *discep. 1. moral. dub. 14. num. 14. & alii*. Ratio est, quia tunc est onus huiusmodi iniungendum, quando quis absoluitur ab eo, à quo de iure non erat absoluendus, atque adeo qui non habet per se facultatem absoluendi, sed per accidens ratione periculi imminentis, iuxta Cap. *Eos, qui. De sentent. excommunicat. in 6.* Quando autem quis absoluitur in virtute *Bullæ* Cruciatæ, Iubilei, vel ab eo, qui habet ex priuilegio potestatem absoluendi, absoluitur ab eo, à quo de iure potest absolui, & ideo non est subiiciendus prædicto oneri, cum etiam extra periculum possit eodem modo absolui.

2 An autem id habeat locum etiam in hæreticis, negatiue respondent Sanchez, & Duard. citati. Verum hoc dependet à facultate concessa in Bulla, vel Iubileo: nam si se extendit etiam ad hæresim, certum est, quod non est imponendum onus comparendi, quia stante facultate concessa absoluuntur ab eo, à quo de iure possunt absolui. Si verò non se extendit ad hæresim, certum quoque est, quod dictum onus debet imponi, quia tunc absoluuntur, non de iure, sed ratione imminentis periculi. Hoc vnum modo aduerto: quod si conceduntur casus Bullæ Coenæ, censetur concessa

etiam hæresis externa occulta, si modo habet locum opinio illa, quod non si sublata Episcopis per Bullam coenæ facultas absoluendi ab hæresi occulta, quia tunc hæresis occulta non est illa, quæ in Bulla coenæ est reseruata, & quæ indiget speciali concessione, & expressione. Tunc enim subintrat doctrina, quod concesso casu grauiori censetur in generali facultate concessa potestas absoluendi etiam à minus grauibus, quia qui dat maius, dat etiam minus, vt notant Vgolin. *de censur. reser. sum. Pontif. par. 3. in explicat. clausula reseruat.* verbo. *Nisi in eis num. 3.* Duard. *in Bullam coena lib. 3. §. 2. q. 1. numer. 13.* Bossius *de iubileo. sect. 1. casu 7. nu. 6.* Grauior autem est reseruatio casuum, quando remanet apud solum Pontificem, quam quando communicatur Episcopis.

3 Quod si facultas non se extendat ad hæresim, sed solum ad alios casus contentos in Bulla coenæ, dubitatur, an prædictum onus sit imponendum fautoribus, & receptatoribus hæreticorum, legentibus, tenentibus, & imprimentibus libros hæresim continentes, & schismaticis. Et affirmatiuè respondendum esset iuxta doctrinam Rodriquez *in Bullam Cruciata. §. 9. num. 67.* Vega *par. 1. sum. cap. 125. casu 12.* Ledesma *par. 2. sum. tract. 1. cap. 6. in fine,* qui volunt hos quoque remanere exclusos, dum excluduntur hæretici. At oppositum tenendum est iuxta doctrinam, quam tradunt Sanchez *lib. 2. sum. cap. 12. num. 12.* Duard. *in Bul. coena. lib. 3. §. 2. quæst. 8. num. 8,* Alonsus de Leone *de iubil. par. 2. num. 44.* Bossius *de iubil. sect. 1. casu 8. n. 4.* Quia exceptio hæreticorum debet accipi in propria significatione; prædictæ autem personæ non sunt hæreticæ, cum non sentiant aliquid contra fidem sed ad summum suspectæ de hæresi. Vnde cum in foro conscientiæ attenditur veritas, & non præsumptio, hi non sunt censendi exclusi à facultate absoluendi, & ideo non erit ipsi imponendum onus, cum absoluantur ab eo à quo de iure possunt absolui.

An, quando casus non sunt summo Pontifici reseruati, sit imponendum onus comparendi coram superiore. Quæst. 222.

S V M M A.

1 *In casibus non reseruatis Papæ non est imponendum onus comparendi.*
2 *Opposita sententia stabilitur. num. 3.*
4 *Regula, quod non in omnibus censuris militet ead. ratio finalis vnde subsistat.*

1 VIdetur negatiuè respondendum, quia quando in iure agitur de imponendo hoc onere, id statuitur solum quoad casus reseruatos Summo Pontifici; nam semper dicitur quod imponitur obligatio adeundi Romanum Pontificem, aut Romanam sedem. ita in cap. *de coetero,* & in cap. *Quod de his,* & in cap. *Quamuis de sent. excommunicat.* Vnde non est hoc extendendum ad casus reseruatos prælatis inferioribus cum reseruatio tanquam odiosa restringenda sit.

2 Sed tenendum est, quod semper imponendum sit onus comparendi coram superiore, quando casus habent annexam censuram, & qui absoluit non habet aliàs facultatem absoluendi, nisi ratione imminentis periculi. Ita habetur ex cap. *Eos, qui. de sentent. excommunicat.* vbi id vniuersaliter statuitur. ibi, *Cum ad illum, à quo alias de iure fuerant absoluendi nequeant propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum. &c.* Et rursus, *Si cessante postea periculo, vel im-*

impedimento, se illi, à quo his cessantibus absolui debebant, quàm cito commodè poterunt, contempserint præsentare. Ex quibus patet, quod vniuersaliter quotiescunque aliquis absoluitur à censuris reseruatis ab eo, à quo aliàs de iure non posset absolui, est ipsi imponendum onus comparendi coram superiore, à quo de iure esset absoluendus.

4 Et ratio, seu causa finalis, quam lex ipsa assignat, nempe nè censuræ Ecclesiasticæ illudantur, habet vniuersaliter locum in omnibus censuris, quia cum omnes ferantur in medicinam, debent esse in veneratione, & timeri debent, aliàs frustrarentur suo effectu, & ideo, vt æstimentur, sicut par est, debent manuteneri in suo vigore, atque adeo quando relaxantur ab eo, à quo de iure non possunt relaxari, debet imponi prædictum onus, cum hoc sit necessarium ad ipsarum æstimationem conseruandam.

4 Vnde subintrat regula, quod cum in omnibus censuris militet eadẽ omnino ratio finalis, quæ est expressa à lege, habeat locum eadem lex, non per extensionem, sed per comprehensionem. *l. His solis. ver. Satis etiam cautè. C. de reuocan. donat.* & *l. Illud C. de sacrosanc. Eccles.* & *l. Emptor. §. Ancilla. ver. Si tamen. ff. de rei vendicat.* & notant Surd. *decis.* 276. *num.* 8. Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo. Libertis. num.* 45. *C. de reuocan. donat.* Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. §. 7. proem. num.* 105. Gutierez *lib.* 3. *pract. quæst. cap.* 17. *num.* 84. Gratian. *discept. Forens. cap.* 918. *num.* 66. Quod valet etiam si lex odiosa sit, vt tradunt Panorm. *in cap. fin. num.* 10. *de rescrip.* Imola *in cap.* 1. *de temp. ordin. in* 6. Geminian. ibid. Rolan. *consil.* 27. *num.* 48. *lib.* 1. Gomez *lib.* 1. *variar. capit.* 5. *numer.* 11. Villagut *de extens. leg. poen. tan. num.* 1. Couarun. *cap. Alma mater par.* 2. *§.* 4. *num.* 7. Euerar. *loc. à ratione legam ad extens. ipsius, ver. Debet ergo* Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 4. *numer.* 2. & alii, quos cit. *in q. canon. q.* 160. *n.* 7.

An si sacerdos non iniungat poenitenti, quod postea se præsentet superiori, teneat absolutio.

Quæst. 223.

S V M M A.

1 *Absolutio facta absque impositione oneris se præsentandi tenet.*

2 *Absolutio restricta dilatatur in articulo mortis.*

3 *Moribundus destitutus sensibus est absoluendus etiam à censuris.*

3 *Facultas absoluendi in articulo mortis est absoluta.*

1 QVia contingere potest, quod sacerdos absoluens in periculo mortis à reseruatis summo Pontifici, vel ex obliuione, vel ex ignorantia, vel etiam ex malitia non imponat onus poenitenti, vt si euaserit, se præsentet superiori pro mandato ipsius suscipiendo dubitatur an absolutio valeat. Et affirmatiue respondendum est, vt docent communiter Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 10. *num.* 11. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num.* 35. Vasquez *tra. de excommunicat. dub.* 19. Alter. *de censur. tom.* 2. *disp.* 8. *cap.* 4. Armilla verbo. *Absolutio. numer.* 50. Syluester verbo. *Absolutio* 3. *numer.* 3. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 37. D. Antonin. 3. *par. tit.* 25. *cap.* 77. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *numer.* 14.

2 Ratio autem est, Quia facultas absoluendi in tali casu non est concessa sub conditione, aut modo, quod imponatur tale onus, sed absolutè; & solum iniungitur absoluenti, quod ipsum imponat. ergo cum facultas sit independens ab obligatione imponendi

onus

onus sortietur suum effectum, licet non imponatur. Rursus Ecclesia non irritat actum, & tenet absolutio, cum habeat omnia requisita ad sui validitatem. Confir. In casu, in quo quis potest absolui ab alio quam à suo superiore, præsertim in articulo mortis cessat reseruatio, atque adeo iurisdictio absoluentis, quæ prius erat restricta, desinit esse restricta. ergo potest valide se extendere ad actum absolutionis, licet absoluens non imponat onus comparendi; quia quoad facultatem absoluendi reducitur ad illum statum iurisdictio, in quo erat ante reseruationem; & solum absoluenti superadditur obligatio imponendi onus comparendi.

3 Ex his colligitur, Esse absoluendum moribundum à censuris reseruatis, qui amisit sensus, ita vt non possit ipsi imponi onus comparendi coram superiore, vt docent Nauarr. *cap.* 27. *Manual num.* 47. Vgolin. *De censur. Papæ reser. par.* 3. *capit.* 2. §. 1. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *sum. capit.* 13. *num.* 34. Sayr. *lib.* 3. *thesauri capit.* 25. *num.* 2. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæstion.* 3. *num.* 11. ver. *Dixi, si fieri,* Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. Bossius *discep.* 1. *mor. dub.* 14. *num.* 140. & 141. Et ratio est, quia, vt dictum est facultas absoluendi est absoluta, non autem sub conditione, & modo, quod imponatur huiusmodi onus. Deinde dato, quod esset sub huiusmodi conditione, neque adhuc esset deneganda absolutio, nam solum censeretur sub conditione ista concessa, quando impleri potest, quia conditio, quando fit impossibilis, habetur pro non posita arg. *l. Obtinuit. ff. de condit. & demonstrat. & l. Conditiones contra, ff. de condit. instit.* Præsertim, quando ex interpretatiua voluntate apponentis habetur, de ipsius intentione esse, quod omnino sequatur actus, & consequatur suum effectum. Ex interpretatiua autem voluntate Ecclesiæ habetur, quod velit omnino sequi absolutionem moribundi, & proinde non intendat apponere aliquam conditionem, quæ ex eo, quod fiat impossibilis, impediat absolutionem.

An si sacerdos absoluens non imponat onus comparendi, teneatur poenitens adhuc comparere. Quæst. 224.

SVMMA.

1 *Penitens absolutus absque onere comparendi tenetur comparere.*
2 *Probabilius est non teneri.*
3 *Resoluitur obiectio, & explicantur textus*
4 *Confirmatur conclusio.*
4 *In periculo mortis cessat reseruatio ex Tridentino,*

1 Difficultas procedit ex quocunque capite proueniat, quod non imponatur siue ex obliuione, siue ex malitia, siue quia poenitens amiserit sensus, siue ex quocunque alio capite. Quod autem teneatur adhuc comparere, tradunt Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 30. Duard *in Bul. Cœna lib.* 3. §. 2. *quæst.* 10. *num.* 15. Bossius *discept.* 1. *moral. dub.* 14. *num.* 142. Quia obliuio, vel malitia, vel ignorantia non eximit poenitentem ab iis, quæ à iure præcipiuntur, Sic non eximitur ab obligatione restituendi is, cui confessarius non iniungit restitutionem.

2 At probabilius existimo non teneri comparere coram superiore. Ratio autem est, quia in iure, quando fit mentio de tali onere, non statuitur, quod poenitens compareat coram superiore, sed quod absoluens iniungat onus comparendi, vnde obligatio, quæ imponitur à iure non est de comparendo, sed de iniungendo onere comparendi, & afficit non poenitentem,

tem, sed confessarium. Ita in Cap. *De coetero. De sent. excommunicat.* ibi *Sed est illi sub iuramenti debito iniungendum, vt quàm citius opportunitatem habuerit Romanum Pontificem adeat*, & in Cap. *Quod de his* ibi. *Coeterum ab his in forma sacramenti exigi consueuit, vt reassumptis viribus, & opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria persona debeat visitare*, & Cap. *Quamuis*. Eodem tit ibi. *Coeterum quibusdam videlicet, qui temporali impedimento laborant exceptis pueris sub debito iuramenti, quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur, consueuit iniungi, vt impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant*. Cum ergo obligatio in ordine ad comparendum sit ex iure canonico, & ius canonicum non illam imponat poenitenti, sed obliget confessarium ad imponendam, dum non imponit, poenitens remanet absque vlla obligatione.

3 Contra hoc tamen obiici potest text. Cap. *Eos, qui. De sent. excommunicat. in 6.* Vbi statuitur, quod ii, qui cessante periculo, vel impedimento contempserint se præsentare iis, à quibus absolui debebant, reincidant in eamdem sententiam. Ergo cum poena imponatur ipsis poenitentibus obligatio quoque se præsentandi eos afficiet, siquidem poena imponitur tanquam transgressoribus obligationis. Resp. Hunc text. esse in consequentiam ad tex. allatos *num. præcedent.* & quod in ipso statuitur, esse in subsidium illius, quod in prædictis textibus prius statutum fuerat, vt nimirum executioni mandetur, nam habet pro fine obseruantiam prioris legis; & proinde decernit poenã reincidentiæ contra eos, qui iam obligati ad se præsentandum superiori, transcurrerint se præsentare. Vnde nihil de nouo statuit circa præsentationem, sed imponit poenam iis, qui transgressores fuerint obligationis se præsentandi. Cum ergo ex vi priorum textuum il solum teneantur se præsentare, quibus hoc à confessario iniunctum est, de ipsis totum debet accipi hic textus, atque adeo non potest ex ipso deduci aliqua obligatio se præsentandi, cum ipsam supponat, & poenam transgressoribus imponat.

4 Præterea hoc ipsum confirm. potest. Tota obligatio se præsentandi superiori oritur ex reseruatione, & ex nullo alio capite, quia si non adesset reseruatio, nulla esset huiusmodi obligatio. Ergo cum in periculo mortis cesset reseruatio, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* sicut etiam, quando adest aliquod legitimum impedimentum, vt constat *ex testib. num.* 2. allatis, cessat etiam obligatio adeundi superiorem, nam cessante causa cessat etiam effectus. *leg. Cum te, C. de pactis inter empt.* & Cap. *Magne. De voto*, & notat in specie de causa obligationis Rota *decis.* 50. *num.* 3. & 7. & *decis.* 55. *num.* 1. & *decis.* 428. *num.* 2. & *decis.* 463. *numer.* 11. *par.* 1. *Recent.* Vnde cum cesset obligatio se præsentandi ex cessatione reseruationis, non remanet poenitens obligatus, nisi à confessario hoc ipsi iniungatur.

Cui se debeat præsentare is, cui est iniunctum, vt compareat coram superiore. Quæst. 225.

SVMMA.

1 *Absolutus à reseruatis Papæ, tenetur Papæ se præsentare.*
2 *Absolutus à reseruatis cæteris superioribus coram illis debet comparere.*
3 *Sufficit quod se præsentet Poenitentiarijs.*
3 *Extra periculum mortis potest quis absolui à Poenitentiarijs.*
3 *Poenitentiarij habent facultatem imponendi mandatum.*

1 SVpponendum, est tanquam certum, quando quis est absolutus

tus à reseruatis Summo Pontifici, teneri comparere ex vi oneris sibi impositi coram ipso Summo Pontifice; ita statuitur in cap. *de coetero* ibi *Vt quàm citius opportunitatem habuerit Romanum Pontificem adeat. de sentent. excom.* vnde quando in cap. *Quod de his.* dicitur quod Romanam Ecclesiam debeat visitare, & cap. *Quamuis*, quod ad Apostolicam sedem debeat accedere Eodem tit. nomine Apostolicæ sedis, & Romanæ Ecclesiæ intelligitur Summus Pontifex, quia accessus iste est in ordine ad mandatum suscipiendum, atque adeo in ordine ad eum, qui potest mandatum imponere. Vnde non satisfaceret, qui tantum ad Romanam vrbem accederet.

2 Supponendum 2. Quod absolutus à reseruatis coeteris superioribus, ex ui oneris comparendi tenetur ipsos adire. Ita habetur ex cap. *Eos, qui. de sent. excommunicat. in 6.* vbi supponitur, quod ex vi oneris iniuncti teneatur quisque se præsentare ei, à quo de iure fuisset absoluendus; fuisset aut m absoluendus ab eo, qui sibi absolutionem reseruauit. Difficultas autem est, an sit necessarium, quod se præsentet ipsi reseruatori, an verò possit, alicui alteri se præsentare.

3 Dicendum est. Sufficere si se præsentet maiori poenitentiario, aut alicui alteri ex poenitentiarijs minoribus, qui habent facultatem absoluendi ab illo casu, pro quo se præsentat. Vnde quòad casus inferioribus prælatis reseruatos sufficiet, si se præsentet alicui ex poenitentiariis ab ipsis deputatis pro absolutione à tali casu. Ita Graffis *de Effectib. Clericat. Effectu 9. num.* 184. Bossius *discep: 1. moral. dub. 14. num.* 153. Ratio est. Quia vt habetur ex cap. *Eos, qui, de sentent. excommunicat. in 6.* tenetur solum se præsentare ei, à quo fuit de iure absoluendus. Sed à prædictis omnibus poenitentiariis potuisset de iure absolui. Ergo sufficit, si alicui ex ipsis se præsentet. Confir. Si extra periculum accedat ad hos poenitētiarios, potest de iure ab ipsis absolui. & recipere mandatum quòad omnia peragenda. Ergo cum habeant facultatem imponendi mandatum, poterunt etiam absolutos ratione periculi excipere, & ipsis mandatum imponere.

An quando censura est reseruata Episcopo, sufficiat, quod absolutus se præsentet eiusdem Vicario. Quæst. 226.

S V M M A.

1 *Præsentare quis non se debet ei, qui non possit absoluere.*
2 *Vicarius habeans speciale mandatum. potest absoluere à reseruatis.*
3 *Vicarius ratione sui officij nequit absoluere à reseruatis Episcopo.*
3 *Absolutus ratione periculi mortis, vel impedimenti non satisfacit obligationi se præsentandi sistens se Vicario.*
4 *Vt sit vnum Tribunal cum Episcopo Vicarius.*
5 *Obiectio resoluitur.*

1 Difficultas primo loco tractanda est, quando absolutio est tantum in ordine ad forum conscientiæ, atque adeo quando etiam præsentatio est solum in ordine ad ipsum. Resolutio autem pendet ex eo, an scilicet Vicarius Generalis Episcopi possit absoluere à casibus ipsi Episcopo reseruatis; nam cum præsentatio debeat esse coram eo, ad quem de iure pertinet absolutio iuxta cap. *Eos qui de sentent. excommunicat. in 6.* Si non potest absoluere, nec etiam absolutus poterit coram ipso se præsentare.

2 Certum est autem. Quod si Vicarius habeat speciale mandatum, poterit absoluere à reseruatis; & tunc absolu-

solutus ratione periculi, vel impedimenti poterit coram ipso comparere, nam ratione specialis mandati ei communicatur iurisdictio delegata, quæ sufficit iuxta Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* Et ita notant Archidiacon. *in cap.* 2. *num.* 179. *de poenit. & remis. in* 6. Hostiens. *in sum. Tit. de poenit.* §. *Cui confitendum.* ver. *Quod si Episcopus* Rebuf. *in praxi benef. Tit. forma Vicar.* Lancellot. *Instit. iur. can. Tit. de poenit. & remis.* §. *Illud etiam.* Viuius *lib.* 1. *communicat. opin.* 255. Cuchus *Instit. iur. can.* Tit. *de Episcopis num.* 191. & alii communiter, præsertim infracitandi. Vnde solum difficultas est, an id possit absque speciali mandato ratione officii.

3 Dicendum est. Non posse Vicarium absoluere ratione sui officii à casibus Episcopo reseruatis, & proinde absolutum ratione periculi, vel impedimenti non implere suam obligationem; si coram ipso se præsentet. Ita Hostiens. *in sum. Tit. de poenit. & remis.* §. *Cui confitendum.* ver. *Quod si Episcopus.* Archidiacon. *in cap.* 2. *in fine. de poenit. & remis. in* 6. Francus *in cap. licet.* ver. *Quinta limita de offic. Vicar. in* 6. Rebuf. *in pract. benef. Tit. forma Vicar.* Vgolin. *de offic. & potest. Epis. cap.* 4. §. 7. *num.* 2. *ver. Postremò.* Sbrozzius *de offic. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 19. *num.* 2. Galet. *in Margarita cas. conscien.* verbo. *Vicar. penul.* Barbosa *de potest. Epis. allegat.* 54. *numer.* 116. Merol. *tom.* 3. *theol. moral. disp.* 7. *cap.* 6. *dub.* 43. *num.* 408.

4 Ratio autem est. Quia licet Episcopi Vicarius habeat ordinariam iurisdictionem generalem in tota dioecesi, & faciat vnum tribunal cum ipso, & vna, & eadem sit iurisdictio vtriusque, attamen ex vi concessionis huius generalis facultatis, & iurisdictionis non veniunt concessa, quæ sunt speciali nota digna, vnde plura sunt de iurisdictione Episcopi, quæ ordinario iure præstare potest, quæ tamen fieri nequeunt à Vicariis. cap. *Licet*, & *c. fin. de offic. Vicar. in* 6. de quibus late Pasqualig. Barbosa cit. *alleg.* 54. *de potest. Epis.* & Merol. cit. *dub.* 43. *cap.* 6. *disp.* 7. *theol. moral.* Facultas autem absoluendi est speciali nota digna, nec venit in generali concessione; vt decernitur in cap. *Si Episcopus. de poenit. & remis.* Confir. in communicatione generalis iurisdictionis communicantur ea, quæ in generali iurisdictione fundantur; atque adeo quæ Episcopus ex generali sua potestate potest exequi, non autem quæ ipsi personali modo conueniunt, & quæ fundantur in iurisdictione specializata; cum hæc ratione specialitatis debeant speciali modo communicari. Dum autem Episcopus reseruat sibi aliquos casus, specializat facultatem absoluendi ab ipsis, & facit sibi propriam, & personalem, & speciali modo sibi conuenientem, & appropriatam; & proinde non potest communicari in generali communicatione iurisdictionis.

5 Dices Facultas absoluendi à reseruatis respicit fauorem animæ, Ergo licet in generali concessione non veniant concessa specialiter reseruata quoad forum externum, erunt tamen tanquam fauorabilia concessa, quæ pertinent ad forum poenitentiale. Resp. neg. Conseq. Quia sicut in generali communicatione iurisdictionis quoad forum externum non veniunt specialiter reseruata, ita nec in generali communicatione iurisdictionis quoad forum internum. Et licet facultas absoluendi respiciat fauorem animæ; quod tamen huic, vel illi communicetur, respicit solum fauorem illius, cui communicatur: vnde ex hoc capite est eadem ratio de iis, quæ pertinent ad forum internum, ac de iis, quæ pertinent ad externum. Rursus reseruatio est fauorabilis Ecclesiasticæ disciplinæ, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de poenit.* & ideo cum communicatio facultatis absoluendi à reseruatis minuat reseruationem, minuit etiam fauorem Ecclesiasticæ disciplinæ.

An quando abſolutus fuit excommunicatus ab Epiſcopo in foro exteriori, ſufficiat, ſi ſe præſentet eius Vicario. Quæſt. 227.

S V M M A.

1 *Excommunicatus ad Epiſcopo in foro exteriori abſolutus ſufficit quod abſente Epiſcopo ſe preſentet Vicario.*

1 *Vicarius Archiepiſtopi abſente Archiepiſcopo, habet iurisdiſtionem in ſuffraganeos.*

2 *Vicarius præſente Epiſcopo non poteſt abſoluere ab eo excommunicatum.*

2 *Abſolutus talimodo non ſatisfacit præſentando ſe Vicario præſente Epiſcòpo.*

3 *Satisfit obiectioni. num. 6.*

4 *In correctorÿs vt procedendum. num. 5.*

7 *Excommunicatus à delegoto Epiſcopi non poteſt abſolui niſi à Papa etiam mortuo delegato.*

7 *Vicarius non poteſt abſoluere excommunicatum à delegato.*

1 QVod ſufficiat, ſi ſe præſētet coram Vicario, quando Epiſcopus eſt extra diæceſim, videtur certum; nam quando Epiſcopus eſt abſens, eius etiam ſpecialis iuriſdictio refunditur in Vicarium; vnde licet Vicarius Archiepiſcopi eo præſente non poſſit exercere iuriſdictionem in Suffraganeos, poteſt tamen, quando Archiepiſcopus eſt extra prouinciam. eap. Romana. §. *Officialen. de offic. ordinar. in 6.* vbi Doctores. Abbas *in cap. Si quis contra. numer.* 29 *de foro compet.* Bertach. *de Epiſcop. par. 7. lib. 4. tit. de Vicar. Epiſ. quæſt.* 10. *num.* 8. Franc. Marc. *quæſt.* 483. *num.* 2. *par.* I. Rebuf. *in praxi benef. tit. forma Vicar. Archiepiſ. num.* 164. Cuch. *inſtit. iur. can. de conſecr. Epiſc. num.* 6. Foller. *in pract. crim. can. part.* 1. *numer.* 123. Quia nimirum non debet prouincia remanere ſine capite, quod poſſit neceſſariam iuriſdictionem exercere. Vnde defficultas eſt, an quando eſt præſnes Epiſcopus.

2 Dicendum eſt. Vicarium non poſſe præſēte Epiſcopo abſoluere excōmunicatum ab Epiſcopo, atque adeo, ſi ſit abſolutus ratione periculi non ſufficere, ſi ſe præſentet coram Vicario, ſed debet ſe præſentare coram Epiſcopo. Ita Sbrozzius *de offic. Vicar. lib.* 2. *q.* 179. *num.* 18. Merol. *tom.* 3. *theol. mor. diſp.* 7. *cap.* 6. *dub.* 47. *numer.* 423. & conſonat Federicus de Senis. *conſil.* 301 *num.* 4. quatenus vult, quod Vicarius in reuerentialibus non exerceat iuriſdictionem præſente Epiſcopo. Ratio autem eſt, quia dum Epiſcopus cauſam cognoſcit, & excommunicat, illam auocat à Vicario, & facit ſibi propriam, vt de principe cauſam cognoſcente tradunt Innocent. *in cap. Cum. M. Ferrar. de conſtit.* Ripa *num.* 197. Dec. *num.* 36. *concluſ.* 2. Calderin. *conſil.* 7. *de preben.* & communiter. Vnde reſtricta manet iuriſdictio Vicarij quòad illam cauſam; ita vt non poſſit amplius ſe ingerere, ſed geſta per ipſū ſint nulla vt notant Innocent. in cap. *Romana. de offic. ordin. in* 6. Abbas *in capit. Si quis contra numer.* 30. *in* 2. *lect. de foro compet.* Deciſ. *Tholoſ.* 480.

3 Dices: Non ſequi, quod ex eo, quod Epiſcopus ſibi auocauerit cauſam, ſublata ſit à Vicario facultas abſoluendi, nam ſublata facultate condemnandi, non tollitur facultas abſoluendi, vt tradit Gloſ. *in Clemen.* 1. verbo. *Contra eos. de hæreticis.* *quam ſequuntur.* Paulus *de Eleazar.* Cardin. & Imola *ibid.* Dec. *in l. Nemo qui condem. in fine. ff. de reg. iur.* Cagnol. *num.* 3. Iis. *in l.* 3. *num.* 9. *ff. de re iud.* Felin. *in cap. non poteſt, de ſent. & re iud.* Socin. *reg.* 2. *fallent.* 2. Coras. *in l. Solent. init. ff. de offic. Proconſul.* Alciat. *in rubr. num.* 9. *ff. de acquir. poſſes.*

4 Verum à dicta Gloſ, recedunt plu-

plures alii, qui volunt, quod sublata potestate condemnandi tollatur etiam facultas absoluendi. Ita Aucharan. *in dict. Clemen. 1. de hæret.* Stephan. Vercellen. *ibid.* Socin. *sen. in rubr. ff. de acquir. possess.* Aretin. *ibid.* Ripa *in l. 3. numer. 11. ff. de reiud.* Socin. *iun. te stans de commun. in rubr. ff. de acquir. possess.* Decius *numer. 24.* citans Roman. & Claud. de Seysel. Accedit etiam, quod quantum desumitur ex dicta Glos. per illum tex. non est vniuersaliter verum; quod sublata potestate condemnandi non sit sublata potestas absoluendi, sed solum quando sumus in correctoriis; nam cum correctio iuris tanquam odiosa vitanda sit, quantum fieri potest, si lex aufert potestatem condemnandi, quæ prius de iure conueniebat, non est dicendum, quod sit sublata potestas absoluendi, si tamen militet specialis ratio, ob quam sola potestas comdemnandi tollatur, vt in casu illius tex. nam quia Pontifex aufert ab inquisitoribus potestatem condamnandi per se solos, & vult, quod procedant simul cum Episcopo loci in remedium nimiæ seuitiæ, quam in condemnando ostendebant inquisitores, infert Glos. quod sublata potestate condemnandi, non tollitur potestas absoluendi; vnde vt hoc verum sit, debet accipi secundum dispositionem dictæ Clemen. & proinde debet militare specialis ratio, ob quam vna sola potestas, & non altera auferatur.

5 Cum ergo non simus in correctoriis, sed in auocatione causæ, neque de iure conueniat Vicario facultas absoluendi, cum pertineat ad criminalia, non venit in consequentiam ad condemnationem, vt non possit Vicarius ratione officij se ingerere in criminalibus, nisi ei specialiter committantur, cap. *Licet. de offic. Vicarii. in 6.* Nec adsit ratio, ob quam potius facultas condemnandi, quàm facultas absoluendi sit sublata, censendum est vtramque esse sublatam, vt notat etiam Menoch. *de arbitr. lib. 1. cap. 43. num. 32.* nam subintrat regula, qui non potest condemnare, nec etiam potest absoluere. *l. Nemo. ff de reg. iur.*

6 Dices: Vicarius ita facit cum Episcopo vnum auditorium, vt gesta per ipsum dicantur gesta per Episcopum, vt notat Glos. *in capit. 1. verbo. Episcopos de capel. Monach. in 6.* Ergo poterit absoluere excommunicatos ab Episcopo. Resp. Facere vnum auditorium cum Episcopo, & gesta per ipsum dici gesta per Episcopum, quando agitur de exercitio illius iurisdictionis, quæ sibi commissa est. At quando Episcopus sibi auocauit causam; cum remaneat restricta iurisdictio Vicarii, vt dictum est, non potest amplius se ingerere in illa causa; sed quicquid facit, nulliter facit, vt notat Abbas *in cap. Si quis contra. num. 21. de foro compet.*

7 Ex dictis colligitur cum Merol. *num. 426. loci citati.* Vicarium non posse absoluere excommunicatum à delegato Episcopi. *argum.* ex cap. *Sin dissi. de offic. legati.* & cap. *Pastoralis* §. *Præterea. de offic. ordinar.* vbi. Excommunicatus à delegato, non potest absolui nisi à Papa etiam mortuo delegato. Et quia Episcopus committendo vni causam in specie derogat iurisdictioni Vicarii, vt notat Abbas *in cap. Si quis contra. in 2. lect. num. 30. de foro compet.*

An quando quis in periculo mortis absoluitur à reseruatis Summo Pontifici, & posset vt impeditus absolui ab Episcopo, possit postea comparere coram Vicario Episcopi. Quæst. 228.

S V M M A.

1 *Casus Papales vt fiant Episcopales.*
2 *Absolutio ab excommunicatione potest delegari.*

3 *Affirmatiua sententia.*
4 *Negatiua sententia.*
5 *Probatur.*
6 *Confirmatur.*
7 *Resoluuntur obiectiones. num. 8.*

---

1 QVia quando quis est impeditus, ne possit adire Sedem Apostolicam pro absolutione à reseruatis, casus Papales fiunt Episcopales, cap. *Mulieres. cap. de coetero.* & cap. *de Monialibus. de sentent. excommunicat.* & cap. *Eos, qui de sentent. excommunicat. in 6.* ita vt absolutio spectet ad Episcopum, sequitur, quod si absoluantur in periculo mortis ab eo, qui aliàs extra periculum non posset absoluere, debeant, si conualuerint, præsentare se Episcopo, quia debet imponi onus, vt se præsentent ei, à quo de iure fuissent absoluendi iuxta cit. cap. *Eos, qui de sentent. excommunicat. in 6.* Quo stante dubitatur, an sufficiat, quod se præsentet eius Vicario, & resolutio dependet ex eo, an possit Vicarius ab his casibus absoluere.

2 Quod autem possit absoluere ex speciali mandato, atque adeo recipere præsentandos, non potest in dubium reuocari. Nam absolutio ab excommunicatione potest delegari cap. *fin. 26. quæst. 6.* & cap. *fin. de offic. ordinar.* & tradunt Glos. *in cap. de coetero. verbo. Licet Dioecesano. de sentent. excommunicat.* Imola *in cap. ab excommunicato. de rescriptis.* Butr. *ibid.* Abbas per illum tex. in cap. *His, quibus. num. 1. de offic. ordin.* Felin. *ibid. init.* Lancellot. *in instit. iur. can. de sentent. excommunicat. §. His autem.* & communiter. Vnde solum difficultas procedit, an id possit Vicarius ex generali commissione officii Vicariatus.

3 Prima sententia est affirmatiua. Ita Duard. *in Bul. coena lib. 3. §. 2. q. 9. num. 10.* Bonac. *disp. 1. de censur. Bul. coena quæst. 22. punc. 2. num. 24.* Bossius *discep. 1. moral. dub. 8. numer. 47.* Fundamentum est. Quia Vicarius est ordinarius in tota dioecesi, & habet eamdem iurisdictionem ordinariam, quam habet Episcopus, cum quo facit vnum tribunal. facultas autem absoluendi ab his casibus in Episcopo est ordinaria. Confir. Quando Vicarius generalis non excluditur, comprehenditur sub nomine Episcopi. Vnde Concil. Trident. *sess. 14. cap. 6. de reformat.* concedens facultatem absoluendi, & dispensandi Episcopis, exclusit Vicarium generalem, nisi specialiter deputetur. Ergo quod conceditur Episcopo non excluso Vicario, censetur concessum etiam Vicario, nam exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. Vnde in prædicto casu potuisse dispensare, & absoluere etiam Vicarios, si non fuissent exclusi tenent Gratian. *discep. forens. cap. 83. num. 12.* Gutierez *de matrim. cap. 56. num. 11.* Narbona *de appellat. à Vicar. ad Episcop. par. 1. num. 153.* Cochier *de iurisdict. ordin. in exemp. par. 1. quæst. 1. num. 10.* Riccius *decis. 13. cur. Archiepis.* Neap. *num. 8.*

4 Secunda sententia negat, posse Vicarium absoluere impeditos, quantum est ex vi officii Vicariatus, quando possunt absolui ab Episcopis. Ita Henriquez *lib. 6. sum. cap. 9. num. 7.* in Glos. *littera N. in fine.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 14.* & *de casib. Papæ reser. par. 3. cap. 2. §. 10. num. 1.* Grassis *de effec. cler. effec. 9. nu. 181. & 182.* Sbrozzius *de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 180. num. 1.*

5 Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. vnde tenendum est. Quod impeditus absolutus in periculo mortis, & obligatus ad se præsentandum Episcopo, non satisfaciat se præsentando Vicario, ex eo, quod de iure non possit absoluere impeditos adire Sedem Apostolicam. Ratio autē est, quia agitur de reseruatis Summo Pontifici, quæ licet à iure committantur Episcopo pro impeditis, sunt tamen specialiter ipsi concessa intuitu dignitatis: vdē non obstante tali concessione remanent in sua specialitate, &

& reseruatione, & ratione concessionis non fit, quod conueniant Episcoporatione suæ ordinariæ, & regularis iurisdictionis, sed ex speciali iure, & solum ex ordinaria commissione Sedis Apostolicæ: vnde concessio solum facit, quod sint personalia etiam Episcopi. In generali autem commissione officij Vicariatus non veniunt, quæ speciali modo conueniunt Episcopo cap. *Licet.* & cap. *fin. de offic. Vicar. in 6.*

6 Confir. Si Vicarius habeat mandatum speciale ad conferenda beneficia, potest ea tantum conferre, quæ iure ordinario conferre potest Episcopus; non autem se extendit ad ea, quæ potest conferre ex iure speciali concesso à Summo Pontifice, vt docent Rebuf. *in praxi Tit. forma Vicar. Archiepisc. numer.* 98. Cuch. *lib.* 2. *instit. maior. tit* 8. *numer.* 81. Merol. *tom.* 3. *theol. mor. disp.* 7. *cap.* 6. *dub.* 22. *num.* 190. Et ratio est, Quia concessio generalis comprehendit ea solum, quæ sunt eiusdem generis: non autem ea, quæ ratione suæ specialitatis pertinent ad aliud genus *l. Omnes. C. de præscrip.* & *l. Semper. ff. de regul. iur.* Cum non possit genus extendi vltra suos terminos, alioquin ampliaretur vltra seipsum. Ergo neque in concessione generali officii Vicariatus veniunt concessi casus Apostolicæ Sedi reseruati, quando ab ipsis potest Episcopus absoluere, cum pertineant ad iurisdictionem alterius generis. In Episcopo namque est iurisdictio duplicis generis, alia pure ordinaria, & regularis, quæ ipsi competit in dependenter à quacunque speciali concessione, seu commissione; & alia quæ solum conuenit ex speciali concessione, seu commissione, & consistit in quadam communicatione illius iurisdictionis, quæ est specialis Summi Pontificis. Facultas autem absoluendi imdeditos à reseruatis Romano Pontifici pertinet ad iurisdictionem posterioris generis, & ideo non communicatur in cõmunicatione iurisdictionis prioris generis.

7 Ad fundamentum oppositæ sent. resp. Falsum esse, quod Vicarius habeat totam iurisdictionem ordinariam, quam habet Episcopus, nam ex generali commissione non habet iurisdictionem quòad criminalia. Capit. *Licet. de offic. Vicar. in 6.* Nec quòad omnia, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, quorum plura non potest exercere sine speciali mandato, vt tradit; & probat Merolla *tom.* 3. *theol. mor. disp.* 7. *cap.* 6. *dub.* 14. Nec habet facultatem ad ea, quæ sapiunt liberalitatem, vt tradunt Felin. *in Cap. At si clerici. §. fin. num.* 21. *de iudic.* Cardin. *in Clemen.* 1. *de offic. Vicar.* Rebuf. *in Praxi* . Tit. *Forma vicariat. Archiepisc. num.* 44. Cuchus *lib.* 2. *Instit. can. tit.* 8. *num.* 62. & 111. Gutierez *lib.* 1. *can. quæst. capit.* 19. *numer.* 15. Calder. *consil.* 3. *de offic. Vicar.* Castrens. *consil.* 348. *num.* 1. *vol.* 1. Rolan. *consil.* 75. *num.* 20. *vol.* 3. Olasch. *decis. pedem.* 101. *num* 6. alios citans. Afflict. *Ad constit. regni. Tit. Quæ sint regal.* Sbroz. *de offic. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 84. *num.* 3. alios citans Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 40. *numer.* 12. Deinde, dato quod haberet totam iurisdictionem; haberet solum totam iurisdictionem primi generis, quæ conuenit Episcopo absque speciali concessione: non autem posterioris generis, quæ fundatur in speciali concessione, quia hæc requirit speciale mandatum, vnde Vicarius facit vnum tribunal cum Episcopo quòad iurisdictionem, quæ illi conuenit, non autem quasi habeat totam iurisdictionem.

8 Ad Confir. resp. Vicarium Generalem comprehendi sub nomine Episcopi, quando non excluditur: quando agitur de iis, quæ ipsi conueniunt ex generali commissione Vicariatus, vt notant inter alios Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 29. *num.* 16. Merol. *tom.* 3. *theol. mor. disp.* 7. *capit.* 6. *dub.* 20. *num.* 171. Quia cum veniat nomine Episcopi, quatenus habetur pro vna, & eadem persona cum ipso, vt notant

Na-

Nauar. *Consil.* 3. *num.* 1. *de maior. & obed.* Paris. *lib.* 7. *de resignat. quæst.* 24. *num.* 69. Rota *in Nouissimis. decis.* 200. *num.* 4. *par.* 1. Et non sit vna, & eadem persona, nisi in iurisdictionalibus, non potest venire nomine Episcopi, nisi quoad ea, quæ ipsi conueniunt ratione generalis commissionis officii. Vnde prius ostendendum est, quod aliqua ei conueniant ratione officii, & postea inferri, quod ea possit, quia venit nomine Episcopi. Neque ex Concil. Trident. desumi potest argumentum; nam similiter dici potest, quod quando nomine Episcopi voluit comprehendi Vicarios, id ex pressit, *vt sess.* 25. *cap.* 16. *de regular.* ibi. *Cum licentia Episcopi siue eius Vicarii.*

An absolutus à reseruatis Episcopo ratione periculi sufficiat si compareat coram Poenitentiario Cathedralis. Quæst. 229.

S V M M A.

1 *De iure potens absoluere potest excipere præsentationes.*
2 *Poenitentiario Cathedralis non sufficit, vt se sistat absolutus ratione periculi mortis.*
3 *Poenitentiarius Cathedralis non potest absoluere in tali casu.*
4 *Neque excipere presentatos ex vi seù officii & num.* 5.
5 *Quomodo attendenda consuetudo.*
6 *Obiectio resoluitur.*

1 Difficultatis resolutio pendet ex eo, an Poenitentiarius institutus iuxta formam Concilii Trident. *sess.* 34. *cap.* 8. *de reform.* habeat facultatem absoluendi à reseruatis Episcopo. ibi enim Concilium nihil habet, vnde resolutio huius difficultatis elici possit. Certum est autem, quod si ex commissione potest absoluere, potest etiam excipere præsentationes eorum, qui ratione periculi absoluti sunt, quia cum in hoc gerat vices Episcopi quoad reseruata, potest etiam exercere ea omnia, quæ concernunt reseruationem. Et ideo si de iure potest, poterit etiam de iure excipere dictas præsentationes.

2 Prima sentent. tenet quod de iure, & ratione officii possit absoluere à reseruatis Episcopo. Ita Abbas *in Cap.* 1. *in fine. ver. Quæro de offic. Archidiaconi.* Cuchus *lib.* 5. *instit. maior. lib.* 5. *tit.* 4. *num.* 224. Piasecius *in Praxi Episcopali par.* 2. *cap.* 1. *ante numer.* 16. Zerola *in Praxi de poenitent. cap.* 22. *quæst.* 5. Homobon. *de casib. reseruatis.* part. 1. Sorbus *in Compen. Priuileg. Mendic.* verbo *Absolutio ab excom. not.* 1. Antoniuc. *in Catech. Neap. cap.* 34. Sbrozzius *de offic. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 19. circa finem. Capeauil. *de casib. reser. par.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 1. *difficul.* 2. Bossius *disceb.* 1. *mor. dub.* 9. *numer.* 50. Fundamentum est. Quia Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 8. *de refor.* requirit dictas qualitates in tali Poenitentiario, nimirum vt sit annorum quadraginta, vt sit Doctor, aut saltem licentiatus in theologia, vel iure canonico, quas non requireret, nisi deberet absoluere etiam à reseruatis.

3 Secunda tamen sentent. tenet, quod ex vi officii non possit absoluere. Ita Nauar. *Consil.* 20. *in* 2. *edit. de poenit. & remis.* Vgolin. *de offic. Episcopi. cap.* 33. *num.* 3. Sayr. *decis.* 44. *de poenit. & remis.* Riccius *in Praxi aurea. Resol.* 179. in fine. Garzias *de benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 115. testans ita declarasse S. Congregat. Barbosa *de Potest. Episcopi allegat.* 55. *num.* 23. & *de canon. & dignit. cap.* 26. *numer.* 16. Gauantus *in Manuali.* verbo. *Poenitentiarius. num.* 22. & renuit Rota *in Neapolit. Poenit.* 5. *Iunii* 1637. *coram Merlino.*

4 Dicendum est. Poenitentiarum in

institutum iuxta formam Concilii Tridentini non posse absoluere ex vi officii à reseruatis Episcopo. Et proinde eum, qui tenetur se præsentare Episcopo ratione absolutionis obtentæ in periculo à censuris reseruatis, non posse se præsentare poenitentiario.

An autem Poenitentiarius possit absoluere à reseruatis ratione consuetudinis, & ex tacita concessione pendet ex facto, & proinde in qualibet Ecclesia videndum est, an adsit huiusmodi consuetudo, & tacita concessio, & secundum ipsam iudicandum. Ratio autem est. Quia reseruatio tollit ab vnoquoque iurisdictionem, & illam coarctat ad solum reseruatorem. Ergo, nisi concedatur non, poterit quisque à reseruatis absoluere. Non constat autem, quod sit concessa poenitentiario, & ideo non est in ipso admittenda, nisi constet de concessione.

5 Solum circa dictam consuetudinem aduertendum est, quod non potuit induci per actus absolutionis exercitos à poenitentiario, sed debuit induci per actus concessionis factas ab Episcopo, qui proinde debent esse tales, vt sint sufficientes ad inducendam perpetuam concessionem: atque adeo debet de ipsis constare, quod sint eo animo facti, vt inducant consuetudinem; nam ex generali regula consuetudo non inducitur, nisi actus fiant cum animo illam introducendi, & se obligandi. Quod autem per actus absolutionis non possit induci consuetudo constat, tum quia sunt actus secreti, non autem publici, quales debent esse ii, per quos consuetudo inducitur, vt tradunt Doctores *in l. de quibus. ff. de legib.* Alexan. *consil.* 132. *num.* 9. *lib.* 2. Dec. *consil.* 538. *numer.* 9. Corn. *consil.* 2.93. *num.* 7. *lib.* 1. Curt. *iun. consil.* 184. *numer.* 10. Socin. *iun. consil* 92. *num.* 18. *lib.* 4. Neuizan. *consil.* 9. *num.* 31. Redemon. *decis.* 99. *numer.* 55. Tum quia absolutio esset nulla, quando primò inciperet; & deinceps antequam esset inducta consuetudo. Actus autem nulli non possunt inducere consuetudinem, siquidem actus nullus nullum potest producere effectum. *l. Non putauit.* §. *Non quæuit. ff. de bonor possess. contr. tab.* & *l. Si aut nullum. C. de legit. hered.* & *l. Non dubium. C. de legib.*

6 Neque obstat fundam. oppositæ sent. Nam Concil. ideo requirit illas qualitates in Poenitentiario, quia de iure habet facultatem absoluendi omnes poenitentes totius diæcesis, & est veluti Parochus vniuersalis, vt notant Zech. *De repub. ecclesiast. cap.* 24. *num.* 16. Vgolin. *de potest. Episc. capit.* 33. *num.* 2. & 3. Nauar. *consil.* 20. *de poenit. in* 2. *edit.* Barbosa *de potest. Episcopi. allegat.* 55. *num.* 19. Vnde cum facile sit, quod cæteri confessarii remittant ad ipsum diuersos poenitentes in casibus intricatis, & difficilibus; requirit dictas qualitates, vt nimirum adsit in ipso debita doctrina, & experientia, pro qua requirit qualitatem ætatis.

Cuinam se debeat præsentare, qui fuit excommunicatus à delegato; Quæst. 230.

S V M M A.

1 *Absolutus ab excommunicatione delegati delegato se debet præsentare.*
2 *Quomodo possit se præsentare subdelegato.*
3 *Excommunicatus à delegato Papæ non potest se præsentare legato.*
4 *Excommunicatus ab vno delegato Episcopi quomodo possit absolui ab alio delegato.*
5 *Quid de excommunicato à Vicario Episcopi in causa delegata à Papa. num. 6.*
7 *Excommunicatus ab Episcopo, vel Vicario nequit se præsentare Archiepiscopo, vel Patriarchæ.*
8 *Excommunicatus debet se præsentare suo excommunicatori.*
9 *Exempti cui se debeant præsentare.*
10 *Excommunicatus à delegato Episcopi non po-*

potest comparere coram eo qui habet mandatum absoluendi excommunicatos ab Episcopo, vel eius Vicario.

1 PRo regula statuendum est, quod is, qui ratione periculi absoluitur ab excommunicatione lata per delegatum, debet se præsentare delegato, vel eius delegan-ti. Ratio est. Quia ab ipsis fuisset de iure absoluendus: vnde secundum determinationem cap. *Eos, qui. de sent. excommunicat. in 6.* debet coram altero ex ipsis se præsentare. Illius enim est absoluere, cuius est condemnare. *l. 3. ff. de reiud.* vbi Doctores communiter. Et proinde excommunicatus ad suum excommunicatorem remitti debet iuxta cap. *Pastoralis. §. Præterea. de offic. ordinar.* Vbi Abbas. Felin. & alii Doctores.

2 E xhis colligitur. Quod absolutus in periculo mortis à delegato, poterit se præsentare subdelegato, dummodo sit subdelegatus in illa speciali causa, & vniuersaliter in ipsa procedere possit, vt notant Lap. *in cap. Cum plures. de offic. deleg. in 6.* ibid. Felin. *in cap. Pastoralis. numer. 11. de offic. ordinar.* Nauar. *in Manuali cap. 27. num. 5.* Eo ipso enim, quod est subdelegatus habet sufficientem iurisdictionem in illa causa.

3 Secundò colligitur. Excommunicatum à delegato Summi Pontificis, non posse se præsentare coram legato, quia de iure non potuisset ab ipso absolui; neque enim legatus potest se ingerere in causa specialiter commissa per Summum Pontificem cap. *Studuisti. de offic. leg.* Sed tenebitur comparere coram ipso delegato, vel eo defuncto coram Summo Pontifice. cap. *Pastoralis. §. Præterea. de offic. ordinar.*

4 Tertio colligitur. Quod is, qui fuit excommunicatus ab vno delegato Episcopi, non poterit absolui ab alio delegato, & proinde si fuit absolutus ratione periculi, non poterit coram ipso se præsentare, licet Innocent. in cap. *prudentiam num. 14. de offic. deleg.* oppositum sentiat. Ratio est. Quia si sunt delegati in causis particularibus, non potest vnus se ingerere in causis alteri delegatis. Si verò sunt vniuersaliter delegati, cum vnus habeat præuentionem in causa, non potest alter amplius in illa se ingerere, vt contingit in causis mixti fori, in quibus datur præuentio; nam quando facta est præuentio, cum delegati comparentur tanquam æquales, non potest vnus se immiscere in causa, in qua fuit præuentus, sed excommunicatus ad suum excommunicatorem est remittendus. iuxta cap. *Pastoralis. §. Præterea de offic. ordin.*

5 Quarto colligitur. Eum, qui fuit excommunicatus à Vicario Episcopi in causa sibi delegata à Summo Pontifice, vel quocunque alio, non posse comparere coram Episcopo, cum ab ipso de iure non possit absolui dict. cap. *Pastoralis. §. Præterea de offic. ordinar.* Abbas ibid. Felin. *num. 9.* Quia tunc Vicarius non procedit in virtute iurisdictionis Episcopalis, sed in virtute alienæ, quam cum non participet Episcopus, non potest cognoscere causam suo Vicario delegatam, vt notant Ancharan. *in Clemen. 2. init. de rescrip.* Cardin. *num. 10.* Imola *num. 14.* Franc. *in cap. Dilecti. 2. quæst. de appel.* Dec. *in cap. Quoniam. num. 9.* circa *fin. de offic. deleg.*

6 Quod locum habet, etiam si delegatio sit facta Vicario sub nomine dignitatis, quia neque adhuc Episcopus potest se immiscere, vt tradunt. Cardinal. *in Clemen. 2. quæst. 9. de rescrip.* Imola *num. 14. in fine.* Ripa *in cap. Eam te. num. 46. de rescrip.* Franc. *in cap. Statutum.* ver. *Sexto aduerte. de rescrip. in 6.* Cuch. *instit. iur. can. Tit. de Vicar. Episcopi. num. 117.* Sbrozzius *de offic. Vicar. lib. 2. quæstion. 177. num. 6.* Quia licet dignitas Vicariatus fluat ab Episcopo, quando tamen Vicarius procedit, vt delegatus, non procedit per iurisdictionem, quæ fluat ab Epi-

Episcopo, sed à solo delegante, & dignitas est solum fundamentum, cui innitur delegatio, quæ tamen remanet addicta soli personæ, in qua est dignitas, & ideo non potest Episcopus se immiscere.

7 Quinto colligitur. Excommunicatum ab Episcopo, aut eius Vicario, si fuerit absolutus ratione periculi, non posse se præsentare Archiepiscopo, Partiarchæ, aut Primati, nisi forte fuerit interposita appellatio, Quia Archiepiscopus non est iudex, nisi in causa appellationis. cap. *Pastoralis. de offic. ordin.* & cap. *Per tuas. de sentent. excommunicat.* & ideo non pertinet ad ipsum de iure absolutio, seclusa appellatione, & ideo nec etiam præsentatio. Imo etiam si fuerit interposita appellatio, si Archiepiscopus cognoscat sententiam excommunicationis fuisse iustam, non potest acceptare præsentationem, sed debet remittere ad excommunicatorem, vt illius mandata recipiat Cap. *Venerabilibus.* §. *Sanè, de sent. excommunicat. in 6.* Io. Andr. ibid. Abbas *in cap. per tuas. num. 6. de sent. excommunicat.* Quod in dubio quoque de iustitia excommunicationis præstandum esse tenent Abbas citat. & *num.* 10. Lancellot. *in instit. iur. can.* Tit. *de sentent. excommunicat.* §. *Vbi verò*: & desumitur ex dicto §. *Sanè*.

8 Sextò colligitur. Excommunicatum ab homine, & absolutum ratione periculi debere se præsentare suo excommunicatori, etiam si sibi non reseruasset absolutionem, quia ad ipsum solum de iure pertinet absolutio, vt desumitur ex cap. *Pastoralis.* §. *Præterea de offic. ordin.* & notant Felin. ibid. *num.* 9. Abbas & alij ibid. Innocent. *in cap. prudent. num.* 14. *de offic. deleg.* Quia nimirum impositio mandati pertinet ad satisfactionem, quæ excommunicatori exhibenda est, & ideo ab ipso est mandatum suscipiendum. Hoc tamen locum non habet, vt notant Imola *in cap. graue de praben.* Hostiens. *in cap. excommunicamus.* 1. *de haret.* vbi Pasqualig. & alii, Couarru. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 12. *num.* 4. Nam tunc excommunicatio per sententiam generalem æquiparatur excommunicationi à iure; & ideo eodem modo in ipsa procedendum est, ac si esset à iure.

9 Septimò colligitur. Exemptos non posse se præsentare Episcopo, sed debere se præsentare Summo Pontifici, etiam in ijs casibus, in quibus potest Episcopus absoluere. Nam facultas, quæ conuenit Episcopis in ordine ad absolutionem est pro proprijs ipsorum subditis, vt desumitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. Vnde cum exempti non sint subditi, facultas Episcopi non se extendit ad ipsos. Hoc tamen debet intelligi, quando exempti non possunt aliàs sibi subditos absoluere, nam si ipsi possunt, poterunt etiam hanc facultatem alteri dare in ordine ad seipsos. Si vero excommunicatio non sit reseruata, non opus erit, quod se præsentent alicui, quia tunc solum est necessaria præsentatio, quando censura erat reseruata iuxta cap. *Eos, qui. de sentent. excommunicat. in 6.* nam solum est necessaria, quando quis absoluitur ab eo, à quo de iure non erat absoluendus, quando autem censura non est reseruata, potest de iure à quocunque absolui quoad forum consciētiæ. Si tamen necessaria esset absolutio pro foro externo, quia requiritur iurisdictio in foro externo, non poterunt absolui nisi à Summo Pontifice, aut eius delegato, quia non habent alium superiorem immediatum, qui possit super ipsos exercere iurisdictionem, & in hoc sensu accipiendi sunt Feder. de Sen. *consil.* 14. Dominic. *in cap. non solum de reg. iur. in 6.* Felin. *in cap. Pastoralis.* §. *Praterea. num.* 10. ver. *Limita hanc primam fallen. de offic. ordin.* dum dicunt, non posse absolui ab Episcopo, quia solus Papa censetur exemptorum Episcopus. *Clemen. vn. de supplem. negl. pralat.*

10 An autem qui debet comparere coram Episcopo, possit comparere coram eo, qui habet mandatum à Summo

mo Pontifice absoluendi excommunicatos ab Episcopo, vel eius Vicario, si fuerit excommunicatus à delegato Episcopi, negatiue esset respon. iuxta doctrinam Calderin, *consil.* 11. *de sent. excom.* Pauini *de potest cap. Sede vac. par.* 2. *quæstion.* 6. *in fine*, qui volunt, quod mandatum absoluendi excommunicatum ab Episcopo, vel Vicario non se extendat ad absoluendum excommunicatum à delegato Episcopi. Cuius rei ratio esse potest, quia mandatum est strictè accipiendum. *Clemen, non potest de procur.* Bellam. *decis.* 34, Rota *in Roma.cambior.* 26. *Martii* 1593 *coram Millino*, Verum cum mandatum se extendat ad ea, quæ sunt expressa, in consequentiam, dictum mandatum se extendet etiam ad excommunicatos à delegato, quia cum procedat auctoritate delegantis, censentur ab ipso excommunicati, & veniunt in consequentiam ad excommunicatos ab ipso.

An obligatio præsentandi se superiori possit aliquo modo extingui. Quæst. 231.

S V M M A.

2 *Obligatio se præsentandi Superiori, vt extinguatur, num.* 2.
3 *Hæreticus externus absolutus ratione periculi non tenetur adire Summum Pontificem sed Episcopum, aut Inquisitorem.*

1 Dicendum est, Posse extingui, si nimirum poenitens confiteatur eadem peccata cum aliquo, qui habeat facultatem absoluendi vel ex priuilegio, vel ratione iubilei, vel quocunque alio modo. Ita Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 10. *num.* 5. *in Glos. littera G.* Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *num.* 33, Bonac, *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 15, ver. *Addo.* Bossius *disiep.* 1. *mor. dub.* 14. *num.* 156.

2 Ratio autem est. Quia onus se præsentandi est in consequentiam ad absolutionem obtentam ratione periculi, & impedimenti. ergo in tantum obligat poenitentem, in quantum ipsi fauet absolutio obtenta cum dicto onere. Ergo si renunciat fauori absolutionis obtentæ, remanet liber ab onere, quod venit in consequentiam absolutionis. Sed eo ipso quod de nouo se subiicit habenti facultatem absoluendi ab iisdẽ casibus, censetur renunciare fauori absolutionis: ergo remanet liber ab onere se præsentandi. Confir. Secunda absolutio impertitur ab eo, à quo de iure potest impertiri; & proinde poenitens absoluitur ab eo, à quo de iure, & non per accidens ratione periculi, & impedimenti potest absoluere. Ergo cum hæc absolutio non sit minus efficax, quam si primo loco impertita fuisset, non habet amplius obligationẽ se præsentandi, quia absoluens potest imponere debita mandata, atque adeo supplere id, quod in priori absolutione remanebat explendum.

3 Ex dictis colligitur hæreticum externum absolutum in articulo mortis cum onere comparendi non teneri adire Summum Pontificem, sed sufficere, si compareat coram Episcopo, vel Inquisitore. Siquidem dato, quod prædicti non possent absoluere in foro conscientiæ ab excommunicatione contracta per hæresim, possunt tamen absoluere in foro externo, per Capit. *Vt officium: ver. Si verò, de hæret. in* 6. & tradunt Io. Andr. Franc. Gemin. Felin. Hostiens. & alii Doctores ibid. Zanchin, *de hæret. cap.* 34. Simanch. *cathol. instit. tit.* 3. *num.* 1. Director. inquisit. *par.* 2. *quæst.* 9. Farinac. *de hæres. quæst.* 192. §. 4. *num.* 52. Valer. *verbo Hæresis. differ.* 3. *num.* 1. *& differ.* 5. *num.* 2. Duard, *in Bullam cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 12. *num.* 1. Barbosa *de potestate Episcop.*

par.

par. 2. alleg. 40. *num.* 26 Bonac. *disp. 2. de censur. quæst.* 5. *pun.* 2. *num.* 11. Ricciul. *de person. extra grem. Eccles. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 1. & 3. Bossius *de subil. sect.* 1. *casu* 10. §. 2. *num.* 22. Homobon. *tom.* 1. *resp. moral. par.* 4. *respon.* 21. *in fine.* Sanctar. *de hæresi capit.* 5. *num.* 1. Carena *de offic. inquisit. tit.* 2. §. 26. *num.* 129. Absolutio autem facta in foro exteriori prodest etiam in foro inrori ori, vt notant Ricciul. Sanctarel. Bos. Carena, & alii. quia per hanc absolutionem tollitur excommunicatio totaliter, & absolute, non autem pro solo foro externo. Vnde poterit poenitens se præsantare inquisitori, aut Episcopo, & se dununciare tanquam hæreticum, & petere absolutionem, & Inquisitor, seu Episcopus runc poterit ipsum coram testibus extraiudicialiter absoluere iuxta constitutionem Clementis VII. quæ incipit. *Cum sicut* §. *Vobis.* vbi dat faculutatem Inquisitoribus absoluendi ab hæresi non deducta ad forum externum extraiudicialiter præmissa abiuratione.

An *quando absolutus in periculo mortis non potest postea adire summum Pontificem, teneatur se præsentare legatis, aut aliis, qui habent potestatem absoluendi.* Quæst. 232.

S V M M A

1 *Absolutus cum onere se præsentandi non potens adire Papam tenetur adire legatos, vel alios habentes potestatem.*
2 *Sententia contraria.*
3 *Probatur, & confirmatur, & num.* 4.
5 *Enodantur obiectiones, num* 6. 7. & 8.
9 *Onus impositum à confessario se præsentandi S. Pontifici, vel legato, si non potest poenitens adire Pontificem, non tenetur implere coram legato.*

1 IVxta doctrinam eorum, qui tenent, quod pro absolutione recurrendum sit ad legatos, vel alios priuilegiatos, quando recurri non potest ad summum Pontificem, vt tradunt. Nauar. *in Manuali cap.* 27. *numer.* 89. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 13. *num.* 11. Alterius *lib.* 5. *de censur. disp.* 22. *cap.* 2. *quæsito* 2. *dub.* 3. Bonacina *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 2. *num.* 4. ver. *Rursus* Filliuc. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 289. Coninch. *disp.* 14. *de censur. dub.* 16 *num.* 241. & alii, tenendum quoque esset, absolutum cum onere se præsenrandi, si non potest se præsentare Summo Pontifici, debere se præseutare eius legato, vel alteri priuilegiato. Et ita tenet expressè Alter. citat.

2 E contra tamen iuxta aliorum doctrinam, qui volunt, posse eos, qui nequeunt adire Summum Pontificem, absolut ab Episcopo, nec teneri adire legarum, vel alium priuilegiatum, vt sunt Henriquez *lib.* 6. *sum. capit.* 10. *num.* 1. Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *conclus.* 3. ver. *Quarto nota.* Layman *lib.* 1. *theol. mor. tr.* 5. *par.* 2. *cap.* 6. Duard. *num.* 6. *in Bullam coenæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 8. *num.* 56. Bossius *discep.* 1. *moral. dub.* 5. *num.* 26. & alii, tenendum est, quod non obligentur se præsentare legato, aut alteri priuilegiato, quando non possunt se præsentare Summo Pontifici.

3 Et hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Ratio autem est quia legati, & alii priuilegiati substituti sunt Romano Pontifici in ordine ad absoluendum per se primò, & in consequenriam ad imponenda mandata congrua iuxta qualitatem delicti: non autem per se primò ad imponenda mandata. Ergo quando quis est absolutus, & non debet pro absolutione

se præsentare, sed solum pro suscipiendo mandato, non tenetur adire eos, qui non sunt per se primò substituti pro imponendis mandatis. Confir. Hæc præsentatio præcipitur à iure imponi in signum reuerentiæ debitæ superiori referuanti sibi casus, & ad exhibendam ipsi debitam obedientiam violatam per præcedentem contumaciam, ergo est tantum in ordine ad eum, qui reseruauit casus, quia sicuti eius tantum auctoritas est læsa per subtractionem debitæ obedientiæ, ita etiam onus se præsentandi obligat solum ad exhibendum ipsi tantum debitum obsequium, & proinde cessat obligatio, quando non potest exhiberi.

4 Confir. 2. In iure, quando agitur de imponendo onere comparendi, fit mentio tantum de Romano Pontifice, de Romana Ecclesia, de Apostolica Sede vt in cap. *De coetero.* in capit. *Quod de his.* in cap. *Quamuis. de sent. excommunic.* non autem de delegatis, aut coeteris. Ergo onus comparendi debet iniungi solum in ordine ad Romanum Pontificem, & non in ordine ad alium; & ideo si poenitens non possit adire Summum Pontificem, non tenebitur se alteri præsentare.

5 Dices in cap. *Eos, qui. de sent. excommunicat. in 6.* habetur, quod reincidat in eamdem censuram, qui contemnit se illi præsentare, à quo de iure debebat absolui. ergo cum poterit de iure absolui etiam à legato, aut alio priuilegiato, tenebitur se illi præsentare, si non potest se præsentare Summo Pontifici. Resp. reincidere, si non se præsentet ei, à quo de iure ordinario debuisset absolui, non autem si non se præsentet ei, à quo de iure speciali potuisset absolui, quale est ius ex delegatione, aut priuilegio. Quia autem reseruatio facit propriam priuatiuè, quòad alios, facultatem absoluendi ipsi reseruanti, ideo de iure ordinario ad ipsum solum spectat absolutio, & solum respectu ipsius adest onus comparendi, cum dict. text. intelligat de eo, ad quem de iure ordinario spectat absolutio. Vnde ex hoc text. potius colligitur, quod cessat obligatio, quando non potest poenitens se præsentare coram eo, qui reseruauit sibi censuram.

6 Dices 2. In Cap. *Quamuis. De sentent. excom.* dicitur, quod adeatur legatus, quando fieri potest, & idem etiam habetur, cap. *Ea noscitur. Eodem tit.* vbi dicitur iniungendum, vt se præsentent Romano Pontifici, vel eius legato. Resp. in dicto Cap. *Quamuis* solum haberi, quod iniciens violentas manus in Clericum non possit absolui nisi à Romano Pontifice, vel eius legato extra casum impedimenti; non autem quod cessante impedimento se debeat legato præsentare.

7 Quod autem spectat ad cap. *Ea noscitur.* resp. Quod idem Pontifex Clemen. III. in cap. *Quod de his. De sent. excommunicat.* & post ipsum Gregorius IX. in cap. *Quamuis.* Eodem tit. omittunt legatos, quando declarant onus se præsentandi, & solum dicunt, se debere præsentare Summo Pontifici: vnde subintrat regula, quod cum non fecerint mentionem de legato, noluerint obligare poenitentem ad se illi præsentandum. Cap. *Inter corporalia. De translat. prælat.* & cap. *Ad audientiam. De decimis.* & notant Glos. *in cap. Ad audientiam.* verbo. *Obuentiones. De Eccles. edif.* & in cap. vn. *Ne clerici, vel monach.* Socin. iun. *consil.* 100. *num.* 12. *vol.* 1. Dec. *consil.* 122. circa fin. Gozadin. *consil.* 83. *numer.* 9. Cephal. *consil.* 144. *num.* 6. Dec. *consil.* 1. *num.* 14. Craueta *consil.* 161. *num.* 8. Alexan. *consil.* 70. & *consil.* 94. *num.* 2. Surdus *consil.* 127. *numer.* 61. Tiraquel. plura cumulans. *in l. Si vnquam*, verbo. *Libertis, num.* 30. Vnde censendum est, onus se præsentandi fuisse restrictum ad solum Summum Pontificem per dictam non expressionem, seu omissionem.

8 Et facit pro confirmatione. Quod quando Episcopus reseruat sibi aliquos casus, cessat reseruatio aliorum, etiam si sit facta per legem, vt tradunt Comi-

mitol. *lib.* 1. *Respons. moral. quæst.* 25. Homobon. *De casib. reser. capit.* 3. §. *Quorum casuum*, Floron. *De casib. reser. cap.* 4. §. 8. Lezana *in sum.* verbo. *Casus reseruati*, *num.* 5. & late ipse explicaui in *quæst. canon. quæst.* 165. *num.* 2. *& seq.* Quia dum aliquos sibi reseruat nihil exprimens de iam reseruatis, ipsos negligit, & reseruatio stat taxatiue ad expressos. Vnde etiam in præsenti casu onus se præsentandi legato censetur cessasse, cum non sit expressum, sed omissum in subsequentibus constitutionibus.

9 Ex dictis colligitur. Quod si confessarius imponeret onus se præsentandi Pontifici, vel Legato, non teneretur poenitens se præsentare legato, si non posset se præsentare Summo Pontifici. Onus enim, quod imponitur à Confessario censetur imponi, & acceptari à pęnitente secundũ dispositionem iuris, quia voluntas præsumitur talis esse, qualis de iure debet esse, vt notant Bart. *in l. Haredes mei*. §. *Cum ita*, *num.* 4. *ff. ad Trebel.* & in *l. Iurisiurandi*. §. *si liberi*, *num.* 5. *ff. de oper. lib.* Alciat. *Parad. cap.* 19. *numer.* 2. in fine. Socin. iun. *consil.* 168. *num.* 63. *vol.* 2. Socin. sen. *consil.* 51. *num.* 33. *vol.* 4. Vnde cum ius exigat tantum onus se præsentandi Summo Pontifici, habetur pro non apposito onus se præsentandi legato.

An satisfaciat oneri, qui se præsentat superiori per procuratorem. Quæst. 233.

S V M M A.

1 *Se præsentans per Procuratorem satisfacit oneri.*
2 *Non satisfacit, sed debet personaliter comparere.*
3 *Quomodo satisfiat per Procuratorem, & quando, num.* 4. *&* 5.
5 *Solutio fundamenti primæ sententiæ.*

1 QVod obligatus comparere coram superiore ob censuras reseruatas, à quibus fuit absolutus ratione periculi mortis, aut impedimenti, satisfaciat oneri, si mittat procuratorem tradunt Caiet. *in sum. verbo excommunicatio cap.* 69. ver. *Et pro secundo*. Armilla verbo. *Excommunicatio*, *num.* 59. Syluester. verbo. *Excommunicatio* 8. *quæst.* 7. Nauar. *in Manuali cap.* 27. *num.* 46. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 9. *num.* 7. Graf. *part.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 71. Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. ver. *Tertio nota*. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 13. *num.* 33. Laiman. *lib.* 1. *theol. mor. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Duard. *in Bul. coenæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 10. *num.* 30. Fundamentum huius sententiæ est. Quia in Capit. *Eos*, *qui*. *De sentent. excommunicat. in* 6. in quo continetur vltima determinatio, non imponitur obligatio comparendi personaliter, sed tantum se præsentandi, quod potest fieri per procuratorem.

2 Secunda sententia tenet, quod personaliter debeat comparere, Ita Geminian. *in cap. Eos*, *qui*, *numer.* 6. *de sent. excom.* Francus *numer.* 2. ver. *Tertio nota*, & alii Canonistæ ibidem Vgolin. *de censur. Tab.* 1. *cap.* 14. §. 5. *num.* 4. Sayr. *lib.* 2. *de censur. cap.* 16. *num.* 13. Alter, *lib.* 5. *de censur. disp.* 22. *cap.* 3. *dub.* 4. ver. *Concludendum*. Cæsar de Graffis. *decis.* 9. *num.* 13. *de rescript.*

3 In hac difficultate certum est, quod si Pontifex, vel superior inferior admittat præsentationem per procuratore, satisfacit obligationi mittendo procuratorem. Quia cum obligatio comparendi sit imposita ex mandato reseruantis, extinguitur per illam comparitionem, qua contentus est superior.

rior. Vnde solum difficultas est, an de iure sufficiat comparitio per procuratorem. Et negatiuè respondend. est, Quia licet obligatus ad comparendum simpliciter, possit comparere per procuratorem, *l. præsenti*. §. *cum autem* C. *de his, qui ad Eccles. conf.* vbi Barr. & *l. fin. C. de procur.* vbi etiam Doctores, & cap. *Cum parati*. *De appellat.* Hoc tamen solum habet locum, quando qualitas causæ non requirit personalem comparitionem, vt notant Bald. *in l. fin.* ver. *Quæritur vtrum. iuncto*, ver. *Venio ad secundam partem*. Imola in cap. *Episcopus, Dist.* 18. & desumitur ex cap. penul. *de iureiur.*

4 Modo sumus in casu, in quo qualitas causæ requirit personalem comparitionem: quia absolutus debet comparere ad suscipienda mandata, quæ veniunt in consequentiam tanquam qnid accessorium ad absolutionem. Vnde eo modo comparere debet, quo comparendum est in ordine ad absolutionem, quia cum accessorium sequatur naturam principalis, quod exigitur à principali, exigitur etiam ab accessorio, præsertim quando accessorium pertinet ad complementum actus. Absolutio autem ab excommunicatione exigit personalem comparitionem, vt tradunt Innocenrius in Cap. *Cum desideres* ver. *Absolutus*. *de sentent. excom.* Hostiens. ibidem Bald. in *Addit. ad specul.* tit. *de procurat.* ver. *per procuratorem*. Quia nimirum sumus in causa, in qua agitur de medicinali remedio; vnde sicut infirmus non potest per procuratorem se præsentare Medico, vt ab ipso curetur, ita nec ligarus censura, vt spiritualiter curetur, potest per procuratorem se præsentare medico spirituali. Quod habet locum, etiam quando agitur de suscipiendis mandatis, quia hæc quoque pertinent ad medicinam spiritualem, & superior debet recognoscere absolutum, an rectè curatus sit, & an aliquo alio remedio indigeat.

5 Hinc in Cap. *Quod de his*. *De sent. excommnnicat.* exprimitur, & declaratur, quod comparitio debeat esse personalis, ibi *Ab his in forma sacramenti exigi consueuit, vt reassumptis viribus, & opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare*. Vbi aduertendum est, quod Pontifex exprimit id, quod erat de consuetudine, & praxi, vt constat ex verbo *Consueuit*. Erat autem in praxi iniungere, quod in propria persona Romanam Ecclesiam visitarent. Vnde quando in tex. non fit mentio de comparitione personali, non debet haberi pro omisso talis modus comparendi, sed est præsumendum, quod loquantur de compatitione, quæ erat in vsu, quia non statuunt de nouo, quod debeat iniungi, quod compareant, sed solum, quod seruetur consuetudo iniungendi comparitionem, vt in Capit. *Quamuis*. *De sent. excommunicat.* & in Cap. *Eos, qui*. *De sentent. excommunicat. in 6.* Vnde ex his solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ; nam in illo text. præsupponitur, quod absolutus debeat comparere, & solum statuitur reincidentia, si nō compareat.

An qui non potest comparere personaliter, teneatur mittere procuratorem, vel Epistolam.

Quæst. 234.

SVMMA.

1 *Potest absolutus cum onere comparendi mittere procuratorem, aut scribere epistolam, sed non tenetur, & num.* 2.
2 *Explicantur textus, & num.* 3.
4 *Absolutus in articulo mortis, vt teneatur comparere.*
4 *Absolutus à confessario cum hoc onere, vt teneatur.*

---

1 QVod possit absolutus cum onere comparendi mittere procu-

curatorem, si ipse sit impeditus, nulli dubium esse debet, quia ratione impedimenti excusatur, ne teneatur personaliter comparere; solum difficultas est, an teneatur. Dicendum est. Non teneri mittere procuratorem, aut scribere epistolam. Ita Henriquez *lib. 6. cap. 9. num. 7. littera S. in Glos.* Sayr. *lib. 2. de censur. cap. 16. num. 11.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 32. in fine*. Bossius *Discep. 1. mor. dub. 17. num. 172.*

2 Ratio autem est, Quia non plus obligatur absolutus ad comparendum, quam obligetur non absolutus in ordine ad obtinendam absolutionem. Quando autem quis est impeditus, non tenetur mittere procuratorem, quamuis possit, vt tradunt communiter Nauar. *cap. 27. Manual. num.* 40. Vgolin. *de casib. Papa reser. par. 3. cap. 2. §. 4. num 1.* ver. *Item locum*, & *de censur. tab. 1. cap. 4. §. 5. num.* 13. in fine Alter. *lib. 5. de censur. disp. 22. capit. 2. quæsito* 2. ver. *Postulabit.* Henriquez *lib. 6. sum. cap. 9. num. 7. & lib. 12. capit. 3. littera I.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. conclus. 3. ver. Secundo nota*. Sanchez *lib. 2. sum. capit. 13. num.* 14. Coninch. *disp. 14. de censur. dub. 16. num.* 241. Duard. *lib. 3. in Bullam Coena. §. 2. quæst. 8. num.* 21. Barbosa *in cap. si quis suadente, num. 90. causa. 17. quæst. 4.* Bossius *discep. 1. moral. dub. 3. num.* 23. Sed potest absolui ab inferiori iuxta determinat. Cap. *de coetero*. & Cap. *Quod de his*, & Cap. *Quamuis de sent. excommunicat.*

3 Confir. Quando quis absoluitur, iuxta dictos text. solum imponitur, quod cessante impedimento compareat coram superiore, & iis, qui habent perpetuum impedimentum, nullum prorsus onus comparendi imponitur, vt expresse statuitur in dicto Cap. *Quamuis*, non autem imponitur onus comparendi per procuratorem: ergo nullo pacto adest talis obligatio, quia non plus obligatur, quàm ius exigat. Hinc in Cap. *Eos, qui. De sent. excommunicat. in 6.* solum statuitur reincidentia pro iis, qui cessante impedimento contempserint se præsentare; non autem qui contempserint mittere procuratorem.

4 Ex his colligitur, quod absolutus in articulo mortis, aut ratione impedimenti, si postquam conualuit, aut cessauit impedimentum, superueniat nouum impedimentum rationabile excusatur à comparendo. Quia est eadem ratio de primo, ac de posteriori impedimento: vnde si primum excusauit, excusabit etiam posterius. Et ideo, nisi antequam superueniret, reincidit in eamdem censuram, quia ita fuerit negligens ad se præsentandum, vt dicatur contempsisse se præsentare, nec postea reincidet, quousque post cessationem superuenientis impedimenti consurgat contumacia.

Colligitur 2. Quod si confessarius imponeret poenitenti onus comparendi per procuratorem, si non posset per seipsum, non teneretur illud acceptare, nisi imponeretur in poenitentiam, seu satisfactionem; quia cum ius commune decernat, quod impediti non teneantur se præsentare, non possunt obligari à confessario, vt compareant per procuratorem, cum à iure communi sint iam exempti, ne se præsentent. Imo dato quod absolutus acceptaret, non teneretur exequi, quia præsumeretur acceptasse, in quantum teneretur acceptare, atque adeo sub hac conditione; vnde cum non teneatur, nec etiam tenebitur exequi.

An excusetur à se præsentando, qui dedita opera procurauit impedimentum. Quæst. 235.

SVMMA.

1 *Procurans impedimentum non excusatur à se præsentando.*

Ex-

1 *Excusatur, & probatur,*
2 *Assumens laborem incompatibilem cum ieiunio, excusatur, licet peccet,*
3 *Non peccat, si labor sit licitus.*
4 *Probatur rationibus.*
5 *Lex quomodo obliget ad sui obseruantiam.*
5 *Resoluitur fundamentum opposita sententia.*

1 NEgat excusari Carolus de Graffis *de effectib. Clericat, effec, 9. num.* 180. Cuius fundamentum est, quia impedimentum procuratum, nec coram Deo excusat, nec in foro externo iuxta ea, quæ tradunt Seraphin. *de priuil. iuram. priuileg.* 4. *numer.* 110, Farinac. *in praxi crim. quæst.* 34. *num.* 81. & 88.

2 At tenendum est, quod excusetur, si non compareat, quamuis in hunc finem procurauerit impedimentum, ne compareret, vt tradit Bossius *discep.* 1. *moral. dub.* 4. *num.* 24. vbi in fine citat alios Doctores, apud quos tamen hoc non reperi. Et quod possit absolui, quamuis forte peccaret procurando impedimentum, sequitur ex iis, quæ de ieiunio tradunt Doctores, dum docent, quod assumens laborem incompatibilem cum ieiunio, non peccat non ieiuniando, sed excusatur, licet peccet assumendo laborem, ratione cuius fit impotens ad ieiunandum. Ita Nauar, *in Manuali cap.* 21. *numer.* 17. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 25. *num.* 11. Azor, *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 27. *quæst.* 9. Merolla *tom.* 2. *theol. moral. disp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 37. *num.* 436. ver. *Mihi tamen* Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 10. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *artic.* 3. ver. *Secunda propositio.* Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 5. ver. *His quadam.* & alii, quos citaui, *in praxi ieiunii decis.* 320. *num.* 2.

3 Imo quod neque peccent assumendo laborem, si aliàs sit licitus, docent Io. Sanchez *in selectis de sacramentis disp.* 54. *num.* 14. & 20. Diana *pars.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio. resol.* 52, Ghilinus *in sum.* verbo. *Ieiunium. numer.* 21. *littera M.* quos sequutus sum. citata *decis.* 320. *n.* 3. Et consonant il, qui docent, quod licet cuiq. discedere è loco, vbi ieiunium obligat, & pergere ad locum, vbi non obligat, in hunc finem, ne teneatur ieiunare. Ita Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *num.* 29, ver. *Coeterum displicet.* Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. Pontius *lib.* 1. *de matrim. cap.* 9. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 51. *num.* 110. & 113. Barilis *de lege municipali disquisit.* 2. §. *vnico. numer.* 8. & alii plures, quos citaui, & sequutus sum in dicta *praxi ieiunii. decis.* 214. *num.* 3.

4 Ratio autem est. Quia quando obligatus ad comparendum factus est impotens ratione impedimenti, quamuis in hunc finem procurauerit, reuera est impeditus, & impotens attenta dispositione iuris communis; ergo subintrat etiam eadem dispositio, quæ pro excusatis habet, quoscumq. qui vero, & iusto impedimento impediti sunt, quia vbi sumus in casu legis, cessat omnis dubitatio, vt notat Glos. *in l. Ancilla. C. de furt.* Dec. *consil.* 452. *in fin.* Craueta. *consil.* 273. *num.* 7. Surd. *consil.* 58. *num.* 3. Sesse *decis. Aragon.* 153 *num.* 25.

5 Quando vero ponit impedimentum, quod aliàs de se licite ponitur, non intendit facere contra propriam obligationem, sed se ipsum ab illa subtrahere, in quo vtitur iure proprio libertatis: neque facit aliquid illicitum. Nam lex obligat quidem ad sui obseruantiam, quandiu durat obligatio; non tamen prohibet, ne quis se subtrahat legitimè ab obligatione, quando lex est talis naturæ, vt possit desinere obligare. Sic potest quis se subtrahere per dispensationem, per mutationem status, aut alio modo; quia hoc non est aliud, quam facere cessare respectu sui obligationem legis. Neque in hoc fit aliqua fraus legi, quia tunc tantum fit fraus, quando lex durat in sua obligatione, & inuenitur aliquis modus, quo eludatur exequutio: non autem quando inuenitur modus faciens cessare obligationem ipsius.

Nec

6 Nec vrget, quod pro opposita sententia allatum est: nam tunc solum impedimentum procuratum non excusat, quando non extinguit obligationem legis, aut quando non potest procurari sine præiudicio alterius, vt si quis obligatus ad restituendum, procuraret impedimentum, ne restitueret: nam tunc peccat in causa, quia dum se reddit impotentem ad restituendum ponendo impedimentum peccat, quia lædit ius alienum, licet postea factus impotens excusetur, & in his casibus loquuntur Seraphin. & Farinac. *nu.* 1. citati. nam ille loquitur de eo, qui procurauit impedimentum, ne prosequatur appellationem; iste vero de fideiussore, qui procurauit impedimentum, ne dic statuta præsentaret reum.

An si obligatus ad se præsentandum incidat in paupertatem excusetur, ne se præsentet, Quæst. 236.

SVMMA.

1 *Obligatus ad se præsentandum incidens in paupertatem excusatur.*

2 *Paupertas excusans, & pauperes excusandi qui. num. 3. & 4.*

5 *Regula in hac materia, quæ sit.*

1 IN cap. *Quod de his*, & in capit. *Quamuis. de sentent. excommunicat.* priuilegiantur pauperes, ne pro obtinenda absolutione à reseruatis teneantur adire Sedem Apostolicam; sed possint ab Episcopo absolui. Neque huic priuilegio obstat cap. *Ea noscitur.* Eodem tit. vbi statuitur, quod siue diuites, siue pauperes mittendi sint ad Sedem Apostolicam pro obtinenda absolutione, nam constitutio cap. *Quamuis* est posterior constitutione capit. *Ea noscitur*, & ideo, quatenus opus est, ipsi derogat. Deinde quando in cap. *Ea noscitur* dicitur, quod pauperes mittendi sunt ad Sedem Apostolicam pro absolutione, non intelligitur de iis, qui absolutè, & secundum se pauperes sunt; sed de iis, qui tales sunt iu comparatione ad diuites. Nam ibi distinguitur duplex ordo, seu genus personarum, nempe Pauperum, & diuitum: vnde Pauperes sumuntur prout contradistinguuntur à diuitibus, & de vtroque genere statuitur, quod sit mittendum ad Sedem Apostolicam. Paupertas autem in hoc sensu accepta non excusat ab accessu ad Sedem Apostolicam, cum non tollat, quin possit quis commode accedere. Vnde etiam Glos. ibid. verbo. *Pauperes.* notat, quod text. loquitur de pauperibus, qui non impediuntur à paupertate. Cum ergo paupertas sit impedimentum iustum, & canonicum excusans ab accessu ad Apostolicam Sedem pro absolutione, excusabit etiam ab accessu pro suscipiendis mandatis, quia cum susceptio mandatorum contineatur in absolutione tanquam quid ipsi connexum, causa priuilegiatiua in maiori priuilegiabit etiam in minori, quod in ipso continetur. *l. Filius familias. §. Fin. ff. de donat.* & *l. Non debet. ff. de reg. iur.* & cap. *Ex parte. de decimis.*

2 Hinc autem oritur difficultas, quanta debeat esse paupertas, vt sit impedimentum excusans ab accessu ad Romanam Sedem. In quo licet attendendum sit arbitrium iudicis, aut alterius viri prudentis, vt notant Bart. & alii *in l. Si constaret. ff. soluta matrim.* Io. Andr. & alii *in cap. significantib. de offic. deleg.* Menoch. *de præsump. lib. 6. præsump.* 25. Sayr. *lib. 3. thesaur. cap.* 28. *num.* 33. Syluester verbo. *Absolutio* 4. *num.* 27. ver. *Octauus est.* Mascar. *de probat. conclus.* 1154. Tusch. *littera. P. conclus.* 160. *num.* 4. Seraphin. *de priuileg. iuram. priuileg.* 4. *numer.* 98. Quia nimirum iudicium pendet ex circumstantiis personæ, temporis, loci, longitudinis itineris &c. ex quarum col-

Pasqualig.

KKK

collectione debet formari prudens iudicium.

3 Attamen hæc regula statui potest, vt ii pro pauperibus habeantur, qui attento statu, & conditione personæ non habent congruam substentationem. Ita notant Bart. *in l. 1. num. 35. C. de sacrosanc. Eccles.* Socin. *consil. 30. in fine lib. 4.* Alexan. *consil. 91. num. 4. lib. 7.* Mascard. *de probat. conclus. 1154. num. 14.* Tusch. *littera P. conclus. 160. numer. 1.* Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 93. num. 30.* Barbosa *in l. Maritum, num. 6. ff. soluto matrimonio.* & alii relati ab Augustino Barbosa *de verbor. appellat.* verbo. *Pauper, num. 1. & seq.* Cum enim, qui non habent congruam substantationem attento statu, & conditione personæ, reuera indigeant eo, quod necessarium esset pro congrua substentatione, reuera indigentes, quia parum habent, atque adeo inter pauperes collocandi, iuxta doctrinam Archidiaconi in cap. *Quo iure. dist. 8.* Castrens *in l. Id, quod pauperibus. C. de Episcop. & Cler.*

4 Quare etiam si quis habeat redditus, vnde se substentet, si tamen non sint sufficientes ad congruam substentationem, inter pauperes erit reponendus *l. Ius alimentorum. §. 1. ff. vbi pup. educ. deb. & notant.* Salicet. *in Authen. præterea. C. vnde vir. & vx.* Bald. *consil. 30. vol. 2.* Socin, *consil. 30. vol. 4.* Craueta *consil. 199. num. 58. vol. 1.*

An qui parti satisfecit teneatur adhuc se præsentare superiori.

Quæst. 237.

S V M M A.

1 *Parti qui satisfecit, non tenetur se præsentare.*
2 *Tenetur, & probatur, num. 3. & 4.*
3 *Censura plures sunt, quæ non trahunt onus se præsentandi.*
4 *Causa finalis se præsentandi quæ.*
5 *Argumenta opposita resoluuntur.*

1 Parte concordata cessare onus se præsentandi superiori tradunt Nauar. *in Manuali capit. 26. num. 26. ver. An autem.* Henriquez *lib. 6. sum. cap. 10. num 5. & lib. 13. cap. 29. num. 3.* Sà *verbo Excommunicatio, numer. 8.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4. ver. Secundo nota.* Gambarup. *de casib. reser. cap. 2. num. 65.* qui tamen limitat, ne habeat locum, quando censura est deducta ad forum contentiosum. Prob. Finis comparendi est, vt absolutus recipiat mandatum satisfaciendi parti læsæ, ergo cum mens magis attendi debeat, quàm verba; præsertim in foro conscientiæ cap. penul. *de reg. iur. in 6. & l. In conditionibus, ff. de condit. & demonstrat*, cessabit dictum onus. 2. Absolutus in uirtute iubilei concordata parte nō tenetur amplius se præsentare superiori, Ergo nec absolutus in articulo mortis, cum & ipse non indigeat noua absolutione. 3. Quando censura est deducta ad forum externum, ideo est necessarium comparere coram superiore, vt exterior absolutio ordinetur ad publicam satisfactionem. Ergo quando non est deducta, sufficit priuata absolutio cum satisfactione partis, nec erit opus comparere, cum cesset finis, ob quem esset comparendum.

2 Secunda sententia asserit adhuc obligari ad comparendum. Ita Conarru. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 11. num. 13.* Suarez *disp. 30. de pœnit. sect. 2. num. 6.* Sanchez *lib. 2. in dual. cap. 3. num. 18. & 29.* Laiman *lib. 1. theol. moral. tract. 5. par. 2. cap. 6. numer. 4.* Duard. *lib. 3. in Bullam coenæ. §. 2. q. 10. num. 16.* Bonac. *disp. 1. de censura quæst. 3. pun. 3. num. 12.* Bossius *discep. 1. moral. dub. 16. num. 165.*

3 Hæc posterior sententia tenenda est, quam puto esse certam, & de-

su-

sumitur ex cap. *Quamuis. de sentent. excommunicat.* nam ibi statuitur, quod licet quis satisfecerit parti, non tamen possit absolui ab Episcopo, sed debeat accedere ad Romanam Sedem, nisi impedimento aliquo canonico prohibeatur, quominus possit accedere, & tunc imponendum est onus se præsentandi, si cessauerit impedimentum. Ecce ergo quomodo tale onus est imponendum etiam iis, qui parti satisfecerunt. Et ex cap. *Eos, qui. de sentent. excommunicat. in 6.* vbi de omnibus generaliter statuitur, quod reincidant in eamdem censuram, si contempserint se præsentare, & tamen non omnes debent satisfacere parti, cum plures censuræ sint, quæ secum non trahunt onus satisfaciendi alicui, cum contrahantur ex iis peccatis, quæ neminem lædunt.

4 Ratio autem est, quia causa finalis se præsentandi non est satisfactio exhibenda parti læsæ, quia supponitur, quod quando ab inferiori absoluitur, exhibeatur, cum pertineat ad restitutionem, quæ necessaria est pro qualibet absolutione, etiam si non adsit reseruatio. Sed est satisfactio exhibenda Superiori, & Ecclesiæ, contra quam contumax fuit cap. *Cum desideres. de sentent. excommunicat.* & proinde suscipere congrua mandata pro hac satisfactione. Hic autem finis non cessat ex eo, quod parti læsæ sit satisfactum. Accedit etiam, quod onus comparendi iniungitur in punitionem delicti, & in medicinam, vt nimirum homines retrahantur ab excessibus.

5 Hinc solutum manet primum argumentum oppositæ sententia, nam falsum est, vt constat ex modo dictis, quod finis comparendi sit satisfactio partis læsæ. Ad 2. neg. conseq. Nam absolutus in virtute iubilei, aut alterius priuilegii, absoluitur ab eo, qui habet per se facultatem absoluendi tanquam delegatus à reseruatore; atque adeo ab eo, qui habet facultatem dandi congrua mandata pro satisfactione exhibenda Ecclesiæ. At qui absoluitur in articulo mortis, aut ratione impedimenti, absoluitur ab eo, qui non per se, sed tantum occasionaliter habet facultatem absoluendi; nec habet facultatem imponendi congrua mandata, cum hoc in iure sit reseruatum superiori. Ad 3. Quando censura est deducta ad forum externum, non solum esse necessarium comparere coram superiore pro publica satisfactione, sed etiam pro recipiendo mandato de satisfactione exhibenda Ecclesiæ, & purganda contumacia, quod habet locum etiam parte concordata, licet censura non sit deducta ad forum contentiosum.

An si impedimentum perpetuum miraculose cesset teneatur absolutus se præsentare, Quæst. 238.

S V M M A.

1 *Impedimento perpetuo miraculosè cessante non tenetur absolutus se præsentare. numer. 2.*
3 *Etiam si exactum fuisset iuramentum. n u mer. 4.*
4 *Obligatio non se extendit vltra spharam actus.*

1 QVia in iure statuitur, quod stante impedimento perpetuo possit Episcopus absoluere, vt in cap. *de coetero.* in cap. *quod de his*, & in cap. *Quamuis. de sentent. excommunicat.* ideo dubitatur, an si tale impedimentum miraculose cesset, teneatur absolutus se præsentare. Dicendum est autem nō teneri se præsentare. Ita Panorm. *in cap. ea noscitur. de sent. excommunicat.* Syluester verbo. *Absolutio 4. num. 3.* Facundez *precep. 2. Eccles. lib. 7. cap. 1. num. 17.* Suarez

disp. 7. *de censur. sect.* 8. *num.* 3. Bonac. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 11. ver. *Addo poenitentem*. Vnde qui haberet infirmitatem incurabilem, si miraculosè curaretur, non teneretur se præsentare.

2 Ratio autem est. Quia in iure præsertim in cap. *Quamuis. de sententia excommunicat.* habetur, quod habentibus perpetuum impedimentum non est imponendum onus comparendi, sed tantum habentibus temporale impedimentum. ergo quando perpetuum impedimentum miraculosè tollitur, non adest obligatio se præsentandi. Conseq. prob. Quia talis obligatio consurgit à iure mediante ministerio absoluentis, à quo imponitur, ergo non consurgit, nisi in iis, ad quos lex se extendit: non se extendit autem ad habentes perpetuum impedimentum; imo illos excludit. Vnde cum reuera impedimentum perpetuum fuerit, licet miraculosè tollatur, non continentur sub dispositione legis.

3 Ex his colligitur, vt notant etiam Suarez, & Bonacina *num.* 1. citati, Quod licet laboranti perpetuo impedimento impositum fuisset, quod eo cessante, se deberet præsentare, & ab ipso circa hoc exactum fuisset iuramentum, neque adhuc miraculosè cessante, teneretur se præsentare. Tum quia non censeretur onus impositum sub conditione cessationis miraculosæ, sed sub conditione cessationis naturalis, quia forte absoluens dubitaret, an impedimentum esset perpetuum, & ideo sub conditione cessationis imponeret. Tum quia tale onus censetur impositum, & acceptatum quatenus ius exigit imponi, & acceptari, ita vt vltra mensuram iuris non teneat impositio; vnde cum ius non exigat imponi, nisi quatenus impedimentum est temporale, non habet vim impositio, si reperiat impedimentum perpetuum; & ideo cum tunc primò non liget, neque etiam ligat postea, si impedimentum de se perpetuum miraculosè cesset.

4 Neque obstat iuramentum, quia semper intelligitur secundum naturam actus, super quo interponitur *l. fin. C. de non num. pecun.* vbi Bart. & coeteri Doctores Aret. *in l. Si seruus communis. de vulg. & pupil. substit.* Bolognet. *in l. Quod te. num.* 61. *ff. si cer. pet.* Roman. *consil.* 279. Gozadin. *consil* 57 init. Seraphin. *de priuil. iuram. priuil.* 148. *num.* 4. Et ideo non censetur obligare, nisi quatenus actus obligat, quia cum interponatur pro confirmatione ipsius, non extendit suam obligationem vltra spheram actus. Vnde cum in præsenti impositio oneris, & acceptatio fit secundum terminos iuris, iuramentum quoque interpositum pro obseruantia non obligabit vltra terminos iuris.

An absolutus in periculo mortis, postquam euasit teneatur statim se præsentare. Quæst. 239.

S V M M A.

1 *Absolutus in articulo mortis, postquam euasit periculum mortis, tenetur statim se præsentare.*
1 *Celeritas & commoditas debent coniungi in exequutione.*
2 *Ly statim quomodo intelligendum.*
3 *Remitti debet conscientiæ absoluti, cui credendum est in foro interno, & in foro exteriori arbitrio prudentis viri.*
4 *Commoditas quomodo intelligenda. n.* 5.

1 HOc quoque determinatum est in iure; nam in cap. *de coetero, de sentent. excommunicat.* dicitur, vt se debeat præsentare *quàm citius opportunitatem habuerit.* & in cap. *Quod de his*, Eodem tit. *vt opportunitate concessa*. & in cap. *Eos, qui. de sent. excommunicat. in* 6. vbi statuitur re-

reincidentia in eamdem censuram contra eos, qui contempserint se præsentare, quàm citò commode poterunt. Ex quibus constat, quod duo debent coniungi, vt quis exequatur, sicut debet onus iniunctum; nempe celeritas, & commoditas. Difficultas est tamen, quantum tempus debeat concedi, postquam quis factus est potens ad accedendum ad superiorem, in quo non contraueniat obligationi.

2 Esse autem concedendum aliquod modicum tempus docent Glos. *in Clemen. siquis.* verbo. *Quàm citò. de poen.* Hostiens. *in cap. de coetera de sent. excommunicat.* Syluester. verbo. *Excommunicatio 8. quæst. 3.* Nauar. *in Manuali cap. 27. numer. 113.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* Graf. *par. 1. decis. lib. 1. cap. 13 n. 68.* Alterius *de censur. lib. 5. disp. 22. capit. 2. dub. 4. ver. Glosa.* Duard. *in Bullam coena lib. 3. §. 2. quæst. 3. nu. 2.* Aequum est enim, cum simus in iis, quæ absque incommodo dilationem patiuntur, & in quibus ius concedit opportunitatem, & commoditatem, quod concedatur aliquod tempus, cum hoc in nullius præiudicium vergat.

3 Sed adhuc dubium remanet, quantum debeat esse hoc modicum tempus. In qua difficultate quòad forum conscientiæ asserunt id relinquẽdum conscientiæ absoluti, circa quod est ipsi credendum, asserunt Nauar. Alter. Auila Duar. locis citatis numer. præced. Valer. *in deffer. vtriusq. fori.* verbo. *Absolutio differentia 9.* In foro autem exteriori volunt iidem Doctores, quod res definienda sit arbitrio iudicis habita ratione circumstantiarum loci, temporis, personæ, ætatis. &c. Quod etiam sequitur Bossius, *discep. 1. moral. dub. 14. num. 146.*

4 Ex tex. tamen mihi videtur aliquid magis certum posse definiri, nam dicitur, quod *quàm citius opportunitatem habuerit; & Quàm citò commodè.* Ex quo fit, quod requiratur commoditas, & opportunitas se præsentandi, & ipsa stante debeat quam cito id exequi. Vt autem adsit commoditas, per quam dicatur se posse commode præsentare, necesse est, vt hoc fieri possit sine ipsius incommodo, atque adeo sine difficultate, nam id dicitur commodè fieri, quod fit sine incommodo vt explicatur *in l. Nepos Proculo. ff. de verbor. significat.* Vnde si adsit aliqua rationabilis difficultas obstans præsentationi, aut si non posset se præsentare, nisi subiret aliquod damnum, aut incommodum, circa famam, circa bona, circa negotia, aut circa quodcunque aliud, quod ad se, vel suos spectat, non erit transgressor obligationis.

5 Stante autem commoditate quàm cito comparendum est, hoc est sine mora; quæ quidem mora accipitur cum latitudine, quia sumus in negotio morali, quod mensurandum est, non secundum regulas mathematicas, sed secundum regulas prudentis iudicii. Tunc autem dicetur quam citò se præsentare, si non nectat moras, sed quamprimum exequatur suam obligationem; quod præstabit, si intra duos, vel tres menses opportunitate, & commoditate concessa iter aggrediatur. Nam dictio *Quàmprimum* admittit spatium trium mensium in magnis, & duorum in paruis, vt *in l. In fraudem. §. Fiscalibus. ff. de iure fisci*, & notat Albericus in suo Dictior. verbo *Quamprimum.* Speculat. *de alleg. & disp. §. Post hoc autem. num. 9. in fine.* Barbosa *dict. 302.* Modo autem sumus in magnis, quia agitur de negotio, quod non ita facile exequutioni mandari potest.

An

An si non se præsentet, quàm citò potest, habita opportunitate, reincidat in eamdem censuram. Quæst. 240.

SVMMA.

1 *Potens, et non citò se præsentans reincidit in excommunicationem.*
1 *Quid requiratur ad incurrendam excommunicationem.*
2 *Negatiua sententia firmatur.*
2 *Contumacia quotuplex.*
3 *Differens se præsentare, & estimatus communiter nolle se præsentare habetur in foro exteriori, vt contumax.*

1 PRo resolutione difficultatis est supponendum, vt docent Henriquez *lib. 13. sum. cap. 29. numer. 3. littera V. in Glos.* Nauar. *in Manuali cap. 27. num. 113*, Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 14.* vêr. *Potis.* Bonac, *disp. 1. de censur. q. 3. pun. 3. num. 16.* Alter, *lib. 4. de censur. disp. 1. cap. 5. in fine.* Coninch, *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 216.* Reginal. *lib. 1. praxis fori poenit. num. 56* Bossius *discep. 1. mor. dub. 14. num. 151.* Absolutum non reincidere in eamdem censuram, si non se præsentet, quàm cito commode potest, nisi interueniat nouum peccatum mortale. Nam ad incurrendam excommunicationem, aut aliam grauem censuram requiritur peccatum mortale, vt communiter docent in materia de censuris, & ideo, vt absolutus reincidat, requiritur tale peccatum, quia per absolutionem non est solum suspensa censura ad aliquem effectum obtinendum, sed est totaliter sublata, & ideo, vt de nouo contrahatur, requiritur sufficiens fundamentum. Quod desumitur etiam ex cap. *Eos, qui. de sentent. excommunic. in 6.* dum requiritur contemptus, vt absolutus reincidat. ibi *Contempserint præsentare*, Vnde difficultas est an hoc contingat, si non se præsentet statim, ac quàm citò commodè potest.

2 Resp. Non statim incurrere, si habeat animum paratum ad adimplendam obligationem, licet de die in diē differat. Ratio autem est, quia ad contrahendam excommunicationem non solum requiritur peccatum mortale, sed etiam contumacia cap. *Nemo Episcopum. 11. quæst. 3.* Quod etiam constat in præsenti casu, nam requirit, vt reincidat, quod contemnat se præsentare cap. *Eos, qui. de sentent. excommunicat. in 6.* Non est autem contumax, quandiu habet animum paratum obediendi, & se præsentandi, nam contumacia, & contemptus dicit contrariam deliberationem voluntatis.

3 Quia tamen contumacia est duplex, nempe formalis, & præsumpta, vt desumitur ex cap. *Solet.* & ex capit. *Venerabilibus* §. *Porro. de sent. excommunica. in 6.* & cap. *Ex parte 1. de verbor. significat.* ideo, licet, dum non habet voluntatem contrariam, excusetur à contumacia formali, atque adeo in foro conscientiæ; non tamen excusabitur statim à contumacia præsumpta, & in foro externo. Nam si ita differat se præsentare, vt in communi æstimatione censeatur, aut secundum prudens iudicium, nolle se præsentare, habebitur in foro externo pro contumaci, & poterit citari, & declarari, quod in eamdem censuram reinciderit iuxta dictum cap, *Venerabilibus*. eodem. §. *Porro.* & ea quæ ibid. tradunt Doctores, & *in Clemen. si ante. de dolo, & contum*, vbi Gulliel. de monte Laud, *n. 1.* Benedict. Capra. *numer. 11. & seq.* Paulus de Eleazar. *in rubr. de dolo, & contum, num. 9.* Srephan. Costa *in cap. Venerabilibus.* §. *Porro. num. 3. de sent. excommunicat. in 6.*

An

An in foro externo credendum sit absoluto, quod non fuerit contumax in se præsentando. Quæst. 241.

S V M M A.

1 *In foro externo non est credendum absoluto quòad contumaciam.*
2 *Affirmatiuæ sententia tenetur.*
3 *Leues suspiciones, vt purganda in hoc casu, num. 4.*
5 *Obiectio enodatur.*
5 *Quòad contumaciam præsumendam terminus debet esse certus, & determinatus.*

1 NOn esse credendum in foro externo absoluto asserenti, se præsentasse quàm citò commodè potuit, nec se fuisse contumacem, alioquin falsis excusationibus posset canones sacros eludere, tradunt Caiet. *in sum.* verbo. *Excommunicatio. cap* 69. Alterius *lib.* 5. *de censur. disp.* 22. *cap.* 2. *dub.* 4. Duard, *lib.* 2. *in Bullam cœna.* §. 2. *quæst.* 3. *num.* 9. Bossius *discep.* 1. *moral. dub.* 14. *num.* 147.

2 Hæc tamen doctrina mihi probari non potest. Quia reus stat in possessione propriæ innocentiæ, à qua deiici non potest, nisi per propriam confessionem, aut per probationes in contrarium sufficientes. Vnde si non adsint tales præsumptiones, quæ sufficientes sint, vt possit condemnari, standum erit eiusdem dicto, quod citius non potuerit commodè se præsentare, & quod minimè contumax fuerit, cum non adsit sufficiens fundamentum, cur respuatur.

3 Immò si adessent leues suspiciones, aut aliquæ præsumptiones, quæ non sufficerent ad condemnandum, potest purgari iuramento *l. Furti.* §. *Qui iussu. ff. de iis, qui notan. infam.* & Authent. *Nouo iure* ver. *Sed si datum. C. de pœna iudi qui malè iud.* & notant Glos. *in l.* 1. *C. de sicar.* Castrens. *in l. præsenti* in fine *C. de his, qui ad Eccles. confug.* Ias. *in l.* 3. *ff. de iureiuran* Bart. *consil.* 104. in fine. Et hoc pacto euacuari dolus, qui posset præsumi, vt tradit Celsus Burg. *lib.* 4. *de Dolo. cap.* 8. *num.* 41.

4 Accedit etiam, quod si absolutus reuera contumax fuisset, reincidisset quòad forum conscientiæ in eandem censuram, quia reincidentia est ipso facto imposita: & proinde ne dum deberet suscipere mandata superioris, sed etiam indigeret noua absolutione pro reincidentia. Non est autem verisimile, quod dum est promptus ad suscipienda mandata, velit esse contumax quòad censuram contractam per reincidentiam. Et cum simus in iis, quæ pertinent ad conscientiam, si adhibeatur iuramentum, plenè probabitur, quod non adfuerit contumacia iuxta ea, quæ tradunt Glos. in Capit. *Significasti* 2. verbo. *Credendum. De homicidio.* Bald. *in l. Falsus numer.* 7. ver. *Sed quid si Dominus. C. de furt.* Ias. §. *Sed ista : num.* 96. *instit. de act.* Anton. de Petruccio *in l.* 1. *num.* 369. ver. *Quarto limitabis. ff de iureiur.* Io. de Sylua. *par.* 3. *quæst.* 2. *post num.* 13. Craueta *De antiquo tempore part.* 1. §. *Quarto limitatur. num.* 33. Seraphin. *De priuil. iuram. priuil.* 9. *num.* 1.

5 Dices. Non se præsentauit, quando à iure statutum est, quod se præsentet: ergo habendus est pro contumaci, quia iam est elapsus terminus, in quo se debebat præsentare iuxta ea, quæ tradunt Doctores in Cap. *Venerabilibus.* §. *Porrò. De sent. excom. in* 6. & in Clement. *Si ante. De dolo, & contum.* Resp. neg. conseq. Nam tunc solum quis habetur pro contumaci, nisi se præsentet in termino statuto, quando terminus est certus, & determinatus, nempe alia certa, & determinata dies;

dies; non autem, quando est incertus, & indeterminatus, vt in præsenti casu; nam solum decernitur, quod absolutus se præsentet, quàm citò commodè poterit: vnde cum sit habenda ratio commoditatis, sicut incerta remanet commoditas, ita etiam terminus.

An absolutus teneatur se præsentare Sede Vacante. Quæst. 242.

S V M M A.

1 *Absolutus non tenetur se præsentare Sede Vacante.*

2 *Tenetur, nisi interueniat rationabilis causa differendi*

3 *Maior Poenitentiarius est delegatus Papæ.*

1 CVm absolutus debeat se præsentare, quàm citò commodè potest, dubitatur modò, an si Sede Vacante superueniat commoditas, debeat tunc se præsentare, an vere possit differre vsque ad electionem subsequutam. Et videtur respondend. posse differre, quia in Cap. *De coetero. De sent. excom.* dicitur, quod Romanum Pontificem adeat Apostolicum mandatum suscepturus: ergo quando non adest Summus Pontifex, potest accessum differre.

2 Tenendum tamen est, Quod non possit differre, nisi interueniat rationabilis causa differendi. Ita Panor. *in Capit. Quod de his, de. sent. excom.* Syluester verbo *Absolutio* 4. *numer.* 7. init. Auila *De censur. part.* 2. *capit.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. ver. *Quarto nota*. Alterius *de censur. lib.* 5. *disp.* 22 *capit.* 2. *dub.* 4. Duard. *lib.* 3. *in Bullam coenæ.* §. 2. *quæst.* 13. *num.* 12. Bossius *discep.* 1. *mor. dub.* 14. *num.* 152. Ratio autem est, Quia in hoc casu consideratur Summus Pontifex tanquam is, cui reseruata erat censura, & ad quem de iure pertinebat absolutio. Cum autem tanquam reseruator non exerceat iurisdictionem per se ipsum immediatè, sed per suos delegatos, qualis est Maior poenitentiarius, & alii, qui Sede Vacante retinent eamdem iurisdictionem, iam adsunt ii, ad quos de iure spectat absolutio tanquam ad repræsentantes Summum Pontificem; & ideo absolutus coram ipsis tenetur se præsentare iuxta dispositionem Cap. *Eos, qui, De sent. excommunicationis in* 6. Hinc in Cap. *Quod de his*, & in Cap. *Quamuis. De sent. excommun.* non dicitur, quod absolutus debeat se præsentare Romano Pontifici, sed Romanæ Sedi. Quia nimirum habetur ratio auctoritatis, & iurisdictionis, quæ quòad hoc durat etiam Sede Vacante.

Quomodo absolutus reincidat in eamdem censuram, si contemnat se præsentare. Quæst. 243.

S V M M A.

1 *Onus præsentandi non ordinatur ad obtinendam nouam absolutionem, sed ad mandatum suscipiendum.*

2 *Absolutus contemnens se præsentare non incurrit in eamd. numero, sed in eamd. specie censuram.*

3 *Causa contrahendi hanc nouam censuram qua.*

3 *Causa finalis reincidentiæ qua.*

1 IN Cap. *Eos, qui, De sent. excommun. in* 6. statuitur, vt qui contempserit se præsentare ei, à quo de iure debuisset absolui, reincidat in eamdem censuram. Quia tamen hæc reincidentia non est, quia censura fuerit solum suspensa, aut sublata pro

pro determinato tempore, nam absolute per absolutionem fuit sublata, neque onus se præsentandi est in ordine ad obtinendam nouam absolutionem, vt notant communiter Henriquez *lib. 6. sum. cap. 9. numer. 6.* Nauar. *in Manuali cap. 27. num. 113.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* Graffis *de Effectib. cler. effec. 9. num. 155.* Alterius *de censur. lib. 5. disp. 22. capit. 2. dub. 4.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 27.* Suarez *disp. 22. de censur. sect. 1. num. 62.* Vasquez *3. part. quæst. 92. art. 1. dub. 6. num. 34. & 36.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. pun. 3. numer. 13.* & desumitur ex Cap. *De cætero*, & Cap. *Quamuis. De sent. excom.* & dicto Cap. *Eos, qui*, dum declaratur hoc onus comparendi esse non in ordine ad nouam absolutionem, sed ad mandatum suscipiendum. Dubium remanet, an reincidentia sit in eamdem censuram.

2 Dicendum est. Non esse reincidentiam in eamdem numero censuram, sed solum in eamdem specie, ita tamen, vt sit reseruata, sicuti erat prior. Ita Abbas *in Cap. de coetero*. in fine. *De sent. excommunicat.* Franc. in Cap. *Eos, qui num. 3. de sent. excommunicat. in 6.* Graf. *par. 1. decis. lib. 1. cap. 13. num. 70.* in fine Sanchez *lib. 2. sum. cap. 13. num. 28.* Suarez *de censur. disp. 22. sect. 1. num. 62.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 277.* Henriquez *lib. 13. sum. cap. 28. num. 2.* Sayr. *lib. 3. Thesauri. cap. 28.* Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* Coninch. *disp. 14. de censur. dub. 16. num. 216.* Duard. *in Bullam coenæ lib. 3. §. 2. quæst. 3. numer. 12.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. pun. 3. num. 16.* Bossius. *disscep. 1. mor. dub. 14. num. 139.* Ratio autem est, quia reincidentia est ex nouo titulo, & ob nouam contumaciam, & ideo est noua censura, cum habeat nouam causam, & nouam materiam.

3 Ex his colligitur contra Bonacinam, Hinc nouam censuram non contrahi ob primam causam, sed solum ob nouam causam inobedientiæ, & contumaciæ in ordine ad se præsentandum. Ratio autem est. Quia causa finalis reincidentiæ, vt exprimitur in dicto Cap. *Eos, qui. De sentent. excom.* est, ne censuræ Ecclesiasticæ illudantur; ergo est solum ad auertendam illam causam, ex qua proueniret illusio; & proinde ob illam solum ponitur, quia intentio non extenditur vltra exigentiam finis. Causa autem, ex qua proueniret illusio, est sola contumacia, & contemptus in se præsentando. Confir. Cum censura ponatur ob solam contumaciam. Cap. *Nemo Episcoporum, 11. quæst. 3.* Ergo non plus se extendit, quam se extendat contumacia quòad causam, ob quam ponitur. Ergo cum contumacia non sit, quòad priorem causam, sed solum quòad causam non se præsentandi, reincidentia quoque erit ob hanc solam causam.

An sit vitandus, qui reincidit in eamdem censuram ob contumaciam in se præsentando.

Quæst. 244.

S V M M A.

1 *Non potest denunciari excommunicatus propter reincidentiam absque processu saltem summario.*
2 *Esse vitandum reincidentem ob contumaciam in censuram sententia affirmans.*
3 *Sententia contrarium tenens stabilitur.*
4 *Satisfit obiectionibus.*

1 Difficultas procedit quòad eos, quiierant excommunicati quòad forum externũ, & denunciati, & proinde vitandi. Est autem supponendum, vt notant Sylue-

uester verbo, *Excommunicatio* 8, *quæstion*. 3. Alter. *lib*. 5. *de censur*. *disp*. 22. *cap*. 2. *dub*. 4. Duard, *lib*. 3. *in Bullam coenæ*. §. 2. *quæst*. 3. *num*. 9. Bossius *discept*. 1. *mor*. *dub*. 14. *num*. 149. Non posse iudicem denunciare aliquem excommunicatum ob reincidentiam, nisi eo citato, & præmisso saltem summario processu de reincidentia, quæ debet sufficienter constare, cum enim non debeat aliquis inauditus, & in defensus condemnari, & sententia debeat in actis habere sufficiens fundamentum, aliàs nulla esset, sententia quoque denunciationis prærequirit necessario citationem, & processum. An autem, qui reincidit, sit vitandus ante denunciationem reincidentiæ.

2 Affirmat Bonacina *disp*. 1. *de censur*. *quæst*. 3. *pun* 3. *num*. 18. Probat. 1. Si post absolutionem in articulo mortis periisset, non potuisset sepeliri, antequam constitisset de absolutione. Ergo nec admitti ad participationem fidelium post reincidentiam in eamdem censuram, cum habeat eosdem effectus, & eamdem reseruationem. 2. Nisi vitaretur post reincidentiam parui penderet censuram, & illuderet, contra iura, quæ ponunt reincidentiam, ne censuræ illudantur. 3. Vt habetur ex Cap. *Eos*, *qui*. *De sent*. *excom*. *in* 6. Reincidentia est in eamdem sententiam, Ergo reincidens remanet excommunicatus, sicut erat antea, atque adeo vitandus, si antea erat denunciatus.

3 At tenendum est, Non esse vitandum, quousque denuncietur reincidisse, Ratio autem est, Quia iuxta Extrauag. *Ad euitanda scandala*. Martini V. edita in Concilio Constantiensi, per quam ius antiquum corrigitur, nullus excommunicatus est vitandus præter denunciatos, & notorios Clericorum percussores, quando factum nulla tergiuersatione celari potest. Ergo non est vitandus ante denunciationem, qui ob contumaciam in se præsentando reincidit in eamdem censuram; quia cum sit noua censura, & ex noua causa, eadem est ratio de ipsa, ac de quacunque alia causa; & proinde requirit denunciationem. Confir. Reincidentia raro, immò nunquam ante denunciationem potest esse certa, quia sine processu non potest constare; quando adfuerit commoditas se præsentandi, & contemptus non se præsentando. Ergo ante denunciationem non potest consurgere obligatio vitandi. Conseq. prob. Quilibet habet ius certum communicandi cum quocunque, cum quo non prohibetur communicare. Ergo cum prohibitio incerta non possit præualere contra ius certum, non potest, quando excommunicatio non est certa, priuari hoc iure; cum stante incertitudine excommunicationis, sit etiam incerta prohibitio. Quandiu autem quis non est denunciatus; excommunicatio est incerta.

4 Ad 1, neg. conseq. Nam inferri deberet, quod absolutus in articulo mortis non posset admitti ad participationem fidelium, nisi constat de absolutione. Immò, sicuti antequam denunciaretur, poterat admitti, ita etiam possit admitti post reincidentiam antequam denuncietur. Ad 2. neg sequel. Nam vt non parui pendat censuras, & illudat, sufficit reincidentia sola in ipsam censuram, cum sit pœna grauissima, præsertim, quia potest denunciari, quod reinciderit. Ad 3. Nomine sententiæ, in quam reincidit, non intelligit ipsam denunciationem, alioquin, qui non esset denunciatus, non reincideret, sed intelligi ipsam censuram, quia debet accipi, vt comprehendit omnes censuras, siue irretitus ipsis sit denunciatus, siue non. Et quamuis prius fuerit denunciatus, non potest reincidentia trahere secum denunciationem, aut effectum illius, quia, vt vult etiam Bonacina, reincidentia non est in eamdem censuram numero, sed in censuram eiusdem speciei. Denunciatio autem non est qualitas, quæ afficiat speciem

ciem censuræ, sed indiuiduum certum, & determinatum; & ideo non potest trahi ab alia censura distincta, cum qualitas non trahatur, nisi à suo proprio indiuiduali subiecto.

De constitutis in articulo, aut periculo mortis quoad Viaticum.

Quid sit Viaticum, & qui nam eius finis. Quæst. 245.

S V M M A

1 *Eucharistia dicitur viaticum, & cur.*
2 *Non habet quod sit viaticum ex intentione sumentis, sed ratione temporis, in quo sumitur.*
3 *Habet ex institutione diuina, quod sit viaticum.*
4 *Finis viatici.*
5 *Viaticum an absolutè necessarium ad salutem.*
6 *Negligens sumere viaticum contra quod præceptum peccet.*

1 SVmptio Eucharistiæ in periculo mortis dicitur sumptio Viatici: vnde ipsa Eucharistia, quatenus ministranda morituris, dicitur iuxta communem loquutionem Ecclesiæ Viaticum, vt in *Can.* 13. Concilii Nicæni relato in Cap. *De iis.* 26. *quæst.* 6. Ideo autem dicitur Viaticum, quia tanquam cibus spiritualis tribuitur homini ad substentandam vitam spiritualem in via, qua migrat de præsenti statu ad futurum. Vnde Viaticum est Eucharistia, quatenus ministranda migraturis ex hac vita.

2 Dico 1. *Eucharistiam non esse viaticum ratione intentionis sumentis, aut ministrantis: sed ratione temporis, in quo ministratur, nempe quando instat periculum mortis.* Ita Syluester. *verbo.* Interdictum 5. *quæst.* 7. *excep.* 4. *numer.* 9. Zambran. *cap.* 3. *decis. dub.* 5. *numer.* 5. Vasquez 3. *par. disp.* 214. *cap.* 2. *num.* 17. Ratio est. Quia dicitur viaticum ex anologia ad viaticum corporale: vnde sicuti viaticum corporale non est cibus corporalis sumptus quocunque modo, & ex quacunque intentione; sed tantum qui inseruit pro aliquo itinere; ita etiam Eucharistia tanquam cibus spiritualis non dicitur viaticum quocunque modo, & quacunque intentione sumpta, sed solum sumpta pro itinere, de hac vita ad aliam.

3 Dico 2. *Eucharistiam ex institutione diuina habere, quod sit viaticum pro migratione de hac vita ad aliam.* Ita etiam Vasquez 3. *par. disp.* 114. *cap.* 2. *num.* 10. Ratio est. Quia Eucharistia est instituta tanquam cibus spiritualis Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, &c.* pro conseruanda vita spirituali: vnde Christus ait ibid. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Ergo tunc maximè ex sua institutione est adhibenda, quando maximè vita spiritualis indiget conseruatione, & roboratione. Tunc autem maximè indiget, quando quis migraturus est ex hac vita ad aliam. Vnde Concil. Nicænum 1. *can.* 13. supponens necessitatem Eucharistiæ tanquam viatici, statuit, vt discessuri ex hac vita non priuentur vltimo, & necessario viatico.

4 Dico 3. *Finis Viatici est conseruatio, & corroboratio vitæ spiritualis in ordine ad perseuerandum vsque ad finem vitæ in ordine ad acquirendum vitam æternam.* Ratio est. Quia effectus proprius Eucharistiæ est nutritio vitæ spiritualis iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et rursus. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis.* Ergo quando adhibetur pro Viatico discessuris ex hac vita, finis ipsius est conseruatio vitæ spiritualis, vt possit

sit durare in itinere de hac ad aliam vitam.

5 Ex his colligitur Viaticum non esse absolutè necessarium ad salutem, & ex natura rei: quia nimirum gratia, in qua consistit vita spiritualis, potest conseruari sine hoc viatico. In quo differt à viatico corporali, nam hoc est absolutè necessarium pro conseruatione vitæ, cum non possit diù conseruari absque cibo.

6 Colligitur, 2. Quod si quis negligeret sumere viaticum tempore mortis, non peccaret contra præceptum charitatis, quo tenetur diligere seipsum, & procurare propriam salutem, sed solum contra præceptum obligans ad ipsum sumendum. Nam charitas non obligat in ordine ad spiritualia, nisi quoad ea, quæ necessaria sunt. Sumptio autem viatici non est de se necesaria, cum possit quis aliis medijs acquirere, & conseruare gratiã, seu perseuerare in vita spirituali.

Quomodo Eucharistia exerceat rationem viatici, Quest. 246.

SVMMA.

1 *Eucharistia quomodo exerceat rationem viatici.*
2 *Eucharistia est antidotum præseruans à peccatis mortalibus.*
3 *Eucharistia quomodo præseruet à peccatis.*
4 *Præseruare à peccatis quomodo conueniat Eucharistiæ ex opere operato.*
4 *Quod causat vnum, causat etiam, quę veniunt in consequentiam.*
5 *Viaticum quomodo præseruet à peccatis.*
6 *Excitat specialem delectationem circa iustitiam, & quę concernunt salutem.*
7 *Corpus Christi in Eucharistia dæmones arcet.*
9 *Præseruatio à peccatis quomodo effectus infallibilis viatici.*

1 CVm viaticum ordinetur ad conseruandum vitam mediãte nutritione; ita etiam Eucharistia tanquam viaticum spirituale ordinatur mediãte nutritione spirituali ad conseruandam vitam spiritualem: quæritur modo, quomodo illam conseruet. Dicendum est, *Eucharistiam exercere rationem viatici præseruando à peccatis mortalibus; ita vt hæc præseruatio sit medium, quo exerceat rationem viatici.*

2 Prob. Eucharistia est antidotum, quo præseruamur à culpis mortalibus, vt habet Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. *de Eucharistia*, & tradunt PP. Cyril. *lib.* 4. *in Io. cap.* 16. *&* 17 & *lib.* 3. *cap.* 37. Chrisost. *hom.* 51. *in Matth.* & *hom.* 45. *in Io.* & *hom.* 24. *in Epist.* 1. *ad Corint.* Bernard. *serm. de cœna Domini*, Cyprian. *in Exposit. orat. Domin.* & alii communiter, & cummuniter etiam scholastici cum D. Th. 3. *par. quæst.* 79. *ar.* 1. *ad* 2. Ergo exercet rationem vicatici præseruando à peccatis, quia sola peccata mortalia auferunt vitam spiritualem, vnde dum Eucharistia præseruat ab ipsis, conseruat vitam spiritualem, & exercet rationem viatici.

3 Dicendum, 2. *Conseruare vitam spiritualem, & præseruare à peccatis mortalibus per auxilia gratiæ exhibita à Deo tempore congruo in ordine ad vincẽdas tentationes, & ad seruanda præcepta.* Hæc autem auxilia gratiæ sunt annexa gratiæ habituali, quæ ab Eucharistia confertur ex opere operato. Prob. Auxilia gratiæ sunt debita iustis ratione gratiæ habitualis in ordine ad vincendas tentationes, & ad bene operandum. Vnde Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. docet, Christum tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites in iustificatos iugiter virtutem influere. Ergo cum Eucha-

ristia conferat nouam gratiam, qua corroboratur vita spiritualis, facit etiam debita noua auxilia gratiæ in ordine ad vincendas tantationes, & ad benè operandum, & hoc pacto præseruat à peccatis mortalibus.

4 Dicendum. 3. *Hunc effectum conuenire Eucharistia ex opere operato radicaliter*. Prob. Auxilia ista, quibus præseruatur vita spiritualis à peccatis mortalibus, sunt debita ratione gratiæ habitualis, quam confert, & veniunt in consequentiam ad ipsam. Ergo cum Eucharistia causet ex opere operato hanc gratiam, causabit etiam in consequentiam ex opere operato hæc auxilia, quia quod causat vnum, causat etiam, quæ veniunt in consequentiam ad ipsum, *l. Manumissione, ff. de iust, & iure*, & notant Ias. *in l. Pecuniam. num. 21. ff. de condict. causa data*, Bar. *in l. 4. §. Actor. num. 2. ff. de re iud*, Surd. *de alimen. tit. 1. quæst. 42. n. 49.*

5 Ex dictis colligitur, Præseruationem à peccatis, prout prouenit à viatico, fieri per repressionem fomitis, & concupiscentiarum; quatenus auxilia gratiæ excitant contrarios motus in voluntate, & etiam aliquando cohibendo motus partis inferioris, vt notat etiam D. Cyril. *lib. 4. in Io. cap. 17 Sedat sanientem membrorum nostrorum legem; pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.*

6 Secundò colligitur, Præseruare à peccatis excitando specialem delectationem circa iustitiam, & ea, quæ concernunt ad salutem. Com enim quisque trahatur ab iis, quibus delectatur, vt ait. D. August. *tract. 26. in Io.* dum talis delectatio consurgit in homine, trahitur ad benè operandum tanta vi, vt præpenderet passionibus, quæ in contrarium mouent, & vincat tentationes, atque adeo perseueret in vita spirituali.

7 Tertiò colligitur, Præseruare à peccatis ratione præsentiæ Corporis Christi, quandiù species durant in sthomaco. Corpus enim Christi arcet dæmones, ne tentationibus vrgeant, vt notat D. Ignat. *Epist. ad Ephes.* Chrisost. *hom. 61. ad Popul.* Neque enim dæmones audent accedere, vbi est verum corpus Christi; vnde protectione quadam extrinseca præseruatur infirmus, ne subiiciatur tentationibus, & consequenter ne amittat vitam spiritualem.

8 Quartò colligitur, Hunc effectum esse infallibilem quoàd eos, qui dignè suscipiunt viaticum. Non quia infallibiliter perseuerent in vita spirituali, nam post sumptum viaticum possunt mortaliter peccare; sed quia auxilia specialia gratiæ ad non peccandum infallibiliter tribuuntur. Cum enim sint effectus Eucharistiæ ex opere operato, quatenus sunt connexa cum primario effectu gratiæ habitualis, quæ est ex opere operato, infallibia sunt, sicut & ipsa gratia.

Quomodo Viaticum habeat priuilegium, vt ministrari possit non ieiunis. Quæst. 247.

S V M M A:

1 *Eucharistia sumenda tantum à ieiunis.*
2 *Viaticum ministrari potest non ieiunis.*
3 *Cur ministrari possit non ieiunis.*
4 *Praeceptum de viatico praualet precepto de præmittenda ieiunio pro Eucharistia.*
4 *Preceptum tendit ad preficiendum hominem.*
5 *Preceptum conficiendi in azimo, cum vestibus sacris, &c. cur praualeat precepta viatici.*
6 *Priuata non praualent contra ius publicum.*

1 Evcharistiam sumendam esse tantù à ieiunis constat ex perpetua consuetudine Ecclesiæ, vt

vt notant communiter Patres Epiphan. *lib.* 3. *contra hæreses, in fine.* Tertul. *lib.* 2. *ad uxor, cap.* 5. Cyprian. *lib.* 2. *Epist.* 3. *alias* 60. *in ordine* Chrysost. *in illud, Itaque quicunque cap.* 11. *Epist.* 1. *ad Corinth.* August. *Epist.* 118. *cap.* 9. Nazian. *Orat.* 40. *de Baptis.* Basil. *Epist.* 1. *ad Cæsariam patriciam*, Isid. *de diuin. offic, cap.* 1. Et etiam stabilitum est in pluribus Concil. Cartag. 3. *can.* 29. Africano *sub. Bonifac.* 1. *can.* 8, Matiscon. 2. *can.* 6. Brachar. 1. *cap.* 16, & vltimò in Concil. Constantien. *sess.* 13. Et licet loquantur de solis sacerdotibus celebrantibus, quia tamen militat eadem ratio in sumentibus Eucharistiam, nempe ne cibus corporalis præponatur spirituali, ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ facta est extensio etiam ad sumentes Eucharistiam. Quando tamen ministratur Eucharistia per modum viatici, cessat necessitas ieiunii. Vnde

2 Dicendum 1. *Eucharistiam per modum viatici posse ministrari etiam iis, qui in illa die fregerunt ieiunium.* Ita decernitur in Cap. *De his nemo*, & in Cap. *si quis de corpore* 26. *quæst.* 6. & in Cap. *Presbiter*, & in Cap. *Liquido*, & in Cap. *Sacramenta*, De *consecrat. dist.* 2. & in Concil. Constantiensi *sess.* 13. & in Rituali Romano *Pauli V. Tit. de communione infir.* & tradunt communiter Doctores cum D. Tho 3. *par. quæst.* 80. *artic.* 8.

3 Ratio autem est. Quia sumere Eucharistiam ante omnem alium cibum non est reuerentia debita ex natura Sacramenti, aut ex institutione Christi, cum Christus neque id præceperit, neque facto docuerit, cum post coenam legalem ministrauerit discipulis, sed tantum ex institutione Ecclesiæ. Ergo non requiritur, quando aliàs vrgente necessitate, & altiori præcepto, non posset sumi Eucharistia, vt contingit, quando ministranda est per modum viatici, nam tunc est magis necessaria, quàm in quocunque alio tempore, & vrget etiam præceptum altioris ordinis; siquidem aut est diuinum, aut si Ecclesiasticum, præualet præcepto de ieiunio, cum sit de re maximè necessaria ad salutem, & proinde altioris ordinis in hoc genere; vnde potius subueniendum est morituro.

4 Dicendum 2. *Ideo posse ministrari viaticum non ieiunis, quia præceptum de viatico sumendo stante necessitate infirmi præualet præcepto de seruando ieiunio ante sumptionem Eucharistiæ.* Ita contra Hieronimum Garziam *in sum. tract.* 3. *difficult.* 5. *dub.* 2. *pun.* 4. *num.* 49. *& alios* Recentiores tenet Vasquez 3. *par. disp.* 211. *cap.* 4. Ratio autem est, quia vtrumque præceptum, nempe de seruando ieiunio, & de sumendo viatico concurrit in eadem persona. Ergo debet illud præualere, quod in sui obseruantia est magis proficuum eidem personæ; Si quidem de ratione præcepti est, quod ponat in homine ordinem ad finem, atque adeo ipsum perficit, vt docet D. Tho. 1. 2. *quæst.* 99. *artic.* 1. *in corpore; & quæst.* 104. *artic.* 1. *ad* 3. vnde quod magis perficit, & magis proficuum est homini, est eminentius præceptum, atque adeo anteponi debet præcepto minus perficienti. Magis autem proficuum est infirmo sumere viaticum non ieiunum, quam seruando præceptum de præmittendo ieiunium non sumere; siquidem in posteriori casu exercet solum actum reuerentiæ, quæ pertinet ad religionem; in priori autem non solum exercet actum religionis, sed etiam percipit fructum, quod confert sacramentum ex opere operato.

5 Dices. Præceptum conficiendi Eucharistiam in azimo, celebrandi cum vestibus sacris in altari consecrato, &c. est Ecclesiasticum positiuum; & tamen præualet præcepto de sumendo, ita vt pro ministrando viatico non liceat sine vestibus sacris conficere Eucharistiam, &c. Ergo quod possit ministrari viaticum non ieiuno non erit, quia præualeat præceptum de ipso sumendo vtpote diuinum, sed quia Ecclesiæ consuetudo ita introduxit, *Resp.* neg. consseq.

seq. Num obseruantia Ecclesiæ dandi viaticum non ieiuno non abrogauit in hoc casu præceptum de præmittendo ieiunio; sed declarauit cedere huiusmodi præceptum tanquam minus necessarium præcepto de sumendo viatico vt pote magis necessario, siue diuinum sit, siue etiam solum humanum; seu potius declarauit non extendi ad hunc casum impediente alio præcepto.

6 Hæc autem declaratio non potest habere locum quoad præceptum celebrandi cum vestibus sacris, &c. Quia hoc præceptum pertinet ad exhibitionem sacrificij, quod cum sit iuris publici, si quidem sacrificium commune est omnibus, publica auctoritate, nempe Christi institutum, ipsum quoque præceptum est iuris publici; & ideo cætera præcepta, quæ concernunt actiones priuatas, non præualent præceptis, quæ concernunt ius publicum, si quidem, quod priuatum est, non potest præualere contra ius publicum. Cap. *Si diligenti*. De *foro compet*. & *l. Ius publicum*. *ff*. De *pact*. & *l. Neque ex præterit*, & *l. Neque pignus*, *in fine*. *ff*. De *reg. iur*. & *l. si adrogatur*. *in fine*. *ff*. De *adopt*. & *l. Testamenta*. *C*. De *testamen*.

Quanta debeat esse infirmitas, vt viaticum possit ministrari. Quæst. 248.

S V M M A.

1 *In ministrando viatico non est scrupulizandum circa sufficientiam infirmitatis.*
2 *Viaticum ministrandum in articulo mortis.*
2 *Quid intelligatur per articulum mortis.*
3 *Quomodo intelligendum, tunc ministrandum viaticum, quando creditur futura vltima communio.*
4 *Præceptum viatici impletur, etiam si non adsit intentio sumendi per modum viatici.*
5 *Viaticum an ministrandum infirmo potenti, & asserenti de periculo vitæ, si medici oppositum iudicent.*

1 IN hoc dubio præmittendum est vt notant etiam Nauar. *cap. 25 Manual. num. 83*. Petrus Ledesma. *De Eucharist. cap. 13*. Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tom. 8. de eucharis. numer. 14*. Henriquez *lib. 8. sum. cap. 50. num. 1*. Zambran. *in decis. cap. 3. de Euchar. dub. 5. numer. 1*. Filliuc. *tract. 4. cap. 8. quæst. 11. num. 138*. Bohac. *disp. 3. de Euchar. quæst. 6. pun. 2. num. 2*. Hieronim. Garzia *in sum. tract. 3. difficult. 5. dub. 2. pun vlt*. & alii. Non esse in hac materia scrupulosè procedendum, sed magis inclinandum in partem, quod liceat ministrare viaticum, ne dum deliberando teritur tempus, infirmus deueniat ad statum, in quo amplius non possit ipsum sumere. Quando enim agitur de iis, quæ concernunt salutem animæ, melius est abundare in cautelis, quam deficere, & experientia doctus sum, aliquando infirmos decessisse sine viatico, immò etiam absque extrema vnctione, dum ii, ad quos spectabat, putabant non dum adesse tempus congruum ministrandi.

2 Communiter autem docent, *Viaticum esse ministrandum in articulo mortis*. Per articulum autem mortis, non intelligitur illud vltimum, in quo quis creditur moriturus, sed accipitur secundùm totam latitudinem infirmitatis, in qua imminet periculum mortis, ita vt incipiat simul cum periculo mortis; vt inter alios notant Ochagauia *de sacramen. tract. 2. de Eucharis. quæst. 14. num. 6*. Præposit. *3. par. quæst. 8. ar. 11. dub. 1. num. 53*. ver. *Notandum*. Et ratio est. Quia viaticum dicit ordinem ad viam, qua quis de hac vita migrat ad aliam; nam datur pro sustentatione spirituali in hac vita.

Quan-

Quando autem incipit periculum mortis, incipit etiam hæc via, quia tunc infirmitas incipit ducere ad aliam vitam; & ideo viaticum habet iam locum.

3 Dices. Tunc solum ex Rituali Romano Pauli V. *Tit. de communione infir.* est ministrandum viaticum, quando infirmus est in tali statu, vt illa credatur futura vltima ministratio Eucharistiæ. Ergo non statim, ac incipit periculum mortis. Resp. neg. conseq. Quia statim ac incipit periculum mortis, adest sufficiens fundamentum putandi probabiliter, quod sit futura vltima communio: si quidem vbi est periculum mortis, potest ex improuiso succedere mors. Habet autem Rituale, quod tunc ministretur viaticum, quando creditur futura vltima communio, quia loquitur secundum id, quod regulariter contingit, quia nimirum viaticum semel tantum solet ministrari. Imo quod non loquatur tantum de illo tempore, in quo infirmus breui creditur moriturus, sed de toto tempore, in quo adest periculum constat ex eo, quod subdit: nempe quod si infirmus superuixerit post aliquot dies, poterit ipsi rursum viaticum ministrari.

4 Ex his colligitur impleri præceptum de viatico, quando sumitur existente iam infirmo in periculo mortis siue non ieiunus, siue etiam ieiunus sumat, licet non adsit intentio sumendi per modum viatici. Quia præceptum non obligat ad intentionem sumendi, vt constat ex materia de legibus, sed solum ad substantiam actus. Vnde cum adsit periculum mortis, atque adeo coepta sit via ad alteram vitam, Eucharistia exercet rationem viatici, & cum præceptum coeperit obligare, remanet impletum.

5 Colligitur. 2. Quod si infirmus instaret pro viatico, esset ipsi ministrandum, quamuis extrinsecus non appareret periculum mortis, nec medici illud agnoscerent, si tamen infirmus prudens sit, nec leuiter moueatur. Et ratio est, quia fieri potest, quod morbus occultus sit, & non cognoscatur secundum suas qualitates à medicis, & quod infirmus sentiat periculum interius, vnde si denegaretur viaticum, exponeretur periculo moriendi absque tali subsidio, vt non semel vidi contigisse. Rursus cum infirmus non leuiter soleat moueri, eius iudicium, quod sit ministrandum viaticum, facit opinionem probabilem, quia fundatur in vi morbi, quam infirmus experitur, & ex ipsa iudicat imminere periculum mortis: vnde iuxta ipsius iudicium tempus est congruum, vt admittat viaticum, & proinde ministrans sequetur opinionē probabilem.

An quando ministrandum est viaticum non ieiuno debeat præcedere necessitas violandi ieiunium.
Quæst. 249.

S V M M A.

1 *Necessitas violandi ieiunium an debeat præcedere, vt viaticum ministretur non ieiuno.*
2 *Præceptum de ieiunio absolute cessat in ordine ad viaticum.*
3 *Impossibile est moraliter cognoscere, an ieiunium in ordine ad viaticum sit allaturum graue incommodum.*
4 *Concurrente præcepto viatici non habet locum præceptum ieiunij.*
5 *Suscepturus viaticum potest aliquid sumere ex solo appetitu naturæ.*
5 *Potest sumere potionem ob emolliendas fauces.*

1 Communiter videntur sentire, quod infirmus suscepturus viaticum non teneatur cum graui incommodo abstinere à cibo, aut mo-

medicinalibus, &c. Ita præcipue Suarez *disp. 68. de Eucharistia sect. 5. ver. In præsenti ergo*. Coninch *de sacram. quæst. 80. ar. 8 num. 50*. Tolet. *lib. 2. cap. 28. num. 26.* quia nimirum præceptum ieiunii in tali casu non obligat cum tanto incommodo, præsertim quia tale incommodum posset afferre ægroto notabile præiudicium.

2 Tenendum tamen est. *Quod stante periculo mortis, nõ prærequiratur aliqua necessitas non seruandi ieiuniũ, sed absolutè posse viaticum ministrari non ieiuno siue potuerit, siue nõ potuerit seruare ieiunium*. Ita etiam Martin à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 8. de Eucharist. num. 14. in fine*. Ratio autem est, quia præceptum de ieiunio seruando absolutè cessat in ordine ad viaticum; nam non ideo cessat, quia non possit seruari, sed quia cõcurrit cum præcepto maiori, quod debet omnino seruari, & Ecclesia, vt seruetur præceptum maius de viatico, relaxat præceptum de ieiunio absolute, sed declarat, non extendi ad sumptionem Eucharistiæ per modum viatici, vt desumitur ex Concil. Constant. *sess. 13.* vbi absolutè tradit, viaticum esse ministrandum infirmis non ieiunis, & proinde non debet restringi ad casum, in quo sine incommodo ieiunium seruari non possit. Quia oratio generalis generaliter est accipienda. *l. 1. §. Generaliter. ff. de leg. præstan.* & cap. *Solitæ de maior. & obedient.*

3 Confir. Si esset videndum, an ieiunium sine graui incommodo seruari posset, an non, iniicerentur plures scrupuli: quia semper posset dubitari de possibilitate seruandi ieiunium absque graui incommodo. Et hoc dubium semper haberet locum, quia stante vi morbi vrgentis infirmum ad mortem, quodlibet leue nocumentum potest ratione subiectæ materiæ esse graue, nec id facilè dignosci possit. Vnde sicut esset moraliter impossibile cognoscere, an obseruantia ieiunii esset allatura notabile incommodum, ita etiam esset moraliter impossibile obseruare præceptum, quia non cognosceretur, quando seruari posset absque incommodo.

4 Dices. Præceptum minus non cessat concurrente maiori, nisi sit incompossibile. Ergo præceptum ieiunii non cessat in ordine ad viaticum, nisi fiat in compossibile. Resp. Non cessare, quando est impositum etiam pro illo tempore; at hoc præceptum non est impositum pro tempore, in quo est sumendum viaticum, quia tunc vrget maius præceptum, & regulariter ieiunium seruari non potest.

5 Ex dictis colligitur, quod si infirmus suscepturus viaticum ex appetitu naturæ postularet aliquid cibi, aut potus, posset ipsi ministrari. Nam fieri potest, quod talis appetitus excitetur ex aliquo conatu naturæ enitentis contra impetum morbi, & proinde futurum sit proficuum, quod petit. Imo ad molliendam ariditatem faucium, vt facilius possit Eucharistiam deglutire, poterit infirmus ante sumptionem sumere aliquam potionem congruam, quia iam non tenetur aliquo modo præcepto ieiunii.

An quando infirmus non potest sumere viaticum sub specie panis, ministrari debeat sub specie vini. Quæst. 250.

S V M M A.

1 *Antiquitus viaticum ministrabatur etiam sub specie sanguinis.*
2 *Modo an liceat ministrare viaticum sub specie sanguinis.*
3 *Ecclesia potest mutare, quæ concernunt sacramenta salua eorum substantia.*
4 *Consuetudo non praualet contra ius diuinum.*

4 *Consuetudo est interpretatiua legum.*
4 *Consuetudo legitima est seruanda.*
5 *Præceptum diuinum de viatico quatenus obliget.*
5 *Non obligat vltra modum stabilitum ab Ecclesia pro administratione.*
6 *Ecclesia absolute prohibit vsum calicis.*
6 *Praxis est seruanda etiam si contrarium vt esset de iure verius.*

---

1 ANtiquitus, quando deferebatur viaticum morituris, non solum deferebatur sub specie panis, sed etiam specie vini, vt desumitur ex D. Clemente Papa *Epist.* 2. *ad Iacob. fratrem Domini.* ibi, *Calicem ad perferendum sanguinem Domini præparatum cum tota munditia ministerii minister præparet.* & ex D. Gregor. Nazian, *in orat. funeb. in laudem Gorgoniæ.* Chrisost. *Epist. ad Innocent.* 1. D. Hieron. *Epist.* 4. *ad Rusticum.* ibi. *Nihilo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* D. Gregor. *lib.* 3. *Dialog. cap.* 36. Hæc autem consuetudo tunc viguit, quando Eucharistia distribuebatur fidelibus sub vtraque specie. Modo autem cum Ecclesia concedat laicis, & non celebrantibus Eucharistiam tantum sub specie panis, dubitatur, an debeat ministrari sub specie vini, quando infirmus non potest sumere sub specie panis.

2 Ratio autem dubitandi est. Quia, quod non ministretur Eucharistia sub specie vini, est tantum præceptum Ecclesiasticum, vt desumitur ex Concil Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. & *can.* 2. Quod autem à morituris debeat sumi per modum viatici, est præceptum diuinum, vt infra ostendetur suo loco. Ergo cum præceptum diuinum præualeat præcepto Ecclesiastico, erit ministrandum viaticum sub specie vini, quando non potest ministrari sub specie panis. Confir. Ecclesia ideo approbauit, & pro lege habendum esse duxit vsum Eucharistię sub specie tantum panis, quatenus est possibilis sub illa specie, Ergo quando non est possibilis vsus vnius speciei, non censetur prohibitus vsus alterius speciei, alioquin Ecclesia prohiberet Eucharistiã, si prohiberet vsum illius speciei, quæ sola est possibilis, atque adeo prohiberet vsum Eucharistiæ, quando vrget præceptum diuinum de ea sumenda. Et hanc partem tenent Ochagauia *de sacram. tract.* 2. *de Euchar, quæst.* 18 *num.* 9. Nugnus 3. *par. quæstion.* 80. *artic.* 12. *conclus.* 3. subdens adhibendum esse consensum Episcopi.

3 Dicendum tamen est, *Non licere ministrare viaticum sub specie vini, etiam si ab infirmo sumi non possit sub specie panis.* Desumitur ex praxi Ecclesiæ, quæ non solet sub specie vini ministrare, etiam si sub specie panis sumi non possit, & ita tradunt Suarez *de sacram. disp.* 71. *sect.* 7. Squillan. *de obligat. Cler. par.* 2. *num.* 76. Barbosa *de Parochis. cap.* 20. *numer.* 45. Ratio autem est, Quia Ecclesia habet à Christo vt possit. *In sacramentorum dispensatione salua illorum substantia ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorũ varietate magis expedire indicabit*: vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Ergo cum in virtute huius auctoritatis approbauerint consuetudinem sumendi Eucharistiam sub vnica tantum specie panis, & pro lege habendam decreuerit, vt habet idem Concil. *ibid.* standum est huic legi, & cum sit vniuersalis, in nullo vnquam casu licebit ministrare, nisi sub specie panis, siquidem non obligamur ad suscipienda sacramenta, nisi secundum eum modum, quo Ecclesia decernit esse ministranda.

4 Dices. Consuetudo non potest præualere contra ius diuinum; nam auctoritas humana non se extendit ad ius diuinum, vt docent communiter cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 97. *ar.* 3. *ad* 1. & habetur ex illo Matth. 5. *Transgredimini præceptum Dei propter traditiones*

nes vestras : & Ad Coloss. 2. *Videte, ne quis vos decipiat secundum traditionem hominum*. ergo non potuit introducere, quod non ministretur viaticum sub specie sanguinis, quando non potest ministrari sub specie panis, cum adsit præceptum, seu ius diuinum de ipso sumendo. Resp. Consuetudinem non posse quidem abrogare ius diuinum, posse tamen declarare, siquidem habet ex genere suo, quod sit interpretatiua legum. Cap. *Cum dilectus. de consuetudine*. Præsertim quando inducitur ab eo, qui habet potestatem statuendi, & immutandi. Vnde cum Ecclesia habeat potestatem statuendi circa ea, quæ pertinent ad sacramenta, & immutandi, vt dictum est, ex Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. salua tamen eorumdem substantia, sit quod potuerit inducere consuetudinem, & statuere, quod in nullo vnquam casu ministretur Eucharistia, nisi sub specie panis. Et hæc consuetudo tanquam legitima est seruanda cap. *Perniciosus.de celebrat. missar.* vbi Glos. *verbo. Consuetudinem*. afferens plures text.

5 Ad rationem dubitandi respon. In hoc casu non concurrere præceptum diuinum de viatico cum præcepto humano Ecclesiastico de ministranda Eucharistia tantum sub specie panis: & proinde non debere præualere; sed cessare. Quia præceptum de viatico, licet diuinum, non obligat, nisi secundum mensuram, cum qua sacramentum administrari potest. quia est correlatiuum ad ipsam: vnde in tantum obligat in quantum est possibilis administratio. Non est autem possibilis, quando non potest ministrari sub specie panis, quia sub alia specie facta est de iure impossibilis, ex iustis, & grauibus causis, vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Vnde cum hoc per legitimam potestatem introductum sit, à Christo Ecclesiæ concessam, & spectet ad reuerentiam, & decus sacramenti, præceptum diuinum non obligat vltra modum administrationis stabilitum ab Ecclesia, quia est ita positum, vt obliget, quatenus Ecclesia iudicauerit sacramentum ministrandum. Vnde potest ab Ecclesia indirectè contestari obligatio præcepti disponendo circa modum administrationis.

6 Ad Confir. neg. conseq. Nam quod Ecclesia non solum voluerit prohibere vsum Eucharistiæ sub specie vini, quando est possibilis sub specie panis, sed etiam absolutè, constat ex praxi; si quidem nunquam ministrat laicis sub specie vini, licet aliter sumere non possint. Praxis autem, & obseruantia est seruanda, etiam quando contrarium esset de iure verius, vt notant Honded. *consil.* 92. *num.* 30. *lib.* 1. Rota *decis.* 574. *numer.* 3. *part.* 1. *Diuer.* & *decis.* 608. *numer.* 6. *part.* 2. *Recent.* Neque sequitur, quod prohibeat vsum Eucharistiæ, quando vrget præceptum diuinum; quia vt dictum est, tunc præceptum diuinum non vrget, quia non obligat, nisi ad illum vsum, quem determinat Ecclesia.

Quomodo ministrandum viaticum, quando infirmus non potest sumere sub specie panis.
Quæst. 251.

S V M M A.

1 *Viaticum quomodo ministrandum, quando non potest sumi sub specie panis.*
2 *Mos sumendi Eucharistiam infusam vino.*
2 *Eucharistia quando adhæret palato, vel fundo calicis, quid faciendum.*
3 *Viaticum potest ministrari cum vino, aut alio liquore tanquam accessorio.*
4 *Quomodo ministranda Eucharistia infirmo, qui ob ariditatem faucium non potest traiicere.*
5 *Quid si ministratur ex deuotione.*
5 *Quid si prauideretur, quod non posset traiici.*

5 *Reuerentia sumendi Eucharistiam non violato ieiunio in quo saluetur.*
6 *Eucharistia quando possit ministrari in cochealari cum aliquo liquore.*

---

1 VT magis constet non adesse obligationem ministrãdi viaticum sub specie vini, assignandus est modus ministrandi sub specie panis, quando potest sumere sub specie vini. Dicendum est igitur, *Viaticum posse ministrari sub specie panis sumendo exiguam particulam formulæ, & eam immittendo in vinum, aut aquam, &c, & tribuendo per modum potus.* Si enim infirmus potest bibere, atque adeo sumere viaticum sub specie vini, poterit etiam sumere, sub specie exigua panis vino, &c, immixta, nam illam traiiciet potando: & proinde nunquam aderit necessitas sumendi sub specie vini. Atque hic modus ministrandi Eucharistiam per modum viatici fundamentum habet in historia, quæ legitur in Epist. Dionysii Alexandrini apud Euseb. *lib. 6. cap. 36.* Nam cum Serapion senex ægrotaret ad mortem, nec posset sacerdos defferre Eucharistiam, misit illam per puerum, qui madefactam in os senis infudit, atque ille simul ac pedetentim per fauces dimiserat, illico spiritum extremum edidit. Similiter etiam in mysterio, quod celebratur in Parasceue, in quo sacerdos sumit particulam hostiæ calici immixtam cum vino non consecrato. Quod autem est licitum ob mysterium conficiendum, erit etiam licitum ob necessitatem. Et in Concilio Matiscon. 2. *capit. 6.* vbi præcipitur, quod reliquiæ Eucharistiæ conspersæ vino tribuantur pueris innocentibus.

2 Et ita tenere debent, qui admittunt diuersos casus, in quibus Eucharistia sub specie panis sumi potest simul cum vino, vt quando pars formulæ adhæsit palato, aut fundo calicis, Ita Syluester *verbo*, Eucharistia 3. *numer.* 8. Nauar. *cap. 25. Manual. numer. 89.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 6. quæst. 8. pun. 3. ver. Tertiò etiam.* Henriquez *lib. 8. de Euchar. capit. 49. littera F.* Graf. *par. 1. decis. lib. 2. cap. 44. numer. 1.* Camerota *de Eucharist. cap. 10. dub. 9.* Sà *verbo.* Missa. *num. 36.* Bartholom. ab Angelo *in Exam. dial. 4. §. 117.* Azor. *part. 1. lib. 10. capit. 3. quæst. 4.* alios citans. Coninch. *de sacram. quæst. 80. art. 8. numer. 63. 67. & 69.* Nugn. *ibidem*, Præposit. *dub. 2. num. 45.* Siluius. *ver. Quartus. in fine.* Chellison. ver. *Quintus.* Caiet. *in sum. verbo.* Missæ *celebratio* Vasquez *3. par. disp. 211. cap. 5.* Ochagauia. *de sacram. tract. 2. de Euchar. quæst. 12. num. 12.* Reginald. *lib. 29. Praxis fori pœnit. num. 123.* Fillliuc. *trac. 4. cap. 8. num. 239.* Bonac. *disp. 4. de eucharist. quæst. 6. pun. 2. numer. 12.* Hurtad. *disp. 9. de Eucharist. difficul. 17. ver. Tertius casus.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 21. de Eucharist. disp. vn. pun. 13. numer. 21.* & alii. Quod similiter etiam præscribitur in Rubricis Missalis, *Tit. de defectib. occurrent. in Missa.*

3 Et ratio est, quia, vt dictum est supra, ministratio Eucharistiæ per modum viaticj non prærequirit ieiunium. Ergo sicut potest sumi ieiunio violato, ita etiam ratione necessitatis sumi poterit cum violatione ieiunii cõcomitante. Confir. Vinum, seu alius liquor non adhibetur per se primò tanquam potus, sed tanquam vehiculum ad deferendam Eucharistiam ad stomachum; & proinde se habet accessorio modo respectu Eucharistiæ, quæ vt principale sumitur, vnde cum accessorium sequatur naturam sui principalis, sequitur quod adhuc per se primò sumatur Eucharistia, & sumptio liquoris non habeatur pro diuersa sumptione ab eucharistia.

4 Ex his colligitur. Quod si infirmus ob ariditatem faucium, aut ob aliam indispositionem non posset traiicere Eucharistiam, dummodo tamen possit in os sumere ministrari poterit, & de-

deinde infundi poterit vinum, aut alius liquor, quo mediante traiiciatur in stomachum; nam tunc ille liquor non ordinaretur ad potum, sed ad complendam sumptionem Eucharisticam; & dato quod haberet rationem potus, adhuc posset adhiberi tanquam necessarius pro complenda sumptione Eucharistica.

5 Colligitur 2. Hoc habere locum, nedum quando ministratur Eucharistia per modum viatici; sed etiam quando ministratur sanis. Nam quando est sumpta in os Eucharistia, reuerentia sacramenti exigit, quod adhibeantur illa media, quæ sunt necessaria ad illam perficiendam. Deinde eo ipso, quod Eucharistia est sumpta in os antequemcumque alium cibum, est exhibita debita reuerentia, nam ad huc fuit primus cibus, & per accidens se habet, quod adhibeatur aliquis liquor, vt traiici possit in stomachum, & quod talis liquor prius descendat; nam non attenditur, quod prius in stomachum descendit, sed quod prius sumitur. Quare etiam si præuideretur, quod non posset traiici Eucharistia absque ope alicuius liquoris, adhuc posset sumi, nam non violatur præceptum de seruando ieiunio ante sumptionem Eucharistiæ; nam cum dicatur sumpta, quando est immissa in os, licet postea assumatur aliquis liquor pro ipsa deglurienda, adhuc verificatur, quod sit sumpta à ieiuno.

6 Colligitur 3. cum Præposito 3. *par. quæst. 80. ar. 8. dub. 2. num. 42.* Quod quando infirmus difficile posset sumere Eucharistiam, vel adesset periculum, quod adhæreret faucibus, posset ministrari in cochleari particula hostiæ simul cum vino, & hoc pacto immitti in os prope fauces, vt facilius, possit deglutiri.

An aliquando extra periculum mortis possit ministrari viaticum. Quæst. 252.

SVMMA.

1 *Viaticum quando ministrari possit nondum constituto in periculo mortis.*

2 *Ratio ob quam in periculo mortis ministranda est Eucharistia, habet locum etiam extra periculum.*

3 *Infirmus quando ante periculum mortis teneatur sumere viaticum.*

4 *Vltimum tempus vitæ pro quo obligat viaticum.*

5 *Præceptum viatici quando incipiat obligare.*

5 *Vbi causa finalis habet locum, habet locum etiam lex.*

6 *Exigentia viatici quando antecedat periculum mortis.*

7 *Præceptum viatici obligat, quando quis se debet preparare, &c.*

8 *Præceptum viatici cur aliquando obliget ante periculum mortis, non autem preceptum communionis Paschalis, &c.*

9 *Sciens ex reuelatione se moriturum cito ex improuiso tenetur ad viaticum.*

9 *Constitutus in periculo mortis sciens ex reuelatione se non moriturum, non tenetur ad viaticum.*

10 *In periculo mortis, sed ex inspectione astrorum non moriturus, an teneatur ad viaticum.*

1 Dicendum est, *Posse infirmo nondum constituto in periculo mortis ministrari Eucharistiam per modum viatici, quando nimirum timetur; quod morbus euasurus sit periculosus, & superuenturum sit aliquod impedimentum, quod impediet sumptionem viatici.* Ita Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 5. numer. 3. ver. Si nullum.* Qui loquitur in casu, in

in quo timeretur superuentura phrenesis. Est tamen eadem ratio de phrenesi, ac de quocunque alio impedimento, quod possit impedire sumptionem. Vnde in tali casu poterit ministrari nō ieiuno.

2 Ratio autem est. Quia licet nondum adsit periculum mortis, vrget tamen ratio, obquam in periculo mortis est ministranda Eucharistia per modum viatici non ieiuno; nempe necessitas corroborationis, & nutritionis vitæ spiritualis, & obquam præceptum obligat in illo tempore, nam quamuis necessitas nondum sit præsens, probabiliter tamen censetur superuentura, & habetur pro moraliter præsenti, & ideo est occurrendum, quandiu adest facultas.

3 Dices. Non solum non adesse necessitatem, sed neque etiam esse superuenturam, quia si infirmus incidat in phrenesim, non est sui compos, & consequenter non potest peccando amittere vitam spiritualem. Resp. Dato, quod non esset superuentura necessitas, quando succedit phrenesis, non tamen ex hoc fit, quod non sit superuentura in aliis casibus, quando timetur superuenturum aliud impedimentum. Deinde etiam quando cum periculo mortis superuenit phrenesis, superuenit etiam necessitas, nam in illa phrenesi, quamuis moraliter continua, possunt esse aliqua breuia lucida interualla, in quibus possit infirmus peccare, & ideo debet se contra hanc necessitatem præmunire.

4 Dicendum 2. *In tali casu infirmum nedum posse sumere viaticum, sed etiam teneri.* Quod ita accipi debet, vt obligatio sit proportionata superuenturo periculo, & impedimento; & proinde sit certa, si certum sit superuenturum periculum simul cum impedimento; & sit probabilis, si solum probabile sit; & dubia si dubium sit. Ratio est. Quia præceptum de viatico obligat pro vltimo tempore vitæ, quatenus cognoscitur. Et hoc tempus vltimum vitæ debet sumi moraliter, & quatenus vita animalis est coniuncta cum vita rationali, atque adeo cum vsu rationis: vnde superueniente phrenesi, aut quando infirmus amittit sensus, non amplius obligat, quamuis adhuc supersit vita; non obligat fatuos, & quoscunque qui non habent vsum rationis. Rursus obligat pro vltimo tempore vitæ cōiuncto cum facultate adimplendi, quia hac sublata desinit etiam præceptum. Tunc autem, quando cognoscitur superuenturum mortis periculum, & impedimentum, est vltimum tempus vitæ coniunctum cum facultate adimplendi præceptum, & ideo incipit vrgere obligatio præcepti.

5 Dices. Tunc infirmum per accidens subtrahi obligationi præcepti, quatenus ante impedimentum non adest periculum mortis, atque adeo nec etiam obligatio præcepti; superueniente autem periculo, quia superuenit etiam impedimentum, impeditur obligatio præcepti. Sed reiicitur hæc responsio. Quia præceptum non obligat præcisè ratione periculi, sed quia periculum facit, quod illud sit vltimum tempus vitæ, in quo maximè est necessarium hoc sacramentum; & ideo obligatio ex eo consurgit, quod quis cognoscat se esse in vltimo tempore vitæ, in quo debeat muniri per hoc sacramentum pro transitu ad aliam vitam. Quando autem quis cognoscit superuenturum periculum vitæ, cognoscit, se esse in vltimo tempore vitæ, pro quo sibi debeat prouidere de viatico, vt transeat ad aliam vitam; & ideo incipit vrgere obligatio, quia jam cognoscit habere locum causam finalem præcepti, nempe indigentiam præmuniendi se viatico pro transitu ad aliam vitam. Sicut enim cessante causa finali legis cessat ipsa lex; ita etiam vbi causa finalis habet locum, habet locum etiam lex, & extenditur ad totum illud tempus, ad quod extenditur causa finalis. *l. His solis.* ver. *Satis etiam caute. C. de reuocan. donat.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait Senat. ff. de petit. hared.* & tradunt com-

communiter Doctores præsertim Tiraq. *in l. Si vnquam. verbo.* Libertus, *numer.* 45. *& seq. C. de reuocan. donat.*

6 Dices 2. Pro illo tempore nondum habere locum rationem, seu causam finalem præcepti, quia cum nondum adsit periculum mortis, nondum quoque adest talis indigentia, siquidem non adest extra periculum mortis. Resp. Extra periculum mortis non adesse talem indigentiam, quando non cognoscitur instare vltimum tempus vitæ, in quo prouidendum sit vitæ spirituali. Adesse tamen, quando cognoscitur adesse vltimum tempus vitæ aptum ad prouidendum vitæ spirituali mediante hoc sacramento. Quia cum indigentia non oriatur ex periculo mortis, sed ex vltimo tempore vitæ, in quo prouidendum est vitæ spirituali de viatico, quamuis nondum immineat periculum, adest tamen indigentia, quæ de præsenti exigit congruam prouisionem, ne postea fiat impossibilis, indigentia namque facit subintrare præceptum, non quatenus de præsenti vrgeat; sed quatenus de præsenti exigit sibi prouideri pro tempore opportuno. Sic etiam viaticum corporale est necessarium, quando arripitur iter, non quia de præsenti iter agens illius indigeat; sed quia indigentia superuentura exigit prouideri pro tempore opportuno. Quare tunc vrget præceptum, quando indigentia est præsens non secundum se, sed secundum exigentiam prouisionis.

7 Confir. Præceptum viatici obligat pro vltimo tempore vitæ, quatenus se debet quisque præparare pro transitu ad aliam vitam, ita vt terminus correlatiuus præcepti, seu subiectum, quatenus terminans obligationem sit homo, quatenus se debet præparare pro transitu ad aliam vitam. Ergo tunc obligat, quando se debet præparare, siquidem posito vno correlatiuo ponitur, & aliud; & præceptum obligat secundum exigentiam rectæ rationis, cuius regulis obligatio se conformat. Quando autem quis cognoscit superuentuum periculum vitæ, & etiam impedimentum, ne sibi prouidere possit de viatico, regulæ rationis exigunt, quod anticipet prouisionem subsidii tam necessarii; & stultum esset, sinere labi tempus opportunum, & se reducere ad tempus, in quo non possit amplius sibi prouidere; Ergo tunc obligabit præceptum, quia obligat in subsidium rectæ rationis exigentis hanc prouisiodem, atque adeo tunc, quando ipsa exigit.

8 Dices. Qui præuidet se non posse adimplere præceptum communionis Paschalis tempore debito, non tenetur anticipare, vt tradunt quamplures Doctores, quos ego citaui & sequutus sum *in theol. moral. disp.* 118. *sect.* 11. *num.* 53. *& sequent.* Ergo neque qui præuidet se impeditum futurum in periculo mortis, tenebitur anticipare. Resp. neg. conseq. Quia communio Paschalis ante tempus prefixum non obligat, cum non extendatur obligatio ad tempus antecedens ratione præuisionis impedimenti; at in casu præsenti obligatio extenditur, quia extenditur exigentia prouisionis de viatico, quam tunc exigunt regulæ rectæ rationis, in quarum subsidium, vt dictum est, impositum est præceptum. Nec siquis omittat communionem tempore Paschali; carebit aliquo præsidio pro illo tempore determinate necessario: sicut careret, qui potens præmittere prouisionem viatici, antequam vrgeret periculum mortis, non præmitteret, & impediretur postea præmitti. Et ideo cum præceptum intendat subuenire homini, & prouidere, ne careat tali præsidio, subintrat, quando subintrat tempus prouidendi, & recta ratio exigit, quod prouideatur.

9 Ex his colligitur, Quod si quis ex reuelatione sciret, se propediem moriturum improuisa morte; quamuis tunc, quantum est ex causis secundis, nullum immineret periculum mortis, teneretur, se munire viatico, quia iam instaret vltimum vitæ, pro quo præcep-

ceptum obligat. E contra verò, si quis esset in periculo mortis, sed per reuelationem certam sciret, quod non esset tunc moriturus, non teneretur hoc præcepto, quia illud tempus nec in re, nec in apprehensione esset vltimum vitæ, hoc autem præceptum obligat solum pro vltimo tempore vitæ. Vnde cognitio certa, quod non esset mors superuentura, præualeret cognitioni probabili, quæ ex diuersis motiuis formaretur de superuentura morte, & excluderet obligationem præcepti.

10 Colligitur 2. In casu, in quo considerata qualitate infirmitatis dubitaretur de superuentura morte; considerratis autem influxibus astrorum, quæ maximè possunt circa morbos, atque adeo circa mortem ex ipsis causandam, aut sanitatem inducendam [vt proinde talis pars Astrologiæ sit permissa per constitutiones Summorum Pontificum] non esset mors subsequutura, etiam si quantum patitur ars astrologica, hoc pro certo haberetur, vrgere præceptum de viatico, quia influxus astrorum, ex quibus prænunciatur sanitas, non tollunt de præsenti infirmitatem, atque adeo nec periculum, quod ab ipsa inducitur: nec facit quod sanitas sit certò recuperanda, & consequenter, nec certificat absolute, quod non instet vltimum tempus vitæ, & ideo non potest impediri obligatio, quam inducit præceptum stante, quod in infirmitate apparet vltimum vitæ.

An celebrans possit vti parte suæ hostiæ pro ministrando viatico. Quæst. 253.

S V M M A.

1 *Celebrans vti potest parte propria hostiæ pro ministrando viatico.*

2 *Idem panis conseruatus adhiberi potest pro offerente, & pro cœteris.*

3 *Quod sacerdos deputet pro se hostiam, non tollit quin possit de ipsa alteri tribuere.*

---

1 Casus accidere potest, si quis in Ecclesia, dum sacerdos iam consecrauit, incidat in periculum mortis, aut si ipsi nuncietur, quod indigeat viatico, nec adsit vnde aliunde ministretur. Dicendum autem est. *Posse vti parte sua hostia ad ministrandum viaticum.* Ita Syluester *verbo*, Eucharistia 3. *num.* 15. Angelus *verbo*. Missa. *numer.* 27. D. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. *numer.* 3. Posseuin. *de offic. cur. cap.* 8. *num.* 13 Paludan. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *artic.* 5. *conclus.* 26. *num.* 26. Camerota *de sacram. cap.* 9. *dub.* 7. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 27. Branc. *quæst.* 5. *de Eucharist. oun.* 1. *num.* 13. Auersa *quæstion.* 10. *de Euchar. sect.* 5. ver. *Tertio.* Qui volunt, id esse licitum etiam, quando ministratur Eucharistia ob deuotionem, nec adest alia particula. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 22. *num.* 21. qui vult, id esse licitum etiam existente alia particula. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 38. *numer.* 31. Zanard. *in Direct. tract. de euchar. capit.* 9. *quæst.* 15. Zambran. *cap.* 3. *decis. de Euchar. dub* 6. *num.* 7. Qui volunt id solum esse licitum in præsenti casu, quando est ministrandum viaticum.

2 Ratio autem est. Quia sacrificium ex sui natura ordinatur non solum ad reficiendum spiritualiter offerentem, nempe celebrantem, sed etiam cæteros; nec repugnat naturæ sacrificii, quod idem panis offeratur, & consecretur, & postea frangatur tam ad cibandum sacerdotem, quàm cæteros, immò in veteri Ecclesia ita fiebat, unde Apostolus 1. Ad Corinth. capit. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Er-

so

go potest sacerdos uti particula suæ hostiæ pro ministrando viatico, Quia neque in hoc adest aliqua indecentia; nec extat aliqua prohibitio; & ad summum obstare potest consuetudo, quæ dato, quod obligaret, non obligaret contra necessitatem ministrandi viaticum, quæ præualet etiam præcepto de seruando ieiunio ante sumptionem Eucharistiæ.

3 Dices, Sacerdos totam hostiam deputauit pro se ipso; ergo non potest vti parte ipsius pro ministrando viatico, Resp. Quod sicut deputatio facta est ex libera voluntate ipsius; ita etiam ex libera voluntate ipsius, præsertim concurrente necessitate, mutari potest. Nam libera deputatio ipsius non operatur, quod ex natura sacrificii sit illa portio determinata pro ipso, si quidem non immutat eius naturam, per quam habet, quod sit participabile à coeteris, sed relinquit in suo statu; & ideo vt etiam quis possit participare de portione sacerdotis, sufficit mutatio voluntatis eiusdem sacerdotis.

An pluries in eadem infirmitate possit ministrari viaticum.

Quæst. 254.

S V M M A.

1 *Eucharistia pluries ministrari potest infirmis ex deuotione.*
2 *Cessante periculo mortis non potest ministrari viaticum.*
3 *Viaticum an pluries ministrari possit in eadem infirmitate, & num. seq.*
4 *Quid desumatur ex Rituali Romano.*
5 *Viaticum pluries ministrari est secundum naturam sacramenti.*
6 *Præceptum ieiunii non impedit viaticum pluries ministrari.*
7 *Quod viaticum ministretur non ieiunis, ne ipso moriantur; est causa impulsiua.*
7 *Cessante causa impulsiua non cessat dispositio legis.*
7 *Dispositio extenditur ad extensionem causæ finalis.*

1 QVod possit pluries ministrari Eucharistia ob deuotionem, non vertitur ab aliquo in dubium, quia est eadem ratio, ac de sanis, tunc tamen ministranda est tantum ieiunis, ita vt nihil penitus sumpserint etiam per modum medicinæ, nam militat præceptum, quod sumatur à ieiunis. Vnde solum dubitatur, an possit pluries ministrari tanquam viaticum in eadem infirmitate. Et quia vt ministretur Eucharistia tanquam viaticum, requiritur periculum mortis, vt dictum est supra, ideo si diminuatur infirmitas, ita vt cesset periculum mortis, non poterit amplius ministrari; vnde difficultas remanet, quando infirmitas remanet in eodem statu, aut etiam crescit periculum mortis, aut saltem durat, licet diminuta sit infirmitas.

2 Prima sententia asserit, non posse pluries ministrari. Ita Vasquez 3. *par. disp.* 211. *cap.* 4. *num.* 37. Præposit. *quæst.* 80. *ar* 8. *dub.* 2. *num.* 43. ver. *Resp. tertiò.* Ochagauia *de sacram. tract.* 2. *de Eucharist. quæst.* 12. *num.* 10. Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscien. q.* 5. *de Eucharis. dub.* 4. *conclus.* 3. Chellisson. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 8. ver. *Not.* 2. Gamach. *tom.* 3. *sum. cap. vlt. in fin.* Fundamentum est, Quia in tantum permittitur ministrari ab Ecclesia non ieiunis, in quantum si non ministraretur, adesset periculum, quod morerentur absque hoc sacramento, vt habet D. Th. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 4. Si autem semel ministretur, cessat hæc ratio, & præceptum sumendi Eucharistiam.

3 Secunda sententia asserit, posse pluries ministrari. Ita Syluester cum Goffredo, & Parisiensi *verbo.* Eucharistia 3. *num.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 12.

Pasqualig.

quæst. 1. *ar.* 8. Victoria *in sum. num.* 82. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 38. Tabiena *verbo*. Communicare, *numer.* 48. Armilla *num.* 18. qui tamen limitat ad casum, in quo infirmus post sumptum viaticum peccaret moraliter. Nauar. *consil.* 41. *de poenit. & remissio.* Suarez *disp.* 68. *de Eucharist. sect.* 5. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 50. *num.* 1. Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 8. *numer.* 53. Faoundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 20. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæstion.* 6. *pun. vlt. num.* 20. Isambert. 3. *par. quæstion.* 80. *disp.* 4. *ar.* 2. ver. *Casus autem.* Tolet. *lib.* 6. *sum. capit.* 15. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenitent. num.* 120. Hurtad. *disp.* 9. *de Euchar. difficul.* 16. ver. Suarez *verò*. Nugnez 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 10. Syluius. *ar.* 9. Castaldus *lib.* 4. *praxis coeremon. sect.* 14. *cap.* 8 *num.* 5. Maior. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *ad* 5. Granad. 3. *par. controuer.* 6. *tract.* 10. *disp.* 8. *num.* 10. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Euchar. dub.* 5. *num.* 4. Possevin. *de offic. curati cap.* 8. *num.* 21. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 238. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 20. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 21. *disp. vnica, pun.* 13. *num.* 14. Mercer. *de sacram. quæst.* 80. *artic.* 8. *num.* 3. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 4. *num.* 84. Marchan. *in resolut. pastoralib. de sacram. tract.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 4. *casu* 1. Fragos. *lib.* 5 *de regim. Reip. disp.* 12. *num.* 66. Hieron. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficul.* 3. *dub.* 4 *pun.* 2. *num.* 17. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 8. *de Eucharist. numer.* 14.

4 Dicendum est. *Eucharistiam posse tanquam viaticum ministrari pluries in eadem infirmitate.* Desumitur ex Rituali Romano *edito iussu Pauli V.* Tit. *de commun. infirmor.* vbi loquens de viatico habet. *Pro viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si æger sumpto viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis euaserit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit.*

5 Ratio autem est. Quia sacramentum ex natura sua est iterabile etiā singulis diebus. Nec vlla adest prohibitio, quod infirmis constitutis in periculo mortis ministretur pluries; imo quod pluries ministretur, est secundum naturam sacramenti, quod, cum sit per modum cibi spiritualis confortantis vitam spiritualem, debet pluries ministrari tunc maximè, quando magis necessarium est, vt contingit in constitutis in periculo mortis, qui indigent maximè auxilio Dei ad vincendas tentationes, quod per hoc sacramentum confertur. Ergo poterit pluries ministrari.

6 Dices. Obstare præceptum ieiunii, quod tantum pro vna vice relaxatur. Sed hoc reiicitur ex dictis supra, vbi ostensum est, quod præceptum de ieiunio in ordine ad viaticum absolutè cessat, atque adeo toties, quoties ministrandum erit. Deinde Concil. Constantiense *sess.* 13. absolutè declarat, tale præceptum non habere locum in infirmis, non autem coarctat ad vnicam vicem. Denique Rituale Romanum *tit. de commun. infirmorum.* concedens posse pluries ministrari, vt visum est *num.* 4. subdit absolutè, quod breui morituris potest dari non ieiunis: coeteri autem infirmi debeant sumere ieiuni. Vnde cum distinguat duo genera personarum; nempe breui morituros, & infirmos, & illis dicat posse ministrari non ieiunis; his autem non nisi ieiunis, poterit ministrari semper non ieiunis, quoties illis ministrabitur, siquidem hunc modum ministrandi assignat absolutè pro breui morituris.

7 Ad fundamentum in oppositum resp. Ecclesiam permittere, quod viaticum ministretur non ieiunis, breui morituris, ne moriantur sine hoc sacramento tanquam ex causa impulsiua: non autem tanquam ex causa finali: nam causa finalis est, vt roborentur contra tētationes, & conseruent vitam spiritualem; cessante autem causa im-

pul-

pulsiua non cessat dispositio legis, vt notant Bald. *consil.* 337. *num.* 2. *lib.* 3. Dec. *in l. Cum proponas* 2. *num.* 4. C. *de pactis*. Hippolit. *in l. Siquis indicum num.* 2. *ff. de quæst.* Paris. *consil.* 4. *numer.* 35. *vol.* 4. Surd. *consil.* 298. *num.* 33. Tiraquel. *tract. cessante causa. limit.* 1. *num.* 2. Rota *decis.* 347. *num.* 3. *par.* 1. *recent.* Imò extenditur ad extensionem causæ finalis, ita vt comprehendat ea omnia, in quibus militat eadem ratio finalis. *l. His solis*. ver. *Satis etiam caute*. *C. de reuocan. donat.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus*. *ff. de petit. hæred.* & cū pluribus tradidi *Centur.* 2. *quæst. canon. quæstion.* 147. *numer.* 3.

Quando possit viaticum secunda vice administrari. Quæst. 255.

S V M M A.

1 *Viaticum repeti posse post commissum peccatum mortale quidam docent.*
2 *Posse repeti post octo, aut decem dies alii censent.*
3 *Post sex dies aliorum opinio.*
4 *Tertio quoque die ministrari posse docent alij.*
5 *Altero quoque die nonnulli putant.*
6 *Posse ministrari etiam singulis diebus, quibusdam placet.*
7 *Attendendam consuetudinem, volunt nonnulli.*
8 *Quot dies iuxta Ritnale Romanum inter vnam, & aliam administrationem debeant intercedere.*
8 *Dictio*, Aliquis *habet significationem pluralem.*
8 *Numerus pluralis saltem duo requirit.*
9 *Dictio*, Aliquot, *quid importet.*
10 *Ob quam nutritionem spiritualem sumatur viaticum.*
11 *Ius determinat quando de nouo ministrari possit viaticum.*
12 *Viaticum an frequentius aliquando ministrari possit, quam ex Ritnali colligatur.*
12 *Sacramenta causant gratiam secundum mensuram dispositionis.*

1 CVm viaticum pluries ministrari possit, difficultas remanet quot dies debeant intercedere inter vnam, & aliam administrationem. Prima autem sententia tenet, quod tunc repeti potest viaticum, quando contingit, quod post sumptionem ipsius infirmus peccet mortaliter. Ita Tabiena *verbo.* Communicare. *num.* 48. Armilla *num.* 18. Et fundamentum esse potest, quia sicut tunc debet per sacramentum poenitentiæ recuperare gratiam, seu vitam spiritualem, ita etiam debet per viaticum nutrire, & corroborare.

2 Secunda sententia afferit, viaticum repeti posse post octo, aut decem dies. Ita Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 50. *num.* 1. Suarez *disp.* 68. *de Euchar. sect.* 5. Tolet. *lib.* 6. *sum. cap.* 15. Nugn. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 10. Sylnius *ar.* 9. Isambert. *disp.* 4. *ar.* 2. ver. *Casus autem.* Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. numer.* 120. Hurtad. *disp.* 9. *de Euchar. difficul.* 16. ver. *Suarez verò*, Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 8. *num.* 53. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 20. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæst.* 6. *pun. vlt. numer.* 20. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tra.* 8. *de Euchar. num.* 15. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *difficul.* 38. *num.* 8. & in idem recidit Syluius *par.* 3. *quæst.* 80. *ar.* 9. dum putat, posse ministrari post septem dies.

3 Tertia sententia afferit, viaticum ministrari posse de nouo post sex dies. Ita Maior *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *ad* 5. Mercer. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 8. *numer.* 3. Granad. 3. *par. controuer.* 6. *tract.* 10. *disp.* 8. *num.* 10. Zambran.

in suis decis. cap. 3. de Euchar. dub. 5. num. 4. Posseuin. *de offic. Curati, cap. 8. num. 21.* Filliuc. *tract. 4. capit. 8. num. 38.*

3 Quarta sentent. docet, quod ministrari possit viaticum tertio quoque die. Ita Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. quæst. 7. de Eucharis. art. 10. difficul. 4.* asserens hoc fuisse approbatum à Vasquez.

5 Quæ sententia adhuc magis restringit tempus, vult enim, quod si infirmus sit solitus sumere frequenter Eucharistiam, & difficile abstineat, possit ipsi viaticum ministrari altero saltem die. Ita Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 6. num. 22.*

6 Sexta opinio adhuc magis ampliat ministrationem viatici in fauorem infirmi: vult enim absolute, quod possit ministrari singulis diebus. Ita Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 13. num. 14.* Et in hoc videtur inclinare etiam Martin. à S. Ioseph *trac. 1. Moral. lib. 1. tra. 8. de Eucharis. num. 15.* Dicastil. *De sacram. tract. 4. de Eucharis. disp. 9. num. 15. num. 334.* Harum autem omnium sententiarum fundamentum esse potest. Quia in hoc nihil in iure decernitur, neque est contra reuerentiam sacramenti frequenter ministrari; è contra verò maximè prodest ægroto; & proinde cum simus in fauorabilibus, amplianda est ministratio, quantum fieri potest.

7 Septima denique sententia nullum assignat tempus determinatum, sed vult standum esse consuetudini, quæ in diuersis Ecclesijs potest esse diuersa. Ita Caspens. *tom. 2. curs. theol. disp. 9. de Euchar. sect. 4. numer. 48.* Hieron. Garzia *in sum. tract. 3. difficul. 5. dub. 2. pun. 4. num. 51.* & alii recentiores.

8 Dicendum est. *Viaticum non posse de nouo ministrari, nisi inter vnam, & alteram sumptionem non intercedant saltem quatuor dies regulariter loquendo.* Hoc autem desumitur ex Rituali Romano *Tit. de commun. infirmor.* vbi habet, quod si æger dies aliquot vixerit, poterit rursus sumere. Vnde sic conficitur ratio. Si Rituale diceret, quod posset ministrari, si æger superuiueret aliquem diem, deberent transire saltem duo dies à prima ministratione, antequam rursus posset ministrari, quia dictio, *Aliquis*, licet singulariter proferatur, habet tamen vim pluralem *l. Si verò plures. §. Ait prætor. ff. de his, qui deiec.* & *l. Si seruitus ff. de seruit urban. prædior.* & notant Doctores Cardin. *in Clem. 1. de præben.* Peregrin. *de fideicom. ar. 19. num. 17.* & *ar. 52. numer. 61.* Rota *decis. 668. num. 5. par. 2. recent.* Vnde cum pluralis numerus saltem duo requirat. *leg. Vbi numerus. ff. de testib.* & *l. Inter illa. §. fin. ff. de verbor. obligat.* & Capit. *Pluralis. de reg. iur. in 6.* deberent inter vnam, & alteram sumptionem viatici intercedere saltem duo dies.

9 Cum ergo dicat, *Si aliquot dies vixerit*, necesse erit, quod intercedant saltem quattuor dies, quia pluralitas dictionis, *Aliquot*, importat plurificationem significati dictionis *Aliquis*, atque adeo pluralitatem illius pluralis, quod importatur per dictionem *Aliquis*, Siquidem, vt dictum est *num. præced.* pluralis numerus requirit saltem duo singularia, & ideo numerus pluralis aliquot, requirit saltem duo singularia dictionis *Aliquem*; quodlibet autem singulare *Aliquis* requirit aliquam pluralitatem in eo, cui tribuitur, vt dictum est *num præced.*

10 Ad fundamentum 1. sententiæ. Resp. Viaticum ministrari ad nutriendam, & fouendam vitam spiritualem; hoc autem habet locum non solum, quando de nouo recuperatur per poenitentiam, sed etiam quando iam per Eucharistiam est iam nutrita, vt constat, quando sumitur ob deuotionem: vnde etiam cibus corporalis continuò adhiberi potest. Imo si solum posset ministrari de nouo, quando infirmus post primam sumptionem peccaui: mortaliter, eo ipso, quod de nouo sumeret viaticum, indirectè manifestare-

retur, quod peccauerit mortaliter, si peccatum esset occultum.

11 Ad alterum fundamentum respon. In iure adesse determinationem, quando de nouo ministrari possit viaticum, nam Rituale Romanum quoad ea, quæ in ipso præscribuntur facit ius; siquidem Pontifex in Bulla præfixa eidem Rituali exhibet, quæ in ipso præscribuntur tanquam de iure obseruanda, vt constat ex illis verbis fin. *Inuiolatè obseruent*.

12 Ex his colligitur. Hanc esse regulam circa ministrationem Viatici, vt non possit de nouo ministrari, nisi inter vnam, & alteram sumptionem intercedant saltem quatuor dies. Quæ tamen regula cum suis limitationibus iuxta diuersitatem circumstantiarum accipienda est, quia datur pro eo, quod regulariter contingit. Vnde si quis indigeret frequentiori sumptione obtentationes, quibus premeretur, aut ex aliquo alio capite, possent reduci ad praxim illorum opiniones, qui concedunt, posse frequentius ministrari. Sic etiam, si quis in phrænesi, aut ita morbo oppressus sumeret viaticum, vt non perciperet, quid faceret, si postea ad sereuerteretur, & instaret periculum mortis; posset etiam sequenti die de nouo sumere; vt scilicet etiam ex propria dispositione fructum perciperet, siquidem sacramenta causant gratiam iuxta dispositionem suscipientis, vt habet Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7.* & docent communiter Scholastici cum D. Th. *3. par. quæst. 69. ar. 8.* Et ita his Romæ cum quodam Eminentissimo practicatum est, qui cum sumpsisset viaticum fere extra se ipsum, & postea vix recorderetur, se sumpsisse, pestero die cum magna deuotione sumpsit.

An quando infirmus non potest sumere viaticum, possit deferri Eucharistia, vt adoretur.

Quæst. 256.

SVMMA.

1 *Eucharistia non potest deferri ad infirmos, vt adoretur.*
1 *Eucharistia cur conseruetur.*
1 *Eucharistiæ vsus tum ex sua institutione, tum ex pietate fidelium.*
2 *Eucharistia cur aliquando exhibeatur singularis, & solemnis veneratio.*

---

1 QVod Eucharistia non possit deferri ad infirmos, vt adoretur, vel in quemcunque alium finem, præterquam pro sumptione, statuitur in Rituali Romano Pauli V. *Tit. de commun. infirmor* Ibi. *Sed alicui ad adorandum solum, seu deuotionis, seu cuiusuis rei prætextu ad ostendendum non deferatur*. Et ita notant Riccius *decis. 23. num. 7. par. 4.* Barbosa *de parochis cap. 20. num. 44.* citans Zerolam, & Zipæum Armandariz *ad leg. Nauar. in addit. lib. 4. tit. 29. l. 1. §. 1. de confit. semel. in anno. n. 9.* Et ratio est. Quia Eucharistia, quamuis ipsi sit debita adoratio, non est tamen instituta, neque conseruatur, vt adoretur, sed vt sit cibus spiritualis, & vt possit ministrari infirmis pro refectione spirituali, vt habet Concil. Trident. *sess. 13. cap. 6.* Et ideo non debet deferri in alium finem, quia quicunque alius finis non esset consentaneus sacramento.

2 Dices Eucharistia exponitur adoranda, defertur in processionibus. Ergo habet alium vsum, quam esse cibum,

bum, & proinde poterit deferri infirmis pro alio vsu, nempe vt adoretur. Resp. Habere alium vsum, non ex sua institutione; sed ex pietate, & religione fidelium: qui ad testandam gratitudinem pro tanto beneficio, & ad repræsentandam mortem, & triumphum Christi, vt habet Concil. Trident. *sess. 13. cap. 5. de Eucharistia.* exhibent aliquando singularem venerationem huic sacramento mediante publico cultu. Hic autem cultus est valde consentaneus tanto sacramento, & ideo ex praxi Ecclesiæ introductus est; & dum Eucharistia conseruatur, vt cibus spiritualis, æquum est, quod exhibeatur debitus cultus. At quod deferatur ad infirmos solum adoranda, non est cultus consentaneus ipsius, nec venit in consequentiam ex eo, quod sit cibus spiritualis; nec talis delatio ab ipsa exigitur, sicut exigitur cultus, & aliquando etiam solemnis veneratio ex eo, quod conseruatur vt cibus spiritualis, & ideo illa delatio non est introducta ab Ecclesia.

An Eucharistia deferri possit in nauigiis pro viatico, quando insurgit necessitas. Quæst. 257.

S V M M A.

1 *Eucharistia in nauigiis an exponatur periculo submersionis.*
2 *Eucharistia an possit conseruari in nauigiis pro viatico.*
3 *Non est contra reuerentiam, quod conseruetur.*
4 *Eucharistia quando seruari possit in nauigijs.*
5 *Eucharistia conseruata in nauigijs quando adhiberi possit.*

1 Videtur negatiuè respondendum. Quia exponeretur periculo submersionis, & proinde fieret contra debitam reuererentiam sacramenti. Verum hæc ratio non vrget, quia quando instat periculum submersionis, instat etiam obligatio sumendi viaticum: vnde tunc posset tota consumi, & hoc pacto obuiari periculo submersionis.

2 Dicendum ergo est. *Eucharistiam conseruari posse in nauigiis in decenti loco pro ministrando viatico.* Ita Granad. *3. par. controuer. 6. tract. 14. disp. 13. num. 6.* Martinus à S. Ioseph. *tom. 1. moral. tract. 14. de Eucharis. n. 10. in fine.* Et debent ita sentire ii omnes, qui volunt, posse in nauigiis celebrari, quos citaui *in decis. mor. lib. decis. ... num. ...* Et quod antiquitus consueuerit deferri Eucharistia in nauigiis, desumitur ex D. Gregor. *lib. 3. dialog. cap. 36.* D. Ambros. *in orat. de obitu Fratris Satyri,* Baron. *tom. 1. anno 57.* & *tom. 9. anno* 401.

3 Ratio autem est. Quia hoc neque est contra reuerentiam sacramenti, cum possit in nauigiis cum æquali reuerentia conseruari, cum qua conseruatur in Ecclesis. Nec contra prohibitionem Ecclesiæ; nam nulla extat huiusmodi prohibitio. Imo Concil. Trident. *sess. 13. cap. 6.* approbans vetustissimum vsum conseruandi Eucharistiam, supponit solum, quod conseruetur in sacrario, non autem meminit, quod conseruanda sit in Ecclesiis. E contra verò est maxime vtile, imo necessarium, quod conseruetur, aliquin in longis nauigationibus plures morerentur absque viatico, & priuarentur tanto subsidio in illa extrema necessitate.

4 Ex his colligitur. Quod tunc solum seruari poterit in nauigiis Eucharistia; quando simul in ipsis reperitur aliquis, qui possit tanquam debitus minister eam ministrare. Cum enim seruetur in ordine ad vsum, debent concurrere omnia, quæ necessaria sunt, vt possit haberi vsus ipsius, ita vt vnum non debeat separari ab alio. Quod si contingeret ministros debitos mo-

mori; adhuc tamen Eucharistia seruari deberet, quouisque debito modo consumi posset iuxta accidentia, quæ occurrere possunt.

5 Colligitur. 2. Si contingeret Eucharistiam seruari in nauigio, nedum adhiberi posset pro viatico, sed etiam pro communione sanorum ex deuotione. Quia licet seruaretur ob viaticum ministrandum, occasionaliter tamen posset inseruire pro communione ex deuotione. Quia licet non liceat sumere Eucharistiam extra Ecclesiam ita declarante praxi, potest tamen sumi in loco, vbi conseruatur, quia si locus aptus est, vt ibi conseruetur, & adoretur cum debita reuerentia; erit etiam aptus, vt ibi ministrari possit.

An si infirmus extra periculum mortis, non potest seruare ieiunium, possit adhuc illi ministrari Eucharistia. Quæst. 258.

S V M M A

1 *Infirmus, qui non potest seruare ieiunium, potest extra periculum mortis non ieiunus communicari pro implendo præcepto communionis Paschalis.*
2 *Præceptum communionis paschalis præualet præcepto de ieiunio seruando ante Eucharistiam, & strictius obligat.*
3 *Eucharistia ministrari potest ob deuotionem non ieiuno infirmo, qui non potest seruare ieiunium.*
2 *Epichia quando locum habeat.*
3 *Lex vt obliget debet esse moraliter possibilis.*
4 *Lex ordinatur ad bonum subditorum.*
5 *Licentia Episcopi an necessaria, vt Eucharistia ministretur infirmo non ieiuno, si non possit seruare ieiunium.*
5 *Quando constat legem non posse seruari sine detrimento habet locum epichia.*
6 *Quid si sit tantum probabile.*

1 Difficultas procedit de eo infirmo, qui non est in periculo mortis; sed tamen est taliter dispositus, vt nequeat per plures horas abstinere à cibo, sed cogatur identidem aliquid sumere. Rursus etiam non solum dubitatur de communione Paschali, sed etiam de communione ex deuotione. Dicendum autem est. *Extra periculum mortis, ministrari posse Eucharistiam infirmo non ieiuno, quando nequit sine graui incommodo per plures horas abstinere à cibo, & est implendum præceptum communionis Paschalis.* Ratio autem est, Quia præceptum communionis Paschalis, & præceptum deseruando ieiunio ante ipsam simul concurrunt, & incompossibilia sunt in eadem persona, ita vt non possit vtrumque seruare. Ergo est seruandum id quod est principalius, tanquam præualens alteri præcepto. Præceptum autem communionis Paschalis est magis principale, siquidem continet exequutionem præcepti diuini de sumenda Eucharistia. Confir. Ecclesia intendit strictius obligare præcepto communionis Paschalis, quam præcepto seruandi ieiunium pro Eucharistia, nam pro huius obseruantia non apponit aliquam poenam, pro obseruantia autem illius apponit poenam excommunicationis vt in capit. *Omnis vtriusq. sexus. de poenit. & remis.* Ergo de intentione ipsius est, quod si non possit seruari vtrumque, seruetur potius præceptum de communione Paschali.

2 Dicendum 2. Aliquibus visum fuisse quod, *Etiam si eucharistia ministranda sit ob solam deuotionem, potest ministrari infirmo, qui non potest se conseruare ieiunum pro ipsius sumptione, ad quod non possit sine graui incommodo per plures horas abstinere à cibo.* Et ita hic

hic Romæ in praxi seruatur à Curato S. Saluatoris in Campo viro non minus docto, quàm pio, Et ita forte tenere debent ii, qui volunt, quod Epichia locum habeat in lege, quando lex fit nimis acerba, & difficilis etiam in ordine ad priuatas personas, & quando quis ex obseruantia legis priuaretur notabili emolumento etiam temporali, vt Caiet. *in sum. verbo.* Festorum *violatio*. §. *de violentia autem*. Suarez *lib. 6. de legib, cap. 7. num. 13. & 14.* Felin. *in cap. si quando. numer. 11.* De *rescrip.* Angelus, *verbo.* Feriæ. *num.* 34. Rosella *ibid.* Palac. *in sum.* Caiet. verbo, *Festum*. Alcozer. *in sum. capit.* 17. Fernandez *part. 1. Examin. theol. mor. cap. 7. §. 1. numer. 6* Sanchez *lib. 5. consil. moral. capit. 2. dub.* 19. Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 5. par. 3. §. 2. numer. 4.* Merol. *tom. 2. theol. moral. disp. 4. cap. 8. dub. 2. difficul. 2. numer. 27. & sequen.* & alii quos citaui *in theol. mor. disp. 58. sect. 1. num. 3.*

3 Ratio autem illorum auctorum est. Quia lex, vt obliget debet esse moraliter possibilis in ordine ad obseruantiam, vt tradunt communiter cum D. August. *De natura, & gratia capit. 46. & 49.* & D. Tho. 1. 2. *quæst. 95. art. 3.* & habetur ex cap. *Erit autem*, & ex cap. *Denique dist. 4.* & ex *l. 1. §. Dies autem. ff.* Quando *appellandum sit*, Ergo quando fit moraliter impossibilis, desinit obligare tanquam ea, quæ caret intrinseca conditione, vt habeat vim obligandi; & ideo quando lex ieiunii in ordine ad sumendam eucharistiam fit moraliter impossibilis, non obligabit. Tunc autem fit moraliter impossibilis, quando non potest seruari ieiunium absque notabili incommodo, alioquin deberet semper infirmus carere eucharistia.

4 Confirmant lex est ordinata ad bonum commune, & etiam ad bonum subditorum, vt tradunt communiter cum Platone *Dialogo 1. de legib.* Arist. 3. *Ethicor. cap. 7.* D. August. *lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 11.* D. Tho. 1. 2. *quæst. 96. art. 4.* ita vt quando per se primò versatur circa actiones priuatas, intendat per se primò bonum priuatum, & hoc mediante bonum commune, Vnde D. Th. 1. 2. *quæst. 95. art. 3.* docet, quod lex in quantum est proportionata vtilitati humanæ debet proficere ad salutem. Ergo lex ieiunii de non ministranda eucharistia nisi ieiunis, quando non potest sine notabili incommodo seruari, non obligabit; nam tunc non esset vtilis, sed potius noceret, quia impediret fructum huius sacramenti, nec proficeret ad salutem, sed potius auferret, quæ ad salutem conducerent, vnde finis legis cessaret contrarie, quia pro vtilitate subintrraret nocumentum. Et ideo subintrare videtur epichia, quod in tali casu lex non obliget, vt pote potius noxia, quàm vtilis obseruanti,

5 Sed dubitant postea, an in tali casu requiratur licentia Episcopi. Et negatiuè resoluunt, Quia tunc solum adeundus est superior, quando sumus in dubio de obligatione legis, iuxta ea, quæ dixi *in theol. mor. disp. 58. sect. 2.* Quando autem sumus in claris, quod lex non possit seruari sine detrimento obseruantis, & quod sit nimis dura, & difficilis, habet locum Epichia, vt tradunt communiter, quia, vt inquit D. Th. 2. 2. *quæst. 120. art. 1. ad 3.* In manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione. Clarum autem prædictis auctoribus videtur, quod lex de non ministranda eucharistia, nisi ieiunis, non posset in præsenti casu seruari sine graui detrimento spirituali infirmi, quia priuaretur auxilio tam necessario ad salutem, & ad vincendas tentationes.

6 Immò addunt etiam si solum probabile esset, quod huiusmodi lex non posset seruari absque graui detrimento infirmi, adhuc haberet locum Epichia; vt desumitur ex Nauar. *in Manual. prælud. 9. num.* 16. Lorca 1. 2. *disp. 26. de legib.* quos sequutus sum in *theol. mor. disp. 58. sect. 3. num.* 16. Et ratio est, quia opinio probabilis est

suf-

ſufficiens ad regulandam operationem, vt ſit recta, & honeſta: vnde cum adſit probabilis opinio, quod in tali caſu lex ſeruari non poſſit ſine graui detrimento, vtens Epichia, quod lex non comprehendat caſum, operabitur ſecuudum opinionem probabilem, atque adeo recte, & honeſte.

Verum hæ doctrinæ videntur nimis laxæ, ex quo nullus celebris auctor, qui ſcripta ſua typis mandauerit pro illis adducatur; & praxis vnius certe non ſufficit, ad doctrinam adeo nouam indicendam. Standum eſt propterea communi ſententiæ &c.

De tempore, & modo miniſtrandi viaticum.

An in quocunque tempore miniſtrari poſſit viaticum. Quæſt. 259.

SVMMA.

1 *Interdicti tempore poteſt miniſtrari viaticum.*
2 *Interdicti finis qui nam ſit.*
2 *Ceſſante fine ceſſat prohibitio.*
3 *Viaticum tempore interdicti toties miniſtrari poteſt, quoties extra interdictum.*
4 *Damnatis ad mortem pòteſt tempore interdicti miniſtrari viaticum.*
5 *Poteſt miniſtrari iis omnibus, qui cenſentur eſſe in periculo mortis.*
5 *Ratio eadem facit, quod diſpoſitio comprehendat caſum.*

1 Difficultas procedit de tempore interdicti localis. Dicendum autem eſt. *Poſſe etiam tempore interdicti miniſtrari viaticum conſtitutis in periculo mortis*. Ita habetur ex Cap. *Quod in te.* De *poenit. & remiſ.* & Cap. *Permittimus* De *ſent. excommunicat.* & tradunt communiter Doctores. Gloſ. *in dict. cap. Quod in te.* verbo. *Concedimus.* vbi, & Doctores, item Gloſ. *in capit. Alma mater.* verbo. *Sacramentum.* De *ſentent. excommunicat. in 6.* Calderin. *de interdicto. par. 2. num.* 3. Henriquez *lib.* 13. *ſum. cap.* 45. *num.* 2. Nauar. *capit.* 27. *Manual. num.* 177. Couarru *in capit. Alma mater par.* 2. §. 2. *num.* 7. Sayr. *lib.* 5. *de cenſur. cap.* 7. *num.* 16. Vgolin. *de cenſur. tab.* 5. *cap.* 7. §. 6. Bonac. *diſp.* 5. *de cenſur. pun.* 2. §. 2. *numer.* 1. Zambran. *in ſuis deciſ. capit.* 3. *de Euchar. dub.* 5. *num.* 7.

2 Ratio autem eſt. Quia in articulo mortis ceſſat finis Interdicti, ſicut & cuiuslibet cenſuræ, ſi infirmus det ſigna poenitentiæ. Finis enim interdicti, & cuiuſuis cenſuræ eſt reſipiſcentia, atque adeo adhibetur per modum medicinę iuxta illud 1. Ad Corinth. cap. 1. *Vt reſurgat à peccatis, & ſaluus fiat in die Domini*, & habetur ex cap. *Notandum* 24. *quæſt.* 3. & capit. *Multi* 2. *quæſt.* 1. & cap. 1. *de ſent. excommunicat. in* 6. Hic autem finis non habet locum in infirmis poenitentibus, immò debet eorum poenitentia, quantum fieri poteſt, adiuuari ab Eccleſia, præcipuè per ſacramenta; & ideo debet etiam ceſſare prohibitio *l. Generaliter*. C. De *Epiſcop. & cler.* & *l. Adigere*. §. *Quamuis*. *ff. de iure patron.* & Cap. *Magnæ*. de voto, & Cap. *Cum ceſſante*. De *appellat.* Confir. Conſtituti in periculo mortis ſunt digni omni miſericordia, & debent adiuuari, quantum fieri poteſt, ad conſequendam ſalutem. Ergo non eſſet conforme pietati Eccleſiæ, quæ eſt omnium pia mater, exercere in ipſos diſtrictionem, & ſeueritatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

3 Dicendum 2. *Tempore interdicti non ſolum ſemel viaticum miniſtrari poſſe, ſed etiam toties, quoties miniſtrari poteſt extra dictum tempus*. Ita Zambran. *num.* 1. citatus. Ratio eſt, quia prohibitio miniſtrandi Euchariſtiam tempore interdicti non ſe extendit

dit ad constitutos in periculo mortis. Ergo relinquuntur in eo statu, in quo essent secluso interdicto. Vnde in dicto cap. *Quod in te. de penit. & remis.* absolutè conceditur ministrari posse viaticum absque limitatione ad vnicam vicem: imo coniunguntur simul viaticum, & sacramentum poenitentiæ, vnde sicut pluries sacramentum pœnitentiæ ministrari poterit, ita etiam viaticum.

4 Ex his colligitur cum Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 45. *num.* 2. Alterio *de censur. disp.* 4. *cap.* 4. *dub.* 2. Suarez *de censur. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 29. Bonac. *disp.* 5. *de censur. pun.* 3. §. 2. *nu.* 5. Non solū constitutis in periculo mortis posse interdicti tempore ministrari Eucharistiam; sed etiā damnatis ad mortē, quia quamuis ipsi non sint ab intrinseco in periculo mortis, sunt tamen morti propinqui ratione extrinsecæ sententiæ, & ideo militat in ipsis eadem causa finalis, ob quam prohibitio ministrandi Eucharistiam tempore interdicti non extendatur ad ipsos.

5 Colligitur 2. Tempore interdicti ministrari posse iis omnibus, qui censentur constituti in periculo mortis, de quibus dictum est supra *quæst.*.... vt sunt suscepturi longam nauigationem, & periculosam, præliaturi, mulieres primò pariturae, & etiam quæ patiuntur difficultatem in partu; vt notant Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 7. *num.* 18. Vgolin. *tab.* 5. *de censur. cap.* 7. §. 6. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *n.* 45. Bonac. *disp.* 5. *de censur. pun.* 3. §. 2. *num.* 4. & 5. & alii citati *num. præced.* Quia nimirum periculum mortis, in infirmis est ratio, cur prohibitio non extendatur ad ipsos, & proinde debet etiam operari, ne extendatur ad eos omnes, qui censentur esse in periculo mortis. Quia ratio eadem facit quod habeat locum dispositio, & comprehendat casum. *l. His solis ver. Satis etiam cautè. C. de reuocand. donat.* & *l. Item veniunt.* §. *Ait senatus. ff. de pet. hæred.*

An tempore interdicti deferri possit Eucharistia cum solemnitate ad infirmos. Quæst. 260.

S V M M A.

1 *Pompa, cum qua est deferenda Eucharistia ad infirmos.*
2 *Tempore interdicti deferenda Eucharistia cum pompa ad infirmos.*
2 *Concessa delatione Eucharistiæ censetur concessum quicquid venit in consequentiam.*
3 *Nomine officij diuini prohibiti in interdicto quid veniat.*
4 *Qualiter pulsatio campanarum prohibeatur in interdicto.*

1 Pompa, & solemnitas, cum qua defertur Eucharistia ad infirmos, est illa, quæ præscribitur in Rituali Romano, *tit. de communione infirmor.* nempe cum lumine, Baldachino, seu vmbella, recitatione Psalmorum, & tintinnabulo pulsante, quæ proinde facit, quod delatio publico modo procedat.

2 Dicendum est autem. *Eucharistiam tempore interdicti deferendam esse infirmis cum solita solemnitate, & pompa.* Ita etiam Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 2. §. 2. *num.* 7. Nauar. *cap.* 27. *Manual. numer.* 179. Suarez *disp.* 33. *de censur. sect.* 1. *num.* 27. Henriquez *lib.* 13. *sum. capit.* 45. *numer.* 2. Vgolin. *tab.* 5. *de censur. num.* 7. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *num.* 45. Conich. *disp.* 17. *de censur. dub.* 2. *num.* 43. Alter. *disp.* 4. *de interdic. capit.* 4. *dub.* 6. alios citans Bonac. *disp.* 5. *de censur. pun.* 3. §. 2. *num.* 1. ver. *Dixi cum solita.* Ratio autem est. Quia cum sit concessa delatio Eucharistiæ, censentur etiam concessa, quæ veniunt in consequen-

-quentiam, & fine quibus commodè, hoc est cum debito cultu, & reuerentia non potest deferri. l. *Auibus. ff. de legat. 3. & l. 1. §. fin. ff. de eo, cui man. est iuris, & l. 2. ff. de iurisd. omn. iudic.* & notant Bald. *ibid. ver. Tu dic. plenius.* Curt. *ian. num. 2.* Dec. *num. 6.* Alciat. *num. 2.* Bolognet. *num. 18.* Menoch. *consil. 14. num. 8.*

3 Dices. Tempore interdicti est prohibitum officium diuinum. ergo etiam solemnitas, cum qua defertur Eucharistia infirmis, & præsertim recitatio Psalmorum; nam nomine officii diuini comprehenduntur omnes cœremoniæ sacræ, quæ spectant ad solemnem ritum sacramentorum, siue præparatoriè, siue concomitanter, siue consequutiuè, vt notat Syluester *verbo. Interdictum 5. num. 6.* Henriquez *lib. 13. sum. cap. 44. num. 1.* Couaruu. *in cap. Alma mater. 2. §. 5. num. 6.* Alterius *disp. 5. de censur. cap. 5.* Suarez *de censur. disp. 34. sect. 3.* Resp. Neg. conseq. Et ad prob. resp. Nomine diuini officii intelligi cœremonias sacras, quæ concernunt solemnem ritum sacramentorum, quæ per se primò sunt institutæ propter talem administrationem, & requirunt personas, seu ministros deputatos: non autem quæ per accidens exercentur, nec requirunt specialem ministrum, qualis est recitatio Psalmorum in deferenda Eucharistia, pulsatio tintinnabuli, nam per accidens concurrunt, nec requirunt personam auctoritatiuè deputatam; nec concernunt administrationem sacramenti, sed inseruiunt solum ad excitandam deuotionem, & venerationem in populo. Deinde dato, quod venirent nomine diuini officii prohibiti per interdictum, dum conceditur delatio, & ministratio Eucharistiæ quoad moribundos, censetur etiam concessa hæc solemnitas, & eo magis, si per se concerneret administrationem viatici.

4 Dices 2. Tempore interdicti specialiter prohibetur pulsatio campanarum, vt in cap. *Alma mater. de sent. excommunicat. in 6.* Ergo neque in deferenda Eucharistia erit pulsanda campanula. Resp. Prohiberi pulsationem campanarum in ordine ad diuina officia: nam solum statuitur, quod missa, & diuina officia celebrentur campanis non pulsatis, quia nimirum, cum non sit populus admittendus ad diuina officia, neque etiam est per campanas conuocandus. Non autem prohibetur absolutè: Vnde poterunt pulsari campanæ pro congregando populo ad comitandam Eucharistiam, vt etiam notat Suarez *disp. 33. de censur. sect. 2. num. 28.* An autem possint campanæ pulsari cum gaudio negat Suarez, sed oppositum magis placet, si sit in vsu, quia prohibitio extenditur solum ad campanas pro diuinis officiis.

An in feria sexta Parasceues ministrari possit viaticum. Quæst. 261.

SVMMA.

1 *In Parasceue non potest ministrari Eucharistia.*
2 *Viaticum ministrari potest in Parasceue.*
3 *Rubrica iniungit absolute in cœna Domini seruari particulas pro infirmis.*
3 *Verba generalia absolute, & sine limitatione accipienda sunt.*
4 *Ritus Ecclesiæ cedit præcepto de viatico.*
4 *Infirmus habet ius ad viaticum.*
4 *In pœnam delicti potest priuari hoc iure.*
6 *Ecclesia cur non possit disponere, quod in Parasceue non ministretur viaticum.*
7 *Quomodo indirectè possit priuare aliquem viatico.*

1 Difficultas procedit ex suppositione, quod in illo die non possit ministrari Eucharistia, vt declarasse sacram Rituum Congre-

gat, *sub die 19. Februar. 1622.* refert Barbosa *de Parochis cap. 20. numer.* . . & sub *die 9. Maii 1606.* refert Gauant. *in Rubr. Missal. par. 4. tit. 9. numer. 25.* & ipse tradidi *in theol. moral. disp. 109. sect. 3. numer. 15.* cum aliis Doctoribus.

2 Dicendum est, *Viaticum ministrari posse etiam in feria sexta Parasceues;* Ita communiter præsertim ii qui tenent, quod liceat ministrare etiam sanis ob deuotionem Durand. *lib. 6. Ration. diuin. offic. cap. 77. num. 35.* Ledesma *par. 1. sum. cap. 19. post. 5. conclus.* Sanchez *in select. de sacram. disp. 22. num. 20.* Isambert. *3. par. quæstion. 80 disp. 5. ar. 1. vers. Quæres, an etiam.* & alii, quos attuli *cit. disp. & sect. num. 14.* Et fit certum ex Rubrica Missalis *in Feria 5. hebdomadæ maioris,* vbi ita statuitur: *Hodie sacerdos consecrat duas hostias, quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur sacramentum, Reseruat etiam aliquas particulas conseruatas, si opus fuerit, pro infirmis.*

3 Dices, Ex hoc non conuinci, quod viaticum ministrari possit etiam in Parasceue, nam dici posset, quod particulæ sint reseruandæ pro infirmis nempe pro reliquo illius diei, & pro Sabbatho subsequente, antequam sacerdos celebret. Sed hæc responsio subsistere non potest; nam Rubrica absolutè dicit, quod reseruentur particulæ pro infirmis, nec distinguit, quod debeant inseruire pro hoc, vel illo tempore. Ergo intelligit, quod reseruentur, tanquam possint inseruire toto illo tempore, in quo non est consecrandum, quia oratio absoluta, & generalis absolutè, & sine limitatione accipienda est. *l. 1. §. Generaliter. ff. de legat. præst.* & *l. In fraudem, ff. de test. milit.* & *l. Regula. §. fin. ff. de iur. & facti ignoran.* Deinde accedit etiam Praxis Ecclesiæ, quæ ita accipit Rubricam, seu potius Rubrica fundatur in praxi Ecclesiæ administrandi viaticum etiam in Parasceue.

4 Ratio autem est, Quia concurrit ritus Ecclesiæ prohibendi Eucharistiæ sumptionem pro tali die, & præceptum sumendi viaticum coniunctum cum spirituali necessitate infirmi, seu potius in ipsa fundatum. Ergo prohibitio Ecclesiæ non se extendit ad viaticum, quia non potest Ecclesia sine grauissima causa prohibere, quæ instituta sunt pro spirituali necessitate. Confir. Infirmus in illo statu habet ius ex vi institutionis sacramenti ad viaticum: siquidem, dum Christus illud instituit in sublevamentum vitæ spiritualis, dedit ius vnicuique ad ipsum, quando indiget tali sublevamento, quod tunc maxime contingit, quando imminet periculum mortis. Ergo non potest Ecclesia priuare aliquem hoc iure.

5 Dices, Aliquando priuasse aliquos viatico. Resp. Non priuasse, nisi in poenam alicuius grauissimi delicti, qualis erat idololatria, nam tūc censebat hoc necessarium ad deterrendos Christianos, ne apostatarent à fide: quæ tamen poena, tanquam nimis seuera, fuit postea sublata. In poenam autem delicti potest quisque priuari iure proprio.

6 Dices 2. Ecclesia habet potestatem à Christo disponendi circa sacramenta Ecclesiæ, salua tamen eorumdem substantia, vt habet Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2. de communione.* Ergo potest etiam disponere, quod viaticum pro aliquo die non ministretur. Resp. Habere quidem potestatem, non in destructionem, sed in ædificationem. Non esset autem in ædificationem, si pro aliquo die prohiberet ministrari viaticum morituro, quia priuaret ipsum tam salubri remedio, & præsidio.

7 Instabis, De facto prohibet, ne conficiatur viaticum pro infirmo, quando non potest confici cum vestibus sacris, &c. Ergo potest prohibere ministrationem viatici. Resp. neg. conseq. Nam aliud est directè prohibere ministrationem viatici; aliud præcipere aliquid, vnde postea per accidens

dens sequatur, quod non possit ministrari. Primo modo faceret contra ius infirmi: secundo modo vtitur iure suo. Sic potest quis arcere aquam à proprio fundo, licet inde sequatur inundatio alieni fundi. §. *Deniq. ff. de aqua pluv. arcen.* Quando ergo præcipit, quod celebretur in azimo, cum vestibus sacris, & non aliter, vtitur iure suo, quod habet disponendi, quæ concernunt sacrificium. Quod autem inde sequatur, quod nō possit ministrari viaticum, per accidens se habet, quod non tenetur auertere relinquendo, quæ concernunt debitum modum offerendi sacrificium.

An viaticum noctu ministrari possit. Quæst. 262.

SVMMA.

1 *Parochi curare debent, ne infirmi sine viatico decedant.*
1 *Debent inquirere de infirmis, & eos inuisere.*
2 *Viaticum noctu deferri debet infirmis.*
2 *Argumentum à contrario sensu valet.*
3 *Dictio, Nisi, exceptiua est.*
4 *Necessitas viatici, & obligatio ministrandi præponderat pompa, cum qua deferenda est Eucharistia.*
5 *Viaticum noctu quomodo deferendum.*
6 *Quæ necessitas requiratur, vt viaticum noctu deferatur.*
7 *Habentes curam animarū tenentur etiam in nocte deferre viaticum.*
8 *Parochi quomodo se gerere debeant, quando requiruntur, vt noctu deferant viaticum.*

1 PArochos teneri adhibere diligentiam, ne infirmi sine viatico decedant, et proinde debere curare, vt tempore opportuno sumant, certum omnino est, et ita statuitur in Concil. 5. *Mediolanensi par. 1. in fine*. Hoc enim spectat ad ipsorum munus, quia cum debeant pascere populum sibi commissum, tenentur procurare, ne tempore opportuno ipsi viaticum desit, cum tunc maximè indigeant pabulo. Et proinde non debent expectare, quod vocentur, sed ipsi debent inquirere de infirmis, et eos inuisere, vt cognoscant ipsorum indigentiam, et possint opportunè prouidere, vt statuitur in cap. *Presbiter. de celebrat. missar.*

2 Dicendum autem est. *Vrgente necessitate viaticum noctu quoque deferendum esse infirmis*. Ita inter alios Zambranus *in suis decis. cap. 3. de Eucharist. dub. 1. num. 5.* monens consuetudinem in contrarium non esse seruandam, quia est abusus, & corruptela nata ex negligentia. Et ita etiam decernitur in Synodo Hispalensi *anni 1586. lib. 2. de offic. Rector. num. 2. & 3.* Imo desumitur etiam ex Rituali Romano *Tit. de commun. infir.* ver. *Præcedat semper*. ibi *Noctu autem hoc sacramentum deferri nō debet, nisi necessitas vrgeat*: ergo iuxta Rituale, si vrgeat necessitas, est deferendum; valet enim argumentum à contrario sensu. *l. 1. §. Huius rei. ff. de offic. eius, cui man. est iurisdic.* & *l. Qui testamento. §. Mulier. ff. de testam.* & cap. *Cum Apostolica, de iis, quæ fiunt à Prælat.* & cap. *Quamquam. de censib. in 6.* Et ideo si per Rituale non debet ministrari noctu, quando non adest necessitas, erit ministrandum, quando aderit.

3 Præsertim quia Rituale adhibet Dictionem, *Nisi*, quæ excipit à regula data, quod noctu non sit deferendum viaticum, casum necessitatis, iuxta ea, quæ tradunt Bart. *in l. Actione. C. de transact.* & cœteri Doctores *ibid.* Socin. iun. *consil. 163. numer. 36. vol. 2.* Alexan. *consil. 64. inic. lib. 2.* Dec. *in l. 1. §. fin. num. 7. ff. de offic. eius.* Paris. *consil. 17. num. 22. vol. 1.* Cœpolla *consil. 1. num. 14. in ciuil.* Seraphin. *de priuileg. iuram. priuileg. 57. num. 2.* Surd. *decis. 268. numer. 17.*

Gra-

Gratian. *discep. forens. capit. 9. numer. 26.*

4 Ratio autem est, Quia habentes curam animarum generaliter obligantur ad deferendum viaticum quibuscunq, constitutis in periculo mortis, nec adest aliqua prohibitio, quod vrgente necessitate non possit noctu deferri, & proinde adhuc vrget eadem obligatio deferendi noctu. Nec obstat, quod non possit noctu deferri cum illa solemnitate, cum qua deferretur in die, quia adhuc potest reuerenter deferri, & necessitas infirmi, obligatio suscipiendi viaticum, & obligatio administrandi præponderant illi conuenientiæ deferendi Eucharistiam cum solemnitate; vt constat etiam ex praxi tempore pestilentiæ, nam tunc solus sacerdos, qui administrat, defert Eucharistiam peste infectis absque alio comitatu.

5 Ex his colligitur, quod si noctu deferendum sit viaticum, quamuis expediat deferre cum tota illa solemnitate, quæ potest haberi, si tamen nullus comitatus haberi posset, non tamen per hoc prætermittenda esset delatio viatici, sed sufficeret solus sacerdos cum aliquo ministro, & cum delatione alicuius luminis; nam comitatus, & solemnitas non est de necessitate, sed solum de conuenientia; administratio verò viatici est de necessitate, nam, & infirmus tenetur sumere, & curatus administrare.

6 Colligitur 2. Eam necessitatem sufficere, vt noctu viaticum deferatur, quæ ex quocunque capite proueniat, faciet probabile, quod non sit expectandum vsque mane, vel quia interim sit superuentura mors, vel aliquod impedimentum, quod sit sumptionem impediturum. Et proinde debet esse necessitas non absoluta viatici, sed necessitas non differendi. In quo tamen largè procedendum est in fauorem necessitatis, quia agitur de succurrendo morituro, & proinde sumus in casu fauorabili respectu animæ, & consequenter est facienda ampla interpretatio, quod liceat deferre.

7 Colligitur 3. Eos, ad quos spectat cura animarum, teneri non minus in nocte, quàm in die deferre viaticum, & ideo si negligant noctu deferre, non minus peccabunt, quàm peccarent, si in die negligerent. Ratione namque officii tenentur tam in nocte, quàm in die, & ideo peccant contra officium in re graui.

8 Colligitur 4. Quod cum non possint Parochi cognoscere necessitatem exigentem non differri vltra viaticum, debere in hoc stare iudicio medicorum; imo etiam eorum, qui assistunt infirmo, quia hi quoque melius, quàm coeteri possunt iudicare de periculo, cum habeant experientiam eorum, quæ accidunt infirmo. Quod si noctu ex improuiso vocarentur ad viaticum ministrandum, deberent accedere absque alia inquisitione de necessitate conformando se iudicio eorũ, qui sentiunt esse ministrandum, nedũ consumant tempus in inquisitione, sint causa, quod sine viatico infirmus decedat, aut superueniat tale impedimentum, quod non possit amplius ministrari.

An viaticum deferri possit infirmis equitando. Quæst. 263.

S V M M A.

re Eucharistiam, an possit tradere laico deferendam.

1 QVod non possit minister deferre equitando viaticum infirmis seclusa consuetudine tradunt Posseuinus *de offic. Curati. cap. 8. num. 4.* Barbosa *de parochis. cap. 21. num. 51.* Nullam tamen afferunt rationem, cur id non liceat. At affirmatiuam partem tenet Quintanaduen. *de sacramen. singul. 8. de Eucharis. numer. 2.*

2 Dicendum est. *Quando iter est longum, aut sacerdos debilis, aut iter difficile, potest deferre equitando viaticum infirmis: seu etiam ex alia rationabili causa.* Desumitur ex Rituali Romano. *Tit. de commun. infirmor.* ver. *Precedat semper.* ibi. *Quod si longius, aut difficile iter obeundum sit, & fortasse etiam equitandum; necesse erit, vas, in quo sacramentum &c.* Ex quo patet, Rituale supponere, quod in deferendo viatico aliquando equitandum sit.

3 Ratio autem est. Quia nihil aliud obstare potest, quàm periculum, quod Eucharistia decidat, cui tamen periculo obuiari potest, vtendo mansueto equo, & bene claudendo vas, in quo defertur Eucharistia, & reponendo in bursa decenter ornata, & ad collum appensa, atque ad pectus alligata, vt præscribit Rituale loco citato num. præced. Neque ex hoc sequitur aliqua irreuerentia, siquidem adhuc Eucharistia portatur decenter à ministro; immò quando Summus Pontifex iter habet præcedit Eucharistia immediate ab equo mansueto vecta.

4 Dices obstare, quia non adest consuetudo. Sed hoc dici non potest, quia carentia consuetudinis non inducit obligationem, siquidem est quid negatiuum, & consistit in non actu, & ideo non potest inducere obligationem, sicuti neque potest ostendere animum se obligandi, qui necessarius est, vt consuetudo vim habeat. Nec potest habere aliquam effectum, quia non entis nullæ sunt qualitates. *l. Eius, qui in prouincia. ff. si cert. pet.* & *l. Nec vllam, §. Si quis absentis. ff.* de *petit. hæred.* & cap. *Bona*, de *elect.* & capit. *Ad dissoluendum.* de *desponsat. impub.*

5 Dices, 2. Equus, qui huic muneri inseruisset, non posset amplius adhiberi ad alium vsum. Resp. neg. sequel. Quia non defert immediatè Eucharistiam, sed ministrum: vnde non habet locum, quod seruetur in equo, qui vehens Eucharistiam præcedit Pontificem, quando iter habet, quod non inseruiat amplius in alium vsum. Immò neque si immediatè veheret Eucharistiam, id esset necessarium. Nam quod seruetur in eo, qui ante Pontificem defert Eucharistiam, non est reuerentia necessaria, sed tantum conuenientia quædam fundata in maiestate Pontificis.

6 An autem, si sacerdos non posset toto itinere deferre Eucharistiam ob debilitatem, possit tradere laico deferendam deficientibus sacerdotibus, & Diaconis, affirmat Quintanaduen. *De sacram. singul. 8. numer. 3.* Sed melius negant Posseuin. *De offic. curat. cap. 7. num. 4.* Barbosa. *De potest. Paroch. cap. 21. numer. 51.* Nam adest obuium aliud remedium magis congruum. Si enim ipse non posset pixidem deferre, nec esset apta, vt collo appenderetur, possent laici substentare brachia sacerdotis; & ita posset non obstante debilitate illam deferre, & seruaretur debita reuerentia erga sacramentum.

An

An ministraturus viaticum debeat currere, si timeat, quod mors præueniat infirmum. Quæst. 264.

SVMMA.

1 *Prima sententia negans,*
2 *Currere est contra reuerentiam debitam Eucharistiæ.*
2 *Secunda sententia affirmans à quibus teneatur.*
3 *Probatur, & confirmatur, num. 4.*
5 *Satisfit obiectionibus, num. 6.*

1 CAsus potest accidere, quando infirmus ex improuiso ita vi morbi deiicitur, vt timeatur mors cito superuentura. Negat autem licere currere ministro in quocunque casu Bonac. *quæst. 5. de Eucharis. pun. 2. num. 9.* Barbosa *de offic. Parochi cap. 21.* Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 5. de eucharis. numer. 17.* Quia currere esset cõtra reuerentiam debitam sacramento, & contineret indecentiam, quæ esset causa irrisionis.

2 At affirmat. Quintanaduen. *de Sacram. singul. 8. de eucharis. numer. 2.* nisi adsit periculum, quod Eucharistia decidat in terram; Et ratio ipsius est, quia non potest adesse scandalum, nam cursus ipse manifestat, periculum esse in mora. Nec irreuerentia est tanti facienda, si qua est, quod excuset ab hac obligatione, immò præponderat vtilitas suscepturi viaticum. Sic etiam licet irreuerentia sit, quod sacerdos non ieiunus celebret, secundum tamen plures Doctores cedit hoc præceptum, quando agitur de conficiendo viatico pro infirmo.

3 Itaque tenendum est. Quod liceat deferenti Eucharistiam currere si timeat, quod mors præueniat infirmum. Ratio est. Quia irreuerentia est negatio obsequii debiti cultus, & reuerentiæ: & ideo tũc solum locum habet, quando est debitum illud speciale signum reuerentiæ; Sic esset irreuerentia, si quis sine debita inclinatione transiret ante Eucharistiam; at si fugeret hostes insequentes, nulla esset irreuerentia. In casu autem præsenti non est debita illa reuerentia, quæ consurgit ex graui incessu in deferente Eucharistiam, quia necessitas vrgens viatici exigit omitti, & ideo non habet locum irreuerentia. Irrisio autem, si quæ sequæretur, esset irrationabilis, & ideo non attendenda.

4 Confir. Quod minister deferens Eucharistiam currat, non dicit irreuerentiam ex natura rei, & proinde ex causa potest excludi Sic licet sit indecentia, quod persona grauis currat per viam, cessat tamen, si ex aliqua necessitate currat. Sic etiam, licet sit irreuerentia non ieiunum sumere Eucharistiam, cessat tamen, si necessitas vrgeat. Ergo etiam in præsenti casu cessabit illa qualiscunque irreuerentia, quæ nasci posset ex cursu, quia ita necessitas exigit.

5 Dices. Si minister deferens Eucharistiam curreret, non posset deferri cum debita solemnitate, & pompa, quod est inconueniens. Resp. Non esse inconueniens, quod deferatur cum nulla aut exigua pompa, quando ita necessitas exigit, vt patet tempore pestis, in quo sacerdos solum defert Eucharistiam solus. Et ratio est, quia pompa est tantum de conuenientia, non autem de necessitate. Quod autem ministretur Eucharistia morituro, est de necessitate præcepti, necessitas autem præualet conuenientiæ.

6 Dices 2. Parochus non tenetur adhibere media extraordinaria; vt ministret viaticum infirmis; quia quando quis, tenetur ad aliquid, sufficit si, in ordine ad ipsum adhibeat media ordinaria iuxta doctrinam D. August. *de na-*

natura, & grat. cap. 4. & D. Th. 2. 2. *quæst. 10. ar. 1.* Resp. Cursum non esse medium extraordinarium, nam regulare est omnibus, quod currant, quando opus est celeritate. Deinde qui habent curam animarum, tenentur etiam ad media extraordinaria, quando sunt necessaria. Sic quando agitur de ministrandis sacramentis, quæ sunt necessaria ad salutem, tenentur exponere propriam vitam, si aliter non possint ministrare. Vnde à fortiori debebunt currere, vt possint ministrare viaticum, antequam infirmus moriatur, cum hoc sit medium tàm facile, & tàm inpromptu.

An viaticum ministrari possit peste infectis à longe medio aliquo instrumento. Quæst. 265.

S V M M A.

1 *Varij modi ministrandi Eucharistiam per instrumentum.*
2 *Peste infectis an ministrari possit Eucharistia à longe medio aliquo instrumento, & num. seq.*
4 *Ministrare Eucharistiam per instrumentum non continet irreuerentiam.*
5 *Mos antiquus ministrandi Eucharistiam.*
6 *Ministrare Eucharistiam medio instrumento ex natura rei non est cum irreuerentia.*
7 *Lex & consuetudo non obligant, quando seruari non possunt, nisi cum graui incommodo, etiam particulari.*
8 *Plus obligat præceptum de integritate confessionis, quàm consuetudo ministrandi immediate in os Eucharistiam.*
8 *Ad vitandum infectionem licet non audire integram confessionem.*
9 *Præceptum de integritate confessionis obligat confessarium ad integrè audiendum.*
10 *Quid faciendum, si dum Eucharistia ministratur cum instrumento remaneat aliquod fragmentum.*

1 VArii modi ministrandi Eucharistiam à longè peste infectis excogitati sunt: primus est, si ponatur super papiro albo, & postea accedat peste infectus, & sumat, & deinde comburatur papyrus. Secundus si Eucharistia reponatur in scutella, quæ postea exhibeatur sumpturo. Tertius si mediante oblongo cochleari exhibeatur infirmo, & alii huiusmodi modi facilè excogitari possunt. Difficultas autem est, an possit aliquis ex his adhiberi ad vitandum periculum infectionis, quod subit minister, dum propius accedit.

2 Prima sententia negat adhiberi posse. Ita Henriquez *lib. 8. de Eucharis. cap. 54. num. 3.* Facundez *pracep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 1. numer. 13.* Capeauil. *de Sacra. Eucharis. ministr. temp. pest. q. 13. & 34.* Marchin. *de Bello diuino par. 3. cap. 5. num. 6.* Bonac. *disp. 4. de sacram. sect. 6. quæst. 6. pun. 3. numer. 10.* Faust. *lib. 1. de sacram. Eucharis. quæst. 212.* Diana *par. 4. tract. 4. resol. 114. & par. 5. tract. 3. resol. 50.* ver. *Sed ego.* Et afferunt Concil. V. prouinciale Mediolanense. *Tit. de cautione in Sacerd. minist. ver. Sacra hostia.* statuens esse manu immediatè administrandum. Fundamentum est, quia quocunque modo administretur, nisi administretur manu immediatè, est contra reuerentiã debitã sacramẽto, & contra praxim Ecclesiæ: & difficilè posset viari periculum deiectionis.

3 Secunda sententia asserit, posse ministrari. Ita Hentic. *in cap. 2. de iudic.* Caiet. *in illud Matthei 26.* Accipite, & manducate Mancin. *in pract. visitandi infir. pract. 8. dub. 18.* Iacob. Marcant. *de sacram. tract. 6. de extrema vnc. lect. 3.* Vener. *lib. 4. Exam. Episcop. cap. 46. num. 47.* Gauantus *in Enchir. Episcop. verbo.* Pestis *num. 7.*

Et probabile putat Posseuin. *de offic. curati. cap. 9. num. 22.* Et ita in praxi seruatur in Ecclesia Smirnensi, vbi ferè continuò pestis sæuit ex instituto D. Petri de Marchis. Archiepiscopi, vt testatur Mancin. citat.

4 Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior, vnde Dicendum est, *Tempore pestis ad vitandum periculum infectionis posse Eucharistiam ministrari à longè aliquo instrumento apto præsertim oblongo cochleari*. Prob. Non aliud obstare potest, nisi, quia hic modus administrandi contineret aliquam irreuerentiam, & esset contra consuetudinem Ecclesiæ. Sed hoc non obstat, ergo poterit tali pacto administrari.

5 Quod autem non obstet irreuerentia, quasi hic modus contineat aliquam irreuerentiam, constat ex ritibus antiquis; nam quando ministrabatur Eucharistia apud veterem Ecclesiam, ponebatur in manu dextra sumpturi, qui postea eam in os immittebat, vt desumitur ex Curapalata *de Imperator. Constantinopolitan. cap. 17. num. 44.* Nazianzeno *Orat. 3. in Iulian. Apostatam*, Cyrillo Hierosolim. *Catech. 5.* vbi habet. *Accedens ad sacram communionem expansis manibus, neque disiunctis digitis, sed sinistram velut sedem quamdam subiiciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi dicens, Amen*. Mulieribus autem exhibebatur, & ipsæ recipiebant in linteamine mundo, quod Dominicale vocabatur, vt desumitur ex D. August. *serm. 152. De tempore*, vbi ait. *Omnes viri, quando communicare desiderant, lauant manus; Omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Corpus Christi accipiant*. & Concil. Antisiodoren. *tempore Gregorii Magni. can. 36.* vbi habet *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam sumere, nec manum suam ad pallas dominicas mittere*. & can. 39. *Vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat: quod si non habuerit vsque in alium Dominicum non communicet*. Et ex Liturgia Aethiopica habetur, quod in ministrando sanguine Christi adhibeatur cochlear ad immittendum sanguinem in ora communicantium. Qui mos an modo vigeat apud Aethiopes compertum non habeo, viget tamen apud Ecclesiam Maronitarum, vt mihi plures illius nationis testati sunt, nam panem Eucharisticum intinctum sanguine mediante cochleari immittunt in os sumentis. Imo D. Cyril. Hierosolimit. *dict. Catechesi 5.* hortatur eos, qui sanguinem sumpserunt, quod dum adhuc labia sunt humida, attingatur manibus, & consecrentur oculi, &c. Eius verba sunt. *Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis; & dum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra*. Cum igitur modus ministrãdi Eucharistiã absque eo, quod immediatè à ministrante immittatur in os, & medio instrumento sit vsurpatus in Ecclesia per tot annos, & sæcula, nec vnquam à Sanctis Patribus reprehensus fuerit, imo ab ipsis adhibitus, non potest dici, quod contineat irreuerentiam, alioquin tota Ecclesia damnaretur, quod tractasset irreuerenter hoc sacramentum.

6 Dices, Tunc non fuisse modum ministrandi inreuerentem, quia erat communiter in vsu: modo autem esset, quia esset contra modum ministrandi consuetum, nam irreuerentia attenditur iuxta communem opinionem. Contra. Dum tanto tempore fuit in vsu apud veterem Ecclesiam; conuincitur, quod ex natura sua non sit modus administrandi cum irreuerentia. Ergo nec erit secundum hominum opinionem, quia opinio, ne sit falsa, debet habere fundamentum in obiecto: in obiecto autem nulla est irreuerentia. Deinde talis opinio facilè deponi posset cogitando, quod vetus Ecclesia hunc modum per tot annos adhibuerit.

7 Nec etiam obstat consuetudo, quia consuetudo non habet maiorem vim,

vim, quàm habeat lex. Lex autem non obligat, quando solum cum graui incommodo seruari potest, etiam si incommodum sit particulare quoàd singularem personam, vt habetur ex cap. *Licet de Feriis* & inter alios tradunt Caiet. *in sum.* verbo. *Festorum. violatio.* §. *de violen. autem* Felin. *in cap. Si quando. num.* 11. *de rescrip.* Angelus. *verbo* Feriæ. *num.* 34. Rosella *ibid.* Palat. *in sum. Caiet. verbo. Festum.* Alcozer. *in sum. cap.* 17. Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 7. *num.* 13. & 14. Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 2. *dub.* 19. Fernandez *par.* 1. *examin. theol. moral. cap.* 7. §. 1. *num.* 6. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tr.* 3. *disp.* 5. *pun.* 3. §. 2. *num.* 3. Merol. *tom.* 2. *theol. moral. disp.* 4. *cap.* 8. *dub.* 2. *difficul.* 2. *num.* 27. In præsenti autem casu consuetudo non potest seruari, nisi cum graui incommodo, nempe cum periculo contrahendi infectionem, & ideo non obligabit.

8 Confir. Plus obligat præceptum de integritate confessionis, quàm obliget consuetudo ministrandi Eucharistiam immediatè in os sumentis absque aliquo instrumento. Siquidem præceptum de integritate confessionis est diuinum, vt habetur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 5. *de confessione*, hæc autem consuetudo est Ecclesiastica, & humana; & tamen ad vitandam infectionem licet non audire integram confessionem, vt tradunt Suarez *disp.* 23. *de poenit. sect.* 1. *num.* 1. Coninch. *disp.* 7. *de poenitent. num.* 75. Turrian. *disp.* 30. *dub.* 1. Vasquez 3. *par. quæst.* 91. *ar.* 2. *dub.* 2. *num.* 2. Zambran. *in suis decis. cap.* 4. *de poenit. dub.* 6. *num.* 12. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 9. *difficul.* 23. *num.* 6. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 6. *cap.* 13. *numer.* 4. ver; *Dico* 2. Huttad. *disp.* 9. *de poenit. difficul.* 20. ver. *Conueniunt secundo.* Præposit. 3. *par. quæst.* 5. *de confes. dub.* 5. *num.* 125. ver. *Quintò. si ex.* Chellison. *dub.* 5. *init.* Granad. *controuer.* 7. *tract.* 9. *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 29. Capeauil. *de administr. sacram. temp. pest. quæst.* 26. *de poenit.* ver. *Resp. Si pastor.* Io. à Cruce. *par.* 2. *direct. conscien. q.* 3. *de poenit. dub.* 5. *conclus.* 3. Candid. *Disquisit.* 24. *artic.* 24. *dub.* 5. *in fine.* Diana *par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 74. Petrus Marchan. *tom.* 1. *Tribunal. sacramen. tract.* 4. *tit.* 6. *quæstion.* 6. ver. *Tertiò.* Auersa *quæst.* 10. *de poenit. sect.* 15. ver. *Sextus casus.* & communiter cum D. Th. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *artic.* 3. *quæstiũc.* 4. *ad* 5. Quia nimirum ceditiuri naturali conseruandi propriam vitam. Ergo etiam dicta consuetudo non obligabit, sed cedet iuri naturali conseruandi propriam vitam, quando adest periculum infectionis.

9 Dices. Præceptum de integritate confessionis ideo cedere, quia non afficit confessarium, sed tantum poenitentem. Verum reiicitur, quia neque poenitens tenetur integrè confiteri cum graui damno, vt docent communiter, quos supra *quæst.* ... *num.* 1. citaui. Deinde falsum est, quod hoc præceptum non obliget confessarium: nam ideo subintrat, quia iudex non potest ferre sententiam, nisi cognita causa, vt habet Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenit.* Ergo non minus obligat poenitentem ad integrè exponenda peccata, quàm confessarium ad integrè audienda, quia hoc præceptum oritur ex natura iudicii, quod requirit non minus poenitentem, quàm sacerdotem.

10 Obiicitur autem contra prædicta. Fieri posset, quod remaneret aliquod fragmentum in papyro albo, aut in cochleari, aut in alio instrumento, quod adhiberetur, & cõbureretur fragmentum, si combureretur papyrus, aut alio modo periret. Resp. Hanc obiectionem potuisse fieri etiam quando antiquitus ministrabatur Eucharistia modis prædictis; & modo etiam habere locum quoàd fragmenta, quæ remanere possunt super corporali, & non aduerti, aut in terram decidere, dum ministratur Eucharistia, pro quibus nullum est remedium; quia cum non aduertantur, colligi non possunt. Vnde etiam in præsenti casu eodem mo-

do procedendum erit, nam si aduertatur fragmentum, erit adhibendum remedium congruum, si nimirum moneatur, qui communicauit, illud sumere, aut illud conseruando. Si autem non aduertatur, excusabuntur ministri.

Quid faciendum de particulis consecratis, quas pestilentia infectus pertractauit.

Quæst. 266.

SVMMA.

1 *Quid faciendum de particulis consecratis, quas peste infectus pertractauit.*
2 *Quid faciendum, si quid venenatum contigerit hostiam consecratam, aut sequinem.*
3 *Particula tractata à peste infecto possunt insicere.*
4 *Particulæ tractatæ à peste infecto non possunt absque peccato comburi.*
4 *Illas comburere an esset sacrilegium.*
4 *Non seruare quæ disponuntur pro defectibus occurrentibus in missa quale peccatum.*
5 *Particulæ pertractata à pestilentia infecto an possint adhiberi pro communicandis peste infectis.*
6 *An consumendæ ab ijs qui ministrant Eucharistiam peste infectis.*

1 FAcilè contingere potest, quod dum quis ministrat Eucharistiam, atque adeo pertractat particulas consecratas, detegatur peste infectus, aut etiam ex illo tunc, aut paulo post moriatur, dubitatur ergo, quid faciendum de particulis, quas pertractauit. Dicendum est. *Conseruandas esse in vasculo apto, donec corrumpantur, & postea mitti debent in sacrarium*. Ita etiam Marchinus *de peste part. 3. capit. 10. numer. 5.*

2 Et desumitur ex doctrina D. Th. *3. par. quæst. 83. artic. 6. ad 3.* vbi loquens de calice consecrato, habet. *Si verò venenum ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, ne Calix vitæ vertatur in mortem, sed debet diligenter in aliquo Vasculo ad hoc apto cum reliquiis conseruari*. Et etiam ex Rubrica Missalis *Tit. de defectib. occurrentib. in missa*: vbi ita statuitur. *Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat eodem modo, quo dictum est, & illa seruetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in sacrarium*. Particulæ autem, quas tetigit peste infectus, comparantur hostiæ quam tetigit aliquid venenatum.

3 Fundamentum autem est. Quia particulæ, dum pertractantur à peste infecto, possunt de facili contrahere illas euaporationes, quas immittunt corpora peste infecta, atque adeo fieri communicatiuæ infectionis. Et ideo non debent amplius consumi, quia qui consumeret, exponeretur periculo infectionis, non secus, ac qui sumeret hostiam contactam à re uenenata. Nō potest autē cibus Eucharisticus adhiberi cū periculo vitæ, quia ita ordinatur ad nutriēdā vitā spiritualē, vt tamen nō debeat contrariare vitæ corporali.

4 Ex dictis colligitur, prædictas particulas non esse comburendas reponendo cineres in sacrario, quia in simili casu aliter disponitur, & proinde esset contra dispositionem Rubricarum, nam cum militet in his eadem ratio, ac in hostia, quam tetigit res venenata, habet etiam eadem dispositio. *l. His solis ver. Satis etiam cautè. C. de reuocan. donat.* & *l. Illud. C. de sacrosani. Eccles.* et late Tiraquel. *in l. Si vnquam. verbo.* Libertis. *numer. 45. de reuocand. donat.* Vnde peccaret mortaliter, qui eas combureret, nisi ignorantia, aut inaduertentia excusaretur, quia in re graui faceret contra regulam præscriptam in Missali, quæ sub mor-

mortali obligat, vt notat etiam Gauant. *in rubr. Missal. par. 3. tit. 10. n. 1.* Imo etiam secundum Palud. *in 4. dist. 9. quæst. 1.* Syluestrum *verbo.* Eucharistia 2. *quæst. 9.* Marchin. *de bello diuino. par. 3. capit. 10. num. 2.* committeret sacrilegium, quia irreuerenter tractaret corpus Christi. Quod tamen non ita facilè admitterem. Siquidem combustio non est ad irrogandam irreuerentiam; imo aliquando adhibetur ob conseruandam debitam reuerentiam erga rem sacram, vt quando innouato oleo infirmorum vetus comburitur; vel quando iuxta regulam traditam in Missali *tit. de defect. occurrent.* vinum consecratum ex eo, quod in ipso ceciderit aliquid venenosum reponitur in lineo panno; vel stuppa, & quando species vini sunt exiccatæ, comburitur stuppa, aut pannus lineus.

5 Colligitur 2. Dictas particulas non esse adhibendas ad communicandos peste infectos; nam fieri posset, aut quod mortem afferrent, aut saltem accelerarent. Sicut enim possunt fumentem sanum peste inficere, ita etiam possunt peste infectos magis inficere, & operari, quod moriantur, si aliàs non essent morituri, aut mortem accelerare; aut etiam noua specie pestilentiæ inficere.

6 Colligitur 3. Neque etiam esse exhibendas consumandas iis ministris, qui assistunt peste infectis pro administratione sacramentorum. Quia licet sint expositi periculo contrahendi infectionem, dum cum peste infectis conuersantur. Adhuc tamen exponerentur nouo, & maiori periculo, siquidem ex illa administratione sacramentorum ab extrinseco tantum possunt infici: at sumendo illas particulas intus sumerent infectiuum, & semper verum esset, quod panis vitæ verti posset in mortem contra doctrinam D. Th. de qua *num. 2.* & contra dispositionem Missalis in casu eiusdem rationis.

De præcepto sumendi viaticum.

An adsit præceptum de sumendo viatico. Quæst. 267.

SVMMA.

1 *Viaticum an sit de precepto. & num. seq.*
2 *Ecclesia aliquando priuauit viatico. & numer. 8.*
3 *Viaticum necessarium, & quomodo.*
4 *Necessitas moralis viatici infert præceptum diuinum.*
5 *Eucharistia cur instituta.*
5 *Ratio finalis vbi habet locum, habet locum etiam dispositio.*
6 *Præceptum diuinum de Eucharistia vnde determinetur ad certum tempus.*
7 *Præceptum diuinum de Eucharistia est de se indeterminatum.*
8 *Ecclesia denegans Eucharistiam facit cessare præceptum.*
9 *Quando denegauit Ecclesia aliquibus viaticum quomodo denegauerit.*

1 PRima sententia tenet nullum adesse præceptum diuinum de sumẽdo viatico in periculo mortis. Ita Caiet. *in sum.* verbo. *Communio.* Armilla *ibid. num. 4.* Syluester *verbo. Eucharistia 3. num. 1.* Sà *verbo.* Eucharistia. *num. 1.* Victoria *in. sum.* Tit. *de Eucharistia. num. 86.* Paludan. *in 4. dist. 9. quæst. 1.* Ledesma *1. par. 4. quæst. 21. ar. 2. dub. 11.* Rodriquez *1. par. sum. cap. 64. de commun. n. 3.* Fundamentum est. Quia Christus præcipit solum, quod sumatur Eucharistia, non autem quod sumatur in hoc, vel in illo tempore, nec quod sumatur pluries, aut frequenter. Ergo si semel in vita sumatur, impletur præceptum.

Chri-

Christi. Confir. Ecclesia aliquando priuauit viatico publicos poenitentes ob certa delicta, vt desumitur ex Concil. Eliberit. *can.* 1. 2. 6. 7. *&* 12. & ex Concil. Sardicens. *cap.* 2. Si autem adesset præceptum diuinum de eo sumendo, non potuisset eos priuare.

2 Secunda sententia docet, adesse præceptum diuinum de sumendo viatico in articulo mortis. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *numer.* 7. Gabr. *quæst.* 2. *ar.* 2. *conclus.* 3 Richar. *art.* 6. *quæst.* 1. Sotus *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 11. Adrian. *quæstion.* 3. *de confess. ad* 3. Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 4. *init.* Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 8. *pun.* 4. ver. *Talis autem necessitas.* Suarez *disp.* 69. *de Euchar. sect.* 3. ver. *Dico primo.* Vasquez 3. *par. disp.* 213. *capit.* 2. Coninch. *quæst.* 80. *de sacram. ar.* 11. *dub.* 3. *num.* 94. Nugnez *difficul.* 1. *conclus.* 3. Præposit. *dub.* 1. *num.* 53. ver. *Sed opposita.* Syluius *quæstion.* 1. *conclus.* 1. Chelisson. *not.* 1. Mercerus. ver. *Quæritur secundo.* Isambert. *disp.* 6. *art.* 2. *proposit.* 1. Granad. *Controuer.* 6. *tract.* 10. *disp.* 3. *num.* 9. Hurtad. *de sacramen. disp.* 10. *de Eucharis. difficul.* 2. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenitent. num.* 64. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 47. Ochagauia *de sacram. tr.* 2. *de Eucharis. quæst.* 14. *num.* 5. Caspens. *par.* 2. *Curs. Theologici tract.* 22. *disp.* 9. *sect.* 7. *num.* 69. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 7. *de Eucharist. ar.* 4. *dub.* 1. *difficul.* 1. *conclus.* 2. Bonac. *disp.* 4. *de Eucharis. quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 1. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *difficul.* 42. *numer.* 2. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 5. *numer.* 2. Martinon *disp.* 36. *de Eucharis. sect.* 1. *num.* 4. Candid. *disquisit.* 2. *de Euchar. ar.* 1. *dub.* 34. Palaus *par.* 4. *tract.* 21. *disp. un. pun.* 14. *num.* 4. Petrus Sotus *lect.* 9. *de Euchar.* Dicastis. *tract.* 4. *de Eucharist. disp.* 10. *dub.* 2. *num.* 23.

3 Dicendum est, *Præceptum diuinum de Eucharistia obligare in periculo mortis.* Desumitur ex Concil. Cartagin. IV. *can.* 77. *approbato à Leone IV.* & ex Concil. Nicæno 1. *can.* 12. relato in cap. *Quod de his,* 26. *quæst.* 6. vbi præcipitur, quod etiam poenitentibus publicis detur Eucharistia. Et ratio redditur, ne priuentur necessario viatico. Si ergo est necessarium, debet esse necessarium ex præcepto diuino, siquidem non potest esse necessarium ex præcepto Ecclesiæ, nam ab ea sumenda arcebat publicos peccatores ponitentes: vnde cum præcipiat ipsis ministrari in periculo mortis, & supponat esse necessarium, non potest intelligere de necessitate ex præcepto Ecclesiæ; quod non aderat; imo aderat prohibitio ministrandi.

4 Dices. Intelligere de necessitate morali. Verum ex hac responsione conuincitur adesse præceptum diuinum. Nam, si adest necessitas moralis pro illo tempore, adest etiam præceptum, quia Eucharistia non est physicè, nec absolutè necessaria ad salutem, sed tantum moraliter. Ergo præceptum diuinum de ea sumenda tunc obligat, quando moraliter est necessaria, quia cum non obliget pro aliquo determinato tempore, trahitur ex natura rei, seu sacramenti ad illud tempus, in quo sit necessaria. Tunc autem maximè est necessaria, quando quis est in periculo mortis.

5 Confir. Eucharistia est instituta, vt sit nutritio vitæ spiritualis ad ipsam roborandam, vt ipsius *Vigore confortati ex huius miseræ peregrinationis itinere ad coelestem patriam* (homines) *peruenire valeant*, vt habet Concil. Trident. *sess.* 13. *capit.* 8. *de Eucharist.* Ergo tunc vrget præceptum diuinum de Eucharistia sumenda, quando habet locum causa, & ratio finalis, cum ratio, & causa finalis trahat secum dispositionem, & faciat habere locum, vbi ipsa adest. *l. Illud. ff. ad l. Aquil.* & *l. Si postulauerit.* §. 2. *ff. ad leg. Iul. de adult.* & *l. His solis.* ver. *Satis etiam causæ. C. de reuocandis donat.* Est enim lex posita iuxta exigentiam finis, & ideo tunc obligat, quando finis exigit actum præceptum à lege. Tunc autem maximè vita spiritualis indiget con-

for-

fortatione; quando quis est constitutus in periculo mortis, ita vt in nullo alio tempore adeo sit necessaria.

6 Confir. 2. Christus instituit Eucharistiam tanquam medium ad corroborandam vitam spiritualem contra tentationes; & reliquit præceptum in genere de adhibendo hoc medio. Ergo tunc præceptum determinatur ad certum tempus, quando adest, necessitas huius medii, ita vt necessitas sit illa, quæ determinet præceptum indeterminatum. Ideo enim Christus non determinauit tempus, in quo obligaret, quia imposuit proportionato modo ad necessitatem, quæ, quia erat indeterminata, reliquit etiam præceptum indeterminatum. In periculo autem mortis necessitas est præcipua, & maxima, & ideo præceptum quoque præcipuo modo obligat.

7 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Christum præcepisse indefinite, quod sumatur Eucharistia, neque explicitè determinasse ad vnicam, vel plures vices; quia, vt dictum est, imposuit præceptum iuxta naturam rei præceptæ, & exigentiam finis, ad quem ordinabatur: & proinde implicitè pluries obligauit ad ipsam sumendam, quia pluries, & præcipue in articulo mortis adest necessitas sumendi, & exigentia finis, ob quem est posita in præcepto.

8 Ad confir. neg. min. Nam supposito, quod Ecclesia decernat aliquibus ob aliqua crimina denegare Eucharistiam in articulo quoque mortis, desinit obligatio præcepti diuini, siquidem obligat solum secundum determinationem Ecclesiæ de administrando sacramento. Habet enim Ecclesia potestatem à Christo concessam decernendi circa sacramentorum administrationem, vt ea immutare possit, quæ magis congruerent suscipientium vtilitati, vel sacramentorum venerationi salua eorumdem substantia, vt habet Concil. Trident. *sess. 21. capit. 2. de commun.* Et ideo dum putat expedire ob aliqua crimina denegare Eucharistiam etiam in articulo mortis, facit quod in articulo mortis non vrgeat præceptum, cum habeat tacitam conditionem, si Ecclesia iudicauerit esse administrandum. Et ideo non habet pro correlatiuo præceptum impositum Ecclesiæ de administrando stante prædicta potestate.

9 Sed contra hoc instari potest. Potestas, quæ concessa est Ecclesiæ circa sacramentorum dispensationem est in ædificationem, non autem in destructionem; nam vt dictum est, mensuratur vtilitate suscipientium, & veneratione sacramentorum. Esset autem in destructionem, si adhiberetur in detrimentum animarum; & adhiberetur, si morituris, & vere poenitentibus denegaret Eucharistiam, quia hoc esset contra bonum spirituale ipsorum, & ideo cum denegauerit, dicendum, quod non adsit præceptum de ea sumendo. Resp. Hoc argumentum non procedere contra præceptum, sed contra facultatem denegandi Eucharistiã in articulo mortis: nam siue adsit præceptum, siue non; semper denegatio est contra bonum spirituale. Resp. ergo. Quod quando denegauit, non adhibuit suam potestatem in destructionem, sed in ædificationem: nam tunc temporum circumstantiæ ita exigebant. Fuit enim denegata, & in poenam eorum, quibus denegabatur. & in medicinam coeterorum. Nam vt desumitur ex Innocentio I. *Epist. 7. ad Exuperium Tholos. Episcop. cap. 2.* fuit denegata iis, qui idolis imolauerant: vnde puniebat delictum hac poena, & coeteros terrebat ab ipso committendo sæueritate poenæ non relaxando poenitentibus etiam in articulo mortis, Et quamuis hoc esset contra bonum spirituale poenitentum, bonum tamen commune, quod inde resultabat, nempe publica confessio fidei, martyria &c. erat anteferendum bono priuato.

An

An præceptum de viatico obliget sub mortali. Quæst. 278.

SVMMA.

1 *Præceptum de viatico an obliget sub mortali, & num. seq.*
3 *Præceptum obligat iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ.*
4 *In periculis recurrendum ad remedia.*
5 *Vita spirituali non minus succurrendum, quàm corporali.*

1 PRima sententia asserit, non obligare sub mortali secluso contemptu. Ita D. Bonauen. *in 4. dist. 10. art. 3. quæst. 10.* Palud. *dist. 9. quæst. 1.* Caiet. *in sum. verbo, Communio.* Armilla *ibid. num. 4.* Victoria *in sum. tit. de eucharis. num. 83.* Camerota *de sacram. cap. 10. de eucharis. dub. 1.* & alii.

2 Secunda sententia tenet, obligare sub mortali. Ita Durand. *in 4. dist. 9. quæst. 2. num. 7.* Gabr. *quæst. 2. art. 1. conclus. 3.* Richar. *art. 6 quæst. 1.* Sot. *quæst. 1. art. 11.* Adrian. *quæst. 3. de confessione ad 3.* Pitigian. *in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 7.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 9. de Eucharis. num. 15.* & alii citati *quæst. præcedenti* pro posteriori sententia, qui volunt adesse præceptum diuinum obligans sub mortali.

3 Dicendum est. *Præceptum de viatico obligare sub mortali omnes, qui possunt illud sumere.* Prob. præceptum est de materia graui, & in ordine ad finem valde grauem, nempe de subueniendo vitæ spirituali in tempore, in quo maximè periclitatur in ordine ad salutem animæ, & vitam æternam. Ergo obligat sub mortali, quia obligatio est proportionata materiæ præceptæ, & exigentiæ finis, ad quem ordinatur. Vnde legem in materia graui non posse obligare, nisi sub mortali, præsertim, quando finis quoque est grauis, docent Sotus *lib. 1. de iust. & iure. quæst. 6. art. 4.* Medina *1. 2. quæstion. 96. ar. 4.* Martinez *ibid. dub. 2. conclus. 8.* Aragon. *2. 2. quæst. 62. art. 3. dub. 3.* Salon. *quæst. 77. art. 1. controuer. 8.* & alii cum D. Th. *2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 2.*

4 Confir. Peccatum importat dissonantiam ad rectam rationem, ita vt, vbi est talis dissonantia, ibi sit peccatum, & vbi est grauis dissonantia, ibi sit graue peccatum. Sed non sumere viaticum in periculo mortis dicit grauem dissonantiam ad rectam rationem. Ergo est peccatum mortale. Min. prob. Regulæ rectæ rationis, & prudentiæ dictant generaliter, quod in periculis, recurrendum sit ad remedia, itaut quo grauius est periculum, eò magis recta ratio exigat: vnde qui sibi in graui periculo non consuleret, cum posset, aut pro stulto haberetur, aut quod negligeret propriam salutem, atque adeo quod grauiter, seu in re graui peccaret cōtra regulas prudentiæ, & rectæ rationis. Ergo, qui in periculo vitæ, vbi salus spiritualis maxime periclitatur, non sibi consulit, & prouidet de medio opportuno, cum possit, nempe de viatico, censebitur negligere propriam salutem, & grauiter dissonare à regulis rectæ rationis.

5 Confir. 2. Non minusquisque tenetur amare, & conseruare propriam vitam spiritualem, quàm teneatur corporalem. Ergo sicut peccaret mortaliter, qui non succurreret mediante cibo propriæ vitæ corporali, quando illo indiget ad sui conseruationem, quia absque rationabili causa exponeret illam periculo; ita etiam qui non prouideret, cum posset, de cibo spirituali vitæ spirituali, peccaret mortaliter, quia illam exponeret periculo.

An

An qui sumpsit Eucharistiam in Paschate teneatur præcepto de viatico, Quæst. 269.

S V M M A.

1 *Qui sumpsit Eucharistiam, in Paschate, an teneatur præcepto viatici, & num. seq.*
3 *Præceptum viatici obligat intuitu necessitatis, quàm affert articulus mortis.*
4 *Præceptum de communione Paschali est intuitu communium necessitatum.*
5 *Quæ pendent à tempore, non habent locum antequam tempus præscriptum adueniat.*
6 *Ecclesia non potest extinguere præceptum ex natura rei affixum tempori.*
6 *Praxis Ecclesiæ declarat necessitatem viatici.*

1 PRima sententia asserit, eum, qui communicauit in Paschate, non teneri præcepto de viatico: & ideo si ex negligentia ipsum non sumat, secluso contemptu non peccare mortaliter. Ita Caiet. *in sum. verbo. Communio.* Armilla *ibid. num.* 4. Sà *verbò Eucharistia. num.* 1. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 21. *ar.* 2. *dub.* 11. Victoria *in Summa. Tit. de Eucharistia num.* 86. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 64. *num.* 3. Nald. *in sum. verbo.* Eucharistia *numer.* 5. Io. Franc. Suarez *lib.* 5. *Enchir.* ver. *Eucharistia.* & probabile putat Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 5. *num.* 109.

2 Secunda sententia asserit, teneri sumere viaticum, etiam si in Paschate communicauerit. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. Gabr. *quæst.* 2. *artic.* 2. *conclus.* 3. Sotus *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 11. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 8. *pun.* 4. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 95. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori pœnit. num.* 64. Dicastil. *de sacramen.* Pasqualig. *tract.* 4. *de Eucharist. disp.* 10. *dub.* 3. *numer.* 91. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 5. *numer.* 4. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharistia dub.* 1. *num.* 6. Facundez *precep.* 3. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 40. ver. *Sed plus.* Sylvius 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 11. *quæsito* 1. *conclus.* 1. Præposit. *dub.* 1. *num.* 54. Granad. *Controuer.* 6. *tract.* 10. *disp.* 3. *num.* 9. Hurtad. *de sacram. disp.* 10. *de Euchar. difficul.* 2. ver. *Ex quo constat.* Hieronim. Garzia *par.* 1. *sum. tract.* 3. *difficul.* 4. *dub.* 4. *pun.* 1. *num.* 5. Bonacina *disp.* 4. *de Eucharis. quæstion.* 7. *pun.* 1. *num.* 1. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 9. *de Eucharist. numer.* 15.

3 Dicendum est. *Præceptum de viatico obligare etiam eos, qui in Paschate communicauerunt.* Ratio est. Quia præceptum de viatico est diuinum obligans ex natura rei pro articulo mortis, siquidem obligat secundum exigentiam necessitatis, & in articulo mortis adest tanta necessitas, quanta maxima potest adesse. Ergo per id, quod quis communicauerit in Paschate non eximitur ab hoc præcepto, quod obligat intuitu illius specialis necessitatis, quæ pro tali tempore adest.

4 Confir. Ecclesia determinauit, quod præceptum diuinum de communione impleretur in Paschate respiciens ad vniuersales necessitates, ratione quarum hoc præceptum diuinum potest obligare: non autem respiciens ad specialem necessitatem articuli mortis; quia hæc tanquam specialissima absque alia determinatione Ecclesiæ trahit obligationem præcepti. Ergo communio Paschalis non soluit obligationem communionis in articulo mortis tanquam specialissimam.

5 Confir. 2. Præceptum, quod obligat pro tempore determinato, cui est affixum, non potest impleri per opus antea exhibitum, quia obligat non ad opus præcise, sed ad opus pro tali tempore, vnde cadit sub obligatione opus cum tali circumstantia temporis. Et pro-

prolude generaliter, quæ dependent à tempore, non possunt habere locum, antequam tempus præscriptum aduenia t *l. Ordinare. §. post hac, ff. de offic. proconsul.* Cum ergo præceptum diuinum de communione obliget pro articulo mortis, non remanebit extinctum per communionem Paschalem.

6 Dices. Non extingui obligationem per communionem Paschalem, sed ea præmissa non adesse, siquidem præceptum obligat cum tacita conditione, quod communio non sit præmissa tempore Paschali, Verum hoc dici non potest, Quia Ecclesia non potest extinguere præceptum, quod ex natura rei est addictum certo tempori, transferendo in aliud tempus, quale est præceptum diuinum de viatico. Deinde ex praxi, & ex intentione Ecclesiæ constat de opposito, nam adest non solum immemorabilis consuetudo ministrandi viaticum infirmis, etiam si in Paschate Eucharistiam sumpserint, sed etiam semper iniunxit sumptionem viatici pro implendo diuino præcepto, vt desumitur ex Concil. Trident. *sess. 13. cap. 6. de Eucharis.* ibi. *Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & hunc vsum diligenter in Ecclesiis conseruari, præterquàm quod cum summa æquitate, & ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis præceptum inuenitur, & vetustissimo Ecclesiæ more est obseruatum.*

An præuidens impedimentum teneatur ante periculum mortis adimplere præceptum de viatico. Quæst. 270.

S V M M A.

1 *Præuidens impedimentum an teneatur præuenire impletionem præcepti de viatico.*
3 *Præceptum viatici est affixum te mpori.*
4 *Infirmi cur debeant præuenire obligationem præcepti de viatico, si præuideant impedimentum.*
5 *Regula prudentiæ quomodo exigant anticipari prouisionem.*
6 *Suscepturi longam nauigationem periculosam an teneantur sumere viaticum.*
7 *Inituri prælium, aut arcem aggressuri non tenentur sumere viaticum.*
7 *Præceptum animæ fauorabile quatenus odiosum.*
7 *Canonici in fauorabilibus, nō in odiosis veniūt nomine clericorum.*
7 *Religiosi in fauorabilibus veniunt nomine clericorum, non in odiosis, & in materia stricta.*

1 IN hac difficultate pro prima sententia asserente, quod præuidens impedimentum adfuturum in periculo mortis, ne possit viaticum sumere, teneatur præuenire, & antea adimplere, referri possunt ii, qui hoc ipsum docent in ordine ad præceptum de communione Paschali, cum sit eadem ratio, quorum plures citaui in Theol. mor. *disp. 118. sect. 11. nu. 51.* & in specie id tradunt Præposit. *3. par. quæst. 80. ar. 11. dub. 1. numer. 54. in fine*, Auersa *quæst. 8. de Eucharistia. sect. 3. ver. Nonè*, Fundamentū est, Quia regulæ prudentiæ exigunt, quod præueniatur prouisio, quando præuidetur fore impediendam tempore necessitatis. Vnde cum hoc præceptum obliget secundum mensuram exigentię necessitatis, vt ipsi prouideatur, obligabit etiam ad præueniendam prouisionem, quando præuidetur fore impediendam, cum aderit necessitas,

2 Secunda autem sententia tenet. Non obligari ad anticipandam adimpletionem præcepti. Et similiter pro hac sententia citari possunt, qui tenent, quod præuidens se impeditum fore, ne possit sumere tempore debito communionem Paschalem, non tenetur anticipatè implere præceptum, quos similiter citaui, & sequutus sum di-

dicta *disp. 118. theol. moral. sect. 11. num. 93.* Excepto tamen Auersa, qui oppositum tenet, vt visum est.

3 Dicendum est. *Qui prauidet, se nō habiturum commoditatem sumendi viaticum in articulo mortis, non tenetur anticipatè adimplere præceptum; quamuis rectè faceret, si se muniret Eucharistia.* Prob. Præceptum de viatico non obligat nisi pro periculo mortis: vnde est affixum tempori, quod est propinquum morti. Ergo non obligat, vt anticipatè impleatur, quando præuidetur fore impediendam obseruantiam tempore debito, quia præcepta affixa certo tempori non refundunt ex quacunque causa suam obligationem in aliud tempus siue antecedens, siue subsequens, aliàs non essent affixa tempori. Quod autem sit affixum tempori, ex eo constat, quia obligat ad sumendam Eucharistiam quatenus viaticum, atque adeo pro tempore, in quo quis est in via, qua transit ad aliam vitam. Tum quia obligat ratione necessitatis corrobandi vitam spiritualem, quæ vrget in vltimo tempore vitæ.

4 Dices. Quamuis præceptum sit affixum tempori, obligare tamen, quando præuidetur impedimentum, ad anticipandum, quia necessitas, in qua fundatur præceptum, refundit exigentiam prouisionis in tempus antecedens. Verum licet hoc locum habeat in infirmis, vt dictum est supra *quæst. ... num. 4.* quia in ipsis ratione infirmitatis est iam inchoatum saltem in radice periculum mortis; non tamen valet in coeteris. Nam quia in infirmis periculum mortis aliquo modo in coepit, ideo necessitas, & exigentia prouisionis habetur pro moraliter præsenti, & proinde trahit ad idem tempus obligationem præcepti, & facit quod habeatur pro vltimo tempore vitæ, cui est affixum. In coeteris autem nihil adest de præsenti, quod trahat ad illud tempus obligationem præcepti.

5 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Regulas prudentiæ exigere quidem, quod anticipetur prouisio, quando tempore necessitatis præuidetur fore impediendam, non secundum necessitatem, & obligationem, sed tantum secundum conuenientiam; nam in tantum id exigunt, in quantum dictant esse valde conueniens, & conforme modo operandi laudabiliter, quod præuiniatur prouisio. Non autem faciunt, quod obligat o præcepti anticipet, neque hoc dictant, sicuti neque quod necessitas futura exigat de præsenti sibi prouideri.

6 Ex his colligitur contra Præpositum, *num. 1.* citatum. Suscepturos longam, & periculosam nauigationem non teneri ratione periculi mortis sumere Eucharistiam tanquam viaticum, non solum, quia non vident instare vltimum tempus vitæ, sed etiam, quia licet timeant superuenturum periculum mortis, non tamen certi sunt, nam potest non superuenire. In dubio autem non adest casus legis, & præcepti, & proinde nec etiam obligatio.

7 Colligitur. 2. contra eumdem Præpositum, inituros prælium, aut aggressuros arcem, licet valde laudabiliter faciant, si sumant Eucharistiā, non tamen obligari præcepto de viatico. Nam licet se exponant periculo vitæ, non sunt tamen in periculo. Nam aliud est exponere vitam periculo: & aliud vitam periclitari. Siquidem exponi periculo dicitur, quando ponitur in tali statu, vt ipsi possit superuenire periculum: esse verò in periculo dicit, quod periculum sit præsens. Nec obstat, quod hi, sicut etiam suscepturi longam, & periculosam nauigationem censeantur esse in periculo mortis, quia hoc valet solum in fauorabilibus, & quòad priuilegia: non autem in odiosis, & in materia, qualis est obligatio præcepti, quod licet sit de re valde animæ fauorabili, quatenus tamen obligat, & onus imponit, computatur inter odiosa. Sic clericorum appellatione in fauorabilibus veniunt canonici cap. *per exemptionem. de priuileg. in 6.*

Qqq 2 &

& cap. *Cum tibi. de verbor. significat.* Vbi Abbas. *num.* 1. & 6. Felin. *in cap. Non dubium. num.* 1. *de sentent. excom.* Beroius *consil.* 3. *num.* 29. *vol.* 1. Puteus. *decis.* 92. *num.* 2. *lib.* 3. Non autem in odiosis, & in materia stricta, cap. *Sedes. de rescriptis.* vbi & Doctores Natta *consil.* 139. *num.* 6. Similiter etiam religiosi in fauorabilibus veniunt appellatione Clericorũ vt notant Felin. *in cap. Non dubium. num.* 1. *de sentent. excommun.* Calderin. *de interdicto. par.* 2. *num.* 28. Couaruu. *in cap. Alma mater, par.* 2. §. 1. *numer.* 8. ver. *Quinto.* Syluester *verbo.* Clericus. *numer.* 1. Non tamen veniunt in odiosis, & in materia stricta, vt notant Abbas *in cap.* 1. *num.* 7. Ne *cler. vel Monachi*. Roman. *consil.* 259. & communiter.

An, qui paulo ante periculum mortis sumpsit Eucharistiam, teneatur præcepto viatici. Quæst. 271.

S V M M A.

1 *Qui paulo ante periculum mortis sumpsit Eucharistiam, an teneatur sumere viaticum.*
2 *Virtualis intentio satisfaciendi obligationi, inest cuicunque actui.*
4 *Præcepta affixa tempori in quo differant à cæteris.*
5 *Obligatio non potest impleri antequam superueniat.*
6 *Anticipata solutio quando extinguat obligationem pro certo tempore.*
7 *Tempus præscriptum à lege pertinet ad formam actus.*
8 *Virtualis intentio satisfaciendi cuicunque obligationi, quomodo insit omni actui.*
9 *Parum & nihil quando æquiparentur.*
10 *Recitans horas canonicas antequam suscipiat sacrum ordinem cur satisfaciat obligationi.*
11 *Præceptum communionis Paschalis quomodo in tempore præfixo impleri possit.*
12 *Qui non sumpsit viaticum in periculo mortis, non tenetur postea sumere.*

1 Prima sententia asserit, Eum, qui paulo ante periculũ mortis sumpsit Eucharistam, non teneri rursus sumere pro viatico, quia iam per illam comunionem impleuit præceptum. Quod si inquiras, quantum distare debeat periculum mortis ab vltima communione, vt sufficiat pro viatico. Respondent, non debere distare vltra sex, aut octo dies. Aliqui tamen extendunt etiam vsque ad quindecim dies. Huius sententiæ sunt Paludan. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *ar.* 2. Angelus *verbo.* Eucharistia 3. *numer.* . . . Tabiena. *verbo.* Communicare. *num.* 16. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 38. *numer.* 23. Henriquez *lib.* 8. *sum. capit.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 11. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 5. *numer.* 4. Suarez *disp.* 69. *de Eucharis. sect.* 3. ver. *Rogabis.* Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 11. *dub.* 3. *num.* 98. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 18. *in fine*. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. numer.* 65. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæstion.* 7. *pun.* 1. *num.* 2. Mercer. *de sacram. quæst.* 80. *art.* 11. ver. *Quæritur tertiò.* Martinon *disp.* 36. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 4. Filliuc. *trac.* 4. *cap.* 2. *quæstion.* 6. *num.* 48. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 96. Caspens *par.* 2. *cursus theol. tract.* 22. *disp.* 9. *sect.* 7. Granad. *par.* 3. *controuer.* 6. *tract.* 10. *disp.* 3. *num.* 9. Auersa. *quæstion.* 8. *de Euchar. sect.* 3. ver. *Octauò*. Marchantius *in resolut. pastoralib. tract.* 4. *de Euchar. cap.* 1. *quæst.* 2. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 5. *quæstion.* 8. *dub.* 5. *num.* 110. Capeauil. *de administ. sacramen. quæst.* 10. *de Eucharis.* Hieronim. Garzia *par.* 1. *sum. tract.* 3. *dub.* 4. *pun.* 2. *num.* 13. Batholom. ab Angelo *dial.* 4 §. 79. Dicastil. *de sacram.*

cram. tract. 4. *de Euchar. disp.* 10. *dub.* 2. *num.* 53.

2 Fundamentum est. Quia sumens Eucharistiam habet virtualem intentionem satisfaciendi cuicunque obligationi, siquidem hæc virtualis intentio inest omni actui ex eo, quod quisque censetur facere actum modo magis sibi vtili. Ergo si sumat paulo ante periculum mortis, satisfacit præcepto de sumendo tempore mortis. Tum quia tunc quoque imminet periculum mortis, licet non cognoscatur. Tum quia, vt adimpleatur obligatio non est necesse illam agnoscere, sed sufficit, si exhibeatur id, ad quod obligamur. Confir. Illud tempus parum distat à tempore, in quo cognoscitur periculum mortis. Ergo habetur pro vno, & eodem tempore; quia parum pro nihilo reputatur. Confir. 2. Recitans horas canonicas mane, antequam suscipiat sacros ordines, satisfacit obligationi diei, nec tenetur pòst susceptum ordinem rursus recitare. Ergo præceptum affixum tempori potest per actum anticipatum impleri.

3 Secunda tamen sententia asserit, teneri sumere rursus Eucharistiam in periculo mortis. Ita Vasquez 3. *par. disp.* 214. *cap.* 2. *numer.* 14. Præposit. *quæst.* 80. *ar.* 11. *dub.* 1. *num.* 54. ver. *Alii sentiunt.* Chellison. *eodem ar. not.* 2. Hurtad. *de sacram. disp.* 10. *de Eucharis. difficul.* 2. ver. *Vasquez enim* Ochagauia *de sacram. tract.* 2. *de Euchar. quæst.* 14. *num.* 7. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst.* 7. *de Euchar. ar.* 4. *dub.* 4. *difficul.* 4. Palaus *par.* 4. *oper. moral tract.* 21. *disp. vn. punc.* 14. *num.* 7. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 9. *de Euchar. num.* 16. Quintanaduen. *tract.* 4. *de sacram. singul.* 11. *de Euchar. num.* 10.

4 Dicendum est. *Existentem in periculo mortis teneri ex diuino præcepto sumere viaticum, quamuis paulo ante sumpserit Eucharistiam.* Prob. In hoc contradistinguuntur præcepta affixa tempori, seu quæ obligant pro aliquo determinato tempore, à cœteris, quod requirunt opus iniunctum exhibendum in illo tempore, cui sunt affixa, per hoc enim sunt talia, nempe affixa tempori, vt non possint impleri per opus iniunctum antea, vel postea exhibitum. Præceptum autem viatici est affixum tempori, nempe quando vrget periculum mortis; siquidem obligat ad sumendum Eucharistiam, non quomodocunque sed vt viaticum, atque adeo in ordine ad proficiscendum de hac ad aliam vitam, & ideo non potest impleri per communionem præcedentem illud tempus.

5 Confir. Obligatio legis impleri non potest, antequam superueniat, Siquidem quando aduenit, exigit sibi satisfieri per actum præsentem; vnde si quis daret centum Caio, & postea superueniret obligatio dandi centum, non esset impleta per id; quod antea dedisset centum. Ergo neque quis potest satisfacere præcepto de viatico per communionem antecedentem, quia nondum obligat, cum obligatio consurgat tantum adueniente periculo mortis; pro quo solum obligat. Vnde cum lex non obliget, nisi innotescat, & hoc præceptum non possit innotescere, nisi innotescat periculum mortis, nam obligat in ordine ad ipsum, consequenter non obligabit, nisi periculum mortis innotescat.

6 Obiicies. Soluens debitum anticipatè extinguit obligationem, licet pro certo tempore debeat soluere, nempe singulo sexto mense. Ergo etiam anticipata communio extinguet obligationem præcepti de viatico. Resp. Soluentem anticipatè extinguere obligationem soluendi postea certo tempore, si tempus sit determinatum in hunc finem, vt solutio vltra non differatur; nam tunc tempus non designatur, vt solutio in ipso fiat, sed vt vltra ipsum non differatur. At si tempus determinetur, vt in ipso solutio fiat, non extinguitur obligatio. Sic ieiunans in feria sexta non extingnit obligationem ieiunandi in sabbatho; nec hodie recitans horas canonicas

præ-

præscriptas pro crastino extinguit obligationem recitandi in crastino. Et ratio est, quia obligatio non potest extingui, nisi de præsenti adsit, quod enim non est, nec etiam extingui potest: obligatio autem, quæ ratione præcepti est affixa tempori, non adest, nisi adsit tempus, cui est affixa. At obligatio soluendi post sex menses, aut singulo sexto mense de præsenti adest, quia de præsenti obligatur soluere, quando terminus aduenerit.

7 Hoc autem prouenit ex eo, quia quando præceptum est affixum tempori, non solum præscribit actum faciendum, sed etiam faciendum tali tempore, vnde simul etiam præscribitur tempus. Quando autem tempus præscribitur à lege, pertinet ad formam actus, vt notant Roland. *consil. 72. n. 71. lib. 3*, Osasch, *de.is. Pedemon. 163. num. 9*. Boccat. *ad constit. Marcb. glos. 6. num. 152*. Et ideo si actus non exhibeatur tempore præscripto, non exhibetur cum illa forma, cum qua præscribitur, & consequentur non est actus, qui præcipitur, sed diuersus, & proinde insufficiens ad satisfaciendum præcepto.

8 Ad fundamentum in oppositum resp. Exercentem aliquem actum habere virtualem, seu interpretatiuam intentionem satisfaciendi cuicunque obligationi, cui possit satisfacere; non autem cui non possit satisfacere, quia intentio interpretatiua non est de impossibili. Quando autem obligatio est affixa tempori, quia nondum aduenit, nec etiam potest anticipatè adimpleri. Ad 1. probationem. Quicquid sit, an immineat tunc periculum mortis, sufficit, quod non cognoscatur imminere; quia vt superueniat obligatio sumendi viaticum, requiritur, quod cognoscatur periculum mortis, ita vt, si non cognoscatur, nulla adsit obligatio, nam periculum vt cognitum est fundamentum obligationis: & ideo cum nondum superuenerit obligatio, nec etiam impleri potest. Ad 2. probat. Non esse quidem necessarium, quod cognoscatur obligatio, vt impleri possit: esse tamen necessarium, quod de præsenti vrgeat, quod non contigit in casu præsenti.

9 Ad 1. Confir. Licet illud tempus parum distet à periculo mortis, in præsenti tamen non possunt pro vno, & eodem computari. Quia licet Parum, & nihil æquiparentur *l. Quamuis. ff. de condit. & demonstr.* & capit. *Coram dilecto, de offic. deleg.* hoc tamen non habet locum, quando militat diuersa ratio, vt notat Surd. *consil. 197. num. 21.* In casu autem præsenti militat diuersa ratio; nam quodcunque tempus etiam minimum, antequam cognoscatur periculum mortis, non est tempus, cui sit affixa obligatio, & ideo separatur à tempore obligationis per id, quod præceptum non sit ipsi affixum, atque adeo non est aptum ad recipiendum opus impletiuum obligationis.

10 Ad 2. confir. negat. conseq. Nam est diuersa ratio. Nam recitans horas canonicas diei, antequam suscipiat sacrum ordinem, exhibet, quod de præsenti exigitur à præcepto, nam præceptum vrget per totum diem, & facit, quod per totum diem obligatio sit præsens: vnde quamuis recitans nõdum subsit obligationi, implet tamen præceptum in tempore, cui est affixum. Qui verò sumit Eucharistiam, antequam cognoscatur mortis periculum, non exhibet opus iniunctum à præcepto in tempore, cui sit affixum, & ideo non satisfacit.

11 Dices. Qui sumeret Eucharistiam vno, aut etiam altero die ante, vel post quindecim Paschales designatos pro adimplendo præcepto, adhuc satisfaceret. Ergo etiam qui sumeret vno, aut altero die ante periculum mortis. Resp. negat. conseq. quia est diuersa ratio. Nam præceptum de communione annua non est affixum certo tempori in specie, & determinatè, sed tantum certo tempori in genere, nempe Paschati, nam præcipitur tantum communio in Paschate, vt in cap.

Om-

Omnis vtriusque sexus. Nomine autem Paschatis in ordine ad hoc præceptum implendum ex praxi ita interpretante præceptum, veniunt aliquot dies tàm ante, quam post festum Paschatis, & ideo tempus, cui est affixum, habet latitudinem pensandam secundum moralem æstimationem, & proinde vltra designationem factam secundum communem æstimationem datur paruitas materiæ. Hoc autem non habet locum in præcepto de viatico, quia ex natura rei est affixum certo tempori, nempe illi, in quo cognoscitur imminere periculum mortis.

12. Ex dictis colligitur cum Henriquez *lib. 8. sum. cap. 5. num.* 2. Bonac. *disp. 4. de Eucharis. quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 4. Auersa *quæst. 8, de Eucharis. sect.* 3. ver. *Nonò*, Eum, qui non sumpsit viaticum in periculo mortis, transacto periculo non teneri amplius sumere; quia sicut obligatio superuenit ratione periculi mortis, quod facit, vt sit annexa tempori, pro quo durat periculum: ita eo transacto extinguitur.

An qui mane sumpsit Eucharistiam, teneatur iterum sumere, si vespere incidat in periculum mortis, Quæst. 272.

S V M M A.

1 *Qui mane sumpsit Eucharistiam, an possit sumere vespere, si incidat in periculum mortis. & num. seq.*
2 *Communio non potest sumi bis in eodem die.*
3 *Actus præcedens, aut subsequens non sufficit pro implendo præcepto affixo tempori.*
4 *Actus exhibendus, quando exigit præceptum.*
5 *Si quis post dono accepta centum in eadem die fiat extremè indigens, teneor ipsi rursus subuenire.*
6 *Communio quomodo prohibeatur bis in eodem die.*
7 *Præceptum de viatico quomodo obliget in vltimo tempore vitæ.*
8 *Finis præcepti de viatico.*
9 *Qui mane communicauit, si vespere incidat in periculum vitæ an damnandus peccati mortalis, si nolit sumere viaticum.*
10 *Parochi excusantur, si nolint ministrare viaticum illi, qui mane communicauit, & vespere incidit in periculum mortis.*
11 *Pluries in eadem infirmitate incidens in periculum mortis, tenetur pluries sumere viaticum.*

1 PRima sententia docet, Non posse sumere Eucharistiam, eum, qui mane sumpsit, etiam si incidat vespere in periculum mortis. Ita Suarez *disp. 69. de Eucharist. sect.* 3. Coninch *de sacram. quæst.* 80. *artic.* 11. *dub.* 3. *numer.* 100. Mercer. *ibid.* ver. *Quæritur tertiò*. Faustus *lib. 1. de Euchar. quæst.* 247. Mærat. *tom. 3. sum. disp.* 35. *de Eucharis. sect. 2. numer.* 4. Granad. 3. *par. controuer.* 6. *tract.* 10. *disp. 3. num.* 9. Zambran. *in suis decis. cap. 3. de Eucharis. num.* 1. & 6. Pitigian *in 4. dist. 9. quæst. 3. artic.* 7. Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 1. cap. 3. num.* 7. Dicasti. *de sacram. tract. 4. de Euchar. disp.* 10. *dub. 2. numer.* 48. qui tamen *numer.* 56. asserit, contrariam opinionem esse probabilem, & tutam. Prob. Communio prohibetur bis in die cap. *Consuluisti. de celebrat. missar.* & cap. *Sufficit. de consecrat. dist.* 1. Ergo si mane sumpsit Eucharistiam, non potest rursus vespere sumere pro viatico. Secundò. Mane imminebat periculum mortis, quamuis ignoraretur. Ergo per illam communionem satisfecit præcepto, quia vt impleatur, non requiritur, quod cognoscatur vrgere: sic audiens missam nesciens esse diem festum, implet præceptum. Tertiò. Eo ipso, quod mane sumpsit Eucha-

charistiam cessauit finis præcepti, siquidem illum assequutus est, cum iam sit præparatus ad transitum per viaticum, & corroborationem vitæ spiritualis. Ergo cessauit etiam præceptum.

2 Secunda autem sententia est, quod teneatur de nouo sumere Eucharistiam, siue mane, dum sumpsit Eucharistiam, fuerit sanus, siue infirmus. Hanc opinionem tradidit Vasquez in manuscriptis, & eam tenent Turrian. *par. 2. sum. cap.* 58. *dub.* 2. *numer.* 3. Hurtad. *de sacram. disp.* 10. *de Euchar. dissicul.* 2. ver. *Vnde existimamus*, Chellison. 3. *par. quæst.* 80. *art.* 11. *notab.* 2. Ochagauia *de sacramen. tract.* 2. *de Eucharis. quæst.* 14. *num.* 7. Megal. *in prompt. verbo.* Eucharistiæ sacramenti præceptum. *num.* 6. & *verbo.* Eucharistiæ. *sacram. minister. num.* 20. Bresserus *lib.* 3. *de conscien. cap.* 8. *num.* 100. ver. *Inferri videtur.* Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 9. *de Euchar. num.* 16. qui tamen oppositam opinionem probabilem putat, sed ex principiis extrinsecis. Et hanc ipsam opinionem probabilem censet Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 197.

3 Dicendum, *Si eo die, quo quis mane sumpsit Eucharistiam extra periculum mortis, incidat in periculum mortis, tenetur iterum sumere per modum viatici; præsertim si probabile sit, quod non sit superuicturus vsque ad sequentem diem.* Dixi, *si probabile sit, &c.* quia si credatur, quod superuiuet, poterit differre, quamuis adhuc possit vespere sumere. Ratio autem desumitur ex natura præcepti, quod obligat pro certo tempore, nempe pro eo, in quo instat periculum mortis. Quando enim præceptum obligat pro aliquo certo, & determinato tempore, requirit pro illo tempore actum iniunctum: ita vt actus extra illud tempus, siue antecedat, siue subsequatur, non sufficiat pro implendo præcepto, siquidem non obligat præcisè ad actum, sed ad actum coniungendum cum tali tempore, seu ponendum in tali tempore. Ergo communio matutina, si tunc non aderat periculum mortis, non est sufficiens pro implendo præcepto de viatico, quando postea superuenit eadem die periculum mortis, nam præceptum exigit actum, seu communionem pro illo tempore, in quo adest periculum mortis. Sic non impleo præceptum crastinum de ieiunio per hodiernum ieiunium.

4 Confir. Quando mane sumpsit Eucharistiam, non vrgebat periculum mortis, & consequenter nec etiam obligatio sumendi viaticum, cum solum consurgat stante periculo mortis, ita vt in ipso fundetur. Ergo quando vespere aduenit periculum mortis, incipit etiam obligatio; & ideo cum essentialiter respiciat futurum, & exigat non actum iam factum, sed faciendum, requiret nouam communionem, qua tunc satisfiat præcepto: nam tunc est exhibendus actus, quando incipit obligatio, quia tunc facit nos de nouo debitores.

5 Confir. 2. Si alicui dono dedi centum aureos, & eadem die illos amittat, & constituatur in extrema necessitate, quia ratione charitatis consurgit obligatio subueniendi, teneor de nouo illi subuenire, nec per aureos donatos liberor tali obligatione, quia obligatio de nouo consurgens facit me de nouo debitorem. Ergo licet quis sumpserit mane Eucharistiam, tenetur etiam sumere vespere, si tunc superueniat periculum mortis; nam tunc superuenit de nouo obligatio, & noua necessitas, cui ex præcepto diuino succurrendum est.

6 Ad 1. resp. Communionem prohiberi, per se bis in die, non autem per accidens. Sic si quis sumpsisset Eucharistiam, posset iterum sumere etiam non ieiunus ad vitandam irreuerentiam, quæ posset ipsi irrogari, & sacerdos qui celebrauit, posset consumere sacrificium celebrantis, quando non posset ipse perficere, nec alius adesset, qui non celebrasset; vnde poterit etiam bis sumi pro implendo præcep-

cepto de viatico. In hoc enim casu concurrunt duo præcepta, alterum Ecclesiasticum de non sumenda Eucharistia bis in eodem die: & alterum diuinum de viatico, aut si non esset diuinum, esset tamen maioris momenti, vt pote ordinatum ad succurrendum maximæ necessitati spirituali, & ideo debet cessare præceptum Ecclesiasticum, & impleri præceptum de viatico, sicut etiam præceptum diuinum de consumando sacrificio præualet præcepto non communicandi bis.

7 Ad 2. negat. conseq. Quia præceptum de viatico non est quomodocunque affixum vltimo tempori vitæ, sed quatenus innotescit probabiliter vltimum tempus vitæ. Et proinde, quamuis non sit vltimum tempus vitæ, si tamen credatur esse, præceptum obligat, ex quo fit, quod opinio de vltimo tempore vitæ qualificet tempus, vt sit illud, cui sit annexum præceptum. Cum ergo mane non adesset opinio de vltimo tempore vitæ, quia nulla de ipso aderat cognitio, nec etiam præceptum obligabat, & consequenter non poterat impleri. Quare licet tempus vltimū vitæ sit vnicum respectu vniuscuiusque, hoc tamen præceptum potest pluries vnumquemque obligare, si nimirum ex accidentibus credatur pluries mortem imminere. Et ideo non est eadem ratio de præcepto audiendi missam, quod potest impleri, etiam si nesciatur adesse obligatio, nam hoc præceptum est affixum diei independenter ab opinione nostra. At præceptum de viatico habet pro fundamento proximo opinionem, seu cognitionem, quod instet vltimum tempus vitæ.

8 Ad 3. neg. assumptum. Nam finis præcepti de viatico non est quomodocunque corroboratio vitæ spiritualis, sed corroboratio vitæ spiritualis in tali tempore, hoc est illo, in quo luctandum est in exitu ex hac vita; & ideo finis propriè est præparatio ad hanc luctam per nutritionem spiritualem: vnde sicuti præceptum est affixum tempori, in quo cognoscitur instare terminum vitæ, ita etiam finis est affixus eidem tempori, nec antea obtineri potest. Sic etiam licet hodiernum ieiunium maceret corpus non minus, quàm crastinum, & finis sit omnino idem, non tamen potest impleri præceptum crastinum de ieiunio, quia præceptum vt pote affixum tempori, exigit, quod finis obtineatur in tali die.

9 Ex his colligitur. Quod si quis mane sumpsisset Eucharistiam, & vespere incideret in periculum mortis, & nollet sumere viaticum quousque duraret periculum, non esset damnandus peccati mortalis, quia vt notat etiam Martinus à S. Ioseph *num.* 2. citatus. est probabile ex auctoritate Doctorum, quos adduxi pro prima opinione, quod per illam communionem satisfecerit præcepto, quod cum iam sit impletum, etiam si periculum mortis per plures dies duraret, non teneretur amplius sumere. Et hoc verum est, etiam si nesciret, quod adsit opinio præ licta, quia eo ipso, quod non vult sumere, censetur iustè nolle, atque adeo secundum illam opinionem, quæ non obligat sumere; siquidem vnusquisque ex interpretatiua voluntate censetur rationabiliter operari.

10 Secundò colligitur. Parochos excusari, si existenti in periculo mortis nolint viaticum ministrare, quando mane sumpsit Eucharistiam; nam licet ratione officii teneantur omnibus ministrare, possunt tamen in hoc casu sequi opinionem asserentem, quod non adsit tūc obligatio sumendi viaticum. Vnde cum existens in periculo mortis non teneatur sumere, nec etiam Parochi tenentur ministare.

11 Tertiò colligitur. Eum, qui in eadem infirmitate pluries incidit in periculum vitæ, teneri etiam pluries sumere viaticum, ita vt debeat toties sumere, quoties de nouo incipit periculum vitæ. Cum enim præceptum sit affixum tempori, in quo cognoscitur imminere periculum vitæ, transacto periculo cessat, & rursus reuiuiscit,

ſcit, ſi renouetur periculum, & ideo debet rurſus impleri. Tunc autem cenſetur ceſſare periculum vitæ durante eadem infirmitate, quando infirmus ita incipit melius ſe habere, vt exhibeat motiuum ſperandi ſanitatem, aut ſaltem, quod morbus pro illo tempore non vrgeat amplius ad mortem; in eo enim conſiſtit periculum, quod morbus vrgeat ad mortem, vnde ſi ceſſet vrgere, ceſſabit etiam periculum.

12 Quarto colligitur contra Dicaſtil. *de ſacram. tract.* 4. *de Eucharif. diſp.* 10. *dub.* 5. *num.* 57. Infirmum, qui mane ex deuotione ſumpſit Euchariſtiam, ſi veſpere incidat in periculum mortis, debere rurſus ſumere. Quia licet forte morbus etiam mane eſſet periculoſus, adhuc tamen non cognoſcebatur vt talis, & ideo nondum iuxta dicta ſuperius obligabat præceptum, ſed tunc incipit obligare, & ideo tunc requirit obſeruantiam. Et hoc à fortiori valet, quod admittit etiam tanquam probabile Dicaſtil. *citat.* ſi ſuperueniat ex noua cauſa periculum mortis, nempe ex vulnere lætali, aut ex alio capite; nam tunc eſt nouum periculum, & ex noua cauſa.

An ſi quis poſt ſumptum viaticum peccet mortaliter, teneatur rurſus ſumere. Quæſt. 273.

S V M M A.

1 *Peccans mortaliter poſt ſumptum viaticum an teneatur rurſus ſumere. & numer. ſequent.*

3 *Præceptum de viatico ratione cuius obliget.*

3 *Obligatio ad viaticum poſt peccatum mortale faceret, quod infirmus deberet manifeſtare ſe peccaſſe mortaliter.*

4 *Reſurgens à peccato cõmiſſo poſt viaticum recuperat auxilia, quæ conſequebantur ad viaticum.*

5 *Indigentia viatici an interrumpatur, quando ſumpto viatico quis peccat mortaliter.*

1 INcidentem in peccatum mortale poſt ſumptum viaticum teneri rurſus ſumere, tradunt Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæst.* 1. *art.* 11. Tabiena *verbo.* Communicare. *numer.* 16. Armilla *verbo.* Communio. *num.* 11.

2 Communis tamen ſententia tenet, quod non obligetur ſumere rurſus viaticum. Ita Henriquez *lib.* 8. *ſum, cap.* 5. *num.* 3. Suarez *diſp.* 69. *de Euchariſ. ſect.* 3. ver. *Secundum modum.* Coninch. *de ſacramen. quæſt.* 80. *ar.* 11. *dub.* 3. *num.* 100. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. numer.* 65. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 7. *num.* 59. Bonac. *diſp.* 4. *de Euchariſ. quæſtion.* 7. *pun.* 1. *num.* 3. Hurrad. *de ſacramen. diſp.* 10. *de Euchar. difficul.* 2. Chelliſon. 3. *par. quæſt.* 80. *artic.* 11. *not.* 2. Ochagauia *de ſacram. tract.* 2. *de Euchariſ. quæſt.* 14. *num.* 8. Auerſa *quæſt.* 8. *de Euchar. ſect.* 3. ver. *Quid ſi infirmus.* Martin. à S. Ioſeph. *tom.* 1. *mor. lib.* 1. *tract.* 9. *de Euchariſ. numer.* 17.

3 Dicendum eſt. *Eum, qui ſemel ſumpſit viaticum, non teneri iterum ſumere, ſi contingat, quod eo ſumpto peccet mortaliter.* Ratio autem eſt. Quia præceptum de viatico non obligat ratione peccati mortalis, quod afficiat infirmum, ſed ratione periculi mortis: vnde etiam ſi, dum quis incidit periculum mortis, nullum haberet peccatum mortale, adhuc teneretur ſumere viaticum ad ſe corroborandum pro lucta. Ergo cum ſit idem periculum mortis, non aderit noua obligatio ad ſumendum viaticum, ſed tantum ad ſumendum ſacramentum poenitentiæ. Confir. Si adeſſet obligatio ſumendi de nouo viaticum, daretur caſus, in quo infirmus teneretur manifeſtare, ſe peccaſſe mortaliter, ſi nimirum non eſſet tranſactum illud tempus, poſt quod poteſt de nouo miniſtrari viaticum

cum: aut si transacto cõperenti tempore, parochus nollet ministrare. Non potest autem aliquod præceptum obligare ad manifestanda propria peccata occulta, cum hoc sit contra ius tuendi bonam opinionem. Rursus aliquando adesset obligatio sumendi bis viaticum in eadem die, vt si mane sumpsit, & postea peccet mortaliter, & non sit spes, quod superuiuat ad sequentem diem.

4 Dices. Peccans mortaliter amittit vitam spiritualem, & ius ad illa auxilia, quæ dantur in virtute Eucharistiæ ad perseuerandum, & consequenter amittit omne robur vitę spiritualis. Ergo quando resurgit per pęnitentiam acquirendo vitam spiritualem, indiget robore, & auxilis ad perseuerandum: atque adeo Eucharistia. Ergo cum sit in præcepto pro constitutis in periculo mortis ad conferendum robur in ordine ad perseuerandum, de nouo vrgebit præceptum. Resp. negat. vlt. conseq. Nam dum resurgit per poenitentiam recuperat gratiam amissam, atque adeo etiam illam, quam accepit in virtute viatici, vt cum communi, & certa sententia tradidi *in Theol. morali disp. 42. sect. 9.* Vnde cum auxilia ad perseuerandum sint annexa gratiæ, quam contulit viaticum, recuperando gratiam recuperat etiam ius ad auxilia, & proinde quò ad hoc reponitur in eo statu, in quo erat ante peccatum.

5 Dices 2. Quando interrumpitur periculum mortis, & de nouo aduenit, præceptum de viatico de nouo obligat. Ergo etiam quando interrumpitur indigentia viatici, & de nouo aduenit, de nouo etiam obligabit. Tunc autem interrumpitur, & de nouo aduenit, quando quis peccat mortaliter, & de nouo recuperat gratiam, quia de nouo corroboranda est vita spiritualis. Resp. neg. Quod interrumpatur indigentia, & de nouo adueniat, quando quis sumpto viatico peccat mortaliter, & de nouo resurgit; nam indigentia consequitur periculum mortis, quod cum non interrumpatur per peccatum mortale, nec etiam interrumpitur indigentia, sed continuat, & solum peccatum impedit auxilia gratiæ; vnde quando recuperatur vita spiritualis, de nouo conferuntur auxilia, quæ sufficiunt pro illa indigentia. Et quamuis per peccatum interrumpatur vita spiritualis, non tamen interrumpitur indigentia, quia hæc non fundatur in vita spirituali, sed in periculis, & tentationibus, quæ vrgent tempore mortis, quibus, si adsit, subiicitur vita spiritualis.

An si quis sumat viaticum aliqua ex illis diebus, in quibus vrget præceptum de communione Paschali, satisfaciat eadem communione vtrique præcepto. Quæst. 274.

S V M M A.

1 *Eadem communio an sufficiat pro præcepto viatici, & communionis Paschalis, si coincidant.*
1 *Eadem communio non sufficit pro poenitentia, voto &c.*
1 *Præcepta, quæ habent diuersos fines, requirunt diuersos actus.*
2 *Plura præcepta quando possint impleri vnico actu.*
3 *Quid requiratur, vt plura præcepta impleantur.*
4 *Præceptum communionis quomodo obliget.*
5 *Præcepta, quæ per se primo respiciunt aliquem effectum, quomodo obligent ad actum, ex quo effectus consurgit.*
6 *Præcepta specie diuersa quando non possint impleri vnico actu.*
7 *Vnica communio cur non sufficiat pro voto, & poenitentia.*
8 *Finis communionis Paschalis obtinetur etiam in viatico.*
9 *Communio Paschalis cur non sufficiat pro præcepto viatici implendo, si postea superueniat periculum mortis.*

10 *Tempus communionis Paschalis quousque alicubi extendatur.*
11 *Communio Paschalis dilata ultra tempus consuetum an impleatur, si eo tempore sumatur viaticum.*

---

1 Non sufficere eamdem communionem pro implendo vtroque præcepto, nempe de communione Paschali, & de communione per modum viatici, etiam si vtrumque concurrant eodem die, tradit Quintanaduen. *de sacram. tract.* 4. *de Euchar. singul.* 11. *nu.* 5. *& sequent.* Prob. Quando duo præcepta specie diuersa durant sub diuersis temporibus, etiam si materia sit eadem, non possunt impleri vnico actu. Præceptum autem de communione Paschali, & præceptum de viatico durant diuersis temporibus, nam primum durat per quindecim dies; secundum verò durat per diem, & sunt simul solum secundum quid, nempe secundum exiguam partem illius tẽporis importati per quindecim dies. Secundò. Si Petro iniungeretur pro poenitentia, vt intra quindecim dies communicaret, & etiam intra illos dies teneretur ex voto ad communionem; & similiter Prælatus præciperet communionem, non satisfaceret vnica communione, sed requireretur triplex, nisi probabiliter saltem cognosceret, à confessario, & superiore non esse impositam diuersam communionem, vt tradunt Medina C. *de satisfact. quæst.* 4. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 4. *numer.* 5. Salas *disp.* 2. *de legib. sect.* 2. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. disp.* 37 *sect.* 6. & alii. Ergo cum non possit pruden er præsumi, quod Christus, & Ecclesia contenti sint vnica communione pro vtroque præcepto, non poterit vnica communione impleri. Tertiò. Quando præcepta habent diuersos fines, debent impleri diuersa actione, nisi desit tempus, vt tradit cum aliis Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. *& præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. Diuersus autem est finis præcepti communionis Paschalis, & viatici; siquidem illa ordinatur ad nutriendam vitam spiritualem, & augendam: hoc verò ad aggrediendum iter omnium difficillimum, ad tentationes superandas, & pericula mortis salubriter subeunda: & possunt impleri in diuerso tempore. Quartò. Si quis sanus satisfecisset communioni Paschali in Dominica Palmarum, & post duodecim dies intra quindecim deputatos pro communione Paschali, periculosè ægrotaret, teneretur sumere viaticum. Ergo si prima die ex illis quindecim sumat viaticum, post duodecim dies tenebitur sumere communionem Paschalem.

2 Dicendum tamen est: *Vnica communione posse impleri præceptum de viatico, & præceptum de communione Paschali, si simul coincidant in aliquo die: ita vt in eodem die vrgeat periculum mortis, in quo etiam impleri potest præceptum de communione Paschali.* Ita tenere debent ii Doctores, qui volunt, quod extra materiam iustitiæ possint impleri plura præcepta vnico actu, quæ est communis sententia, quam tradit Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 14. *num.* 5. & ii, qui volunt, quod vnica eleemosina impleatur præceptum de subueniendo pauperi, & etiam iniunctio poenitentiæ, vt Victoria *in sum. tit. de satisfac. num.* 205. Sotus *lib.* 1. *de iust. & iure. quæst.* 6. *artic.* 8. *in fine. corpor.* Ledesma 2. *par.* 4. *quæstion.* 14. *art.* 1. *dub.* 7. Henriquez *lib.* 5. *de poenit. cap.* 21. *num.* 3. *Littera Q.* Sà *verbo.* Satisfactio. *numer.* 9. Bartholom. Ledesma *de sacram. dub.* 9. *de satisfac.* Et rursus ii, qui volunt, quod opera aliàs debita ex præcepto sufficiant pro operibus iniunctis pro acquirendo iubileo, aut indulgentiis, quos citaui *in praxi iubilei. quæst.* 43. *num.* 2. Est enim eadem ratio, imo hoc à fortiori habet locum in præsenti casu, quia hæc præcepta non obligant ad opus sub ratione oneris.

Ra-

3 Ratio autem desumitur ex natura horum præceptorũ, quia non sunt in materia iustitiæ, nec in materia onerosa, sed in materia virtutis: & ideo non requirunt per se primò materiam, & substantiam operis, sed tantum exercitium virtutis, & effectum inde sequentem. Vnde sic conficitur ratio. Tunc præcepta adimplentur, quando adæquantur per opus exhibitum, ita vt exhibeatur totum id, quod ipsa exigunt, & fiat coadæquatio quædam inter præceptum, & opus. Vnde ideo vnica solutione non potest satisfieri pluribus debitis, quia non coadæquatur ipsis; siquidem singula debita requirunt singulas solutiones, quia singula exhauriunt adæquatè vnam solutionem, & quia obligatio respicit per se primò materiam. Eadem autem communio est sufficiens, vt adæquet vtrumque præceptum. Vtrumque enim præceptum exigit communionem sub eadem ratione, nempe sub ratione cibationis spiritualis, & in ordine ad eumdem effectum, nempe nutritionem spiritualem, & conseruationem vitæ spiritualis; & ideo cum id, quod exigit vnum præceptum, exigat illud ipsum etiam alterum, vnica communio adæquabit exigentiam vtriusque, & vtrumque implebit.

4 Dices. Exigere diuersam numero nutritionem spiritualem, quæ cum sit possibilis in diuersis diebus, non implebitur per vnicam communionem. Verum reiicitur hæc responsio. Quia præceptum de communione non obligat, nisi secundum mensuram indigentiæ cibi spiritualis, quia cum sacramentum sit per modum cibi, non est de necessitate ratione præcepti, nisi quatenus est necessarius cibus, & proinde nisi quatenus homo indiget spirituali nutritione. Ergo quando duo præcepta concurrunt, non exigunt, nisi vnicam nutritionem spiritualem, quia hæc sola non solum sufficit, vt subueniat necessitati, sed etiam vt excludat indigentiam vlterioris nutritionis. Sic siquis teneretur comedere ad substentandam vitam corporalem non solum ratione curæ, quam de ipsa debet habere, sed etiam ratione præcepti superioris, satisfaceret vtrique obligationi vnica comestione, si ista esset sufficiens pro substentanda vita, nec teneretur plus comedere, quàm esset necessarium pro substentatione.

5 Confir. Quando præcepta obligant per se primò ad aliquem effectum, qui sequitur ex actu, ita vt obligent solum ad actum, quatenus conducit ad illum effectum, non obligant ad actum, nisi quatenus necessarium pro illo effectu, quia obligant solum tanquam ad medium, vnde quando concurrunt plura præcepta respicientia eumdem effectum, si iste effectus obtineri possit per vnicum actum, non obligant ad plures actus, quia obligatio est secundum mensuram exigentiæ effectus. Sic siquis teneatur ex diuersa obligatione alicui subuenire, nempe filius patri ratione nimirum pietatis, & ratione charitatis, quia sit in graui necessitate, non obligatur ad duplicem subuentionem, sed tantum ad vnicam sufficientem. Et ratio est, quia cum præcepta vniantur in effectu, propter quem sunt posita, se habent per modum vnius. Præceptum autem de viatico, & præceptum communionis Paschalis obligant per se primò ad effectum, nempe ad nutritionem spiritualem, & solum ad sumptionem Eucharistiæ, quatenus est medium pro tali nutritione. Ergo quando concurrunt, ita vt in eodem tempore vrgeat vtriusque obligatio, quia vniuntur in effectu, propter quem obligant, & in indigentia, cuius intuitu obligant, ad vnicam tantum communionem obligabunt.

6 Ad 1. in oppositum resp. Præcepta specie diuersa, quæ durant sub diuersis temporibus, non posse impleri eodem, si durent adæquatè sub diuersis temporibus, & non tendant ad eumdem effectum; posse tamen impleri, si durent inadæquatè, & tendant ad eumdem

dem effectum, quia tunc in aliquo tempore coincidit obligatio vtriusque & cum vniantur in eodem effectu, habentur pro vno, & eodem. Præceptum autem de viatico, si superueniat intra dies, in quibus obligat præceptum annuæ communionis, quamuis cesset durante adhuc per aliquot dies præcepto de communione annua, coincidit tamen cum ipso in aliquo tempore, & tendit ad eumdem effectum, vt constat ex dictis.

7 Ad 2. In illo casu non sufficere vnicam communionem, quia sumus in materia iustitiæ, & onerosa, nam communio ex voto est debita ex iustitia, cum sit debita ratione promissionis acceptatæ: & communio iniuncta pro poenitentia est in materia onerosa, quia iniungitur tanquam onus: & ideo, cum coadæquantur obligationi, cui correspondent non sufficiunt pro implenda alia obligatione, quia exhauriuntur ex alio titulo; nec obligationes coincidunt in effectu. Præcepto autem de Paschali communione, & de viatico non sunt in materia iustitiæ, aut onerosa.

8 Ad 3. negat. min. Nam proximus finis tàm præcepti de Paschali cõmunione, quàm de viatico est nutritio, & corroboratio vitæ spiritualis. ad quã sequitur postea præseruatio à peccatis per auxilia gratiæ, & collatio virium ad vincendas tentationes iuxta occasiones occurrentes. & ideo, si immineat periculum mortis, istæ vires roborant ad pericula mortis salubriter subeunda, & tentationes tunc occurrentes superandas. Vnde totus ille finis, ad quem dirigitur communio Paschalis, obtinetur etiam per viaticum, & aliquid amplius; & ideo præceptum communionis Paschalis non requirit ratione diuersi finis nouam communionem.

9 Ad 4. neg. Conseq. quia est diuersa ratio, nam sumens communionem Paschalem in Dominica palmarum, si postea superueniat periculum mortis, non sumpsit, quando obligabat præceptum de viatico, quia, vt dictum est in superioribus, solum incipit obligare, quando incipit cognosci periculum mortis; & ideo illa communio non sufficit pro præcepto, quod nondum obligat: & præcepta non coincidunt in illo tempore, in quo ponitur actus. At quando vrgente periculo mortis sumitur Eucharistia intra illos quindecim dies, obligatio coincidit in eodem tempore, & exhibetur actus, quando vtraque obligatio impleri potest tanquam de præsenti ligans.

10 Ex dictis colligitur. Quod si alicubi extet legitima consuetudo, per quam tempus Paschale pro communione sumenda extendatur vltra dictos quindecim dies, sicut extenditur ad totam quadragesimam in Lusitania testantibus Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 45. *&* 52. Beia *par.* 4. *casu* 4. *init.* Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 56. *art.* 3. §. *Ex his secundò*. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. ver. *De consuetudine*, si quis in his locis sumeret viaticum in aliquo ex illis diebus, in quibus impleri posset præceptum Paschalis communionis, non teneretur amplius in Paschate communicare, quia sumpsit Eucharistiam in eo tempore, in quo poterat vtrumque præceptum impleri, atque adeo ad quod extendebatur obligatio.

11 Colligitur 2. Quod si quis de proprij sacerdotis consilio differret communionem Paschalem, vltrapræscriptos dies pro ipsa, vt conceditur in Cap. *Omnis vtriusque sexus de poenitent. & remission.* Si interim contingeret sumere viaticum, esset liber à præcepto de communione Paschali, quia iam sumpsisset Eucharistiam in tempore, in quo adhuc implere poterat tale præceptum. Hoc tamen limitandum est, nisi proprius sacerdos transferret communionem Paschalem in certũ determinatum diem, nam tunc affigeret obligationem tali diei: vnde si sumeret in aliquo alio die viaticum extra dies Paschales, non impleret obligationem, quia non sumeret, quan-

quando impleri posset, si tamen sumeret viaticum intra dies Paschales, satisfaceret, quia cessaret ratio differendi communionem, & sumeretur tempore habili pro implendo præcepto Paschalis communionis.

De Ministro Viatici.

An quilibet Sacerdos possit ministrare viaticum, Quæst. 275.

S V M M A.

1 *Viaticum non potest ministrari à quolibet sacerdote, sed tantum à Pastoribus.*
2 *Sacerdos quilibet ministrare potest viaticum ex præsumpta voluntate Pastorum.*
3 *Sine qua ministrans peccat mortaliter.*
Regulares ministrantes viaticum, quando non possunt ex priuilegio, incurrunt excommunicationem.
5 *Ex præsumpta voluntate licet ministrare viaticum etiam extra necessitatem.*
6 *Celebrans in priuatis oratoriis potest ministrare viaticum concurrente præsumpta voluntate, &c.*
7 *Ministrans viaticum ex præsumpta voluntate excusatur, licet non adsit.*
7 *Delictum non imputatur ad poenam, vbi non est dolus.*
7 *Qualibet iusta causa liberat à poena.*
8 *Concessa facultate audiendi confessiones non est concessa facultas ministrandi viaticum.*

1 SVpponendum est tanquam certum. Non posse quemlibet Sacerdotem ministrare viaticum, sed eos tantum, quibus incumbit cura animarum, vt sunt Parochi, Episcopi, & cœteri omnes, qui exercent officium Pastoris. Ita desumitur ex Concilio Cartagin. 1. *cap.* 7. & Concil. Mileuit. *can.* 18. & inter alios notat Tertul. *De corona milit. cap.* 3. *numer.* 3. & communiter Doctores. Ratio autẽ est, quia licet, qui conficit Eucharistiam, possit etiam illam administrare quantum est ex vi ordinis; quia tamen ministratio est actus pascendi oues, ideo quantum ad ius ministrandi coarctatur ad Pastores habẽtes curam animarum; & proinde tanquam actus proprius pastorum non potest alteri conuenire. Possunt tamen Pastores hoc ministerium cuicunque alteri sacerdoti committere quoad proprias oues, quia, quæ sunt officii, possunt alteri delegari, vt desumitur ex Cap. omnis vtriusque sexus *de pænit. & remiss. &* ex *Clement.* 1. *de priuil.* Difficultas autem est, an requiratur expressus consensus, an verò sufficiat præsumpta voluntas.

2 Dicendum est, *Voluntatem præsumptam, seu probabilem spem futuræ ratihabitionis sufficere, vt possit quilibet sacerdos ministrare viaticum.* Ita Nauar. *in Manuali cap.* 21. *num.* 52. Hurtad. *de sacram. disp.* 11. *de Eucharist. difficul.* 5. Vasquez 3. *part. disp.* 219. *cap.* 3. *numer.* 26. Præposit. *quæst.* 82. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 14. Ochagauia *de sacram. tract.* 3. *de Euchar. quæstion.* 4 *num.* 8. & communiter, Prob. Intantum non potest ministrare viaticum, qui non habet curam animarum, inquantum vsurparet sibi officium pastoris, & læderet ius ipsius. Sed eo ipso, quod adest præsumpta voluntas, seu spes futuræ ratihabitionis, non læditur ius pastoris, nec vsurpatur eius officium contra ipsius voluntatem, nam præsumpta voluntas, & spes ratihabitionis inducit interpretatiuum consensum. Ergo sufficit præsumpta voluntas. Maior patet. Quia ministratio Viatici non est, quantum est de se, actus iurisdictionis, sed actus ordinis, quia tamen ordinatur ad pascendas oues, sicut illas requirit, quibus ministretur, ita supponit etiam iurisdictionem, per quam ministranti tribuantur oues, seu materia circa quam versetur hic actus; & ideo non requirit præuiam commissionem, quæ det iurisdictio-

ctionem, atque adeo nec consensum antecedentem, sed sufficit probabilis spes ratihabitionis.

3 Dicendum 2. *Ministrare viaticum sine voluntate saltem præsumpta proprii pastoris esse peccatum mortale.* Ita ii qui hoc vniuersaliter docent de ministratione Eucharistiæ, atque inter alios Suarez *disp. 72. de Eucharist. sect. 2. ver. Hinc sequitur.* Vasquez *3. part. disp. 219. numer. 31.* Ratio est, quia in re graui læditur ius alienum, dum vsurpatur proprium munus pastorum.

4 Ex his colligitur. Religiosos ministrantes viaticum in casibus, in quibus non possunt ex priuilegio, aut alio modo, non solum peccare mortaliter, sed etiam ipso facto incurrere in excommunicationem, si quidem talis excommunicatio latæ sententiæ imponitur quoad omnes religiosos, qui sine facultate, aut licentia vniuersaliter ministrant Eucharistiam in Clemen. *Religiosi. De priuileg.* Non tamen incurrerent, si ministrarent alteri religioso cuiuscunque ordinis, quamuis possent peccare mortaliter, si ministrarent contra voluntatem eorumdem prælatorum. Dicta enim excommunicatio est lata tantum contra religiosos, qui præsumpserint ministrare Eucharistiam Clericis, aut laicis, & ideo non debet extendi ad ministrantes aliis religiosis, præsertim quia non militat eadem ratio quoàd hoc, vt *ibid.* notat Glos. Vnde etiam in tex. dicitur, *Absque licentia Parochiani*, vnde est solum imposita in fauorem Parochorum, & proinde in ordine tantum ad eorumdem oues.

5 Colligitur 2. Non solum in casu necessitatis, sed etiam extra ipsum, licere ministrare viaticum ex præsumpta voluntate. Quia tàm latè se extendit in hoc casu facultas ministrandi, quàm latè se extendit præsumpta voluntas, cum ex ipsa oriatur. Præsumpta autem voluntas non solum habet locum, quando adest necessitas, sed etiam extra ipsam. Cum enim oriatur ex circumstantijs, possunt hic, & nunc tales circumstantiæ concurrere, vt quàuis nulla adsit necessitas, probabiliter iudicari possit Pastorem contentum esse, quod administretur viaticum.

6 Colligitur 3. Sacerdotem celebrantem in oratoriis priuatis posse ministrare viaticum infirmo existenti in illa domo, in qua est Oratorium, si concurrat præsumpta voluntas Parochi. Vnde in casu, in quo magni interesset, non publicari periculosam infirmitatem alicuius, dum è Parochia deferretur viaticum, posset Sacerdos celebrans in Oratorio priuato ministrare viaticum, causa enim celandi grauitatem infirmitatis est sufficiens ad præsumendum, quod Parochus ratam habebit ministrationem viatici, cum hoc sit valde rationabile.

7 Colligitur. 4. Quod si quis ex præsumpta voluntate ministraret viaticum, licet reuera non adesset talis præsumpta voluntas, nec esset Parochus id ratum habiturus, non solum excusaretur à peccato, quia procederet bona fide; sed etiam à pœna in foro externo, si reuera adessent probabiles coniecturæ pro tali voluntate præsumenda. Delictum namque non imputatur ad pœnam, vbi non est dolus, vt notant Marsil. *Singul. 176. numer. 2.* Alexand. *consil. 109. num. 1. vol. 1.* Cephal. *consil. 110. num. 10. volum. 1.* qui non interuenit, vbi interuenit bona fides: & ideo si allegaret bonam fidem de præsumpta voluntate, excusaretur à pœna: si quidem quælibet iusta causa liberat à pœna, vt Doctores communiter *in l. Iulianus. ff. de condis. indebit.* Glos. *in l. Plagii. C. Ad leg. Flau. de plag.* Bald. *in l. Obseruari, §. proficisci. ff.* De offic. *Proconsul.* Beroius *consil. in fine lib. 3.* Alexan. *consil. 119. num. 12. ver. Secundò pro hoc.* Menoch. *Remed. 5. de recuper. poss. num. 48.* & communiter Doctores. Verum quia præsumptio voluntatis oritur ex coniecturis, deberet allegare probabiles coniecturas, ex quibus rationabiliter præsumpsisset talem voluntatem.

Col-

8 Colligitur 5. Quod si Parochus concedat alicui facultatem audiendi confessionem infirmi, quam aliàs non possit audire, non per hoc censebitur concessa facultas ministrandi viaticum iuxta doctrinam, quam tradunt Suarez *disp.* 72. *de Eucharis. sect.* 2. ver. *Addo tamen*. Vasquez 3. *part. disp.* 219. *num.* 35. Ochagauia, *de sacram. tract.* 3. *de euchar. quæst.* 4. *numer.* 9. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Euchar. disp.* 11. *dub.* 3. *numer.* 26. Quia sunt actus non solum disparati, sed etiam separabiles, & ideo vno concesso non censetur concessus alter. Alioquin cum Regulares habeant priuilegium audiendi confessiones etiam pro implendo præcepto annuo, possent etiam ministrare communionem annuam Paschalem. Quod si facultas sit de ministranda pœnitentia, non solum poterit audiri confessio infirmi, sed etiam ministrari viaticum, quia nomine pœnitentiæ non solum venit sacramentum pœnitentiæ, sed etiam viaticum, vt deciditur in Cap. *Quod in te*. De *poenit. & remis.*

An vrgente necessitate possit quilibet sacerdos ministrare viaticum absente, aut nolente proprio sacerdote. Quæst. 276.

S V M M A.

1 *Absente, aut nolente proprio sacerdote, an quilibet sacerdos possit ministrare viaticum. & num. seq.*

3 *Necessitas viatici fundat præsumptam voluntatem de illius ministratione.*

4 *Ministratio viatici est actus charitatis.*

5 *Præcepta relaxantur, vt infirmus possit sumere viaticum.*

5 *Voluntas talis præsumitur, qualis de iure debet esse.*

6 *Sacerdos quilibet potest ministrare viaticum, si ij, ad quos spectat, iniustè nolint.*

6 *Voluntas potest velle tantum rationabilia.*

7 *Cur non declaretur quemlibet sacerdotem ministrare posse viaticum in casu necessitatis.*

8 *Infirmus cur non debeat priuari viatico ex defectu debiti ministri.*

9 *Prohibitio ministrandi Eucharistiam, quando habeat locum.*

9 *Lex non imponitur necessitati.*

1 Prima sententia negat absolutè, posse aliquem sacerdotem ministrare viaticum in defectum proprij sacerdotis. Ita Syluester *verbo*. Excommunicatio 7. *num.* 32. *dub.* 3. vbi citat Lappum, & Panorm Cardinal. *in Clemen.* 1. *de priuileg.* Nauar. *in Manuali cap.* 21. *num.* 52. Bonifac. *in Clement. Religiosi. de priuil.* D. Antonin. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 54. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 36. *numer.* 1. Fundamentum huius sententiæ est. Quia viaticum non est necessarium absolutè, & ideo si non adsit, qui de iure potest ministrare, non poterit alius ministrare, quia cessat grauis necessitas, quæ id facit licitum. Secundò. in Clement. *Religiosi. de priuileg.* absolutè prohibetur, religiosos ministrare Eucharistiam. Ergo poterunt tantum ministrare in casibus sibi concessis, qualis non est præsens.

2 Secunda sententia asserit, quemlibet sacerdotem siue secularem, siue regularem posse in defectum proprii Pastoris ministrare viaticum vrgente necessitate. Ita Armilla *verbo*. Excommunicatio. *numer.* 49. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharis. cap.* 55. *num.* 1. Littera H. Suarez *disp.* 27. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Sed inquires*. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 6. *quæst.* 10. *pun.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 2. *ar.* 1. ver. *Vtrum*. Vasquez 3. *par. disp.* 219. *cap.* 31. *numer.* 33. Præposit. *quæst.* 82. *ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 17. Bordon. *tom.* 1. *consil. resol.* 20. *quæst.* 7. Innocent. *in cap. omnis vtriusque sexus. de poenit. & remis.*

Hostiens. *ibid.* Archidiacon. *in capit. si presbiter.* 26. *quæst.* 6. Caiet. *verbo.* Excommunicatio. *cap* 64. Graf. *par.* 2. *decis. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 15. Sà *verbo.* Eucharistia. *numer.* 4. Ledesma 1. *par. sum. cap.* 4. *de extrem. vnct. conclus.* 1. *dub.* 3. Palud. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *artic.* 2. *conclus.* 1. Angles *in florib. par.* 1 *quæst. de extr. vnct. ar.* 3. *conclus.* 2. Martin. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 33. *ar.* 3. Victoria *in sum. tit. de Euchar. num.* 220. *in fine.* Angelus *verbo.* Excommunicatio 5. *excommun.* 42. *num.* 5. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *quæstion.* 8. *dub.* 8. *num.* 185. Hurtad. *de sacram. disp.* 11. *de Eucharis. difficul.* 6. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 20. Ochagauia *de sacram. tract.* 3. *de Eucharis. quæst.* 4. *num.* 14. Peirin. *tom.* 1. *priuileg. const.* 26. *Leon.* X. §. 9. *numer.* 15. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 67. *num.* 3. Reginal. *lib.* 29. *praxis fo. i poenit. num.* 93. Filliuc. *tract.* 4. *capit.* 9. *quæst.* 7. *num.* 266. Coninch. *de sacram. quæst.* 83. *ar.* 3. *num.* 26. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæstion.* 5. *punc.* 1. *num.* 10. Portel. *in dub. regul. verbo.* Sacramentorum *administratio. num.* 11. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *difficul.* 47. *num.* 7. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral lib.* 1. *tract.* 5. *de Euchar. numer.* 15. Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 8. *numer.* 5. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Euchar. disp.* 11. *dub.* 3. *num.* 25. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 7. *num.* 4.

3 Dicendum est. *Quemlibet sacerdotem siue secularem, siue regularem vrgente necessitate posse ministrare viaticum in defectum eorum, qui de iure debent administrare.* Prob. Viaticum, quamuis non sit absolutè necessarium ad salutem, est tamen moraliter necessarium, ita vt ratione necessitatis, quæ pro illo tempore vrget, adsit præceptum diuinum de illo sumendo, vt supra dictum est. *quæst. num....* Ergo absente proprio sacerdote poterit quilibet alius ministrare saltem ex præsumpta voluntate proprii sacerdotis: quia non est verisimile, nec christianæ pietati congruum, quod proprius sacerdos velit, infirmum non satisfacere præcepto, & carere tàm necessario subsidio, dum ipse non potest ministrare.

4 Confir. Sacerdos in tali casu ministrans viaticum exercet actum charitatis erga moribundum subueniendo spirituali necessitati ipsius. Ergo non est præsumenda voluntas in Parocho, quod non consentiat ministrationi, quia esset voluntas iniqua, & contra charitatem, qua debet prosequi proprias oues, sed potius præsumendum est, quod sit contentus, cum hæc sit voluntas pia, & misericors.

5 Confir. 2. Vt infirmus sumere possit viaticum, relaxantur præcepta, quæ aliàs impedirent sumptionem, vt est præceptum de præmittendo ieiunio, sic in Concilio Constant. *sess.* 13. & in Rituali Romano. *Tit. de commun. infir.* præceptum non ministrandi Eucharistiam tempore interdicti, vt in cap. *Quod in te. de poenit. & remission.* Ergo cum de intentione Ecclesiæ sit, quod infirmus sumat viaticum non obstantibus præceptis, quæ impedire possent sumptionem, erit etiam de intentione ipsius, quod possit sumere à quocunque sacerdote, quando non potest sumere à proprio. Quia semper voluntas talis præsumitur, qualis de iure debet esse, *l. Ex facto init. ff. de vulgari, & pupil. substit.* Vbi Bald. Ias. *not.* 4. *num.* 5. Ripa *num.* 9. Felin. *consil.* 31. *num.* 7. Surd. *consil.* 198. *num.* 16. & ideo in omnibus Pastoribus Ecclesiæ, præsertim supremis, præsumitur pia voluntas, quæ sit iuxta leges charitatis, & consentiat, quod viaticum ministretur moribundis.

6 Dicendum 2. *Si ii, ad quos de iure spectat ministrare viaticum, nolint iniustè ministrare, poterit quilibet sacerdos ministrare.* Prob. Tunc voluntas nolentis administrare est iniqua, & proinde non attendenda tanquam voluntas, quæ est extra terminos rationis, & proinde nullius momenti, siquidem ea solum potest velle, quæ rationabi-

lia

lia sunt *l. 2. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.* & *l. Reprehēdenda. C. de insti. & substit.* & capit. *Sunt quædam. 25. quæst. 1.* Ergo non obstante hac voluntate poterit ministrari viaticum; quia attendenda est voluntas, quæ rationabiliter deberet adesse; præsertim quia in tali casu præsumitur voluntas superioris maioris iusta, & rationabilis.

7 Dices. Quod in articulo mortis potest quilibet sacerdos ministrare sacramentum poenitentiæ, id constat ex praxi Ecclesiæ: & declaratur in Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* Ergo cum id non constet de ministratione viatici, nec declaretur, non poterit ministrari à quolibet sacerdote. Resp. neg. consequent. Nam ideo constat ex praxi de sacramento pœnitentiæ, quia ob repentinos casus praxis habet locum frequenter, & quia est sacramentum magis necessarium, & statim, ac casus occurrit ministrari potest independenter à quocunque alio. Rursus etiam, quia requirit iurisdictionem, ideo opus fuit declaratione. At ministratio viatici non requirit iurisdictionem ad sui validitatem, & non potest ministrari, nisi sint in promptu omnia necessaria, quæ cum debeant subministrari, sicut & ipsa Eucharistia ab ijs, qui eam conseruant, adest regulariter copia alicuius ex iis, ad quos spectat ministrare, & ideo casus rarò accidere potest, & consequenter nec praxis adesse potest.

8 Ad 1. resp. Licet viaticum non sit absolutè necessarium, esse tamen moraliter necessarium pro corroboratione vitæ spiritualis in ordine ad vincendas tentationes, & consequendam salutem: & cum adsit præceptum diuinum de ipso sumendo, ex hoc manifestum fit, quod sit res magni momenti; & ideo non debet infirmus eo priuari, vel defectu ministri, ad quem spectat, vel ex eiusdem praua voluntate; & ideo præsumitur voluntas Ecclesiæ, quod in defectum proprii sacerdotis possit quilibet alius hoc munere fungi.

9 Ad 2. In dict. Clemen. *Religiosi* prohiberi absolutè ministrari Eucharistiam à religiosis, quando potest ministrari ab iis, ad quos de iure spectat & extra casum necessitatis; nam dicta constitutio procedit contra eos, qui præsumunt vsurpare ius alienū, & poena præsumentibus imponitur; vnde non habet locum, quando non vsurpatur ius alienum, quia tunc cessat causa finalis prohibitionis: tunc autem non vsurpatur, quando adest præsumpta voluntas proprii sacerdotis, aut saltem Ecclesiæ, sicuti adest in casu necessitatis. Lex enim non imponitur necessitati, sed ipsi cedit *l. Tutor, qui repertorium. ff. de administ. tut.* & *l. Non solum. §. fin. ff. de excusat. tut.* & cap. *Licet. de fer.* & cap. *Exiit. de verbor. significat. in 6.* & ideo quando lex aliquid prohibet, adest præsumpta voluntas legislatoris, quod prohibitio non habeat locum, quando in contratium vrget necessitas.

An coeteri Sacerdotes teneantur in defectum proprii pastoris ministrare viaticum. Quæst. 277.

S V M M A.

1 *In defectum proprii pastoris an quilibet sacerdos teneatur ministrare viaticum.*
2 *Charitas obligat ad subueniendum necessitatem patienti etiam in spiritualibus.*
3 *Constitutus in articulo mortis est in graui necessitate spirituali.*
4 *Sacerdos quilibet deficiente proprio tenetur cum extrinseco incommodo graui ministrare viaticum.*
4 *Charitas obligat ad plus amandam spiritualem salutem proximi, quàm proprium corpus.*

5 *Quid requiratur, vt quis ratione charitatis teneatur ministrare viaticum.*

---

1 Dicendum est. *In defectum proprii Pastoris; aut eo nolente iniustè quemlibet sacerdotem præsentem teneri ministrare viaticum, si possit, cum toto illo incommodo intrinseco ministrationi.* Dixi, *si possit* quia si non possit, quia nimirum non habeat Eucharistiam, quam deferat, nec apparatum necessarium, non consurgit obligatio. Sequitur ex eorum doctrina, qui volunt, quod quisque in graui necessitate teneatur subuenire egenti de bonis, quibus non indiget ad vitam, aut status dignitatem, nam est eadem ratio de subuentione spirituali, & in præsenti casu non se priuat aliquo necessario, neque etiam ad dignitatem status, quam tradunt Abules *in cap. 6. Matthei. qu.* 34. Richard. *in 4. d st.* 15. *art.* 2. Maior. *quæstion.* 7. *conclus.* 3. Adrian. *quæst. de restit. conclus.* 2. Caier. *tom.* 1. *opus. tract.* 5. & *in sum. verbo. Eleemosina.* Angel. *ibid. numer.* 1. Syluester *quæstion.* 1. Tabiena *quæst.* 5. Armil. *num.* 3. Sotus *lib.* 5. *de iust. & iure quæst.* 3. *ar.* 4. Nauar. *cap.* 24. *Manual. numer.* 5. *&* 9. Couaruu. *lib.* 3. *variar. resol. cap.* 74. *numer.* 5. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 15. *artic.* 3. *dub.* 1. *conclus.* 2. Alens. *par.* 2. *lib.* 5. *tit.* 26. *ar.* 3. *quæst.* 1. Azor. *par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 4. ver. *Altera sententia.* Corduba *lib.* 5. *quæst.* 26. Vasquez *opusc. de Eleemos. cap.* 1. *num.* 14. 18. 24. *& seq.* Valentia *tom.* 3. *sum. disp.* 3. *quæst.* 9. *pun.* 4. ver. *Secunda senten.* Petrus Hurtad. *de charit. disp.* 159. *sect.* 2. §. 82. Filliuc. *tract.* 28. *numer.* 64. Turrian. 2. 2. *disp.* 82. *dub.* 2. Bellarmin. *tom.* 3. *controuer. lib.* 3. *de bon. operib. in parti. cap.* 7. ver. *Quarto.* Suarez *disp.* 7. *de charit. sect.* 3. *num.* 5. Lorca 2. 2. *disp.* 39. *num.* 22. & alii.

2 Ratio autem est. Quia charitas generaliter nos obligat ad subueniendum necessitatem patienti iuxta illud Io. *Epist.* 1. *cap.* 3. *ver.* 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* quæ obligatio non solum se extendit ad corporalia, sed etiam ad spiritualia. Cum enim homines sint inuicem sociabiles, & mutuo auxilio indigeant, & teneantur se inuicem amare ex charitate, tanquam comparticipes eiusdem finis, ad quem simul in mutua societate ordinantur, debent inuicem exercere charitatem cum ea mensura, cum qua se ipsos amant iuxta illud naturale præceptum, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* & proinde tenentur subuenire, quando possunt, necessitatem patienti.

3 Qui autem constitutus est in articulo mortis pariter necessitatem spiritualem maiorem, quàm vnquam passis sit, quia tunc vehementius regulariter vrgent tentationes, & pericula mortis imminent; & ideo indiget auxilio in ordine ad consequendam salutem animæ; & præcipuè viatico, quod ad hunc effectum institutum est à Christo. Ergo quando illud non potest percipere, vnde deberet percipere, tenetur quilibet sacerdos, qui ministrare potest, ei subuenire in tàm graui necessitate.

4 Dicendum 2. *Quemlibet sacerdotem in defectum proprii pastoris teneri ministrare viaticum etiam cum extrinseco incommodo corporali graui.* Ratio autem est. Quia, licet infirmus non sit in extrema necessitate, nec periclitetur eius salus spiritualis, est tamen in graui necessitate indigens tali subsidio in ordine ad vitam & salutem animæ. Ergo sacerdos, qui potest ministrare viaticum, tenetur ministrare, quia charitas nos obligat ad plus amandam salutem spiritualem proximi, quàm proprium corpus, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 5. *in corpore,* & consequenter ad præponenda ea, quæ pertinent ad salutẽ spiritualem proximi iis, quæ pertinent ad nostrũ propriũ cor-

corpus. Vnde cum ministratio viatici requiratur ad subueniendum graui necessitati spirituali, obligabit etiam cum graui incommodo corporali.

5 Est tamen aduertendum. Quod licet adsit prædicta obligatio, rarò tamen in praxi habet locum. Vt enim quis obligetur ratione charitatis ad subueniendum proximo siue in spiritualibus, siue in corporalibus, requiritur cognitio indigentiæ, quia obligatio non consurgit, nisi propter indigentiam, quam si quis non cognoscit, non potest in ipso consurgere. Quia ergo non omnes moribundi sunt in graui necessitate quòad viaticum, siquidem fieri potest, quod Deus suis auxiliis alio modo illis assistat, & ex diuina protectione præseruentur à grauibus tentationibus, vt in pluribus, experimur, antequam sumant viaticum, ideo seclusa cognitione necessitatis non aderit obligatio, præsertim quia etiam rarò accidit, quod sacerdos sciat, non habere infirmum, à quibus viaticum accipiat, & quod ipse habeat in promptu vnde possit ministrare.

An habentes Bullam Cruciatæ possint recipere viaticum à quocunque sacerdote. Quæst. 278.

S V M M A.

1 *Prima sententia affirmans.*
2 *Secunda sententia negans.*
3 *Probatur, & confirmatur. num. 4. & 5.*
6 *Fundamentum sententiæ negatiuæ euertitur*

---

1 PRima sententia est affirmatiua & potest tribui iis, qui volunt quod vniuersaliter habentes Bullam Cruciatæ possint recipere Eucharistiam à quocunque sacerdote, vt Vasquez *3. par. disp. 179. cap 3. num. 47.* Diana *par. 1. tract. 11. resol. 20.* Fundamentum est. Quia in Bulla Cruciatæ conceditur priuilegium sumendi Eucharistiam, & excipitur tantum dies Paschatis, nec dictum priuilegium restringitur ad ministrum. Ergo poterit sumere viaticum à quocunque sacerdote, quia cum excipiatur solus dies Paschatis, quæcunque alia sumptio venit in concessione, quia exceptio declarat, quod coetera, quæ non excipiuntur, veniant in regula *l. Quæsitum. §. Denique. ff. de fun. instr. & §. Vt autem. Authen. de non alien.* & notant Ruin. *consil. 32. numer. 7. lib. 2.* Alexan. *consil. 63. num. 2. lib. 6.* Ripa *in l. 2. §. Quod si in patris. num. 13. ff. soluto matrim.* Dec. *in l. 1. num. 30. ff. de reg. iur.* Natta *consil. 159. numer. 91.* Ludouis. *decis. 267. num. 6.*

2 Secunda tamen sententia tenet, quod non liceat sumere viaticum à quocunque sacerdote in virtute Bullæ Cruciatæ. Ita debent tenere ii, qui hoc ipsum sentiunt de sumptione Eucharistiæ in quocunque tempore vt Suarez *3. par. disp. 72. de Euchar. sect. 2.* Nugn. *quæst. 8. art. 3.* Henriquez *lib. 7. de Euchar. cap. 13. num. 4.* Rodriquez *in addit. ad Bul. Cruc. §. 5. n. 9.* Auila *de censur. par. 5. disp. 4. sect. 1 dub. 8.* Trullench. *lib. 1. in Bul. Cruc. §. 3. dub. 8. numer. 4.*

3 Dicendum est. Sacerdotes, qui alias non possunt, nec etiam habentibus Bullam Cruciatæ ministrare posse viaticum Prob. In Bulla Cruciatæ conceditur solum, vt habentes recipere possint Eucharistiam in priuatis Oratoriis etiam tempore interdicti, non autem conceditur aliquid in ordine ad viaticum, nec in ordine ad ministrum. Ita enim habet Bulla. Possint in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantum deputato ab Ordinario visitando & designando etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per ipsos non steterit, quominus amo-

moueatur, & qui facultatem ad id ab infrascriptis Episcopo, & Commissario præsentis concessionis hauerit, etiam per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem, in sua, ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia missas, & alia diuina officia per se, si Præbiter fuerit, vel per alium celebrare facere, & Eucharistiam, & alia sacramenta præterquam in die Paschatis recipere, & mortuorum corpora cum moderata funerali pompa sepeliri; dũmodo quoties huiusmodi oratorio ad præmissa vti voluerit, aliquas preces iuxta cuiusque eorum deuotionem pro conseruatione vnionis Principum Christianorum contra dictos infideles, eorumque contra eos victoria Deo fundant. Ergo dicta concessio non se extendit ad recipiendum viaticum à quocunque sacerdote quia viaticum tanquam reseruatum propriis pastoribus est speciali nota dignum, nec intelligitur concessum, nisi specialiter exprimatur. Vnde licet Regulares habeant priuilegium ministrandi quibuscunque Eucharistiam, non tamen possunt ministrare viaticum, nisi id in specie sit ipsis concessum, sicut quibusdam in aliquibus casibus concessum est.

4 Confir. In dicta Bulla circa Eucharistiam, & celebrationem conceditur id, quod de iure non licet, nempe vt celebretur in priuatis Oratoriis per horam ante diem, & post meridem: & quod ibi possit sumi Eucharistia, & hæc etiam tempore interdicti. Ergo non censetur concessum, quod à quolibet sacerdote sumi possit viaticum, quod de iure debet sumi à proprio pastore, & ab ipso sumi potest etiam tempore interdicti, & in quacunque hora cap. *Quod in te. de poenitent. & remission.*

5 Confir. 2. Priuilegium, quod continet præiudicium tertii, non solum non debet extendi, sed debet restringi, quantum fieri potest, quia præsumitur Princeps velle lædere ius tertii quanto minus fieri potest, vt desumitur ex *l. Nec actus. C. de eman. lib.* & ex cap. *Licet. de offic. ordin.* & ex cap. *Tuarum. de auctor. & vsu pal.* & ex cap. *Sanè. de priuil.* & tradunt Felin. *in cap. causam quæ num.* 24. & in capit. *Ad aures. numer.* 5. *de rescrip.* Ancharan. *in cap. causam 2. de testib.* Hostiens *ibid.* Anton. *in cap. olim. de verbor. significat.* Dec. *in cap. super eo. nu.* 10. *de offic. deleg.* Vital. *de claus. claus.* 24. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 27. *num.* 9. *& communiter legista in l. fin. ff. de constit. princip.* Castrens. Bart. Bald. Angelus las. Fulgos. & coeteri. Ergo cũ priuilegium de sumenda Eucharistia ab alio, quàm à proprio pastore contineat præiudicium proprii pasturis, debet strictè interpretari, ita vt non se extendat ad viaticum, cum militet specialis ratio quòad ipsum. Præsertim quia verba priuilegii non se extendunt ad ipsum, cum loquantur de sumptione Eucharistiæ in oratorio priuato, quod non contingit in viatico cum regulariter sumatur à decumbente in lecto; Rursus cum Pontifex excipiat sumptionem Eucharistiæ in die Paschatis tanquam illam, quæ est de præcepto, & in qua Pastor debet recognoscere suas oues, excludetur etiam viaticum ob eamdem rationem, cum magis conueniens sit, quod pastor in articulo mortis proprias oues recognoscat.

6 Ad fundamentum oppositæ sententiæ neg. conseq. Quia licet excipiatur tantum dies Paschatis, non tamen comprehenditur viaticum in regula, & concessione, quia regula est tãtum de sumptione Eucharistiæ ex deuotione, vnde excipitur dies Paschatis, quia tunc communio est de præcepto, & proinde viaticum non est de genere regulæ, & concessionis. Exceptio autem non ampliat concessionẽ, vt comprehendat, quæ non sunt de genere ipsius, vt tradunt Roman. *consil.* 498. *in fine.* Bald. *consil.* 131. ver. *Super secundo. lib.* 1. Alexan. *consil.* 28. *num.* 11. ver. *Non obstat. lib.* 1. Socin. *consil.* 47. *num.* 2. & 3. *lib.* 2. Surd. *consil.* 35 2 *num.*

num. 12. *& deciſ.* 100. *num.* 9. & proinde in præſenti non ampliat, vt comprehendat viaticum. Imo cum excipiatur communio Paſchalis tanquam ea, quæ eſt de præcepto, cum viaticum ſit degenere excepto, ipſum quoque remanebit exceptum.

Quid poſſint Regulares circa miniſtrationem viatici. Quæſt. 279.

S V M M A:

1 *Priuilegium quòad miniſtrationem viatici conceſſum Cler Regul.*
2 *Nomine mercenariorum qui veniant.*
2 *Inſeruientes particularibus religioſis an gaudeant priuilegio conceſſo pro famulis quòad viaticum.*
3 *Seruorum nomine qui veniant, & quid requiratur, vt quis ſit ſeruus.*
4 *Operariorum nomine qui veniant.*
5 *Pingens in Eccleſiis Regularium an veniat nomine operarii.*
6 *Priuilegium circa viaticum conceſſum diuerſis religionibus.*
7 *Conditiones quas requirunt Concilium Lateranenſe, & Tridentinum, vt ſerui, &c. gaudeant priuilegiis conceſſis regularibus quo ad ipſos.*
8 *An ſint neceſſaria pro priuilegio conceſſo Cler. Reg. quòad viaticum.*
8 *Priuilegium conceſſum motu proprio eſt amplè interpretandum, etiam ſi ſit contra ius commune,*
8 *Et ſecundum totam latitudinem verborum accipiendum.*
9 *Operarii ratione ſui officii non viuunt intra ſepta monaſterii, nec ſub obedientia regularium.*
10 *Non poſſunt aliqui aſſumi in ſeruos, vt gaudeant priuilegiis pro ipſis conceſſis regularibus.*
10 *Quid ſi aliqui ex ordinariis infirmarentur, aut abeſſent.*

---

1 EXtat priuilegium conceſſum à Pio V. nobis Cler. Regularibus ſub *die* 13. *Februarii* 1567. contentum in eiuſdem *Conſtit.* 31. *tom.* 2. *Bullarii* tenoris ſequentis. *Et tàm Præpoſiti, quàm coeteri omnes Clerici Romæ, Venetiis, Neapoli, ac alios, vbique locorum degentes Congregationis huiuſmodi nunc, & pro tempore exiſtentes, qui tamen Præsbiteri fuerint, Euchariſtia etiam pro viatico, ac etiam conſtitutis in articulo mortis, ac extremæ vnctionis coeteris clericis, & fratribus Congregationis huiuſmodi, ac etiam mercenariis famulis, Operariis, & ſeruis eorumdem Congregationis, ac quibuſuis hoſpitibus, etiam ſæcularibus. & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis huiuſmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de illo dubitare contigerit, etiam Dioceſanorum locorum, & Sacerdotum curatorum quorumcunque etiam in quorum ciuitatibus, & Diæceſibus, ac Eccleſiarum Parochiis reſpectiuè Eccleſiæ, & loca ipſorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunque licentia minimè petita, & obtenta. Et in caſum, in quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem etiam quibuſcunque aliis perſonis, quæ in huiuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, Collegia, Domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit; ac extra illa aliis quibuſuis infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis vbique in cauſa neceſſitatis ſupradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis conceſſa licentia cuiuſuis Sacerdotis curati poenitentiæ ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare poſſint.*

2 In virtute ergo dicti priuilegii miniſtrari poteſt viaticum Mercenariis famulis. Nomine autem famulorum mercenariorum veniunt illi, qui pacta mercede inſeruiunt. Difficultas autem eſt, an gaudeant hoc priuilegio quòad famulos qui inſeruiunt particularibus religioſis, concedunt Rodriquez *tom.* 2. *quæſt. Regul. quæſt.* 67. *art.* 1. Lezana *tom. item.* 2. *quæſt. Regul. cap.* 16. *num.* 32. Si inſeruiant ex deputatione Prælatorum; negant verò, ſi

si inseruiant assumpti ab ipsis particularibus religiosis. Verum probabilissimum puto, quod valeat priuilegium, etiam si assumpti sint à particularibus religiosis, quia sic quoque continentur sub proprietate verborum priuilegii, quæ tanquam vniuersalia comprehendunt quoscunque famulos; præsertim quia licet sint assumpti à particulari religioso, interuenit tamen saltem tacita licentia Prælati, & virtualis deputatio; & dum inseruiunt particulari religioso, inseruiunt Monasterio, cum inseruiant membro ipsius.

3 Rursus possunt etiam ministrare viaticum seruis. Appellatione autem seruorum veniunt ii omnes, qui cuicunque seruitio addicti sunt: Quamuis enim secundum proprietatem linguæ latinæ veniant, qui non sunt sui iuris, sed sub alieno dominio: modo tamen etiam in propria significatione nomen *seruus* dicitur de quocunque, qui seruitium aliquod exhibeat, etiam si nobilis sit, vt notat Seraphin. *Decis.* 1409. *num.* 1. Vt tamen quis dicatur seruus, requiritur, quod sit permanenter addictus alicui seruitio, vt notant Bellam. *consil.* 6. *num.* 10. Tusch. *littera* S. *conclus.* 92. *num.* 3. Barbosa *De appellat. verbor. appellat.* 3. *numer.* 4. Lezana *in Mare magno Minor.* §. 9. *num.* 24.

4 Operarijs quoque ministrare possunt viaticum. Nomine autem operariorum veniunt ii, qui locant operas suas ad aliquod opus efficiendum, vnde sub hoc nomine comprehenduntur cultores hortorum, cementarii, & quicunque artifices, qui locant suas operas regularibus, etiam si exercerent artem aliquam liberalem, vel quasi liberalem, vt pictores, scriptores, &c. quia in fauorabilibus veniunt nomine operariorum; præsertim quia hi quoque, quando operas suas locant, veniunt nomine operariorum in propria significatione, si quidem is proprie operarius est, qui operas suas locat.

5 Dubitari tamen potest, an si pictor pingeret in Ecclesia, aut intra conuentum; veniret quoàd hunc effectum nomine operarii. Et quidem, si pingeret pacta mercede correspondente tempori, ita vt certa merces singulis diebus correspondeat, esset proprie operarius, quia locaret in singulos dies suam operam ad pingendum: vnde difficultas est, si pacisceretur de vnico pretio pro tota aliqua pictura, nam tunc videtur potius vendere picturam. Verum adhuc veniet nomine operarii, quia non paciscitur de pictura iam facta, sed de facienda, nam se obligat certa mercede ad faciendam picturam, & ideo adhuc obligat operas suas.

6 Hoc quoque priuilegium habetur concessum à Leone X. Minimis *anno* 1513. *apud* Peirin. *tom.* 1. *Priuileg. Constit.* 4. *eiusdem Pontificis*. tenoris sequentis. *Vt Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu sæculari eis deseruientium, quoties opus fuerit etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Ecclesiis huiusmodi confessiones audire, ipsisque, & eorum cuilibet Eucharistiæ, extremæ vnctionis sacramenta ministrare, ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licentia super hoc minime requisita, impendere licitè valeant. Ita quod singula personæ huiusmodi, & prout dicti fratres priuilegiis, & indultis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac si eis expresse concessa fuissent, eisdem auctoritate, & tenore præsentium extendimus, & ampliamus.* Idem etiam habetur ex *Mari Magno Fratrum Prædicatorum*, vbi conceditur, quod *His, qui in vestris morantur obsequiis cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta*. Idem quoque conceditur Minoribus ab eodem Pontifice Sixto IV. Et de hoc priuilagio tractant Peyrin. *tom.* 1. *Priuileg. Constit.* 1. *Iulii* 11. §. 15. *num.* 11. Mancinus *in practica Visit. infir. pract.* 8. *dub.* 2. Lezana *tomo* 1. *quæst. regular. cap.* 16. *num.* 11.

&

& verbo. Eucharistia. *numer.* 9. & *in Mari magno Carmelit.* §. 5. *numer.* 20. testans ita hic Romæ practicatum fuisse in suo monasterio, apud quod quidam infirmus se curandum transtulerat. Diana *part.* 5. *tract.* 3 *resolut.* 52.

7 Difficultas autem est, an concurrere debeant tres illæ cõditiones, quas requirunt Concil. Lateranense, & Tridentinum. Nam Leo X. *in Concilio Lateranensi, in Bulla* Dum *intra mentis*, requirit, quod serui, &c. sint in actuali seruitio, vt possint ipsis à Regularibus ministrari sacramenta. Concil. verò Trident. *sess.* 24. *cap.* 11. insuper requirit, quod intra septa Monasterii resideant, & viuant sub obedientia regularium, quæ omnia simul concurrere debent, quia ponuntur coniunctiuè, vt notat etiam Lezana *tom.* 2. *quæst. Regul. cap.* 16. *num.* 14. Intelligitur autem, quod viuant sub obedientia seruili, non autem religiosa, alioquin non essent serui, sed religiosi, vt notant Lezana *cit.* Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *capit.* 4. *numer.* 11.

8 Resoluendum autem est. *Quod non requirantur prædictæ conditiones.* Ratio autem est, quia hoc priuilegium est concessum post dicta Concilia Lateranense, & Tridentinum, & ideo iis derogat stantibus præsertim amplissimis clausulis derogatoriis, quibus derogatur etiam dicto Concilio Lateranensi. Nam, licet quatenus derogans iuri communi videatur strictè interpretandum, & concordandum, quatenus fieri potest, cum ipso, quia tamen est concessum motu proprio, debet tamquam fauorabile amplissimè interpretari. Cap. *Si motu proprio* De *præbend. in* 6. & notant Io. Andr. *in cap. Cum in cunctis*. §. *Cum verò*. De *elect.* Param. *num.* 8. Alexan. de Næuo. *in cap. Quia circa numer.* 10. De *consanguin. & affinit.* Felin. *in cap. Ex parte*. *num.* 13. *limit.* 6. De *rescript.* Anton. Gabr. *lib.* 10. *conclus.* 2. *num.* 61. Rebuf. *in concordat.* Tit. *Forma mandati* verbo. *Motu proprio*, & communiter: Pasqualig. vnde reiiciendę sunt omnes restrictiones, quales sunt, quæ apponuntur per prædictas conditiones, & accipiendum secundum totam illa latitudinem, quã importat significatio verborum præsertim propria iuxta Glos. *in Clemen. Per litteras.* verbo. *Directas*. De *præbendis*. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 5. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 28. *num.* 15. & communiter.

9 Quod autem spectat ad Operarios hoc magis certum est, siquidem hi non solent degere intra septa monasterii, nisi quatenus operas suas exercent, neque esse commensales, aut viuere sub obedientia prælatorum regularium: vnde si hæ conditiones requirerentur, priuilegium nihil operaretur. Cum enim operarius obliget solum suas operas, quas locat, neque ex eo, quod operarius sit, debet viuere intra monasterium, sed tantum exercere suas operas, neque exhibere aliquam obedientiam prælato Regulari: & ideo prædictæ conditiones non possunt habere locum in operariis.

10 Denique quoad seruos, & mercenarios aduertendum est. Quod non possunt aliqui assumi in hunc effectum, vt gaudeant priuilegiis, vt notant Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 180. Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Reg. quæst.* 67. *ar.* 1. Lezana *tom. item* 2. *quæstion. Reg. cap.* 16. *numer.* 31. nam hoc esset in fraudem legis, quæ nemini prodest, quod verum est, etiam si exhiberent cum cœteris consuetum seruitium. Si tamen aliqui ex consuetis seruis, aut mercenariis abessent, aut infirmi essent, possent totidem assumi, & tunc fruerentur priuilegiis, quia non interueniret fraus, vt notant Nauar. *cit. cap.* 27. *Manual. num.* 181. Vgolin. *de censur. tab.* 5. *cap.* 8 § 4. *num.* 5. Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 48. *numer.* 5. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 5. *num.* 29. Io. Andr. *in cap. Qui sentit. de regul. iur. in* 6. Surd. *consil.* 262. *num.* 35.

si inseruiant assumpti ab ipsis particularibus religiosis. Verum probabilissimum puto, quod valeat priuilegium, etiam si assumpti sint à particularibus religiosis, quia sic quoque continentur sub proprietate verborum priuilegii, quæ tanquam vniuersalia comprehendunt quoscunque famulos; præsertim quia licet sint assumpti à particulari religioso, interuenit tamen saltem tacita licentia Prælati, & virtualis deputatio; & dum inseruiunt particulari religioso, inseruiunt Monasterio, cum inseruiant membro ipsius.

3 Rursus possunt etiam ministrare viaticum seruis. Appellatione autem seruorum veniunt ii omnes, qui cuicunque seruitio addicti sunt: Quamuis enim secundum proprietatem linguæ latinæ veniant, qui non sunt sui iuris, sed sub alieno dominio: modo tamen etiam in propria significatione nomen *seruus* dicitur de quocunque, qui seruitium aliquod exhibeat, etiam si nobilis sit, vt notat Seraphin. *Decis.* 1409. *num.* 1. Vt tamen quis dicatur seruus, requiritur, quod sit permanenter addictus alicui seruitio, vt notant Bellam. *consil.* 6. *num.* 10. Tusch. *littera S. conclus.* 92. *num.* 3. Barbosa *De appellat. verbor. appellat.* 3. *numer.* 4. Lezana *in Mare magno Minor.* §. 9. *num.* 24.

4 Operarijs quoque ministrare possunt viaticum. Nomine autem operariorum veniunt ii, qui locant operas suas ad aliquod opus efficiendum, vnde sub hoc nomine comprehenduntur cultores hortorum, cementarii, & quicunque artifices, qui locant suas operas regularibus, etiam si exercerent artem aliquam liberalem, vel quasi liberalem, vt pictores, scriptores, &c. quia in fauorabilibus veniunt nomine operariorum; præsertim quia hi quoque, quando operas suas locant, veniunt nomine operariorum in propria significatione, si quidem is proprie operarius est, qui operas suas locat.

5 Dubitari tamen potest, an si pictor pingeret in Ecclesia, aut intra conuentum, veniret quoad hunc effectum nomine operarii. Et quidem, si pingeret pacta mercede correspondente tempori, ita vt certa merces singulis diebus corresponderet, esset proprie operarius, quia locaret in singulos dies suam operam ad pingendum: vnde difficultas est, si pacisceretur de vnico pretio pro tota aliqua pictura, nam tunc videtur potius vendere picturam. Verum adhuc veniet nomine operarii, quia non paciscitur de pictura iam facta, sed de facienda, nam se obligat certa mercede ad faciendam picturam, & ideo adhuc obligat operas suas.

6 Hoc quoque priuilegium habetur concessum à Leone X. Minimis *anno* 1513. *apud* Peirin. *tom.* 1. *Priuileg. Constit.* 4. *eiusdem Pontificis*. tenoris sequentis. *Vt Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu sæculari eis deseruientium, quoties opus fuerit etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Ecclesiis huiusmodi confessiones audire, ipsisque, & eorum cuilibet Eucharistiæ, extremæ vnctionis sacramenta ministrare, ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licentia super hoc minime requisita, impendere licitè valeant. Ita quod singula personæ huiusmodi, & prout dicti fratres priuilegiis, & indultis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac si eis expresse concessa fuissent, eisdem auctoritate, & tenore præsentium extendimus, & ampliamus*. Idem etiam habetur ex *Mari Magno Fratrum Prædicatorum*, vbi conceditur, quod *His, qui in vestris morantur obsequiis cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta*. Idem quoque conceditur Minoribus ab eodem Pontifice Sixto IV. Et de hoc priuilagio tractant Peyrin. *tom.* 1. *Priuileg. Constit.* 1. *Iulii* 11. §. 15. *num.* 11. Mancinus *in practica Visit. instr. pract.* 8. *dub.* 2. Lezana *tomo* 1. *quæst. regular. cap.* 16. *num.* 11. &

& verbo. Eucharistia. numer. 9. & in Mari magno Carmelit. §. 5. numer. 20. testans ita hic Romæ practicatum fuisse in suo monasterio, apud quod quidam infirmus se curandum transtulerat. Diana part. 5. tract. 3 resolut. 52.

7 Difficultas autem est, an concurrere debeant tres illæ cōditiones, quas requirunt Concil. Lateranense, & Tridentinum. Nam Leo X. in Concilio Lateranensi, in Bulla Dum intra mentis, requirit, quod serui, &c. sint in actuali seruitio, vt possint ipsis à Regularibus ministrari sacramenta. Concil. verò Trident. sess. 24. cap. 11. insuper requirit, quod intra septa Monasterii resideant, & viuant sub obedientia regularium, quæ omnia simul concurrere debent, quia ponuntur coniunctiuè, vt notat etiam Lezana tom. 2. quæst. Regul. cap. 16. num. 14. Intelligitur autem, quod viuant sub obedientia seruili, non autem religiosa, alioquin non essent serui, sed religiosi, vt notant Lezana cit. Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. capit. 4. numer. 11.

8 Resoluendum autem est. *Quod non requirantur prædicta conditiones.* Ratio autem est, quia hoc priuilegium est concessum post dicta Concilia Lateranense, & Tridentinum, & ideo iis derogat stantibus præsertim amplissimis clausulis derogatoriis, quibus derogatur etiam dicto Concilio Lateranensi. Nam, licet quatenus derogans iuri communi videatur strictè interpretandum, & concordandum, quatenus fieri potest, cum ipso, quia tamen est concessum motu proprio, debet tamquam fauorabile amplissimè interpretari. Cap. Si motu proprio De præbend. in 6. & notant Io. Andr. in cap. Cum in cunctis. §. Cum verò. De elect. Param. num. 8. Alexan. de Næuo. in cap. Quia circa numer. 10. De consanguin. & affinit. Felin. in cap. Ex parte. num. 13. limit. 6. De rescript. Anton. Gabr. lib. 10. conclus. 2. num. 61. Rebuf. in concordat. Tit. Forma mandati verbo. Motu proprio, & communiter: Pasqualig.

vnde reiiciendæ sunt omnes restrictiones, quales sunt, quæ apponuntur per prædictas conditiones, & accipiendum secundum totam illa latitudinem, quã importat significatio verborum præsertim propria iuxta Glos. in Clemen. Per litteras. verbo. Directas. De præbendis. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 5. Suarez lib. 8. de legib. cap. 28. num. 15. & communiter.

9 Quod autem spectat ad Operarios hoc magis certum est, siquidem hi non solent degere intra septa monasterii, nisi quatenus operas suas exercent, neque esse commensales, aut viuere sub obedientia prælatorum regularium: vnde si hæ conditiones requirerentur, priuilegium nihil operaretur. Cum enim operarius obliget solum suas operas, quas locat, neque ex eo, quod operarius sit, debet viuere intra monasterium, sed tantum exercere suas operas, neque exhibere aliquam obedientiam prælato Regulari: & ideo prædictæ conditiones non possunt habere locum in operariis.

10 Denique quoad seruos, & mercenarios aduertendum est. Quod non possunt aliqui assumi in hunc effectum, vt gaudeant priuilegiis, vt notant Nauar. cap. 27. Manual. num. 180. Rodriquez tom. 2. quæst. Reg. quæst. 67. ar. 1. Lezana tom. item 2. quæstion. Reg. cap. 16. numer. 31. nam hoc esset in fraudem legis, quæ nemini prodest, quod verum est, etiam si exhiberent cum coeteris consuetum seruitium. Si tamen aliqui ex consuetis seruis, aut mercenariis abessent, aut infirmi essent, possent totidem assumi, & tunc fruerentur priuilegiis, quia non interueniret fraus, vt notant Nauar. cit. cap. 27. Manual. num. 181. Vgolin. de censur. tab. 5. cap. 8 § 4. num. 5. Henriquez lib. 13. sum. cap. 48. numer. 5. Sayr. lib. 5. de censur. cap. 5. num. 29. Io. Andr. in cap. Qui sentit. de regul. iur. in 6. Surd. consil. 262. num. 35.

Quid possint Regulares circa Hospites, & Extraneos quoad viaticum. Quæst. 280.

S V M M A.

1 *Clerici Regulares ministrare possunt viaticum hospitibus, & extraneis, &c.*
1 *Extraneorum nomine qui veniant, & qui nomine hospitum.*
2 *Monasteria sunt loca exempta ratione sui.*
3 *Hospitibus, & extraneis an possit ministrari viaticum si non traxerint moram in monasterio.*
3 *Dictio*, Tunc, *non requirit durationem conditionis.*
3 *Importat tantum tempus demonstratum.*
4 *Confugientes ad Ecclesiam possunt à Regularibus Ecclesiæ recipere viaticum.*
4 *Vulneratus in rixa, si se recipiat ad monasterium, potest ibi recipere viaticum.*
5 *Incidenti in periculum mortis intra Ecclesiam an possint Cler. Reg. ministrare viaticum.*
5 *Ecclesia venit nomine monasterij.*
6 *Approbatio pro ministrando viatico non est necessaria.*

1 EX priuilegio, de quo *quæstion. præced. num.* 1. constat, Clericos regulares ministrare posse viaticum etiam hospitibus, & extraneis. ibi. *Ac quibusuis hospitibus etiam sæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis huiusmodi tunc reperiri contigerit.* Quod priuilegium concessum fuisse Carmelitis ponderat Lezana *in Mari magno Carmelitarum.* §. 5. *num.* 20. Differunt autem hospites ab extraneis, quod hospites ii sunt, qui tanquam peregrini recipiuntur iure amicitiæ: vnde inter hospites consurgit quoddam vinculum necessitudinis. Extranei autem sunt quicunque, qui non pertinent ad familiam: vnde hoc priuilegium est quòad omnes vniuersaliter, qui ex quocunque capite contingit reperiri in locis, seu monasteriis Clericor. Regularium.

2 Et hoc priuilegium conforme est exemptioni monasteriorum, seu domorum Regularium; nam esse loca exempta non solum ratione personarum, sed etiam ratione sui, latè ostendi *in quæst. canon. quæst.* 176. *numer.* 3. & etiam expressè habetur *ex Mari magno Carmelitarum* apud Lezanam ibi. *Vos, & prædictum ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, ac personis degentibus in eisdem in ius, & proprietatem B. Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illaque à cuiuscunque Diocesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimodè in perpetuum prorsus eximimus, de gratia speciali decernentes ex nunc vos, & ordinem vestrum, ac personas, Ecclesias, & oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus absque vllo medio subiacere, ita quod nec locorum Ordinarii, nec alia quæuis persona Ecclesiastica in vos, & Ordinem vestrum, personas, Ecclesias, Oratoria, domus, & loca prædicta, vt pote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel aliàs potestatem, seu iurisdictionem aliquam exercere. Quod si forsan quicquam in contrarium à quocumque fuerit attentatum, illud omnino sit irritum, & inane.* Hoc autem priuilegio gaudent omnes Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum. Quare cum loca Regularium sint omnino exempta, conueniens est, quod nemo habeat ius exercendi in ipsis, nedum actum iurisdictionis, sed neque actus, qui pertinent ad iurisdictionem, qualis

est

est ministratio sacramentorum.

3 Circa hoc autem priuilegium est aduertendum, quod, vt possit hospitibus, & extraneis ministrari viaticum, non est necesse, quod traxerint moram in monasterio, seu habitationibus; sed sufficit, quod ibi reperiantur, quando indigent viatico. Nam Pontifex vtitur dictione, *Tunc*, & vult, quod possit ministrari viaticum iis, qui tunc, hoc est quando indiguerint, reperientur in conuentibus, &c. Dictio enim *Tunc*; non requirit durationem conditionis, sed solum quod verificetur in tempore demonstrato, vt tradunt Roman. *consil.* 204. *num.* 8. Castrens. *consil.* 184. *num.* 2. *lib.* 2. Tusch. *littera D. conclus.* 390. *numer.* 9. Quia nimirum importat tantum tempus demonstratum, vt notant Bald. *consil.* 57. *num.* 2. ver. *Secundò est considerandum. lib.* 2. Tusch. *littera D. conclus.* 364. *num.* 1.

4 Ex quibus colligitur, quod confugientes ad monasteria, si incidant in periculum mortis, possunt ibi à religiosis recipere viaticum, quia veniunt nomine *Extraneorum*; quod valet etiam si noctu ibi non dormirent, sed pergerent ad proprias domos, vt qui carcerati timenr ob debita, nam sufficit, quod reperiantur in conuentibus, quando indigent viatico. Similiter etiam siquis in rixa vulneratus se reciperet in monasterium, etiam si eodem die incideret in periculum mortis, posset ibi tanquam exter recipere viaticum, quod in simili casu Romæ in conuentu Carmelitarum practicatum fuisse, asserit Lezana *in Mari magno Carmelitarum.* §. 5. *num.* 20. vt etiam supradictum est.

5 Difficultas autem est. An siquis intra Ecclesiam incideret in periculum mortis, possint dicti religiosi ipsi viaticum ministrare. *Et affirmatiuè concludendum est*, quia dictum priuilegium est quòad eos, qui in tali necessitate reperiuntur in monasteriis ipsorum: nomine autem Monasterii venit etiam Ecclesia, vt notat Glos. *in cap.* 1. verbo. *Exempto. de priuil. in* 6. vbi communiter Doctores. Duran. *decis.* 74. *num.* 4. præsertim quia sumus in fauorabilibus. Et hoc dicendum est respiciendo priuilegium secundum se. Quia tamen intra Ecclesias non incidit quis in periculum mortis, nisi ex improuiso, atque adeo ex aliquo vehementi accidenti, quod potest breui, & sine dilatione multa vitam tollere, ideo Pontifex post hoc priuilegium aliud priuilegium subdit pro casibus repentinis, in quibus peti non potest licentia, & prouidet etiam, quando isti casus succedunt in Ecclesia, quod possint ministrari sacramenta poenitentiæ. Nomine autem poenitentiæ venit etiam viaticum, vt deciditur in cap. *Quod in te. de poenit. & remis.*

6 Denique est aduertendum. Quod pro ministrando viatico in dictis casibus ex vi priuilegii, aut regulariter pro ministranda Eucharistia non requiritur in regularibus aliqua approbatio Ordinarii, vt notant etiam Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 17. Lezana *tom.* 2. *quæst. Regular. cap.* 16. *num.* 21. Quia est actus potestatis ordinis, & quatenus exigit annexam iurisdictionem, suppler priuilegium. Neque de iure talis approbatio requiritur, cum requiratur solum in ordine ad audiendas confessiones ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. & pro iis regularibus, qui habent exercere curam animarum ex constitutione Gregorii XV. Inscrutabili, quę est *tom.* 4. *Bullarii.*

An cæteri Regulares fruantur dicto priuilegio ministrandi viaticum, &c. Quæst. 281.

S V M M A.

1 *Priuilegium ministrandi viaticum non communicatur in generali communicatione priuilegiorum.*

2 *Gratiæ Principis accipiuntur sine præiudicio alterius, nisi de opposito constet.*

2 *In dubio debent accipi cum modico præiudicio, quando non constat de quantitate, aut qualitate.*

3 *Priuilegium ministrandi viaticum participatur à Regularib. quibus communicantur priuilegia præiudicialia.*

4 *Mensura priuilegiorum est voluntas concedentis.*

5 *In communicatione veniunt priuilegia præiudicialia tertio, si exprimantur genera ipsorum.*

6 *Clausula, in omnibus, & per omnia, facit quòd communicentur priuilegia præiudicialia tertio.*

7 *Priuilegia præiudicialia tertio communicantur, quando clausulæ amplissimæ declarant enixam voluntatem communicandi quæcunque priuilegia.*

8 *Item quando suppletur defectus citationis habentium interesse.*

---

1 QVia hoc dependet ex communicatione priuilegiorum, quam habet vnaquæque religio, ideo, vt aliquid certi statueretur, inspiciendus esset tenor communicationis priuilegiorum cuiuslibet religionis; ne tamen hoc indecisum remaneat, quædam regulæ statuendæ sunt, quæ cuicunque generi communicationis applicari possint. Dicendum ergo primo. *Ex ui generalis communicationis priuilegiorum non communicari dictum priuilegium de ministrando viatico*. Ita Rota *in Vallisoletana quartæ funeralis* 19. *April.* 1606. *coram Iusto.* & *in Valentina Decimarum* 27. *Nouemb.* 1603. *coram Lancellotto*. Caualer. *decis.* 101. *num.* 3. Merol. *tom.* 3. *theol. moral. disp.* 6. *cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 74. ver. *Tertiò.* dum docent, quod in generali communicatione non veniunt præiudicialia tertio.

2 Ratio autem est. Quia non præsumitur Princips velle alicui præiudicare, sed semper gratiæ ipsius accipiuntur sine alterius præiudicio, nisi de opposito constet *l.* 2. §. *Meritò.* & §. *Signis à Principe. ff. ne quid in loco publ.* & notant Ruin. *consil.* 105. *num.* 8. *lib.* 5. Menoch. *lib.* 1. *de arbitr. quæst.* 48. vbi latè Duran. *decis.* 78. *num.* 3. Imo etiam quando constat præiudicare voluisse, sed non de qualitate, & quantitate præiudicii, debet in dubio accipi de modico, non autem de magno, vt notant Bald. *in cap.* 1. §. *Item sacramen. de pac. iurament. firman. in vsib. Feud.* Ias. *in l. Quoties. num.* 4. *C. de precib. Imperat. offer.* Dec. *in capit. quæ in Ecclesiarum. num.* 26. *de constit.* Paris. *consil.* 6. *num.* 16. *lib.* 2. Valasc. *consult.* 77. *num.* 21. & 23. *vol.* 1. Rota *in Valentina subsidii* 4. *Maii* 1611. *coram Penna*. Vnde cum in generali communicatione priuilegiorum non constet, quod Pontifex velit communicare priuilegia præiudicialia tertio, dicendum est, quod præsens priuilegium non communicetur, quia continet præiudicium Parochorum.

3 Dicendum 2. *Hoc priuilegium participari à Regularibus, qui habent communicationem priuilegiorum etiam, quæ sunt tertio præiudicialia, siue expressè hæc priuilegia communicentur, siue etiam tacitè*. Ita Horat Mandos, *de priuileg. ad instar. quæst.* 4. *num.* 7. ver. *Quæ omnia*. Rota *in Bononiensi exempt.* 1618. *coram Verospio.* quæ est *decis.* 30. *tom.* 2. *par.* 4. *Recent.* & *decis.* 63. *num.* 4. *par.* 5. *Recent.* & *in Ianuensi*

ſi priuileg. 28. Iunii. 1649. coram Corrado. Quam doctrinam tradunt loquentes de priuilegio distantiæ vnius monaſterii ab alio Confectus *in compend. priuil. tit.* 58. *cap.* 1. Rodriquez *tom.* 2. *quæſt.Regal.q.* 5?.*ar.* 5.ver. *Quo priuilegio*. Miranda *tom*... *Manual. quæſt.* 33. *artic.* 4. *concluſ.* 2. ver. *Quo priuilegio*. Portel. *in dub. Regularib. verbo*. Communicatio priuilegiorum. *num.* 9. ver. *Si vna religio*.

4 Ratio autem eſt. Quia menſura priuilegiorum eſt voluntas concedentis ſuppoſita poteſtate; voluntas enim facit, vt maius quid, vel minus communicetur de eo, quod communicari poteſt; vnde non poteſt dici quid communicatum, niſi conſtet, quod fuerit obiectum voluntatis communicantis. Quando autem communicatio eſt tantum in genere, non conſtat de voluntate communicandi etiam priuilegia præiudicialia, & ideo non ſunt cenſenda communicata. Si verò conſtet de voluntate communicandi etiam ipſa ſiue expreſſe, ſiue tacitè explicetur hæc voluntas, remanebunt communicata.

5 Ex hac autem regula colligi poſſunt aliæ regulæ magis ſpeciales. Prima eſt. Quod ſi in communicatione exprimantur genera priuilegiorum præiudicialium tertio, remanebunt omnia communicata in ſpecie, atque adeo etiam præſens: ita vt ſi aliqua genera dictorum priuilegiorum exprimantur, omnia in ſpecie remaneant communicata ex vi generalis communicationis, vt tradant Paris. *conſil.* 22. *num.* 5. *lib.* 4. Dec. *conſil.* 113. *num.* 4. Rota *deciſ.* 30. *num.* 6. *tom.* 2. *par.* 4. *Recent.* & *in Ianuenſi priuileg.* 28. *Iunii* 1649. *coram Corrado*. Et ratio eſt, quia expreſſio aliquorum generum declarat, quod voluntas Pontificis feratur etiam in priuilegia præiudicialia; vnde ex vi talis voluntatis, qua informatur, generalis communicatio ſe extendit ad priuilegia præiudicalia, & tanquam vniuerſalis omnia complectitur. Tunc autem in genere communicantur priuilegia præiudicialia, quando exprimuntur aliqua genera ipſorum, vt ſunt immunitates, exemptiones.

6 Secunda eſt. Tunc communicatio priuilegiorum extenditur etiam ad præiudicalia, quando adeſt clauſula, *In omnibus, & per omnia, pariformiter &c.* Ita Ripa *in l.* 1. *num.* 1. *ff. de legib.* vbi & coeteri Doctores. Creſcent. *deciſ.* 9. *num.* 5. *de priuileg.* Rota *deciſ.* 8. *numer.* 5. *par.* 2. *diuerſ.* & *deciſ.* 30. *n.* 7. *tom.* 2. *par.* 4. *Recent.* & *in Ianuenſi priuilegiorum*. 28. *Iunii* 1649. *coram Corrado*. Et ratio eſt, quia hæc clauſula habet vim exemplificandi priuilegia communicata, & faciendi, quod ſint omnino ad inſtar ipſorum. Non eſſent autem omino ad inſtar, & perfectè exemplificata, niſi communicatio contineret etiam præiudicialia.

7 Tertia eſt. Priuilegia præiudicialia tunc quoque communicantur, atque adeo etiam illud, de quo agimus, quando communicatio fit cum ampliſſimis clauſulis, quæ declarent deliberatam, & enixam voluntatem communicantis impartiendi quæcunque, & qualiacunque priuilegia iam conceſſa; Ita Roland. *conſil.* 60. *num.* 2. *lib.*.. Craueta *conſil.* 294. *num.* 1. Ioa. Crot. *in l.* 1. *num.* 13. *ff. de legib.* Iacob. Niger *ibid. num.* 15. Rota *in dicta Ianuenſi priuileg.* 28. *Iunii.* 1649. Amplitudo namque clauſularum operatur, quod voluntas communicantis ſit tàm ampla, quàm poteſt eſſe, & proinde quod ſe extēdat ad omnia priuilegia communicanda, licet præiudicialia.

8 Quarta eſt. Tunc quoque priuilegia præiudicialia communicantur, quando abrogatur, ſeu ſuppletur defectus citationis intereſſe habentium. Ita Rota in dicta *Ianuenſi priuileg.* 28. *Iunii.* 1649. *coram Corrado*. Dum enim abrogatur, ſeu ſuppletur defectus citationis, declaratur, quod haberet locum; & quia non habet locum citatio, niſi quando agitur de intereſſe citandi, ſequitur, quod in tali communi-

nicatione agatur de intereſſe alterius, atque adeo, quod communicatio ſit etiam de priuilegiis, quæ tangunt intereſſe alterius, ſeu de præiudicialibus. His regulis, & aliis ſimilibus, quæ ex forma communicationis deſumi poſſunt, cognoſci poteſt, an priuilegium, de quo agimus ſit communicatum, & conſequenter, an etiam coetera priuilegia præiudicialia.

An ſacerdos canonicè impeditus poſſit miniſtrare viaticum. Quæſt. 282.

SVMMA.

1 *Sumere viaticum ab hæretico, quando non liceat.*
2 *An liceat in caſu neceſſitatis, quando non adeſt alius miniſter, ſumere viaticum ab hæretico, & canonicè impeditis. & numer. ſeq.*
3 *Impedimenta canonica non ſe extendunt ad caſus neceſſitatis.*
5 *Eccleſiaſtica præcepta relaxantur, vt ſumi poſſit viaticum.*
5 *Charitas eſt forma omnium virtutum.*
6 *Eccleſiam prohibere, ne canonicè impediti in caſu neceſſitatis miniſtrent viaticum, non eſt veriſimile.*
7 *Cenſuræ ſunt in vtilitatem irretiti, non autem in detrimentum alterius.*
8 *Sacerdos publicus concubinarius an poſſit miniſtrare viaticum.*

1 Canonicè impediti ſunt hæretici, & alii, qui ligantur aliqua Eccleſiaſtica cenſura, per quàm arcentur ab adminiſtratione ſacramentorum. Eſt autem certum, non poſſe viaticum ſumi ab hæretico, quando talis ſumptio eſſet communicatio quædam in hæreſi; vnde laudatur S. Hermenegildus, quod noluerit in Paſchate recipere communionem ab Ariano Epiſcopo; ſed potius ſubierit martyrium, vt habet D. Gregor. *lib. 6. Dialog. cap.* 31. & refertur in capit. *Superuenientem.* 1. *quæſt.* 1. & cap. *fin.* 24. *quæſt.* 1. Hoc enim eſſet contra confeſſionem fidei, quæ nos obligat non communicare cum hæreticis, quādo ex hac communicatione præſumeretur conſenſus in hæreſim. Similiter certum eſt, nec etiam ſumi poſſe ab hæretico, quando imminer et periculum ſubuerſionis, nam tunc ſe exponeret periculo amittendi ſalutem, quam media ope ſacramenti quæreret. Rurſus difficultas non eſt, an abſolutè liceat, quia certum eſt abſolutè non licere, ſed an liceat, quando non adeſt alius debitus miniſter.

2 Prima ſententia aſſerit neque etiam in caſu neceſſitatis poſſe miniſtrari, aut ſumi ab hæreticis, & canonicè impeditis. Ita Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *quæſ.* 4. Medina C. *de confeſ. quæſt.* 28. *dub.* 2. Victoria *in ſum. tit. de Euchariſt. num.* 93. Henriquez *lib.* 13. *ſum. cap.* 10. *num.*.. Chellison. 3. *par. quæſtion.* 82. *artic.* 3. *in fine.* Fundamentum eſt. Quia viaticum non eſt neceſſarium, ſicut baptiſmus, aut poenitentia: & ideo non debet miniſtrari cum indecentia miniſtri prohibiti ab Eccleſia.

3 Secunda ſententia aſſerit, poſſe miniſtrari, & ſumi ab hæreticis, & canonicè impeditis, quando non poteſt ſumi aliud ſacramentum. Ita Zambran. *in ſuis deciſ. cap.* 3. *de Euchariſ. dub.* 7. *numer.* 2. Fundamentum eſt. Quia quando non poteſt haberi aliud ſacramentum, adeſt Summa neceſſitas, cum non ita facilè poſſit haberi vera contritio: ſtante autem hac neceſſitate non cenſetur prohibitum miniſtro canonicè impedito miniſtare, ſicut nec cenſetur prohibitum miniſtrare ſacramentum poenitentiæ.

4 Tertia ſententia vult abſolutè, poſ-

posse ministrari, & recipi ab hæreticis, & canonice impeditis, quando non adest alius minister, etiam si sumi possit aliud sacramentum. Ita Ledesma *par. 1. sum. tract. de extrem. vnc. capit. 5. dub. vlt.* Nauar. *in Manuali. cap. 22. num. 4.* Faust. *lib. 1. de Euchar. quæst. 215.* Suarez *disp. 72. de Eucharis. sect. 4. in fine.* Capeauil. *de administ. sacramen. temp. pest. quæst. 4. de Eucharist.*

5 Dicendum est, *Viaticum posse ministrari, & sumi, quando non adest alius congruus minister, etiam ab hæreticis, & quibuscunque canonicè impeditis.* Prob. Hi ministri non prohibentur nisi de iure canonico ministrare sacramenta. Ergo hæc prohibitio non se extendit ad casum necessitatis, quando ministrandum est viaticum. Tum quia in ordine ad viaticum solet Ecclesia relaxare prohibitiones, seu potius declarare, quod non comprehendant casum, vt de prohibitione tempore interdicti constat ex Cap. *Quod in te.* De *poenit. & remis.* Tum quia viaticum, & sacramentum poenitentiæ æquiparantur in iure, vt in dicto Cap. *Quod in te.* Vnde cum canonicè impediti possint ministrare sacramentum poenitentiæ ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 8. de poenitent.* poterunt etiam ministrare viaticum, quia æquiparatorum est eadem dispositio. *l. 1. ff. de legat. 1.* & notant Glos. *in cap. Si postquam. §. fin.* de *elect. in 6.* Roman. *consil. 129.* Alexan. *consil. 17. num. 3. lib. 3.* Tusch, *litera E. conclus. 308.* & communiter. Tum quia, si in tali casu Ecclesia intenderet prohibere ministrationem viatici, prohibitio esset nimis dura, quia subtraheret moribundo tale subsidium in tanta necessitate; quæ est grauissima. Tum quia leges Ecclesiæ ita regulantur à iustitia, vt tamen sint etiam secundum mensuram charitatis, quia ordinantur ad bonum commune, & etiam singulorum, & quia charitas est forma omnium virtutum, vt habet D. Th. 2. 2. *quæst. 23. art. 8. in corpore.* & ideo non debent impedire, quæ exiguntur à charitate; Charitas autem exigit, quod per viaticum subueniatur moribundo.

6 Ad fundamentum 2. sent. resp. Viaticum non esse quidem necessarium, sicuti est baptismus, & sacramentum poenitentiæ, esse tamen tantæ necessitatis, vt non sit verisimile, quod Ecclesia voluerit priuare moribundos impediendò, quod ministri prohibiti non ministrent, sicut constat ex dictis. Vnde canonicè impediti, quamuis aliàs sint indecentes, non sunt tamen indecentes in hoc casu, quia tota indecentia fundatur in impedimēto, quod non extenditur ad hunc casum.

7 Ad fundamentum secundæ sententiæ. Quamuis sumi possit ab infirmo aliud sacramentum, adhuc tamen necessitatem viatici esse tantam, vt sufficiat, ne Ecclesia extendat suam prohibitionem quòad canonice impeditos ad hunc casum si quidem si extenderet, non contineret illam æquitatem, quam seruare debet cum constitutis in periculo mortis, præsertim quia cum censuræ sint in vtilitatem etiam illius, qui ipsis ligatur, non debent tendere in detrimentum alterius.

8 Ex his colligitur, an publicus concubinarius possit ministrare viaticum, & infirmus ab ipso accipere; videtur enim negandum iuxta Nauar. *cap. 25. Manual. num. 8.* Quia in Cap. *Nullus*, & in Cap. *Præter hoc dist. 32.* prohibetur à tali sacerdote sumere Eucharistiam. Sed tenendum est, quod liceat. Tum quia in dictis textib. non est sermo de casu necessitatis. Tum quia correcti sunt per Concil. Constantiense, quod statuit generalem regulam quòad hoc, & in ordine ad omnes censuras, & suspensiones, sub qua non continetur præsens casus. Et ita tenent Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Suarez *disp. 72. de Eucharis. sect. 4. circa finem*, Faust. *lib. 1. de Euchar. quæst. 216.*

An

An Diaconus possit ministrare viaticum: Quæst. 283.

S Y M M A.

1 *Diaconus ex vi suæ ordinationis accipit habilitatem, vt possit ipsi committi ministratio Eucharistiæ.*
2 *Diaconus potest ministrare viaticum absque expressa commissione stante necessitate.*
3 *Voluntas talis præsumitur, qualis de iure debet esse.*
4 *Diaconus potest ministrare viaticum, etiam si sacerdos iniuste nolit.*
5 *Quando possit formare iudicium, quod sacerdos iniustè nolis.*
6 *Absque necessitate non debet committi Diacono ministratio viatici.*

1 SVpponendum est tanquam certum, Diaconum ex vi suæ ordinationis accipere quamdam habilitatem, ratione cuius possit ipsi committi dispensatio corporis, & sanguinis Christi, vt docent communiter cum D. Th. *3. par quæst.* 82. *art.* 3. *ad* 1. & habetur ex Cōcilio Nicæno *can.* 14. & Concil. Cartaginensi IV. *cap.* 8. & D. Clemen. *lib.* 8. *Constit. Apostolicar. cap.* 28. Ratio autem est. Quia Diacesanus ex vi suæ ordinationis constituitur specialis minister sacerdotis quo ad ea, quæ concernunt munus sacerdotale; vnde cum dispensatio Eucharistiæ concernat munus sacerdotale, Diaconus erit minister sacerdotis ex vi suæ ordinationis etiam quoad hanc dispensationem, & proinde habebit habilitatem, vt possit ipsi à sacerdote committi. Vnde ex commissione sacerdotis poterit etiam deferre Eucharistiam, & ministrare moribundo; solum difficultas est, an id possit, si non sit præsens Episcopus, aut sacerdos, qui id committat.

2 Dicendum 1. *Diaconum posse deferre, & ministrare viaticum, etiam si ipsi id non committatur ab Episcopo, aut sacerdote, quando vrget necessitas, nec adest sacerdos, qui ministret.* Ita D. Th. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 2. Ricard. *artic.* 1. *quæst.* 3. Durand. *quæst.* 4. Sotus *quæst.* 1. *artic.* 3. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 23. *art.* 3. *dub.* 1. & 2. Syluester *verbo.* Diaconus. *quæst.* 2. *dicto* 2. Vasquez 3. *part. disp.* 219. *cap.* 1. *num.* 10. Suarez *disp.* 72. *de Euchar. sect.* 1. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. Bartholom. ab Angel. *Dialogo* 4. *num.* 276. Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 84. *numer.* . . Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 258. Homobon. *par.* 5. *Examin. Eccles. tract.* 4. *can.* 7. *quæst.* 50. Molfes. *part.* 5. *sum. tract.* 2. *cap.* 9. *num.* . . . Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst.* 5. *pun.* 1. *num.* 5. Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 8. *num.* 4. Auersa *de Eucharistia quæst.* 10. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 5. *de Euchar. numer.* 5. Faustus *lib.* 1. *de Eucharist. quæst.* 207. & 208. Et colligitur ex Concil. Nicæno *can.* 14. vbi conceditur Diacono, quod absente Episcopo, aut præsbitero ipse proferat sacramentum, & edat. Vnde à fortiori videtur concessa hæc facultas, vt aliis vrgente necessitate dispenset.

3 Ratio autem est, quia in tali casu præsumitur volūtas Sacerdotis, quod ministret, nam voluntas talis præsumitur, qualis de iure debet esse. *l. Ex facto init. ff. de vulg. & pupil. substit.* vbi Ias. *not.* 4. *numer.* 5. alios citans. Bald. *ibid.* Ripa *numer.* 9. Felin. *consil.* 31. *num.* 7. Surd. *consil.* 198. *num.* 16. Vnde ex præsumpta volontate interuenit virtualis, & interpretatiua commissio sacerdotis.

4 Dicendum 2. Si Episcopus, aut Sacerdos præsentes nolint absque iusta causa ministrare viaticum, aut committere administrationē, poterit Diaconus ipsis inuitis ministrare. Ita con-

tr

tra Sylvestrum citatum *num.* 2. tenent Sotus, Ledesma, Vasquez, Auersa, Præposit. *3. par. quæst*, 82. *art.* 3. *dub.* 1. *numer.* 11. Dicastil. *De Sacramen. tract.* 4. *de Euchar. disp.* 11. *dub.* 5. *numer.* 91. Valent. *part.* 4. *sum. disp.* 6. *quæstion.* 10. *pun.* 1. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Reg. quæst.* 56. *art.* 8. Ratio autem est, quia Diaconus non debet respicere ad voluntatem Sacerdotis, qualis de facto sit, sed qualis debeat esse, si rationabiliter procederet; nam tamquam minister Ecclesiæ tenetur habere iustam, & rationabilem voluntatem, & ideo voluntas iniusta non est voluntas ministri. Vnde habet adhuc voluntatem interpretatiuam, quod ministret, quam videlicet haberet sacerdos, si vellet id, quod tenetur velle tanquam minister. Imo hæc voluntas interpretatiua est in lege, & in superioribus maioribus, nam quatenus lex obligat pastores inferiores, quod proprio muneri satisfaciant, & superiores maiores dū hoc ipsum intendunt, præbent sufficiens fundamentum huius voluntatis interpretatiuæ. Et ideo adhuc ex interpretatiua commissione ministrat viaticum.

5 Sed pro praxi difficultas est, quando possit Diaconus formare iudicium, quod sacerdos iniuste nolit ministrari viaticum. Resp. Tunc posse formare iudicium, quod iniustè nolit, quando non apparet causa grauis, ob quam velit denegare. Cum enim morti proximus habeat ius ad viaticum, & sacerdos ex officio teneatur ministrare, & de hoc iure publicè constet, sicut etiam de obligatione, eo ipso, quod non constat de causa, ob quam deneget, censetur iniustè denegare, & ideo subintrat voluntas interpretatiua Ecclesiæ, quod Diaconus ministret.

6 Est tamen aduertendum quod non debet committi Diacono ministratio viatici, nisi quando non adest sacerdos, qui ministret; vnde commissio fundari debet in necessitate; nam praxis obtinuit, vt non fiat talis commissio Diacono, & ideo non est facienda, nisi ita exigente necessitate. Pasqualig.

An si adsit Diaconus Ecclesiæ deputatus, & sacerdos, cui non incumbat ministrare viaticum, quinam ministrare debeat. Quæst. 284.

S V M M A.

1 *Diaconus in absentia sacerdotum habet tacitam commissionem ministrandi viaticum.*
2 *Ministratio Eucharistiæ est magis actus ordinis, quàm iurisdictionis.*
3 *In ministrando viatico sacerdos extraneus præferendus Diacono addicto Ecclesiæ.*
4 *Diaconus, & sacerdos quomodo ministri Eucharistiæ.*
5 *Diaconi prohibentur exercere, quæ sunt muneris sacerdotalis, præsente quocunque sacerdote.*

1 PRo Diacono facit, quod cum sit addictus seruitio Ecclesiæ, cui est annexa cura animarum, & ad quam spectat ministrare viaticum, deficiente Parocho, & coeteris qui exercent curam animarum in illa Ecclesia, videtur habere tacitam commissionem ministrandi viaticum vrgente necessitate, atque adeo videtur esse minister de iure: & proinde extraneum sacerdotem nō posse se ingerere, cum non possit sibi vsurpare, quæ sunt iurisdictionis, aut annexa iurisdictioni talis Ecclesiæ.

2 E contra verò pro extraneo sacerdote facit, quod ministratio Eucharistiæ est magis actus ordinis, quàm iurisdictionis: unde Diaconus etiam si habeat iurisdictionem, & possit, quæ sunt iurisdictionis exercere, ut si sit creatus Parochus, aut Episcopus, sed nondum sit ordinatus, seu consecratus,

tus, non poterit ministrare Eucharistiam; & ideo in proposito casu videtur præferendus extraneus sacerdos tanquam magis habilis.

3 Dicendum est. *In tali casu viaticum ministrandum esse per sacerdotem, non autem per Diaconum, quamtumuis addictum Ecclesiæ*. Desumitur ex cap. *Diaconos. dist.* 93. vbi absolutè prohibetur Diaconis ministrare Eucharistiam præsente Episcopo, aut præsbitero. *Sacri corporis prærogationem sub conspectu Pontificis, seu præsbiteri (nisi his absentibus) ius non habent exercendi*. Ratio autem est. Quia sacerdos est minister huius sacramenti ex officio tanquam habens potestatem supra corpus Christi; Diaconus verò est tantum minister secundum habilitatem, quia nimirum ex commissione potest esse minister. Ergo sacerdos debet præferti tanquam potior minister, & ex officio; siquidem plus est esse ministrum ex officio, quàm esse ratione iurisdictionis.

4 Dices. Eo ipso, quod sunt absentes sacerdotes propriæ Ecclesiæ, Diaconus habet tacitam commissionem ministrandi Eucharistiam. Ergo remanet minister ex officio, & ideo debet anteponi. Resp. Fieri ministrum ex officio deputationis, atque adeo tanquam commissionis; non autem ex officio ordinis: vnde adhuc est minister inferioris notæ, quia eius officium fundatur in extrinseca commissione, non autem in gradu, & potestate intrinseca, quam habent ratione ordinis, & characteris.

5 Ad rationem dubitandi respon. Ex absentia præsbiterorum propriæ Ecclesiæ remanere à iure deputatum pro ministranda Eucharistia: atque adeo esse ministrum à iure, non absolutè, sed ex suppositione, quod non adsit alius sacerdos, qui possit ministrare. Vnde in dicto cap. *Diaconos. dist.* 93. prohibentur Diaconi, *Nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriè decreuit antiquitas, absque Episcopo, vel præsbitero baptizare non audeant, nisi prædictis forrasse ordinibus longius constitutis necessitas extrema compellat*. Vnde cum hoc statuatur in fauorem Ordinum, non autem personæ ordinatæ, quando prohibentur ministrare Eucharistiam sub conspectu Pontificis, aut præsbiteri, intelligitur de quocunque insignito tali ordine, iuxta communem doctrinam, quod quæ conueniunt dignitati, sequuntur dignitatem, in quocunque sit.

An deficiente sacerdote, vel Diacono possit subdiaconus, aut inferior, siue clerius, siue laicus ministrare viaticum.

Quæst. 285.

S V M M A.

1 *Subdiaconus, & inferiores etiam laici an possint ministrare viaticum deficiente sacerdote. & num. seq.*
3 *In iure non tribuitur facultas subdiacono, aut inferiori ministrandi Eucharistiam.*
3 *Praxis declarat ius.*
4 *Ministratio Eucharistiæ quid requirat, vt alicui conueniat.*
5 *Distributio Eucharistiæ quædam potestás circa corpus Christi.*
6 *Laici, & inferiores Diacono vnde prohibeantur ministrare Eucharistiam.*
6 *Laici quomodo semper acceperint Eucharistiam de manu sacerdotis.*
7 *Tradere an liceat Eucharistiam laico, aut inferiori Diacono deferendam infirmo.*
7 *Consuetudo inducit ius.*

1 Prima sententia asserit, posse tàm subdiaconum, quàm quemcunque alium inferiorem, etiam laicum in casu necessitatis ministrare viaticum. Ita Glos. *in cap. per-*

peruenit. ver. Per semetipsum. de consecratione, dist. 2. Caiet. in cap. 26. Matth. in illa verba. Accipite, & manducate. Valent. tom. 4. disp. 6. quæst. 10. pun. 1. in fine. Suarez disp. 72. de Eucharis. sect. 3. in fine. Laiman lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 7. numer. 4. Filliuc. tract. 4. cap. 9. num. 285. Reginald. lib. 29. praxis fori poenitent. num. 93. Auersa quæst. 10. de Euchar. sect. 4. ver. Quinto vlterius. Isambert. 3. par. quæst. 82. disp. 1. ar. 5. ver. Deinde. Capeauil. de administr. sacram. temp. pest. cap. 5. de Euchar. quæstion. 6. Coninch. de sacram. quæst. 82. art. 3. num. 23. Mercer. de sacram. quæst. 82. ar. 3. num. 3. Granad. 3. par. contr452. 6. tract 12. disp. 1. num. 4. Diana par. 5. tract. 3. resol. 47. ver. Sed ergo. Faustus de Euchar. lib. 1. quæstion. 210. ver. Verior tamen. Fundamentum est, quia hoc non est prohibitum nec iure diuino, nec humano. Imo antiquitus Eucharistia dabatur in manus laicorũ; & aliquando per laicos mittebatur ad infirmos, vt narrat Euseb. lib. 6. Historia. cap. 36.

2 Secunda sententia asserit, alium inferiorem Diacono non posse ministrare in quacunque necessitate. Ita Sotus in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. Syluester verbo Eucharistia 3. num. 4. Armilla verbo. Communio, num. 8. Victoria in sum. tit. de Eucharis. num. 89. Henriquez lib. 8. de Euchar. cap. 54. numer. 3. Viuald. in candelab. Tit. de administrat. Eucharis. num. 90. Camerota de sacram. cap. 9. de Euchar. dub. 3. Sà. verbo. Eucharistia num. 4. Vasquez 3. par. disp. 219. cap. 1. Præposit. quæst. 82. ar. 3. dub. 1. num. 11. in fine. Facundez præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 1. num. 10. Bonac. disp. 4. de sacram. quæst. 5. de Eucharis. pun. 1. numer. 6. Zambran. in decis. cap. 3. de Eucharis. dub. 6. numer. 6. Hurtad. de sacramen. disp. 11. de Euchar. difficul. 3. ver. Sed an in casu. Gaspens. tom. 2. curs. theol. tract. 24. de Eucharis. disp. 9. sect. 9. num. 91. Ledesma 1. par. 4. quæst. 23. ar. 3. Ocagauia de sacram. tract. 3. de Euchar. quæst. 4. numer. 7. Marchinus de peste. par. 3. cap. 8. num. 6. Villalob. par. 1. sum. tract. 7. difficul. 46. num. 5. Faustus lib. 1. de Eucharis. quæstion. 210. ver. Verior tamen. Tanner. tom. 4. disp. 5. quæst. 8. dub. 8. numer. 102. Hieronim. Garzia par. 1. sum. tract. 3. difficul. 7. dub. 2. num. 14. Martin. à S. Ioseph. tom. 1. moral. lib. 1. tract. 5. de Eucharis. numer. 6. Posseuinus de offic. Curati. capit. 8. num. 24. Camerota de sacram. cap. 9. de Eucharis. num. 3. Dicastil. de sacram. tract. 4. de Eucharis. disp. 11. dub. 5. num. 93.

3 Dicendum est, Non posse inferiores Diacono siue Clericos, siue laicos ministrare viaticum in quacunque necessitate deficiente quocunque sacerdote, vel Diacono. Hoc colligitur ex eo, quod in toto iure canonico non fit mentio nisi de Diacono, quando agitur de iis, qui possunt dispensare Eucharistiam præsertim in Concil. Cartaginensi 4. cap. 8. Et hoc ipsum conuincitur etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam commisit dispensationem alteri, quàm Diacono. Hæc autem praxis sufficienter declarat, naturam sacramenti esse talem, vt non possit dispensari ab alio, quàm à Sacerdote, & eius ministro, nempe Diacono, nam praxis declarat ius cap. Dilectus. de consuetud & Clemen. Exiui. §. Item quia. de verbor. significat. & l. Si de interpretat. ff. de legib.

4 Ratio autem est. Quia ministratio Eucharistiæ est actus accessorius ad confectionem sacramenti veniens in consequentiam; ita vt sicut conficiens habet potestatem supra corpus Christi, ita etiam habeat supra distributionem: & proinde soli sacerdoti ex officio incumbit dispensare Eucharistiam. Ergo solus Diaconus, & non alter inferior, potest ex cõmissione, aut alio modo dispensare. Conseq. prob. Quia dispensatio tanquam actus accessorius sequitur naturam sui principalis: & sicut principale fundatur per se primò in ordine, & officio, ita etiam ministratio accessoriè fundatur in ordine, &

officio, & ideo ex natura sua non potest conuenire, nisi illi, qui aliquo pacto communicat in officio cum sacerdote; solus autem Diaconus communicat; cum ex vi suæ ordinationis habeat, quod sit proprius minister sacerdotis in officio sacerdotali, & ideo solus est capax actuum, qui sunt accessorii consecrationis.

5 Confir. Distributio Eucharistiæ est quædã potestas supra corpus Christi, siquidem consequitur ex potestate ipsum conficiendi. Ergo nemo Diacono inferior potest ministrare, quia nemo habet potestatem supra corpus Christi, nec ipsi potest cõmunicari, nã in tantum potest communicari Diacono in ordine ad distributionem, inquantum est specialis minister sacerdotis. Vnde sicuti ordo in Diacono facit, vt sit habilis ad ministrandum ex commissione tantum: ita negatio ordinis in coeteris faciet, vt neque sint habiles ad dispensandum ex commissione.

6 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Prohibitionem, quod laici, & inferiores Diacono non ministrent Eucharistiam, haberi ex natura rei, quia nimirum pertinet ad actus ordinis, & ideo non potest exerceri, nisi per habentem ordinem, aut saltem per ministrantem circa actus ordinis ipsi sacerdoti. Quando autem antiquitus Eucharistia dabatur in manus laicorum, aut mittebatur per laicos ad infirmos, semper prima distributio fiebat per sacerdotem, vel per Diaconum, & proinde adhuc ministrabatur per ipsos, sed medianre persona interposita, quæ non erat ministrans, sed tantum exequutrix ministrationis iam factæ. Vnde Concilium quoque Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. docet, ex Traditione Apostolica semper laicos accepisse Eucharistiam de manu sacerdotis, quod debet intelligi immediate, vel mediatè. Dicitur autem de manu sacerdotis, quia licet acciperent de manu Diaconi, censebantur accipere de manu sacerdotis, quia ministrabat nomine sacerdotis ex ipsius commissione, & tanquam eiusdem minister ex vi suæ ordinationis.

7 An autem modo liceat vrgente necessitate tradere Eucharistiam laico, aut inferiori Diacono deferendam infirmo, si non adsit sacerdos, aut Diaconus, qui deferat. Resp. Non licere, vbi exercitium catholicæ religionis est liberum; nam consuetudo non admittit hunc modum ministrandi, & proinde inducit ius obligans cap. *Cum dilectus. de consuetud.* & *l. De quibus. ff. de legib.* & *leg. Nulli. ff. quod cuiusq. vniuer.* & *l. Obseruare.* §. 5. *ff. de offic. proconsul.* Est enim de materia necessaria, siquidem esset contra reuerentiam debitam sacramento, quod vbi exercitium catholicæ religionis est liberum, tali pacto tractaretur. Vbi autem catholica religio non exercetur liberè, posset talis modus adhiberi in casu necessitatis, quod non adesset congruus minister, qui deferret, nam tunc essemus in casu simili, in quo antiquitus tali pacto ministrabatur Eucharistia. Et quod vbi est liberum exercitium religonis, non liceat, habetur etiam ex cap. *Peruenit. de consecrat. dist.* 2. vbi dicitur id esse horribile, & detestabile, siquidem in talibus circumstantiis continet irreuerentiam.

An sacerdos possit sibi ipsi viaticum ministrare. Quæst. 286.

S V M M A.

1 *Duplex modus sumendi Eucharistiam, & in quo vnus differat ab alio.*
2 *Sacerdos in articulo mortis potest sibi, si non adsit alius minister viaticum ministrare.*
3 *An etiam extra casum necessitatis, & numer. seq.*
5 *Quid si nullo modo præsit curæ animarum.*
5 *Ministratio Eucharistiæ quid dicat.*

Su-

6 *Sumere Eucharistiam per seipsum est vsurpare ius pastoris.*
7 *Iurisdictio siue vi coactiua potest exerceri cum se ipso.*
7 *Filius familias factus preses potest seipsum emancipare.*
8 *Quid requiratur, vt inducatur consuetudo.*
9 *Sacerdotes non celebrantes semper acceperunt Eucharistiam de manu alterius.*
9 *Sacerdos non celebrans non potest seipsum communicare.*
10 *Sacerdos an possit sibi ministrare viaticum absentibus iis, ad quos de iure spectat, & aliis presentibus.*

1 PRo resolutione difficultatis advertere oportet, duos esse modos sumendi Eucharistiam, vt docet etiam Concil. Tridentinum. *sess.* 13. *cap.* 8. *de Eucharist.* alterum per seipsum, quando nimirum sacerdos celebrat; & alterum de manu sacerdotis. Differunt autem inter se, quod primus est pars quædam integralis sacrificii, quia dicit consumptionem sacrificii oblati, atque adeo proprius sacerdotis sacrificantis. Secundus verò non est pars sacrificii; sed est actus cibationis spiritualis, quo ministrans cibat animas in ordine ad vitam spiritualem, & consequenter est actus pastoris pascentis spiritualiter.

2 In hac autem difficultate certum est apud omnes. Quod si sacerdos sit in articulo mortis, & non habeat, qui sibi ministret Eucharistiam, poterit per seipsum illam sumere. Hoc enim conceditur generaliter etiam Diaconis, quando non adest Episcopus, aut sacerdos, à quibus accipiant. Ita Concil. Nicen. *can.* 14. ibi. *Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel presbiter, tunc ipsi (* Diaconi *) proferant, & edant.* Difficultas autem est, an quando adest sacerdos, qui ministret, possit per seipsum sumere.

3 Prima sententia tenet, quod sacerdos extra casum necessitatis possit per seipsum Eucharistiam sumere, atque adeo viaticum. Ita Suarez *disp.* 72. *de Eucharist. sect.* 3. Syluius 3. *par. quæst.* 82. *art.* 4. Facundez *precepto* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 7. Homobon. *par.* 1. *Exam. Eccles. tract.* 4. *cap.* 11. *quæst.* 109. Filliuc. *tract.* 4. *capit.* 9. *in fine.* Posseuinus *de offic. Curati. cap.* 8. *num.* 24. Reginal. *lib.* 29. *num.* 2. Marchin. *de peste. par.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. Diana *par.* 2. *tract* 14. *resol.* 53. ver. *Sed ego*. Hieron. Garzia *par.* 1. *sum. tract.* 3. *difficul.* 7. *dub.* 2. *numer.* 11. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *difficul.* 48. *num.* 1. Fundamentum est; quia in hoc sacramento non requiritur, quod minister, & suscipiens sint personæ distinctæ.

4 Secunda sententia est negatiua. Ita Caiet. *in sum.* verbo. *Communionis minister. num.* 8. Durand. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 4. *num.* 7. Sotus *dist.* 12. *quæst.* 1. *ar.* 5. ver. *Primus ergo*. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 67. *num.* 2. Armilla *verbo.* Communio. *numer.* 8. Sà *verbo.* Eucharistia. *num.* 35. Bonac. *disp.* 4. *de sacramen. quæst.* 5. *pun.* 1 *numer.* 6. Vasquez 3. *par. disp.* 219. *cap.* 1. *num.* 17. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 285. Faust. *lib.* 1. *de Eucharist. quæstion.* 211. ver. *Respondeo*. Coninch. *de sacramen. quæst.* 82. *ar.* 3. *num.* 25. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 5. *de Eucharist. num.* 7.

5 Dicendum 1. *Sacerdotem, qui non præest curæ animarum, siue ex officio, siue ex commissione, non posse sibi ministrare viaticum, si possit ab alio sacerdote accipere.* Prob. Ministratio Eucharistiæ, quæ non est consumatio sacrificii, est actus fundatus in iurisdictione, & dicit exercitium officii Pastoris: vnde non potest ministrari, nisi ab habente iurisdictionem, aut ex illius commissione, siue priuilegio. Ergo non potest sacerdos, qui non præest aliquo modo curæ animarum, sumere per seipsum viaticum. Conseq. prob. Quia non potest exercere actus fundatos in iurisdictione, cum illam non habeat.

6 Confir. seclusa necessitate non po-

potest alteri viaticum, aut Eucharistiam ministrare, alioquin læderet ius pastorum. Ergo neque sibi ipsi. Conseq. prob. Quia quando non celebrat, sumit Eucharistiam non tanquam consumptionem sacrificii, sed tanquam cibum spiritualem, & proinde se habet vt pascendus, atque adeo vt ouis dicens ordinem ad pastorem, à quo sit pascendus: & ideo debet sumere à pastore, & sumendo per se ipsum, vsurpat ius, & officium pastoris quoad se ipsum, & se subtrahit à debita subiectione respectu sui pastoris.

7 Dicendum 2. *Quantum est ex natura rei, & seclusa consuetudine Sacerdos, qui aliquo modo exercet curam animarum potest per seipsum, sumere viaticum, si possit cum debita reuerentia, etiam si possit habere, qui ministret.* Hæc conclusio est conformis illorum doctrinæ, qui volunt, quod potens alios dispensare, potest etiam dispensare seipsum, vt docent fere communiter cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. *in corpore.* Quos citaui *in praxi ieiunii decis.* 412. *numer.* 2. & *decis.* 413. *num.* 2. Ratio autem est. Quia quando non est exercenda vis coactiua, potest quis exercere iurisdictionem cum seipso, & ideo filiusfamalias factus præses potest seipsum emancipare *l. si consul. ff.* De *adoption.* vt docent communiter, & latè Abbas *in Cap. Ex litteris num.* 11. De *probat.* Ergo à fortiori poterit cum se ipso exercere illos actus, qui non sunt iurisdictionis, sed tantum habent pro fundamento iurisdictionem, qualis est ministrario viatici.

8 An autem obstet consuetudo, non ita facile discerni potest. Mihi tamen certum videtur, quod in ordine ad viaticum non possit allegari cōsuetudo, quia vt consuetudo habeat locum, non debet introduci ex necessitate, quia stante necessitate, ita vt non adsit locus aliter operandi, actus non ostendit animum se obligandi, & ideo non potest inducere consuetudinem. Viaticum autem semper defertur ad eos, qui non possunt accedere ad Ecclesiam, & per seipsos sumere, ita vt vix aliquis casus in contrarium possit allegari. Vnde quoad hoc non constat de consuetudine. Adest tamen consuetudo extra casum viatici; & habet pro fundamento, quod sumens Eucharistiam extra sacrificium, se mit tanquam ouis, & proinde etiam si alias sit pastor, cum se in illo actu gerat tanquam ouem pascendam, debet se subiicere alicui, qui in illo actu exerceat munus pastoris. Hæc tamen non videtur ratio sufficiens, vt consuetudo pro publica vtilitate Ecclesiæ censeatur necessaria, quamuis conducat ad docendam subiectionem, quam debet habere populus ad sacerdotes in suscipiendis sacramentis. Nam etiam superior, quamuis possit se alteri subiicere pro recipienda dispensatione, & in hoc doceat subiectionem, quam debent habere subditi ad superiores, non tamen id censetur necessarium pro vtilitate publica, sed ipse potest secum dispensare.

9 Quia tamen semper in Ecclesia obseruatum fuit, quod sacerdotes non celebrantes acciperent Eucharistiam de manu sacerdotis, & id prouenerit ex traditione Apostolica, vt docet Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. *de Eucharist.* ibi. *In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens iure, ac meritò retineri debet.* Vbi obseruandum est, quod mos communicandi seipsos non coarctat quomodocunque ad sacerdotes, sed ad sacerdotes celebrantes: vnde non celebrantes computat inter laicos, qui debeant sumere ab alio sacerdote. Ideo tenendum est, quod ratione consuetudinis non liceat sacerdoti se communicare extra casum necessitatis. Vnde solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ, quia licet ex natura actus non requiratur, quod minister, & suscipiens sint

sint personæ distinctæ, requiritur tamen ratione consuetudinis.

10 Ex dictis colligitur. Quod si Sacerdos indigeret viatico, nec adessent ii, à quibus de iure deberet sumere, neque adhuc, seclusa etiam consuetudine, posset sibi ipsi ministrare, sicut nec etiam extra illud tempus, si adesset alius sacerdos, à quo posset accipere. Quia licet vrgente necessitate in absentia proprii pastoris adsit præsumpta voluntas illius pro quolibet sacerdote in ordine ad administrationem: hæc tamen præsumpta voluntas est secundum mensuram consuetudinis, & ideo non ad ministrandum sibi ipsi, sed tantum alteri.

11 Colligitur 2. Regulares, qui habent priuilegium ministrandi Eucharistiam, quoad ministrandum sibi ipsis non esse æquiparandos habentibus curam animarum. Priuilegium namque dat ordinariam facultatem, sed non pro viatico: vnde quantum est ex natura actus, non possent sibi ipsis viaticum ministrare, etiam seclusa consuetudine. Si verò haberent priuilegium etiam pro viatico, seclusa consuetudine possent; qui enim potest vti priuilegio sibi concesso cum aliis, potest etiam secum vti, ne sit coeteris deterioris conditionis. Superiores tamen, quibus incumbit cura animarum nempe subditorum, possent sibi ministrare, quantum est ex natura actus, nisi obstaret consuetudo.

An deficiente sacerdote, si adsit Diaconus, debeat sacerdos sumere de manu Diaconi. Quæst. 287.

S V M M A.

1 *Sacerdos, cui Diaconus defert viaticum, an debeat sumere de manu Diaconi, & num. seq.*

3 *Sacerdos sumens viaticum sibi delatum sumit vt ouis cum subiectione ad pastorem.*

4 *Offerens sacrificium habet ius ad participandum de ipso.*

5 *Sacerdos, & Diaconus quomodo ministri Eucharistiæ.*

1 NOn debere sacerdotem sumere de manu Diaconi, etiam si ipse deferat Eucharistiam, sed ipsam acceptam de manu Diaconi debere admittere ad proprium os, tradunt Durand. *in 4. dist. 13. quæst. 4. num. 7.* Filliuc. *tract. 4. cap. 9. numer. 285.* Laiman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 4. cap. 7. num. 5.* ver. *Addunt.* Facundez *precepto 3. Eccles. lib. 3. cap. 3. numer. 7.* ver. *Sed occasione* Marchin. *De peste par. 3. cap. 9. numer. 5.* Villalob. *par. 1. tract. 7. difficul. 48. num. 1.* Diana *part. 2. tract. 14. resol. 53* ver. *obseruat tamen.* Capeauil. *De administr. sacram. temp. pest. de Eucharist. quæst. 17.* Fundamentum huius sententiæ est, quia sacerdos est minister ex officio; Diaconus verò solum ex commissione; & ideo debet Sacerdos præferri.

2 Secunda tamen sententia asserit, tunc quoque Diaconum debere ministrare immittendo etiam Eucharistiam in os Sacerdotis. Ita Ochagauia *de Sacramen. tract. 3 de Eucharist. quæst. 4. num. 6.* Præposit. *3. par. quæst. 82. art. 3. dub. 1. numer. 11.* Et hanc magis approbat Diana *par. 5. trac. 3. resol. 48.* licet prius oppositam opinionem magis approbasset.

3 Dicendum est. *Sacerdotem debere potius sumere viaticum de manu Diaconi, ita vt ipse in eiusdem os illud immittat, quàm de manu propria.* Prob. Tunc sumit vt ouis pascenda, atque adeo cum subiectione ad Pastorem in ordine ad receptionem Sacramenti. Ergo cum Diaconus ministret ex commissione saltem tacita, & interpretatiua pastoris, & nomine ipsius, debet completè sumere de manu ipsius tanquam

quam repræsentantis pastorem.

4 Confir. Quando sacerdos non celebrat, non habet illud ius sumendi per se Eucharistiam, quod tanquam celebranti ipsi competit: siquidem de ratione sacrificantis est, vt participet de sacrificio, vt habetur ex Concil. Tolet, 12. *cap.* 5. relato in cap. *Relatum. de consecrat. dist.* 2. Et redditur ratio ibid. his verbis. *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Ergo cum careat hoc iure, quando sumit viaticum, debet se conformare consuetudini Ecclesiæ, quæ promanauit ab Apostolis, vt dictum est *quæst. præced. numer.* 9. & accipere per manus ministri.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Sacerdotem, esse quidem ministrum ex officio, sed eius officium determinari à consuetudine Ecclesiæ, vt non sit exercendum quoàd se, sed tantum in ordine ad alios. Diaconus verò, quamuis sit tantum minister ex commissione, non tamen ipsi obstat consuetudo Ecclesiæ, & ideo tanquam non impeditus est præferendus.

An tempore pestis possit sacerdos, & Diaconus sibi ministrare viaticum, ne minister peste inficiatur. Quæst. 288.

S V M M A:

1 *Sacerdos, & diaconus possunt sibi ministrare viaticum si peste inficiantur, ne coeteri contrahant luem.*
2 *Casus necessitatis censetur exclusus à lege.*

1 CVm nequeant sibi ministrare viaticum ratione consuetudinis tantum, & proinde hoc non sit de iure diuino, videndum est, an periculum contrahendi infectionem pestilentiæ præualeat huic consuetudini. Dicendum autem est. *Stante periculo contrahendi infectionem posse sacerdotem, & Diaconum sibi ipsis ministrare viaticum.* Ita etiam Coninch *de sacram. quæst.* 82, *art.* 3. *num.* 23, Bonac. *disp.* 4, *de sacram. quæst.* 5. *de Euchar. pun.* 1. *num.* 12, *in fine.* Marchin. *de peste. cap.* 9. *num.* 6.

2 Ratio autem est. Quia talis consuetudo habet vim legis positiuæ, & proinde non se extendit ad casum, in quo seruari non potest, nisi cum notabili grauamine, quale est se exponere periculo mortis: semper enim casus necessitatis censetur exclusus à lege. *l. Tutor, qui repertorium. ff. de administr. tut.* & cap. *Exiit. de verbor. significat. in* 6. Est tamen aduertendum, quod si adsit sacerdos, aut Diaconus, debebunt isti sumere Eucharistiam de sacrario, & ponere in loco, vnde postea sacerdos, vel Diaconus peste infectus illam sumat.

An subdiaconus, aut clericus inferior possit sibi ministrare viaticum deficiente Sacerdote, & Diacono. Quæst. 289.

S V M M A.

1 *Diaconus, & clericus inferior an possint sibi ministrare viaticum deficiente ministro debito.*
2 *Ministratio Eucharistiæ pertinet ad consumationem sacramenti.*
3 *Quam potestatem requirant.*
4 *Subdiacono non potest committi ministratio Eucharistiæ.*
5 *Prohibitio, ne inferiores Diacono ministrent viaticum, qualis sit.*
6 *Ecclesia, an possit concedere, quod inferior dia-*

diacono, aut laicus ministrent Eucharistiam.

6 *Quā potestatem habeat Ecclesiā circa sacramenta.*

---

1 QVod subdiaconus, & clericus inferior possit sibi ministrare viaticum, si non adsit sacerdos, aut Diaconus, tradunt Suarez *disp.* 72. *de Eucharist. sect.* 3. Mercerus *de sacram. quæst.* 82. *ar.* 3. *num.* 3. Capeauil. *de administr. sacram. temp. pest. quæst.* 6. *de Eucharist.* Granad. 3. *par. controuer.* 6. *tract.* 12. *disp.* 1. *numer.* 4. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. cap.* 5. *num.* 93. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæstion.* 10. *pun.* 1. *in fine.* Coninch. *de sacramen. quæst.* 82. *ar.* 3. *num.* 23. Filliuc. *tract.* 4. *capit.* 9. *numer.* 285. Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. Diana *par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 47. Caiet. *in Matth. in illud capit.* 26. *Accipite, & manducate.* Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 5. *de Eucharist. num.* 6. Auersa *de Euchar. quæst.* 10. *sect.* 3. ver. *Quinto ulterius.* Isambert. 3. *par. quæst.* 82. *disp.* 1. *artic.* 5. ver. *Deinde.* Fundamentum est. Quia prohibentur tantum iure Ecclesiastico ministrare Eucharistiam. Ius autem Ecclesiasticam non obligat in tanta necessitate, sed cedit præcepto diuino de sumendo viatico.

2 Secunda sententia negat, posse sibi ministrare. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 13 *quæst.* 1. *ar.* 3. *in fine.* Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *quæst.* 4. Armilla *verbo.* Communio. *num.* 8. Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 54. *in fine.* Vasquez 3. *par. disp.* 219. *cap.* 1. *num.* 13. Zambran. *in suis decis. capit.* 3. *de Eucharist. dub.* 6. *num.* 6. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. *numer.* 10. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst.* 5. *pun.* 1. *num.* 6. Victoria *in sum. tit. de Eucharist. numer.* 89. Hurtad. *de sacram. disp.* 11. *de Euchar. difficul.* 3. ver. *Sed an in casu.* Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 23. *ar.* 3. Caspens *tom.* 2. *curs. theol. tract.* 24. *de Eucharist. disp.* 9. *sect.* 9. *num.* 91. Ochagauia *de sacram. tract.* 3. *de Eucharist. quæst.* 4. *n.* 7. Viuald. *in Candelab.* tit. *de usu, & administ. Euchar. num.* 3. Posseuin. *de offic. curati. cap.* 8. *num.* 24. Camerota *de sacram. cap.* 9. *de Eucharist. dub.* 3. Præposit. 3. *par. quæst.* 82. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 11. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 8. *numer.* 182. Faustus *lib.* 1. *de Euchar. quæst.* 112. ver. *Sed quamuis.* Nauar. *cap.* 25. *Manual. numer.* 72. Sà *verbo.* Eucharistia *num.* 4. & 32. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Euchar. disp.* 11. *dub.* 6. *num.* 93.

3 Dicendum est. *Non licere subdiacono, aut inferiori clerico sibi ministrare viaticum, licet non possit haberi sacerdos, aut Diaconus, qui ministret.* Prob. Ministratio Eucharistiæ est actus consequens confectionem sacramenti; quia pertinet ad complementum illius: nam, quamuis Eucharistia habeat esse permanens, non tamen est propter esse, sed est propter usum; ita ut usus, quamuis non pertineat ad constitutionem sacramenti, pertineat tamen ad quoddam complementum. Ergo qui non potest conficere sacramentum, aut in eo conficiendo ministrare, neque etiam ipsum alteri ministrare potest; quia facultas administrandi, & dispensandi oritur ex potestate conficiendi tanquam pertinens ad exigentiam sacramenti, & ad complementum illius potestatis, quæ datur propter sacramentum. Subdiaconus verò, & multò minus Clericus inferior, neque habet potestatem conficiendi sacramentum, neque ministrat sacerdoti in conficiendo, siquidem ex vi suæ consecrationis non habet, quod sit proprius minister sacerdotis, licet habeat, quod inseruiat altari in ordine ad sacrificium. Diaconus verò consecratur in proprium ministrum sacerdotis, & ad participandum aliquo pacto in munere ipsius: vnde potest ipsi committere, quæ pertinent ad proprium munus.

4 Confir. Sacerdos non potest com-

committere Sudiacono, aut clerico inferiori, quod ministret Eucharistiam, etiam vrgente necessitate. Ergo non est capax administrationis, & proinde nunquam stante quacunque necessitate poterit ministrare. Anteced. constat, quia in toto iure non fit mentio, nisi de Diacono, quando agitur de committenda administratione Eucharistiæ: vt proinde id ipsi concedatur, quia ratione suæ ordinationis est factus habilis. Conseq. prob. Quia si esset capax talis administrationis aliquis alius, non fuisset coarctata commissio ad solum Diaconum, immo aliquando necessitas tulisset, quod alteri quoque facta fuisset commissio.

5 Ad fundamentum in oppositum. resp. Prohibitionem ne subdiaconi, & inferiores Clerici ministrent viaticum, non esse purè de iure ecclesiastico, sed oriri ex natura rei, nempe ex natura sacramenti, quod exigit dispensari ab eo, qui circa ipsum aut habeat directè potestatem. aut sit habilitatus, vt possit ipsi committi talis potestas, per id quod aliquò modo ex vi suæ ordinationis participet in officio sacerdotali: vnde requirit personas specialiter consecratas, vt sint capaces talis potestatis, seu commissionis. Quare prohibitio humana non potest cedere necessitati, quia est fundata in natura sacramenti, quod exigit ministrari per personas specialiter consecratas non quidem ad sui validitatem, quia iam sacramentum est confectum, sed ad sui dignitatē.

6 An autem posset Ecclesia concedere, quod aliquis inferior Diacono, aut etiam laicus ministraret Eucharistiam in aliquo casu necessitatis, Videtur affirmatiuè respondendum, si tamen concurreret aliqua grauissima causa, quia hoc non pertinet ad substantiam sacramenti. Concilium autem Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. declarat, *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Quod confirmat ex Apost. 1. *Corinth.* 2. vbi cum ordinasset nonnulla circa hoc ipsum sacramentum, subdit *Coetera, cum venero, disponam*. Vnde posset etiam dare facultatem ministrandi illis, quibus non competit, si tamen concurrerent causæ sufficientes, ob quas non esset contra venerationem debitam sacramento, & expediret vtilitati fidelium.

An laicus possit sibi ministrare viaticum, si non habeat copiam Sacerdotis, aut Diaconi.

Quæst. 290.

S V M M A.

1 *Laicus an sibi ministrare possit viaticum deficiente sacerdote, & Diacono.*
2 *Diaconus cur possit ministrare viaticum deficiente sacerdote.*
3 *Ministratio Eucharistiæ est actus ordinis.*
4 *Eucharistia cur requirat specialem ministrum.*
5 *Laicus cur possit eleuare Eucharistiam delapsam in terram, & non sibi ministrare viaticum.*
6 *Cur possit manducare ad vitandum periculum irreuerentiæ.*
6 *Forma dat esse rei.*
7 *Eucharistia semper ministrata per ministros congruos.*

---

1 PRima sententia affirmat, posse laicum quoque sibi ministrare viaticum deficiente Sacerdote, aut Diacono. Ita ii, quos *quæstion. præcedenti* retuli *numer.* 1. pro prima sententia. Prob. Hoc sacramentum est institutum per modum cibi spiritualis. Io. 6. *Caro mea vere est cibus*. Potest autem manducans sibi ministrare cibum. Secundò. Potest laicus pro-

propriis manibus eleuare Eucharistiã, si in terram decidat. Ergo poterit etiam sibi ministrare, si alium non habeat, à quo sumat. Tertiò. Si Eucharistia esset exposita periculo irreuerentiæ, posset illam propriis manibus sumere, & manducare, ne veniret in manus infelium, aut hæreticorum. Quartò. In primitiua Ecclesia mitti solebat ad infirmos Eucharistia etiam per laicos, vt desumitur ex Eusebio *lib. 6. histor. cap. 36.* Et Regina Scotiæ morte plectenda ab Elisabetha Regina Angliæ paulo ante mortem sumpsit Eucharistiam, quam apud se seruabat.

2 Secunda sententia asserit, id nequaquam licere. Ita ii omnes, quos *quæst. præced. num. 2.* pro secunda sententia adduxi. Et cum hac sententia tenendum est. *Quod non possit laicus sibi ministrare viaticum, etiam si nullus alius adsit, à quo possit accipere.* Ratio autem est. Quia ideo Diacono tribuitur hæc facultas pro casu necessitatis, quia ex vi suæ ordinationis habet specialem habilitatem, vt sit capax huius ministerii. Ergo cum laicus non habeat hanc habilitatem, non erit capax huius ministerii; nam quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis.

3 Confir. Ministratio Eucharistiæ est actus ordinis, & fundatur in iurisdictione, aut ordinaria, aut delegata, siquidem est communicatio actiua de sacrificio oblato, quæ ex natura rei pertinet ad sacrificantem, & consumatio quædam sacramenti, nam in sacrificio missæ fit, & per dispensationem applicatur ad sanctificandum, & cum sit actus pascendi, requirit oues commissas. Ergo non potest conuenire laico, qui nec est capax talis iurisdictionis, nec habet aliquam consecrationem, per quam fiat habilis ad applicandum sacramentum, vt sanctificatium, sicut habet Diaconus.

4 Ad 1. resp. Non licere arguere à cibo corporali ad spirituale, alioquin sicuti potest quisque conficere sibi cibum, dicendum esset, quod posset etiam sibi conficere cibum spiritualem, seu Eucharistiam, & sicut potest alium sibi ministrare, etiam si habeat, à quo accipiat, ita etiam posset Eucharistiam. Quia ergo cibus spiritualis Eucharistiæ est sacramentum distribuendum à *Pastoribus*, ideo auctoritatiuo modo, & à ministro ad id specialiter consecrato debet ministrari.

5 Ad 2. neg. consequ. Nam eleuare Eucharistiam delapsam in terram est actus reuerentiæ, & cultus erga ipsam; vnusquisque autem non solum potest, sed etiam debet exercere debitam reuerentiam erga ipsam: & proinde talis actus reducitur ad adorationem. At ministrare dicit dispenere de Eucharistia tanquam de sacramento, & pertinet ad quoddam complementum sacramenti; & proinde requirit auctoritatem aliquam saltem commissam circa idem sacramentum.

6 Ad 3. neg. similiter consequentia, quia in illo casu manducatio Eucharistiæ non ordinatur per se primò ad spiritualem nutritionem animæ, sed ad auertendam irreuerentiam; vnde ille actus est cultus exhibitus Eucharistiæ, & solum materialiter manducatio; & est in fauorem eiusdem Eucharistiæ, at quando ministratur Eucharistia, ille actus est formaliter cibatio spiritualis, & dispensatio sacramenti. Quia autem actus censeri debet secundum suam formam, cum forma sit illa, quæ dat esse rei *l. Meuius. ff. de condit. & demonstrat.* & Clemen. 1. *de reb. Eccles. non alien.* Idcirco, cum sint actus diuersæ formæ, debent diuerso modo censeri, & de ipsis iudicandum est secundum proprias ipsorum qualitates, quibus in diuersa specie reponuntur, & ideo non licet inferre, quod si vnus potest exerceri à laico, possit etiam alter, cum hic, nempe ministratio Eucharistiæ vt sacramenti, requirat specialem potestatem spiritualem, vt constat ex dictis.

7 Ad 4. iam dictum est in superioribus, quod quando in primitiua Ecclesia mittebatur Eucharistia per

laicos ad infirmos, quod tunc erat illicitum ratione circumstantiarum temporis, dispensabatur à sacerdote, vel Diacono, sed per manus laici, vnde minister adhuc erat sacerdos, vel Diaconus: & laicus se habebat vt merus delator. Factum autem Mariæ Reginæ Scotiæ nihil iuuat, quia acceperat Eucharistiam à sacerdote; vnde adhuc illi à congruo ministro fuit dispensata, sicut dispensabatur in primitiua Ecclesia, quando dabatur mulieribus in linteamine, quod vocabatur Dominicale. Circumstantiæ autem temporum erant tales, præsertim cum ipsa esset inter manus hæreticorum, quod exhiberunt sufficientem causam, vt posset Summus Pontifex hoc illi concedere, sicut concessisse narrant historiæ.

An minister teneatur cum periculo vitæ ministrare viaticum.

Quæst. 291.

S V M M A.

1 *Qui non ministrat ex officio, nunquam tenetur ministrare Eucharistiam cum periculo vitę.*
2 *Quid si teneatur ministrare ex officio.*
2 *Suscipiens curam animarum, quam obligationem suscipiat.*
4 *Habens curam animarum non tenetur cum periculo vitæ extraordinario ministrare viaticum.*
4 *Suscipiens in se casus fortuitos non censetur suscipere extraordinarios.*
5 *Pastores quando teneantur ponere animam pro ouibus.*
5 *Quisque tenetur plus amare salutem spiritualem proximi, quàm proprium corpus.*
5 *Obligatio specialis pastorum ad subueniendum ouibus.*
6 *Obligatio ministrandi viaticum in pastoribus vnde oriatur.*

1 Difficultas procedit tàm de eo, qui tenetur ex officio ministrare sacramenta, quàm de quocunque alio. Certum autem debet esse, quod nunquam tenebitur ministrare cum periculo vitæ, quando non debet ministrare ex officio. Quia charitas obligat solum exponere vitam pro salute spirituali proximi, quando est in extrema necessitate; Eucharistia autem non potest vnquam esse alicui necessaria tanquam extremè indigenti, quia, vt possit sumi, supponit gratiam, atque adeo quod sumpturus sit in statu salutis. Quod habet locum, etiam si non posset sumere aliud sacramentum, quia poterit sibi semper consulere per contritionem. Et quamuis fieri posset, quod esset tantum attritus, & tunc Eucharistia causaret primam gratiam, quia putaret se contritum, hoc est per accidens, nec innotescit talis necessitas exterius alicui, & proinde est incerta, & ideo non potest inducere obligationem subueniendi ex charitate. Vnde difficultas remanet quoad eos, qui tenentur ex officio.

2 Quod non teneantur cum periculo vitæ ministrare viaticum tradunt Maior. *in* 4. *dist.* 17. *q. vlt.* Philiarch. *de offic. sacerdot. lib.* 4. *cap.* 3. ver. *Dico* 3. Benzon. *lib.* 2. *speculi Episcop. seu de fuga &c. disp.* 2. *quæst.* 2. *conclus.* 5. *&* 6. ver. *Dico* 3. Rodriquez *part.* 1. *sum. cap.* 67. *num.* 2. Tabiena *verbo*. Episcopus. *num.* 5. Maiol. *de irregular. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 3. & alii, qui docent non teneri ministrare Eucharistiam peste infectis, quos in sequenti citabimus. Fundamentum est, quia viaticum non est necessarium ad salutem.

3 Dicendum 1. *Exercentes curam animarum teneri ministrare viaticum, cum periculo vitæ ordinario, & regulari, quod solet aliquando esse annexum* mi-

ministrationi viatici. Prob. Exercentes curam animarum, dum suscipiunt hoc munus, paciscuntur tacitè cum populis sibi commissis de opera sua quòad ministrationem sacramentorum, ita vt se obligent ad illa ministranda, & contra populus se obliget ad ipsos sustentandos vel mediis decimis, vel alio modo assignatis prouentibus. Ergo suscipiunt in se voluntariè pericula, quæ in tali officio exercendo occurrere possunt. Ergo tenentur stare iis periculis, & cum ipsis ex pacto inito implere proprium munus, alioquin deficient in proprio munere in re graui, & facient contra iustitiam. Sic milites, quia se obligant ad munia militaria, quæ in se includunt expositionem propriæ vitæ periculo mortis, tenentur ex iustitia illa implere, & subire huiusmodi periculum.

4 Dicendum 2, *Exercentes curam animarum non teneri ministrare viaticum cum periculo vitæ extraordinario, quod non trahatur ab exercitio proprii muneris, sed ab extrinseco adueniat*. Prob. Suscipiens aliquod munus censetur in se suscipere solum pericula annexa ex natura rei eidem muneri, & casus fortuitos consuetos, non autem insolita pericula, & casus inopinatos: siquidem suscipiens in se casus fortuitos, non censetur suscipere insolitos *l. Fistulas. §. Frumenta. ff. de contrahen. empt.* & tradunt Bart. *in l. Sed & siquis. §. Quæsitum*, ver. *Vbicunque dixi. ff. Siquis caut.* Ias. *num. 33*. Bald. *consil.* 145. ver. *Ille casus. num. 3.* & *in l. Falsitas. num. 31. C. de furtis.* Imola *in l. Pretia rerum*, ver. *Et nota diligenter. ff.* ad *leg. Falcid.* Barbat. *in cap. sedes. de rescrip.* Felin. *ibid.* ver. *Clausula generalis.* Alexan. *consil.* 28. *num.* 17. *vol.* 1. Ruin. *consil.* 77. *num.* 5. *vol.* 1. Beroius. *consil.* 177. *numer.* 5. *vol.* 1. Rub. *consil.* 153. *num.* 2. Crauet. *consil.* 99. *num.* 2. Neuizan. *consil.* 91. *n.* 5. Alciat. *consil.* 157. *num.* 7. Bec. *consil.* 82. *num.* 11. vbi plures citat. Surdus *consil.* 61. *numer.* 65. alios citans. Corn. *consil.* 128. ver. *Et insuper. vol.* 2. Afflict. *decis.* 150. *num.* 22. Gomez *tract. de contract. cap. 3. numer. 19. in fine*. Marchia *decis.* 62. *in fine. par.* 1. Ripa *de priuileg. con. cau. pest. num.* 97. Ergo neque suscipiens curam animarum se obligat ad omnia pericula insolita, & quæ non trahuntur ab ipsa cura; & proinde, quando non potest ministrare sacramenta, nisi cum insolito, & extraordinario periculo, & aliàs extrema necessitas non exigit, non tenetur cum tanto periculo ministrare.

5 Dices. Pastores tenetur ponere animam suam pro ouibus suis; ergo tenentur cum quocunque periculo ministrare sacramenta. Resp. Teneri ponere vitam pro ouibus, quando necessitas id exigit, ita vt salus spiritualis ipsarum id exigat. Non exigit autem, nisi sit in actuali periculo: & huiusmodi periculum innotescat Pastori, Instabis. Quando salus spiritualis periclitatur, non solum Pastores; sed etiam quicunque alius tenetur subuenire exponendo propriam vitam, nam quisque tenetur plus amare salutem spiritualem proximi, quam proprium corpus, vt tradunt communiter cum D. Th. 2. 2. *quæst. 26. artic. 5. in corpore*. Resp. Vnumquemque teneri subuenire proximo periclitanti in salute spirituali, si sit in extrema necessitate, ita vt non possit sibi subuenire. At pastores non solum obligantur in tali casu, sed etiam quotiescunque salus spiritualis periclitãs ex grauissima causa implorat officium pastoris, ita vt sine ipso non possit moraliter subsistere salus spiritualis ouium sibi commissarum.

6 Ad fundamentum in oppositum resp. Quod licet viaticum non sit absolutè necessarium ad salutem, debet tamen ministrari cum periculo vitæ ordinario, quod solet annecti officio, quia obligatio ministrandi non oritur ex necessitate præcisè, sed ex officio voluntariè assumpto cum omnibus periculis annexis, cum quibus se obligauit ad ipsum exercendum.

An

An tempore pestilentiæ teneantur Pastores ministrare infectis viaticum. Quæst. 292.

S V M M A.

1 *Pestilentiæ tempore an pastores teneantur ministrare Eucharistiam.*
2 *Declaratio Sacræ Congregationis circa ministrationem viatici tempore pestis.*
3 *Rationes ob quas pastores tempore pestis non teneantur ministrare viaticum.*
4 *Sententia opposita.*
5 *Tempore pestis regulariter tenentur pastores*
6 *Quid, si periculum sit certum, & euidens.*
7 *Pastores tempore pestis debent rationem habere omnium salutis.*
8 *Declaratio S. Congregationis circa ministrationem viatici tempore pestis, quomodo accipienda.*
8 *Nomine sacramenti poenitentiæ venit etiam viaticum.*
9 *Solutio facienda in certa specie non potest fieri per æquiualens, nisi creditor consentiat.*
10 *Parochus quando teneatur exponere vitam.*

1 DE hoc casu specialiter dubitatur, quia periculum mortis, cui se exponunt, non est certum. Prima autem sententia tenet, non obligari ad ministrandum viaticum, sed sufficere, si ministrent baptismum, & sacramentum poenitentiæ. Ita Maior. *in 4. dist. 17. quæst. ult.* Philiar. *lib. 4. de offic. sacerd. cap. 3. ver. Dico. 3. tom.* 1. Rodriquez *par. 1. sum. cap. 67. num. 2.* Tabiena *verbo*. Episcopus *num. 5.* Maiolus *de irregular lib. 2. cap. 20. num. 3.* Benzonus *de fuga &c. seu in speculo Episcop. lib. 1. disp. 1. quæstion. 1. conclus. 5. & 6. ver. Dico 3.* Marchin. *de peste par. 3. cap. 2. numer. 4. & sequent.* Diana *par. 5. tract. 3. resol. 53. vèr. Sed ipse.*

2 Afferunt autem declarationem S. Congregationis emanatam anno 1577. mense Decembri consentiente Pontifice, & missam Cardinali S. Praxedis nunc D. Carolo Borromeo tenoris sequentis. *Die 13. eiusdem mensis.* (Decembris.) *Congregatio censuit scribendas esse litteras in hanc formam. Parochi tempore pestis tenentur omnino residere in suis Ecclesiis parochialibus, & si non resideant, agendum contra eos ex decreto Concilii Tridentini capit. 1. sess. 25. & seruata forma ibi præscripta. Ministrent verò Parochianis peste infectis sacramenta Baptismi, & poenitentiæ, seu confessionis per alios.*

3 Prob. etiam. Peste infectus ritè confessus est in gratia, nec peccat non recipiendo viaticum, cum careat ministro. Ergo Parochus non tenetur ministrare cum vitæ periculo. Confir. Viaticum non est vnicum remedium ad vincendas tentationes. Ergo poterit Parochus supplere ieiuniis, orationibus, oblatione sacrificii. &c. Secundo. Tunc parochus tenetur exponere vitam, quando valde dubitat, plures salutem amissuros, nisi exponat, hoc autem iudicium non potest prudenter formari quoàd peste infectos, nisi eis ministretur viaticum.

4 Secunda sententia asserit, teneri ministrare. Ita Espenceus *in Epist. 1. ad Timoth. lib. digression. capit. 19.* Echius *hom. vlt. in Domin. 2. post Pascha.* Gabr. *in ser. Domin. 4. post Pentecost. quæstion. de fuga pest. conclus. 4. corol. 1. & 2.* Nauar. *cap. 24. Manual. num. 10. & cap. 25. num. 133.* Suarez *disp. 44. de poenit. sect. 3. numer. 17,* Posseuin. *de offic. curati cap. 8. num. 34.* vbi etiam Victorel. *in Addit.* Filliuc. *tract. 3. cap. 5. num. 99.* Mancin. *in pract. visit. instr. prac. 8. dub. 18.* Marchant. *in Candelab. tract. 6. de extrema vnct. lect. 3.* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 55. num. 2.* Tolet. *lib. 4. cap. 10. nu-*

num. 5. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *ar.* 6. Sà *verbo.* Charitas. *num.* 3. Facundez *præcepto* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. qui citat etiam Concil. Compostellanum *anni* 1566. *act.* 3. *cap.* 37. Faustus *lib.* 1. *de Eucharist. quæst.* 213. Capeauil. *De administr. sacramen. temp. pest. cap.* 4. *de Euchar. quæst.* 1.

5 Dicendum 1. *Exercentes ex officio curam animarum tenentur tempore pestis ministrare viaticum peste infectis regulariter loquendo.* Prob. Periculum contrahendi infectionem includitur in exercitio muneri. pastoralis, nempe in administratione sacramentorum: siquidem oritur ex eo, quod pastor administret sacramenta suis ouibus, quando sunt peste infectæ. Ergo suscipiens curam animarum, suscipit in se huiusmodi periculum, & obligationem ministrandi sacramenta ipso non obstante. Conseq. prob. Quia suscipiens curam animarum suscipit obligationem ministrandi sacramenta pro quocunque tempore, & occasione, in qua necessitas exiget ministrari, nec vllum excludit, atqua adeo nec etiam tempus pestilentiæ: vnde si non administret, non satisfacit muneri suo, quia iam se obligauit ad ministrandum cum illo periculo.

6 Dicendum 2. *Exercentes ex officio curam animarum non teneri tempore pestis ministrare viaticum, quando morbus ita grassatur, vt se exponant certo, & euidenti periculo mortis.* Quod præsertim tunc contingeret; quando pluribus esset ministrandum. Ratio est. Quia ratione sui officii non magis obligantur peste infectis, quàm coeteris in ordine ad ministranda sacramenta, nec magis vni ex peste infectis, quàm alteri. Ergo non tenentur se subtrahere aliorum necessitati quoàd sacramenta magis necessaria, vt sunt Baptismus. & Poenitentia, vt ministrent coeteris minus necessaria, quale est viaticum. Imo hoc non possunt facere stante æquali necessitate, nam quod est debitum, subtraherent vni, vt tribuerent alteri. Hoc autem contingeret, si ministrando viaticum se exponerent certo, & euidenti periculo mortis.

7 Dices. Si ipsi perirent, substituerentur alii, & proinde coeteri nullum damnum paterentur. Contra. Tempore pestis, maxime quando sæuit cum grauissimo periculo, non est ita facile inuenire, qui suscipiant curam animarum: & cum plures sacerdotes moriantur, multoties adest penuria ipsorum. Deinde hoc non tollit obligationem, quam habet quoàd omnes; & ideo adhuc tenentur ita aliquibus inseruire, vt in tanto periculo non se subtrahant coeteris.

8 Ad declarationem autem S. Congregationis allatam *num.* 2. respond. Non esse in forma authentica; & proinde non facere aliquam fidem iuxta Decretum Vrbani VIII. Deinde dato, quod de ipsa authenticè constaret, nihil iuuat priorem sententiam; nam emanauit per modum Decreti pro illo speciali casu pestis Mediolanensis, quæ maximè grassabatur; & proinde potuit habere locum, quod dictum est *num.* 6. pro secunda conclusione. Denique dato, quod esset vniuersalis, nihil ex ipsa habetur, quod faciat pro prima sententia, nam ibi non dicitur, quod Parochi non ministrent viaticum, sed quod per alios ministrent sacramenta Baptismi, & poenitentiæ: vnde potius intentio S. Congregationis, fuit quod ista sacramenta, quia cum maiori periculo ministrantur, vt pote quæ requirunt maius tempus, ministrentur per alios deputatos, vt Parochi magis se conseruent pro cura animarum; non autem quod sint exempti à ministratione viatici. Neque enim adest vllum verbum taxatiuum, aut exclusiuum aliorum sacramentorum. Adde, quod nomine sacramenti poenitentiæ venit etiam viaticum, vt decernitur in cap. *Quod in te. de poenit. & remis.* Quod etiam constat ex praxi subsequuta, siquidem post hanc declarationem adhuc in illa peste Mediolanensi fuit vniuersaliter ministratum viaticum.

9 Ad 1. in oppositum negat. conse-

seq. Quia obligatio ministrandi viaticum in Parocho non oritur tantum ex necessitate moribundi, & vt adimpleat præceptum, sed etiam ex munere ipsius non obstante periculo in ministrando, quia cum sit periculum præuisum, aut quod potuit præuideri, est etiam simul assumptum cum munere. Ad confir. neg. consequent. quia solutio, quæ ex obligatione est facienda in certa specie, non potest non consentiente creditore fieri per æquiualens, & ideo cum parochus ratione officii sit obligatus ministrare viaticum in specie, vt remedium contra tentationes, & hoc sit etiam in præcepto diuino, non potest loco ipsius aliud remedium exhibere.

10 Ad 2. Parochum teneri exponere vitam, non solum quando dubitat plures salutem amissuros, nisi exponat; sed etiam quando proprium officium id exigit. Cum autem se obligauerit ad illud exercendum cum periculis, quæ trahuntur ab administratione sacramentorum, & quæ præuideri potuerunt, exigit administrari cum his periculis tanquam voluntariè susceptis in susceptione muneris.

An Diaconus possit ministrare viaticum cum periculo vitæ, si Sacerdos nolit. Quæst. 293.

S V M M A.

1 *Punctum difficultatis.*
2 *Nolente sacerdote diaconus obligatus personaliter seruitio Ecclesiæ non potest ministrare viaticum cum periculo vitæ.*
3 *Quid si rationabiliter se exponeret periculo.*
4 *Quid si sit sui iuris.*
4 *Salus proprii corporis quando laudabiliter postponatur saluti spirituali proximi.*
5 *Voluntas interpretatiua quomodo attendenda.*

1 Difficultas procedit in casu, in quo neque ex iustitia, neque ex charitate teneatur, quia si in tali casu nollet sacerdos, quod ministraret, non esset attendenda eius voluntas tanquam iniqua, & quæ vellet peccatum Diaconi. De hoc autem casu nihil inuenio apud Doctores, & ideo ex principiis generalibus resoluendus est. Potest autem Diaconus considerari vel vt sui iuris, vel vt obligatus ad exhibendum seruitium personale Ecclesiæ, cui præest Sacerdos.

2 Dicendum 1. *Si Diaconus sit obligatus seruitio Ecclesiæ personaliter exhibendo, non potest cum periculo vitæ ministrare viaticum nolente sacerdote, qui præest eidem Ecclesiæ.* Ratio est. Quia Diaconus non est sui iuris, sed secundum propriam personam est addictus seruitio Ecclesiæ, & ideo non potest se ab ipso subtrahere absque licentia rectoris Ecclesiæ, alioquin læderet ius Ecclesiæ. Per id autem, quod se exponeret periculo vitæ, se subtraheret seruitio Ecclesiæ, nam se exponeret periculo, vt non posset amplius ipsum exhibere: atque adeo poneret in periculo debitum seruitium.

3 Hoc tamen limitandum est, vt solum habeat locum, quando irrationabiliter se exponeret periculo, quia tunc teneretur voluntatem propriam reducere ad terminos rationis, & se conformare voluntati rectoris. Secus autem, si rationabiliter se exponeret; seu ex aliqua necessitate, nam tunc exerceret actum insignem charitatis anteponendo vtilitatem spiritualem proximi propriæ vitæ, quamuis non ex aliqua obligatione. Non potest autem Rector Ecclesiæ impedire actus insignes virtutis suorum clericorum, præsertim quando ordinantur ad proxi-

ximum, cuius vtilitati incumbere debent: & ideo, si impediret, voluntas ipsius esset irrationabilis, & non sequenda.

4 Dicendum 2. *Si Diaconus sit sui iuris, poterit se exponere periculo mortis etiam contradicente sacerdote.* Ita sentire debent ii omnes, qui volunt, quod possit Diaconus ministrare viaticum contradicente sacerdote, quando ipse iniustè non vult administrare, nam est eadem ratio: siquidem irrationabiliter nollet Diaconum ministrare cum periculo vitæ, cum vita Diaconi ad se nihil spectet, & aliàs Diaconus laudabiliter faciat se exponendo periculo pro vtilitate spirituali proximi. Ratio autem est; quia cum sit sui iuris, potest vti propria vita secundum regulas charitatis, quia vtitur virtuoso modo; cum autem secundum regulas charitatis salus spiritualis proximi anteponenda sit propriæ saluti corporali, vt docent communiter cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *in corpore*; & ex obligatione, quando adest necessitas, laudabiliter, & secundum regulas charitatis anteponetur etiam seclusa necessitate; quia semper maius bonum anteponitur minori; vnde etiam ob vtilitatem spiritualem proximi licebit postponere propriam vitam; nec poterit quis in hoc ab aliquo rationabiliter impediri.

5. Dices. Diaconus non potest ministrare Eucharistiam, nisi ex commissione sacerdotis. Ergo, si nolit sacerdos, non poterit cum periculo vitæ ministrare. Resp. Non posse ministrare sine commissione vel expressa, vel saltem interpretatiua; in tali autem casu adhuc adesset commissio interpretatiua non solum maiorum sacerdotum, qualis est Episcopus, & Summus Pontifex, sed etiam inferioris sacerdotis; quia voluntas interpretatiua attenditur iuxta voluntatem se continentem intra terminos rationis; vnde cum inferior sacerdos velit salutem spiritualem proximi, ex hac voluntate elicitur voluntas interpretatiua, quod velit etiam adhiberi media congruentia ab omnibus pro ipsa; & ideo stare potest cum opposita voluntate expressa, dum expressa egreditur terminos rationis.

An Diaconus præferendus sacerdoti canonicè impedito in ministratione viatici? Quæst. 294.

SVMMA.

1 *In ministrando Diaconus præferendus sacerdoti canonicè impedito.*
2 *Non esse, & esse non legitimè, æquiparantur.*
3 *Diaconus legitimus minister Eucharistiæ, dum non adest sacerdos.*

1 Dicendum est, *Esse præferendum Diaconum sacerdoti canonicè impedito.* Ratio est. Quia licet sacerdos sit minister Eucharistiæ ex officio, & Diaconus tantum ex commissione, dum tamen sacerdos est canonicè impeditus, non est legitimus minister, atque adeo habendus est tanquã si non esset minister, siquidem non esse, & esse non legitimè, æquiparantur. *l. Quoties. ff. qui satisd. cogan.* & *l. Si autem nullum C. de legit. hered.* & cap. *Veniens. de presbiter. non baptizat.* & capit. *Fin. de restit. spoliat.* & inter alios notat Tusch. *littera P. conclus.* 87. *numer.* 1. *& sequent.* Vnde tanquam si non adesset sacerdos, ministratio viatici pertinebit ad Diaconum tanquam habentem tacitam, & interpretatiuam commissionem in defectum sacerdotis.

2 Dices. Canonicè impeditus in defectum alterius ministri potest ministrare viaticum, vt dictum est supra *quæst.* ... *numer.* 5. Ergo poterit mi-

nistrare, etiam si adsit Diaconus, quia in tali casu habetur pro non impedito, stante necessitate, & defectu cuiuscunque alterius ministri debiti? Resp. neg. conseq. Nam dum adest Diaconus, non adest necessitas, quæ cogat recurrere ad impeditum; quia adhuc adest minister legitimus, siquidem est legitimus minister deficiente sacerdote. Quamuis enim iuxta institutionem Ecclesiæ non possit ministrare, nisi in defectum sacerdotis, & ex commissione, attamen dum non adest, nisi sacerdos canonicè impeditus, censetur deficere quicunque sacerdos, quia hic tanquam prohibitus ab Ecclesia non connumeratur ex institutione Ecclesiæ inter ministros.

De ijs, quibus viaticum est ministrandum.

An omnibus peccatoribus, excommunicatis, hæreticis ministrandum sit viaticum. *Quæst.* 295.

S V M M A.

1 *Viaticum quibus antiquitus denegatum.*
1 *Viaticum omnibus peccatoribus, hæreticis, &c. ministrandum, si poeniteant.*
2 *Id sancitum in iure.*
3 *Cur viaticum poenitentibus non denegandum.*
4 *Excommunicatis an ministrandum viaticum, si parti non satisfecerint.*
4 *Satisfactio debet præcedere absolutionem ab excommunicatione.*
5 *Excommmunicato absoluto administrandum viaticum, si parti non satisfecerit intra tempus assignatum, cum potuerit satisfacere.*

1 QVamuis antiquitus Ecclesia denegauerit Eucharistiam, etiam in fine vitæ iis, qui idolis sacrificassent, etiam si poenitentiam egissent, vt desumitur ex Concil. Eliber. cap. *Placuit.* Siricio. 1. *Epist. ad Himarium Tarra on. Episc. cap.* 3. & ex Concilio Arelat. 1. *can.* 22. Modo tamen hæc lex obrogata est, et nulli peccatori poenitenti Eucharistia denegatur, vnde. Dicendum est. *Omnibus peccatoribus, excommunicatis, hæreticis, &c. ministrandum est viaticum, si poeniteant.* Ita communiter Doctores. Palud. *in 4. dist. 9. quæst. 4. ar. 1. conclus.* 9. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 13. §. 3. Tabiena *verbo.* Communicare. *num.* 64. Armilla *verbo.* Communio. *num.* 27. Syluester *verbo.* Eucharistia. 3. *num.* 7. Suarez *disp.* 69. *de Eucharist. sect.* 3. *in fine.* Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 5. *num.* 4. & *capit.* 56. *num.* 2.

2 Hoc autem est expressum in iure cap. *Qui recedunt.* & cap. *Is qui* & cap. *de his verò.* 26. *quæst.* 6. vbi decernitur, quibuscunque poenitentibus in articulo mortis dandam esse Eucharistiam. Et quoad excommunicatos specialiter statuitur in cap. *Tanta. dist.* 86. ibi. *Benedictione viatici non priuentur.* & quoad hæreticos etiam relapsos statuitur ab Alexandro IV. cap. *Super eo. de hæret. in* 6.

3 Ratio autem est. Quia Eucharistia est instituta à Christo ad fouendam vitam spiritualem mediante spirituali nutritione: atque adeo præcipuè pro articulo mortis, cum tunc maximè indigeat foueri, vnde etiam tunc vrget præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, vt dictum est supra *quæst.* ... *num.* 3. & *in Theologia morali disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 13. Ergo stante huiusmodi præcepto debet ministrari omnibus peccatoribus, si poeniteant. Conseq. prob. Ex vi præcepti sumendi viati-

cum

cum consurgit obligatio ministrandi in Pastoribus, & non potest aliquid obstare, nisi indispositio subiecti: eo ipso autem, quod poenitent, disponuntur ad sumendum viaticum.

4 Dicendum 2. *Quando excommunicatio est coniuncta cum obligatione satisfaciendi parti, non potest ministrari viaticum excommunicato, nisi parti satisfecerit eo modo, quo tunc potest, nempe aut realiter, aut mediante cautione exhibendo pignora, aut fideiussores, aut iurando, quod satisfaciet, quando primò poterit.* Ratio autem est; Quia hæc satisfactio debet præcedere absolutionem ab excommunicatione, vt statuitur in cap. *Solet.* & in cap. *Venerabilibus. de sent. excommunicat. in 6.* Ergo à fortiori, nisi satisfecerit, non poterit recipere viaticum.

5 Verum difficultas est, an si quando excommunicatus absolutus est ab excommunicatione promisit iuramento satisfacere, & antequam sumat viaticum, elapsum est sufficiens tempus, in quo potuerit satisfacere, & non satisfecit, an sit ministrandum viaticum, antequam satisfaciet. Ratio dubitandi est, quia dum non satisfecit, non videtur habere firmam voluntatem satisfaciendi. Resp. Si commodè differri possit ministratio viatici, & etiam commode satisfacere possit, esse differendam, donec satisfaciat: secus autem, si non possit commodè differri. Ratio est, Quia infirmus, cum non possit per seipsum exequi, sed indigeat ministerio aliorum, non videtur esse in culpa, si etiam ex quadam negligentia non fuerit parti satisfactum: & ideo in hoc casu benignè procedendum est, & relinquendus rigor, & compatiendum infirmo, si morbi angustiis oppressus, non satisfecerit, præsertim, quia non censetur vrgere obligatio, nisi quando moraliter poterit satisfacere, quæ moralis potentia videtur deesse, dum oppressus infirmitate iacet.

An viaticum ministrari possit publico vsurario.

S V M M A.

1 *Vsurarius publicus non debet absolui, & ad viaticum admitti, nisi restituat vsuras.*
2 *Quid si habeat pro se opinionem probabilem pro iustitia contractus.*
3 *Stante opinione probabili vsuræ retineri possunt.*
4 *Sacerdos putans falsam opinionem probabilem poenitentis circa vsuras, an debeat absoluere.*
5 *Quid si fallatur poenitens putans esse iusta lucra, quæ sunt vsuræ, cum ignorantia culpabili.*
6 *Quid si cum ignorantia inuincibili.*
7 *Quando teneatur monere.*
8 *Sacerdos in confessione iudicat inter Deum, & hominem.*
9 *Confessarius, si adsit scandalum, monere debet poenitentem errantem inuincibiliter.*
10 *Scandalum actiuum tolli debet, etiam si aliàs non imputetur.*
11 *Poenitens, quando excusatur à peccato, non debet illaqueari.*
12 *Confessarius se conformans opinioni poenitentis, quando agitur de restitutione, an faciat iniuriam tertio.*
13 *Confessarius quomodo debeat indicare poenitentem.*
14 *Confessarius cur non teneatur monere poenitentem, quando reuera tenetur restituere, &c. si cognoscit monitionem non profuturam.*
14 *Confessarius cognoscens matrimonium nullum ex occulto impedimento non tenetur monere, si cognoscit monitionem non profuturam.*

---

1 QVuod ministrari possit, si verè poeniteat, constat ex dictis in *quæst. præcedenti.* Est tamen aduertendum, non posse absolui,

ui, aut ad viaticum admitti, nisi restituat, quod per vsuram lucratus est, aut nisi det cautionem restituendi; si tunc non possit vel mediis pignoribus, vel media fideiussione, vel saltem iuramento promittat restituere. Ita Alexander III. *in concil. Lateran. cap.* 25. & refertur in cap. *Quia in omnibus. de vsur.* & Gregor. X. *in cap. quamquam. de vsuris in* 6. Vnde est eadem ratio de ipsis, ac de excommunicatis, qui sunt obnoxii satisfactioni. Difficultas autem est, an in conflictu, in quo sacerdos putaret contractus vsurarios, ipse verò putaret iustos, possit absolui, & ad viaticum admitti, In qua difficultate plures casus distinguendi sunt. Primus est, si poenitens habeat reuerà pro se opinionem probabilem. Secundus; si non habeat pro se opinionem verè probabilem, sed ex ignorantia culpabili putet contractum esse licitum, & proinde nolit restituere. Tertius si nō habet pro se opinionem probabilem, sed ex ignorantia inuincibili putet suos contractus esse licitos.

2 Dicendum 1. *Si poenitens habet pro se opinionem probabilem, debet absolui, & admitti ad viaticum, quamuis sacerdos non sequatur talem opinionem.* Ita communiter Doctores, dum contra nonnullos adhibentes diuersas distinctiones, docent absolutè, Confessarium debere se conformare opinioni poenitentis, si reuera probabilis sit Adrian. *in 4. quæst. 5. de confessione. dub.* 7. Nauar. *cap. 26. Manual. num.* 4. *ver. Sextò*, Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 5. *in fine*. Angelus *verbo*. Confessio 4. *num.* 2. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controuer.* 2. *conclus.* 4. Medina 1. 2. *quæstion.* 19. *ar.* 6. *dub. Antepenul.* Ouand. *in* 4. *dist.* 17. *proposit.* 33. Valent. *tom.* 3. *sum. disp.* 5. *quæst.* 4. *pun.* 4. *in fine.* Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 26. *num.* 6. Victoria *in sum. num.* 17. Vasquez 1. 2. *disp.* 62. *capit.* 7. Salas *tract.* 8. *disp. vni. sect.* 9. Azor. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæstion.* 10. Suarez *disp.* 67. *de poenitent. sect.* 3. *ver. Inter has*. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. cap.* 4. *numer.* 53. *docum.* 7. Facundez *præcep.* 3. *Ecclef. lib.* 3. *cap.* 20. *numer.* 10. Filiuc. *tract.* 7. *cap.* 12. *num.* 368. Sayr. *lib.* 1. *Clau. reg. cap.* 9. *numer.* 13. Perez *certam.* 10. *scholast. num.* 91. Pontius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 25. *numer.* 8. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 33. *n.* 54. & *disp.* 44. *num.* 10. *ver. Sed valde*. Gordon. *lib.* 1. *theol. mor. quæst.* 9. *num.* 33. Montesin. 1. 2 *quæstion.* 5. *disp.* 29. *num.* 193. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. quæst. vlt. pun.* 4. §. 2. *num.* 27. Bresserus *lib.* 3. *de conscient. cap.* 48. *numer.* 91. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tr.* 1. *disp.* 2. *pun.* 4. Tolet. *lib.* 3 *cap.* 20. *num. vlt.* Valerus *in different. vtriusq. fori. verbo.* Opinio. *different.* 2. *numer.* 2. Posseuin. *de offic. Curati capit.* 7. *numer.* 52. Polanch. *in director. confessor. capit.* 1. §. *De predent. confessor,* Coriolan. *de casib. reseruat. par.* 1. *sect.* 2. *art.* 3. *numer.* 2. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *resol.* 11. Nugnus 3. *par. quæst.* 8. *supplem. ar.* 4. *dub.* 4. Siluius *artic.* 2. *quæsita.* 2. *casu* 2. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 1. *difficul.* 12. *num.* 1. Coninch. *de sacram. disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 135. Fernandez *par.* 3. *Examin. theol. mor. cap.* 6. §. 9. *numer.* 25. Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 9. *num.* 29. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 8. *artic.* 4. *dub.* 6. Rodriquez *tom.* 1. *sum. capit.* 62. *numer.* 11. *in* 2. *edit.*

3 Ratio autem est. Quia dum poenitens habet pro se opinionem probabilem, non peccat non restituendo vsuras, sed honestè operatur, quia stante tali opinione illæ vsuræ sunt iusta lucra, nec obnoxia restitutioni; & proinde nihil interuenit, quod tollat debitam dispositionem poenitentis in ordine ad absolutionem, & recipiendum viaticum.

4 Dicendum 2. *Etiam si sacerdos putet, non licere sequi opinionem minus probabilem, & existimet opinionem poenitentis esse minus probabilem, aut etiam falsam, debet absoluere, & ministrare viaticum*. Ita Sotus *in* 4. *disp.* 18. *qu.* 2. *ar.* 5. *ad* 5. Valent. *tom.* 3. *sum. disp.* 5. *quæstion.* 7. *pun. vlt. in fine.* Sanchez *lib.*

lib. 5. sum. cap. 9. num. 30. Ratio autem est. Quia iudicium confessarii putantis non posse amplecti opinionem minus probabilem, aut iudicantis aliquam opinionem esse falsam, non immutat qualitatem opinionis, & ideo, si licet sequi opinionem minus probabilem, & reuera opinio est probabilis, quia vt talis traditur ab aliis Doctoribus, poenitens illam sequendo honestè operatur, neque in hoc exhibet materiam peccati, vt propterea sacerdos habeat facultatem, ligandi, seu retinendi peccata tanquam indispositi, & denegandi Eucharistiam.

5 Dicendum 3. *Si poenitens ex ignorantia culpabili, putet vsuras esse iusta lucra, & proinde nolit restituere, sacerdos nec potest absoluere, nec illi viaticum ministrare; sed debet monere, vt ab errore resipiscat, & si non resipiscat denegare sacramenta.* Ita Gutierez *de matrim. cap. 48. numer. 3.* Suarez *disp. 32. de poenit. sect. 4.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 38. num....* Laiman *lib 5. theolog. moral. tract. 5. cap. 13. num* 5. Villalob. *par. 1. sum. tract. 1. difficul. 12. numer. 4.* Coninch. *de sacram. disp. 8. dub. 17. num. 136.* Filliuc. *tr. 7. cap. 12. num. 136.* Bartholom. Cadena *in sum. tit. de sacram. poenitent. difficul. 4.* Bossius *de matrim. cap. 2. n. 88.* & *part. 1. opuscul. moral. tit. 1. §. 23. num. 245.* Ratio autem est. Quia dum ignorantia est culpabilis, voluntariè vult perseuerare in peccato, siquidem talis ignorantia non excusat à peccato, præsertim cum de errore moneatur, & proinde est indispositus, & incapax sacramenti poenitentiæ, & Eucharistiæ.

6 Dicendum 4. *Si poenitens ex ignorantia inuincibili putet vsuras esse lucra iusta, Si cognoscit sacerdos, quod monitus resipiscet, debet admonere; si verò probabiliter timet, quod non resipiscet, & non adest scandalum, potest, ac debet ipsum relinquere in sua ignorantia, & admittere ad sacramenta; si tamen adest scandalum, debet adhuc monere, & si non resipiscat, denegare sacramentum poenitentiæ, & viatici.* Ita Suarez *disp. 32. de poenit. sect. 4. num. 4.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 38. num. 6.* Bossius *de matrim. capit. 2. §. 17. num. 90. & seq.* Henriquez *lib. 6. sum. cap. 26. num. 6.* Nauar. *in cap. siquis autem num. 69. de poenit. dist. 7.* Coninch *de sacram. disp. 8. dub. 17. num. 145.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 1. difficul. 12.* Valer. *in different. vtriusq. fori. verbo.* Opinio. *different. 2. n. 2. & seq.*

7 Quod teneatur admonere, si speret, quod resipiscat, ex eo sequitur, quia ratione officii tenetur perducere vsurarium in rectam viam, & reconciliare Deo; & proinde, licet excusetur à peccato ob ignorantiam inuincibilem, non debet relinqui cum tali ignorantia, sed debet instrui, cum, se subiiciat directioni sacerdotis.

8 Quod autem si desperetur emendatio, & absit scandalum, possit relinqui in sua ingnorantia, & admitti ad sacramenta ex eo colligitur; quia iudicium sacramentale fori poenitentialis est inter Deum, & poenitentem, quatenus ipsum offendit; vnde ad sacerdotem tanquam repræsentantem tribunal Christi, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5. de poenit.* spectat solum iudicare de offensis Dei. Vnde cum in tali casu non interueniat peccatum, seu offensa Dei, quamuis actio materialiter sit mala, non interuenit materia huius iudicii, & ideo potest sacerdos ipsum absoluere, relinquendo in sua ignorantia, cum non relinquat in statu peccati, & admittere ad Eucharistiam, cum non habeat obicem.

9 At si adsit scandalum, quod debeat commonere omnino de errore, siue adsit spes emendationis, siue non, ex eo conuincitur, quia ratione ignorantiæ inculpabilis malè operatur, ita vt operatio secundū se mala sit, quamuis non imputetur, & proinde scandalum, quod inde oritur, est scandalum actiuum, quod tenetur tollere; & si non tollit, est in statu peccati, & proinde tenetur confessarius admonere iux-

iuxta illud Actor. 20. *Mundus ergo sum à sanguine omnium vestrum; non enim subterfugi quominus annunciarem vobis omnem veritatem*; & illud Ambrosii. serm. 83. *Malo vos contumaciæ vestræ rationem reddere, quàm me veritatis dissimulatæ.*

10 Dices. Dum ratione ignorantiæ inuincibilis excusatur à peccato, excusabitur etiam à scandalo, quia in tantum est causa scandali, in quantum peccati: vnde adhuc poterit relinqui in suo statu. Resp. Non posse excusari à scandalo, quia scandalum generatur ex actione secundum se mala; cum ipse sit causa talis actionis, quæ est obiectum scandali, est etiam causa scandali. Et quamuis ipsi stante ignorantia, non imputetur scandalum, sicut nec imputatur peccatum, attamen quia reuera in proximo scandalum generatur, & est scandalum actiuum, debet sacerdos prouidere, vt tollatur, & admonere poenitentem suæ obligationis, prout respicit proximum: quia concurrente proximo innocenti, & pœnitente in errore, debet potius illi prospici, quàm isti.

11 Ex dictis colligitur. Id, quod dictum est de vsurario, procedere etiam de quocunque alio peccatore siue in ordine ad peccata, siue in ordine ad satisfactionem alteri exhibendam, siue in ordine ad restitutionem, cum sit eadem ratio. Si enim excusatur à peccato siue ratione opinionis probabilis, siue ex alio capite, non debet illaqueari, nec debet iudicari in foro poenitentiæ tanquam reus. Præsertim quia confessarius, vt notant Henriquez *lib. 6. sum. cap. 26. num. 6.* Valer. *in different. vtriusq; fori verbo* Opinio *differen. 2. num. 2.* Bossius *tom. 1. moral. tit. 1. §. 23. num. 146.* debet amplecti benigniorem partem in fauorem poenitentis.

12 Dices. Si confessarius se conformet opinioni poenitentis, quando agitur de satisfactione alteri exhibenda, aut de restitutione, facit iniuriam is, quibus est satisfaciendum, aut restituendum, qui multoties possunt habere pro se opinionem probabiliorem. Ergo non potest se conformare. Resp. Non facere iniuriam: quia sicuti stante illa opinione probabili poenitens non subiicitur peccato, ita neque coram Deo obligatur ad satisfaciendum, aut restituendum: & ideo sacerdos, cum iudicet poenitentem, sicut coram Deo debet iudicari, non facit alicui iniuriam.

13 Instabis. Iudex in iudicando debet sequi communiorem, & probabiliorem opinionem. Ergo etiam confessarius, & proinde debet obligare poenitentem ad satisfaciendum, & restituendum, saltem quando pars habet pro se opinionem probabiliorem. Respon. neg. conseq. Quia confessarius non iudicat inter poenitentem, & partem, sed inter poenitentem, & Deum, & ideo debet iudicare secundum habitudinem, quam habet ad Deum, secundum quam non se habet, vt offensor, nec vt obligatus ad satisfaciendum, seu restituendum; siquidem probabilis opinio, sicut facit, quod coram Deo honestè operetur, ita etiam, quod non subsit peccato, nec obligationi satisfaciendi, & restituendi.

14 Sed rursus instabis. Ergo saltem quando reuera poenitens debet restituere, aut satisfacere, & ex ignorantia inuincibili putat se non obligari, erit monendus de obligatione, etiam si monitio cognoscatur non profutura. Resp. neg. conseq. Quia iudex in sacramento poenitentiæ tendit solum ad reconcilandum hominem Deo; & ideo cum stante ignorantia inuincibili, non impediatur reconciliatio huiusmodi, non debet sacerdos monere, quando videt monitionem non profuturam, quia non spectat ad ipsum curare interesse temporale alienum, sed tantum spirituale poenitentis, & ideo debet omittere monitiones non profuturas, imo ex mala dispositione ipsius nocituras; sicut medicus omittit medicinas alioquin aptas, quando cognoscit nocituras ex praua dispo-

si-

sitione infirmi. Sic etiam communiter docent, quod confessarius cognoscens matrimonium nullum ex occulto impedimento, non debet monere, quando monitio esset nocitura, & tamen hoc posset præiudicare alteri, vt si vir haberet filios ex alia vxore, nam hi minus participabunt de bonis paternis. Ita Ledesm. 2. *par.* 4. *quæst.* 8. *art.* 4. *dub.* 9. Canus *relect. de pœnit. par.* 5. §. *Atque hic ego.* Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 27. *num.* 24. Io. Medina C. *de confes. tract.* 2. *quæst. de confes. dimidiat. iteran.* Corduba *in sum. quæst.* 189. *pun.* 1. & 6. Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disp.* 38. *num.* 20. & faciunt tex cap. *Siquis autem. de pœnitent. dist.* 7. & cap. *De viduis* 27. *causa* 2. *quæst.* 1. Et ratio generalis est. Quia cum ignorantia excuset à peccato, ad monitio iniiceret laqueum, & constitueret absque fructu in malo statu: vnde confessio operaretur finem oppositum proprio fini, quia non esset in bonum, sed in detrimentum pœnitentis.

An peccatori occulto sit ministrandum viaticum. Quæst. 297.

SVMMA.

1 *Peccatori occulto publicè petenti ministranda sacramenta.*
2 *Viaticum ministrandum peccatori occulto.*
2 *Denegatio sacramenti quid requirat, vt habeat locum.*
3 *Habet vim sententiæ de indignitate.*
3 *Sententia certa non potest proferri super re dubia.*
4 *Peccator an habeat ius ad Eucharistiam.*
5 *Sacerdos an secundum scientiam priuatam possit denegare sacramenta.*
6 *Præceptum non ministrandi sacramenta indignè est negatiuum: non vero non ministrandi indignis.*

1 Quod peccatori occulto publicè petenti sine ministranda sacramenta, est communis omnium sententia, fundata in facto Christi, qui, quamuis Iudas indignus esset, & ipsius indignitas probè nota esset Christo, nihilominus Eucharistiam in vltima cœna illi ministrauit. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 90. *artic.* 6. *in corpore.* Caiet. *ibid.* Nugn. *ibid. difficul.* 2. *conclus.* 1. & 2. Syluius *quæsito* 2. *ver. Cæterum quando.* Præposit. *numer.* 31. ver. *Dico* 2. Chellison. *ver. Dico* 3. D. Bonauen. *in* 4. *dist.* 9. *ar.* 2. *quæstion.* 4. Alens. *par.* 4. *quæst.* 11. *memb.* 2. *ar.* 3. §. 1. *in corpore.* Syluester *verbo* Eucharistia. 3. *num.* 7. Armilla *num.* 22. & 27. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 6. Pitigian. *dist.* 9. *quæst.* 1. *ar.* 15. Nauar. *cap.* 21. *manual. num.* 55. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disp.* 16. *numer.* .. Suarez *disp.* 18. *de sacram. sect.* 2. *in med.* Rodriquez *par.* 1. *sum. capit.* 68. *num.* 4. Angles *quæst.* 2. *de Euchar. ar.* 4. *conclus.* 1. Henriquez *lib.* 1. *sum. capit.* 30. *num.* 5. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *capit.* 38 Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 6. *quæst.* 8. *pun.* 3. *ver. Quartò peccatori.* Reginald. *lib.* 26. *praxis fori pœnitent. num.* 62. Viuald. *cap.* 3. *de sacrament. in genere. num.* 12. *conclus.* 2. Possenin. *de offic. curati. cap.* 5. *numer.* 13. Camerota *de Euchar. dub.* 19. Filliuc. *tr.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 10. Bartholom. ab Angelo *Dialogo* 4. §. 36. Bonac. *disp.* 1. *de sacramen. quæst.* 6. *pun.* 4. *num.* 4. Vasquez 3. *par. disp.* 209. *cap.* 3. Goninch *de sacram. quæstion.* 80. *artic.* 6. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 18. *disp. vn. pun.* 14. *num.* 3. Gasp. Hurtad. *de sacram. disp.* 9. *de Eucharist. difficul.* 9. & alii in materia de sacramen. Et desumitur ex cap. *Si tantum. &* q. 2. vbi Glosa, & cap. *Non prohibeat. de consecrat. dist.* 6. vbi item Glosa, & cap. *Si sacerdos. de offic. ordin.*

2 Hinc dicendum est, *Peccatori oc-cul-*

culto esse ministrandum viaticum. Sequitur ex dictis, quia quando petit viaticum, publicè petit, & publicè ministrandum est: vnde sumus in casu de peccatore publicè petenti. Varias rationes afferunt Doctores, quarum præcipuas examinat Vasquez 3. *par. disp.* 209. *cap.* 3. Sed ea videtur esse vera ratio fundamentalis, quæ colligitur ex dictis tex. cap. *Si tantum.* 6. *quæst.* 2. ibi. *Quamdiu probare non potest, nihil proferat*; & cap. *Si sacerdos. de offic. ordinar.* ibi. *Nisi iudiciario ordine quis probare potest, non debet eum arguere nominatim*. Quibus significatur, quod cum denegatio Eucharistiæ, aut alterius sacramenti sit quædam declaratio indignitatis, & redargutio determinatæ personę de scelere, non potest habere locum, nisi interueniat sufficiens fundamentum: non interuenit autem sufficiens fundamentum, quando peccatum est occultum, quia quod est occultum, non potest esse sufficiens fundamentum publicæ declarationis.

3 Ratio autem est, quia cum ista declaratio habeat vim sententiæ, per quam facto ipso pronunciatur indignus sacramento, & priuatur participatione ipsius, requiritur tale fundamentum, quod sufficiat ad hanc publicam declarationem, qua arceatur à perceptione sacramentorum. Ergo sicut sententia certa non potest proferri super re dubia cap. *Graue.* 11. *quæstion.* 1. & cap. *Iudicantem.* 3. *quæst.* 5. vbi Eleuterius Papa hoc scribit ad prouincias Galliæ, & cap. *Habuisset dist.* 33. vbi hoc ipsum decernitur à Gregorio Pontifice; ita neque sententia publica fundari potest super delicto occulto, aut aliquid, quod virtualiter vim habeat sententiæ, quale est publicè arcere à sacramentis. Vnde sicut iudex iniustè iudicaret, si delictum occultum puniret: ita etiam si ob delictum occultum sacerdos arceret à sacramentis, iniustè arceret.

4 Dices. Peccator, quamdiu in peccato manet, non habet ius ad Eucharistiam; imo petendo grauissimè peccat. Ergo potest sacerdos sine iniustitia ipsum arcere. Resp. Non habere quidem ius ad Eucharistiam petendam, quia non est instituta pro peccatoribus: habere tamen ius, ne publicè arceatur, dum delictum est occultum; sicut reus habet ius, ne damnetur, & ad absolutionem, quamdiu delictum est occultum, & is, cuius fama læsa est ob manifestationem criminis occulti, habet ius ad restitutionem. Si ergo sacerdos publicè arceret, iniustè ageret, quia declararet publicè criminosum, quem non potest declarare. Vnde D. August. *lib. de medicina pœnitent. capit.* 3. habet, nos non posse quemquam prohibere à communione, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, & conuictum. Quia nimirum, vt dictum est, talis prohibitio habet vim sententiæ publicæ, quę requirit pro fundamento delictum publicum.

5 Instabis. Si Sacerdos posset in publico aliqua subtili inuentione prætermittere peccatorem occultum, aut consumando omnes hostias antequam ad illum perueniret, aut alio modo, teneretur id facere. Ergo etiam ex scientia priuata potest arcere: & proinde potest secundum ipsam se regulare. Resp. Quicquid sit de antecedenti, posse se regulare secundum scientiam priuatam, quando priuatè arcet, non autem quando publicè; quia, vt dictum est, priuata notitia non sufficit pro publica declaratione quando autem subtili inuentione ipsum præterit, quia talis præteritio non innotescit coeteris, habet vim priuatæ prohibitionis, siquidem est occulta, nec declarat ipsum indignum sacramentis.

6 Dices 2. Præceptum non ministrandi indignis sacramenta est negatiuum; & proinde obligat semper, & pro semper. Ergo nunquam licebit administrare siue publicè, siue priuatè petant. Resp. Aliud esse ministrare indignis, & aliud ministrare indignè: primum dicit, quod indignitas sit ex par-

parte subiecti; quæ proinde facit receptionem indignam; secundum dicit, quod indignitas se teneat ex parte actionis ministrandi. Præceptum ergo, quia cadit supra ministrationem tanquam supra materiam, quam prohibet, prohibet solum ministrare indignè, seu ministrationem, quæ ex parte ministrantis fiat indigna, non autem ministrare indignis, aloquin Christus ministrando Iudæ exercuisset actionem malam. Quando ergo sacerdos peccatori publicè petenti ministrat, ministratio non est indigna, imo facit, quod debet, ita vt si negaret, iniustè ageret, quia nimirum talis ministratio non est contra regulas rectæ rationis, sed secundum ipsas. Hinc etiam corruit argumentum, quod ministratio indigna sit contra digniorem, & perfectiorem virtutem, nempe religionem; & denegatio sit contra iustitiam, quæ est inferior virtus, & proinde hæc deberet cedere, nam cum in tali casu ministratio non sit indigna, vt ostensum est, non habet locum obiectio, quæ procedit ex suppositione, quod sit indigna, vt pote contra religionem.

An amentibus sit ministrandum viaticum. Quæst. 298.

S V M M A.

1 *Duplex genus amentium:*
1 *Amentibus à natiuitate non ministratur Eucharistia.*
2 *Hebentibus lucida interualla ministratur.*
3 *Perpetuò amentibus an ministranda Eucharistia per modum viatici, & num. seq.*
5 *Quid statuant canones.*
6 *Pastores tenentur ministrare sacramenta omnibus, quando vrget præceptum.*
7 *Amentes capaces sunt Eucharistiæ.*
8 *Eucharistia an exponatur periculo irreuerentiæ, si ministretur amenti.*
9 *Præceptum seipsos probandi ante Eucharistiam quos afficiat.*
10 *Quid sufficiat, vt amentibus possit ministrari viaticum.*
11 *Amentibus à pueritia, antequam sumerent Eucharistiam, an ministrandum viaticum.*
12 *An amentibus ante vsum rationis, qui postea habuerunt lucida interualla, & postea perpetuam amentiam.*

1 Amentes sunt in duplici genere, quidam sunt tales à natiuitate, aut ante vsum rationis, quidam verò facti amentes post vsum rationis. Quod spectat ad amentes prioris generis, quamuis sint capaces effectus Eucharistiæ, si sint baptizati, quia sunt in statu gratiæ, quæ proinde augeri potest, ex consuetudine tamen non solet ministrari neque etiam in articulo, vt notat etiam Vasquez 3. *par. disp.* 212. *cap.* 3. *numer.* 26. Quia cum non possint peccare, nec etiam indigent corroboratione, & auxiliis contra tentationes, quæ cohibentur per Eucharistiam. Fateor tamen, quod adhuc plurimum ipsis prodesset Eucharistia, nempe ad augmentum vitæ spiritualis, qua viuunt, & consequenter ad augmentum gloriæ. Non tamen ministratur, quia requirit Ecclesia in suscipiente, saltem voluntatem interpretatiuam, quæ in ipsis esse non potest.

2 Quod verò spectat ad amentes secundi generis, certum est, quod si habent lucida internalla, possit ministrari, si se probent per confessionem, & disponant ad ipsam congruè suscipiendam; nam pro illo se habent, ac si non essent amentes, & proinde possunt admitti, quoties congruum fuerit. Solum ergo difficultas est de perpetuò amentibus post vsum rationis, an sit ipsis ministrandum viaticum, cum sint capaces effectus sacramenti.

3 Prima sententia asserit non esse ministrandum viaticum amentibus. Ita Alens. *par.* 4. *quæstion.* 11. *mem.* 2. *artic.* 3. §. 1. *ver. Consequenter quaritur.*

tur. Gabr. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Quorum fundamentum est, quia non possunt seipsos probare iuxta præceptum in Epist. *ad Corinth. cap.* 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* & ideo nec etiam possunt recipere Eucharistiam.

4 Secunda tamen sententia, & communis affirmat, posse ministrari viaticum perpetuo amentibus, dummodo, quando inciderunt in amentiam, non constet, fuisse in statu peccati, aut si fuerunt in statu peccati, dederint ante amentiam signa poenitentiæ, & insuper absit periculum irreuerentiæ. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 80. *art.* 9. Syluius, Mercer, Præposit. Chellison. *ibid.* Palud. *in* 4. *dist.* 9. *q.* 4. *ar.* 2. Carthus. *quæst.* 4. Sotus *dist.* 12 *quæst.* 1. *ar.* 9. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 12. §. 3. Caiet. 3. *par. quæst.* 79. *art.* 1. §. *superest.* Nauar. *in Manuali cap.* 20. *numer.* 27. Petrus Sotus *lect.* 8. *de Encharis. circa finem.* Syluester *verbo*. Eucharistia 3. *num.* 7. Angel. *num.* 14. Victoria *in sum. num.* 83. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 12. *ar.* 9. *dub.* 1. Henriquez *lib.* 8. *de Encharis. capit.* 42. *numer.* 3. Petrus Ledesma *par.* 1. *sum. capit.* 13. *de Euchar. conclus.* 8. Riccard. *ar.* 15. §. *Hunc aggressus*. Suarez *disp.* 68. *de Eucharis. sect.* 2. *dub.* 3. Vasquez 3. *par. disp.* 212. *capit.* 3. *num.* 21. Ilamber. *quæst.* 80. *disp.* 4. *ar.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 4. *num.* 2. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 9. *de Eucharis. difficul.* 20. Ochagauia *tra.* 2. *de Euchar. quæst.* 13. *numer.* 8. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. capit.* 42. Laiman *lib.* 4. *theol. mor. tract.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 3. Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 9. *numer.* 72. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæst.* 6. *pun.* 1. *init.* Palaus *par.* 5. *oper. moral. trac.* 21. *disp. vnica. pun.* 10. *num.* 7. Martinon. *disp.* 36. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 5. Hieronim. Garzia *par.* 1. *sum. tr.* 3. *difficul.* 4. *pun.* 1. *numer.* 6. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.* 5. *tit. de recipientib. Eucharis. quæstion.* 3. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *dub.* 4. *numer.* 3.

5 Dicendum est. *Viaticum ministrari posse perpetuò amentibus, quando post vsum rationis inciderunt in amentiam, supposito, quod non constet fuisse in statu peccati mortalis, quando amentes facti sunt, & quod non adsit periculum expuitionis Eucharistiæ, aut alterius irreuerentiæ.* Desumitur ex Concil. Cartaginensi IV. *can.* 74. & refertur in cap. *Is, qui.* 26. *quæst.* 6. & loquitur de iis, qui nullo modo confiteri potuerunt ob superuenientem amentiam. Similia habentur in Concilio Arausicano *cap.* 3. relato in capit. *Qui recedunt. eadem causa, & quæstion.* & in Concil. Toletano 2. *can.* 11.

6 Ratio autem est. Quia pastores tenentur ministrare Eucharistiam suis ouibus, quotiescunque vrget præceptum sumendi, vt nimirum possint illud adimplere, nec possunt eam denegare, nisi constet esse indignos; imo etiam si sciant, esse indignos, dummodo indignitas occulta sit, & publicè peniteant, tenentur ministrare, vt ostensum est *quæstion. præcedenti*. Ergo cum non constet, amentes perpetuos esse indignos, siquidem non constat, vt supponitur, quod fuerint in statu peccati, quando inciderunt in amentiam, tenẽtur pastores ipsis viaticũ ministrare. Præsertim quia fieri potest, quod quando inciderunt in amentiam, licet non fuerint in statu gratiæ, fuerint tamen attriti, & tunc Eucharistia per accidens conferret primam gratiam.

7 Dices. Non esse capaces talis sacramenti, quia cum non vtantur ratione, non possunt discernere inter cibum, & cibum, nec humano modo sumere. Contra. Quia neque infantes possunt discernere, nec humano modo manducare, & tamen antiquitus illis ministrabatur, vt desumitur ex Concilio Trident. *sess.* 21. *cap.* 4. Deinde vt possint sumere humano modo, & discernere inter cibum, & cibum, non est necesse, quod actu discurrant, sed sufficit, quod aliquando habuerint notitiam sacramenti, & quod christianè vixerint, nam ex hoc sequitur, quod vir-

virtualiter discernāt, & habeant voluntatem interpretatiuam sumendi, quæ etiam ex praxi Ecclesiæ sufficit pro aliis sacramentis. Denique quod sumere debeant humano modò, & præcedente voluntate suscipiendi, habetur solum ex praxi Ecclesiæ, non autem est necessarium ex natura sacramenti: Ecclesia autem hoc non requirit in moribundis, alioquin non esset viaticum ministrandum, nisi iis, qui non haberent impeditum vsum rationis.

8 Dices. Ministrare Eucharistiam amentibus, est eam exponere periculo irreuerentiæ, nam fieri potest, quod inciderint in amentiam, dum erant in peccato mortali. Resp. negat. sequel. Nam ex parte ministrantis non exponitur periculo irreuerentiæ, quia præsumit, quod in amente sit debita dispositio, vel saltem adfuerit attritio: nec ex parte sumentis potest interuenire irreuerentia, quia dato, quod esset in statu peccati, cum non sit in statu operandi liberè, nec et . m potest inferre irreuerentiam, quia irreuerentia est actus moralis, & fundatur in operatione libera.

9 Ad fundamentum in oppositum resp. Præceptum seipsos probandi ante sumptionem Eucharistiæ non afficere amentes, sed eos solum, qui possunt seipsos probare; nam est positum solum pro iis, qui habent conscientiam peccati mortalis, amentes autem, quamuis essent in statu peccati, non habent conscientiam peccati mortalis, quia conscientia est actus rationis liberæ, quæ non est in ipsis. Et ideo quamuis se probare non possint, non per hoc debet ipsis denegari viaticum.

10 Ex his colligitur. Non esse necesse, quod amentes ante vsum rationis habuerint expressam voluntatem sumendi Eucharistiam, sed sufficere, quod habuerint voluntatem virtualem, & interpretatiuam; quæ sufficienter colligitur ex eo, quod christianè vixerint, & obseruauerint præcepta, & proinde sumpserint Eucharistiam, quando ex præcepto erat sumenda; siquidem sufficit quæcunque voluntas, quæ valeat fundare moralitatem, nam operatur, quod vbi est talis voluntas, sit etiam moralis intentio, & volitio. Et ita notant etiam Syluester cum Archidiacono, Angelus, D. Antonin. Paludan. Henriquez, Suarez, Zambran. Hurtad. Palaus supra *num.* 4. citati.

11 Colligitur 2. Quod siquis incideret in amentiam perpetuam post vsum rationis, sed antequam admitteretur ad Eucharistiam, siquidem pueri non admittuntur statim post vsum rationis, sed cum ad annos discretionis peruenerint, poterit adhuc ipsis ministrari Eucharistia pro viatico. Siquidem, cum professi sint vitam christianam, in hac professione habuerunt voluntatem virtualem implendi omnia præcepta, quæ in tali professione implenda sunt, & consequenter etiam præceptum viatici, quæ voluntas, cum non sit retractata, censetur adhuc moraliter perseuerare, & ideo se habent tanquam petentes sibi ministrari. Ex quo desumitur ratio, cur non sit ministranda iis, qui ante vsum rationis inciderunt in amentiam perpetuam, quia licet quoad statum præsentem eodem modo se habeant, quoad præteritum, tamen diuerso modo se habēt, siquidem hi nunquam habuerunt propriam voluntatem regulatam ratione, nec etiam vnquam per propriam voluntatem professi sunt christianam religionem, atque adeo carent illa virtuali voluntate adimplendi præceptum viatici.

12 Colligitur. 3. Quod siquis ante vsum rationis incidisset in amentiam, sed postea habuisset aliqua lucida interualla, & rursus in perpetuam amentiam inciderit, posse refici viatico, si dum habuit illa lucida interualla, dedit signa christianæ professionis, vt esset more christianorum orare, implere aliquod præceptum, aut quid simile. Nam hi quoque in his signis, sicut ostendunt christianam professionem, ita

etiam virtualem voluntatẽ suscipiendi sacramentum,& implendi præcepta, & proinde etiam præceptum viatici.

An furiosis, & phreneticis dandum sit viatitum. Quæst. 299.

S V M M A.

1 NOn esse furiosis, & phræneticis ministrandum viaticum asserunt ex eodem fundamento Alens. *par.* 4. *quæst.* 11. *mem.* 2. *ar.* 3. §. 1 ver. *Consequenter*, Gabr. *in* 4. *disp.* 9. *quæst.* 2. *ar.* 3. *dub.*4.

2 Dicendum tamen est. *Furiosis quoque & phræneticis esse dandum viaticum, si non adsit periculum alicuius irreuerentiæ.* Ita D. Th. 3. *par. quæstion.* 80. *artic.* 9. Sylvius, Præposit. Mærcer, Chellison. *ibid.* Suarez *disp.*69. *de Eucharis. sect.* 2. *dub.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 212. *cap* 3. *numer.* 21. Isambert. *quæst.* 80. *disp.* 4. *artic.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 4. *n.* 2. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 12. *art.* 9. *dub.* 1. Io. Sanchez *in select. de sacramen. disp.* 38. *num.* 10. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.*4. *de Eucharis. quæst.* 4. *de suscipient. Euchar.* ver. *An autem* & alii citati *quæst. præcedenti num.* 4. Hoc autem debet intelligi supposito, quod non constet, fuisse in statu peccati, quando inciderunt in amentiam.

3 Ratio autem est eadem. Quia cum professi sint christianam religionem, habent virtualem voluntatem implendi omnia præcepta, atque adeo etiam suscipiendi viaticum, & ideo tenentur Pastores implere munus suum, & ministrare viaticum. Præsertim quia fieri potest, quod habeant aliqua lucida interualla, quæ obseruari non possint, & proinde possint tentari à demone: vnde debet prouideri de præseruatiuo contra tentationes.

4 An autem sit exhibendum viaticum, si phræneticus postquam in morbum incidit, nullum dedit signum poenitentiæ, negat Zanard. *par.* 1. *direct. cap.* 7. *de Euchar.* Verum oppositum tenendum est, vt tenent Ioa. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 38. *num.* 10. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharis. quæst.* 4. *de suscipientib. Eucharis.* ver. *Quid si.* Et ratio est. Quia adhuc, & ipse censetur moraliter petere, eum profitendo vitam christianam ostẽderit voluntatem adimplendi præcepta; & proinde tenentur adhuc pastores consulere saluti animæ ipsius.

5 Dices, Ex Rituali Romano Pauli V. *Tit. de commun.* habetur amentibus, seu phræneticis communicare non licet, licebit tamen, si quando habent lucida interualla, deuotionem ostendant, si nullum periculum indignitatis adsit. Resp. Rituale tradere Regulam de communicandis iis personis in vita, non autem pro tempore mortis, siquidem postea in speciali rubrica agit de viatico.

6 Ex dictis colligitur contra Baunium *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharistia quæst* 3. *de suscipientib. Euchar.* ver. *Excipiendi sunt*, quod stante spe, quod phræneticus sit sanaturus, ac vsum mentis recuperaturus, adhuc erit ministrandum viaticum, nisi aliud obstet. Tum quia ob incertam spem sanitatis non debet exponi periculo, quod decedat sine viatico. Tum quia, quan-

quando vrget periculum mortis, vrget etiam præceptum de viatico, & adueniente sanitate cessat.

An energumenis dandum sit viaticum. Quæst. 300.

S V M M A:

1 *Quibus energumenis olim denegata Eucharistia.*
2 *Energumenis ministrandum viaticum, si aliàs sint dispositi.*
3 *Id decernunt Concilia.*
4 *Energumeni habent ius ad viaticum.*
5 *Energumenis carentibus vsu rationis an ministrandum viaticum.*
6 *Energumenis vexatis in poenam peccatorum an denegandum viaticum, si ipoeniteant.*
7 *Quomodo accipiendi Doctores, qui oppositum tradunt.*

1 QVamuis ex aliquibus Patribus desumatur, energumenis fuisse denegatam Euclhariſtiam, vt ex D. Dioniſ. *De Eccleſiaſ. hierar. cap. 3. par. 2.* Cypriano *lib. 3. Epiſt. 10. ad Decent. Epiſcop. cap. 2.* & refertur in Cap. *De nominib.* De *conſecrat. diſt. 1.* Hieronimo *in cap. 18. Ezech.* Iſidoro *Epiſt. ad Ludifred.* & refertur in Cap. *perlectis. diſt. 25.* Concil. Elibertino. *can. 39.* Non tamen hinc inferri poteſt, quod non ſit danda Euchariſtia; nam in citatis locis, & in alijs huiuſmodi non eſt ſermo de quibuſcunque energumenis, ſed de iis, qui ob delicta excommunicabantur, & dæmonis poteſtati tradebantur iuxta illud Apoſt. 1. ad Corinth. 15. *Tradidi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat:* & ita colligitur ex Caſſiano. *Collat. 7. capit. 28. & 29.*

2 Dicendum igitur eſt. *Energumenis baptizatis miniſtrandum eſſe viaticum, ſi aliàs diſpoſiti ſint.* Ita communiter, dum docent miniſtrandam abſolutè Euchariſtiam, D. Th. *3 part. quæst. 80. art. 9. ad 2.* Siluius *ibidem.* Mercer. *propoſit. 3.* Chelliſon. *ver. Draco 4.* Iſambert. *diſp. 4. art. 4.* Vaſquez *diſp. 212. cap. 4. num. 32.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæst. 1. art. 9* Paludan. *diſt. 9. quæſt. 4. art. 2. concluſ. 4.* D. Antonin. *3. part. tit. 14. cap. 12. §. 3.* Ochagauia *De ſacram. tract. 2. de Euchariſ. quæst. 13. concluſ. 8.* Bonac. *diſp. 4. de ſacram. quæst. 6. de Euchariſ. pun. 1. num. 6.* Gaſpar Hurtad. *de ſacram. diſp. 9. de Euchariſ. difficul. 21.* Reginald. *lib. 29. praxis fori poenit. numer. 80.* Poſſeuin. *De offic. Curati cap. 8. numer. 31.* Ludouic. à S. Th. *par. 1. ſum. quæstion. 7. de Euchariſ. dub. 2. difficul. 1.* Auerſa *quæst. 8. de Euchariſ. ſect. 1.* ver. *Quintò.* Suarez *diſp. 69. de Euchariſ. ſect. 2. in fine.* Tolet. *lib. 2. ſum. cap. 28. in fine.* Ledeſma *par. 1. ſum. capit. 13. de Euchariſ. in fine.* Palat. *in 4. diſt. 9. diſp. 11. col. 12.* Vega *part. 1. ſum. cap. 61. caſu 20.* Lopez *part. 1. inſtructorii. cap. 76. §. Quæritur 9.* Summa Coronæ *de ſacramen. Euchariſ. §. de ſument. hoc ſacram.* ver. *ſed quid dicendum.* Angelus *verbo.* Euchariſtia *3. num. 15.* Aſtenſ. *par. 1. ſum. lib. 4. tit. 17. art. 4. quæst. 7.* Zambran. *in ſuis. deciſ. cap. 3. de Euchariſ. dub. 4. num. 6.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 4. num. 6.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. diſp. vn. pun. 10. numer. 10.* Petrus Thyræus *de Dæmoniacis. par. 2. cap. 28.* Baunius *par. 1. theol. moral. tract. 4. de Euchariſ. quæst. 5. de ſuſcipientib. Euchariſ.* ver. *interim notare.* Hieronim. Garzia *par. 1. ſum. tract. 3. difficul. 4. dub. 2. pun. 1. numer. 9.* Putean. *part. 3. quæſt. 80. art. 12. dub. 2.* Io. Sanchez *in ſelect. de ſacram. diſp. 38. num. 5.*

3 Deſumitur autem ex D. Proſpero *lib. 4. de prædict. & promiſſion. cap. 6* & ex Concil. Arauſicano 1. *can. 14.* ibi. *Energumeni iam baptizati, ſi de pur-*

quibusdam primariis ministraretur, nulli autem pauperi. Quem abusum Goæ, & in vicinis locis concionando, & ostendendo necessitatem ministrandi Eucharistiam, & refutando pastores quosdam se opponentes sustulit P. D. Antonius Ardizonus nostræ Congregationis Clericus Regularis cum magno fructu illorum populorum; siquidem illorum confessiones, vt plurimum erant sacrilegæ ob defectum integritatis, quando verò coeperunt sumere Eucharistiam, coeperunt etiam integrè confiteri, edocti, quod non poterant accedere cum aliquo peccato ad talem cibum, sed opus esset conscientia pura. Quare, ne tantus labor dicti Patris cursu temporis periret Illustrissimus, & Reuerēdissimus Archiepiscopus statuit, vt saltē in articulo mortis, & in Paschate iis populis ministraretur Eucharistia. Et quid simile olim statutum fu t ın Concilio Limensi in Prouincia Peruana, nam Concilium. *Seriò monet Indorũ Parochos, vt quos audita iam confessione perspexerint hunc coelestem cibum à reliquo corporali discernere, atque eumdem deuotè petere, & pascere, quoniam sine causa neminem diuino alimento priuare possumus, quo tempore coeteris christianis solent, Indis etiam omnibus administrent.*

6 Colligitur 3. Quod licet possit denegari viaticum Gentilibus recenter ad fidem conuersis, quando adest sufficiens fundamentum, quod non sint verè conuersi, aut quando constat de indignitate; non tamen denegandum est ex quacunque suspicione. Quia non potest denegari, nisi publicè denegetur, & ideo procedendum est iuxta regulam seruandam cum peccatoribus, quibus cum non possit denegari, nisi certò constet, & publicè, quod sint tales, nec etiam his denegari potest, nisi constet, quod non sint verè conuersi, aut quod sint indigni. Et ideo non potest statui regula generalis, quod ipsis non detur viaticum; & multò minus debet denegari ob debilem cognitionem rerum fidei.

An surdis, & mutis à natiuitate sit exhibendum viaticum. Quæst. 302.

S V M M A.

1 *Muti, Surdi, & coeci à natiuitate non sunt capaces viatici.*
1 *Non possunt percipere mysteria fidei.*
2 *Surdus, & mutus à natiuitate an capax viatici, & num. seq.*
2 *An possit percipere mysterium Eucharistiæ.*
4 *Surdus, & mutus à natiuitate potest percipere mysterium Eucharistiæ.*
5 *Surdus à natiuitate capax Eucharistiæ.*
6 *Surdus, & mutus à natiuitate quomodo concipere possit reuerentiam erga Eucharistiam.*
7 *Vnde cognosci possit surdos, & mutos à natiuitate habere notitiam mysterii Eucharistiæ.*
7 *Quomodo Eucharistia sit in possessione, vt non ministretur indignis.*
8 *Surdus, & mutus à natiuitate diiudicare potest inter Eucharistiam, & panem communem.*
9 *Surdus, & mutus à natiuitate in quibus comparetur mortuo, & menticapto.*

1 SVpponendum est tanquam certum, mutos, & surdos, & simul etiam coecos à natiuitate non esse capaces Eucharistiæ, vt notat etiam Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. num. 9.* Licet enim baptizandi sint, & possint saluari, si rectè vixerint, non tamen possunt vllo pacto percipere mysteria fidei, neque de ipsis in particulari habere fidem, quamtumuis implicitam; siquidem obtinent eos tantum sensus, nempe tactum, gustum, & olfactum, qui valde crassi sunt, nec inseruire possunt ad percipiendas res fidei, etiam qualicunque

que cognitione. Vnde difficultas de cæcis, & surdis à natiuitate.

2 Prima sententia asserit, esse absolutè incapaces Eucharistiæ. Ita Isambertus *3. par. quæst. 80. disp. 4. art. 2.* qui tamen addit, posse ministrari, quando nutibus ostendunt ardens desiderium Baunius *par. 1. theol. moral. tract. 4. de Eucharist. quæst. 5. de suscipientib. Eucharist.* ver. *Sed hæc opinio.* Prob. Carent principio, quo retineri possint ab iniuria erga sacramentum, nempe fide præsentiæ Christi sub speciebus sacramentalibus: nec possunt percipere, quod sub ipsis sit verum corpus Christi absque substantia panis. Ergo non est illis danda Eucharistia. Secundò. Adest iusta causa dubitandi, an habeant qualitates, præsertim fidem, quæ requiruntur pro dispositione ad recipiendam Eucharistiam. Ergo cum in dubio sit melior cōditio possidentis, & Eucharistia possideat, quia non est danda incapacibus Matth. 10. *Nolite sanctum dare canibus*, non est ipsis ministranda. Tertiò. Qui sumit Eucharistiam, debet diiudicare inter corpus Christi, & cibum communem 1. AdCorinth. *cap. 11.* Mutus autem, & surdus à natiuitate non potest diiudicare.

3 Secunda sententia asserit, posse, & debere ministrari si aliàs constet, quod habeant vsum rationis, & confiteantur per nutus: & proinde debere ministrari viaticum. Ita Abbas *in cap. cum apud. num. 6. de sponsalib.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 4. quæsito 4.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. num. 9.* Michalor. *de cœco, surdo, & muto. cap. 51. num. 11.* testans, se hoc vidisse in praxi seruatum in quodam, qui magna deuotione, & signis clarissimis notitiæ mysterii accedebat. Iacob. Marchant. *in resolut. Pastoralib. de sacram. tract. 4. cap. 3. quæst. 1. casu 4.* qui id tradit solum de viatico. Hieronim. Garzia *par. 1. sum. tract. 3. difficul. 4. dub. 2. pun. 2. num. 25.*

4 Dicendum est. *Surdis, & mutis à natiuitate ministrandum esse viaticum, si ex signis constet, quod habuerint vsum rationis, & notitiam aliquam talis mysterii.* Prob. Non minus per visum percipiuntur obiecta extrinseca, quam per auditum: imo visus est magis proportionatus ad illuminandum intellectum, cum plura in obiectis percipiat, ex quibus intellectus deducere potest suam cognitionem. Ergo possunt concipere fidem saltem implicitam de mysterio Eucharistiæ ex eo, quod videant à sacerdote confici cum tanta reuerentia, adorari à populo, sumi cum magna deuotione, & submissione, & alia huiusmodi, & credere, quod credunt coeteri, & quod proponitur ab Ecclesia. Ergo sunt capaces sumendi Eucharistiam, quia possunt intendere facere, quod faciunt coeteri, & tanquam suscipientes velle cooperari actioni Ecclesiæ, per quam ministrat Eucharistiam, cum illa fide, quam habent coeteri suscipientes. Hæc autem fides, & intentio sufficit, siquidem sufficit etiam ad tribuendum valorem sacramentis, vt siquis ignarus fidei christianæ baptizaret intendens facere, quod facit Ecclesia, & implicitè credens in baptismo illam virtutem, quam credit Ecclesiæ, imo etiam si solum intenderet facere, quod facit Ecclesia.

5 Confir. Surdus tantum à natiuitate est capax Eucharistiæ, quia per nutus potest instrui in fide; Licet enim fides regulariter fit ex auditu, attamen sicuti nutus, & alia signa, nempe scriptura substituuntur in ordine ad visum loco verborum, ita etiam visus supplet pro auditu: & proinde, quæ medio auditu percipiuntur, possunt etiam percipi mediante visu. Ergo etiam surdus, & mutus erit capax Eucharistiæ, quia ex eo, quod careat loquutione, non caret aliquo sensu, qui inseruiat docibilitati, & instructioni: vnde quoad facultates, quæ inseruiunt, vt possit quis instrui, est æqualis conditionis cum solo surdo, & ideo eo-

iuxta illud Actor. 20. *Mundus ergo sum à sanguine omnium vestrum; non enim subterfugi quominus annunciarem vobis omnem veritatem*; & illud Ambrosii. serm. 83. *Malo vos contumaciæ vestræ rationem reddere, quàm me veritatis dissimulatæ*.

10 Dices. Dum ratione ignorantiæ inuincibilis excusatur à peccato, excusabitur etiam à scandalo, quia in tantum est causa scandali, in quantum peccati: vnde adhuc poterit relinqui in suo statu. *Resp.* Non posse excusari à scandalo, quia scandalum generatur ex actione secundum se mala; cum ipse sit causa talis actionis, quæ est obiectum scandali, est etiam causa scandali. Et quamuis ipsi stante ignorantia, non imputetur scandalum, sicut nec imputatur peccatum, attamen quia reuera in proximo scandalum generatur, & est scandalum actiuum, debet sacerdos prouidere, vt tollatur, & admonere poenitentem suæ obligationis, prout respicit proximum: quia concurrente proximo innocenti, & penitente in errore, debet potius illi prospici, quàm isti.

11 Ex dictis colligitur. Id, quod dictum est de vsurario, procedere etiam de quocunque alio peccatore siue in ordine ad peccata, siue in ordine ad satisfactionem alteri exhibendam, siue in ordine ad restitutionem, cum sit eadem ratio. Si enim excusatur à peccato siue ratione opinionis probabilis, siue ex alio capite, non debet illaqueari, nec debet iudicari in foro poenitentiæ tanquam reus. Præsertim quia confessarius, vt notant Henriquez *lib. 6. sum. cap. 26. num. 6.* Valet. *in different. vtriusq. fori verbo* Opinio *differen. 2. num. 2.* Bossius *tom. 1. moral. tit. 1. §. 23. num. 146.* debet amplecti benigniorem partem in fauorem poenitentis.

12 Dices. Si confessarius se conformet opinioni poenitentis, quando agitur de satisfactione alteri exhibenda, aut de restitutione, facit iniuriam is, quibus est satisfaciendum, aut restituendum, qui multoties possunt habere pro se opinionem probabiliorem. Ergo non potest se conformare. *Resp.* Non facere iniuriam: quia sicuti stante illa opinione probabili poenitens non subiicitur peccato, ita neque coram Deo obligatur ad satisfaciendum, aut restituendum: & ideo sacerdos, cum iudicet poenitentem, sicut coram Deo debet iudicari, non facit alicui iniuriam.

13 Instabis. Iudex in iudicando debet sequi communiorem, & probabiliorem opinionem. Ergo etiam confessarius, & proinde debet obligare poenitentem ad satisfaciendum, & restituendum, saltem quando pars habet pro se opinionem probabiliorem. Respon. neg. conseq. Quia confessarius non iudicat inter poenitentem, & partem, sed inter poenitentem, & Deum, & ideo debet iudicare secundum habitudinem, quam habet ad Deum, secundum quam non se habet, vt offensor, nec vt obligatus ad satisfaciendum, seu restituendum; siquidem probabilis opinio, sicut facit, quod coram Deo honestè operetur, ita etiam, quod non subsit peccato, nec obligationi satisfaciendi, & restituendi.

14 Sed rursus instabis. Ergo saltem quando reuera poenitens debet restituere, aut satisfacere, & ex ignorantia inuincibili putat se non obligari, erit monendus de obligatione, etiam si monitio cognoscatur non profutura. *Resp.* neg. conseq. Quia iudex in sacramento poenitentiæ tendit solum ad reconcilandum hominem Deo: & ideo cum stante ignorantia inuincibili, non impediatur reconciliatio huiusmodi, non debet sacerdos monere, quando videt monitionem non profuturam, quia non spectat ad ipsum curare interesse temporale alienum, sed tantum spirituale poenitentis, & ideo debet omittere monitiones non profuturas, imo ex mala dispositione ipsius nocituras; sicut medicus omittit medicinas alioquin aptas, quando cognoscit nocituras ex praua dispo-

si-

sitione infirmi. Sic etiam communiter docent, quod confessarius cognoscens matrimonium nullum ex occulto impedimento, non debet monere, quando monitio esset nocitura, & tamen hoc posset præiudicare alteri, vt si vir haberet filios ex alia vxore, nam hi minus participabunt de bonis paternis. Ita Ledesm. *2. par. 4. quæst.* 8. *art. 4. dub. 9.* Canus *relect. de pœnit. par. 5. §. Atque hic ego.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 27. num.* 24. Io. Medina *C. de confess. tract. 3. quæst. de confess. dimidiat. iteran.* Corduba *in sum. quæst. 189. pun. 1. & 6.* Sanchez *lib. 2. de matrimon. disp. 38. num.* 20. & faciunt tex cap. *Siquis autem. de pœnitent. dist. 7.* & cap. *De vidnis 27. causa 2. quæst. 1.* Et ratio generalis est. Quia cum ignorantia excuset à peccato, ad monitio inijceret laqueum, & constitueret absque fructu in malo statu: vnde confessio operaretur finem oppositum proprio fini, quia non esset in bonum, sed in detrimentum pœnitentis.

An peccatori occulto sit ministrandum viaticum. Quæst. 297.

S V M M A.

1 *Peccatori occulto publicè petenti ministranda sacramenta.*
2 *Viaticum ministrandum peccatori occulto.*
2 *Denegatio sacramenti quid requirat, vt habeat locum.*
3 *Habet vim sententiæ de indignitate.*
3 *Sententia certa non potest proferri super re dubia.*
4 *Peccator an habeat ius ad Eucharistiam.*
5 *Sacerdos an secundum scientiam priuatam possit denegare sacramenta.*
6 *Præceptum non ministrandi sacramenta indignè est negatiuum: non vero non ministrandi indignis.*

1 QVod peccatori occulto publicè petenti sint ministranda sacramenta, est communis omnium sententia, fundata in facto Christi, qui, quamuis Iudas indignus esset, & ipsius indignitas probè nota esset Christo, nihilominus Eucharistiam in vltima coena illi ministrauit. Ita D. Th. *3. par. quæst. 90. artic. 6. in corpore.* Caiet. *ibid.* Nugn. *ibid. difficul. 2. conclus. 1. & 2.* Syluius *quæsito 2. ver. Cæterum quando.* Præposit. *numer. 31. ver. Dico 2.* Chellison. *ver. Dico 3.* D. Bonauen. *in 4. dist. 9. ar. 2. quæstion. 4.* Alens. *par. 4. quæst. 11. memb. 2. ar. 3. §. 1. in corpore.* Syluester *verbo* Eucharistia. *3. num. 7.* Armilla *num. 22. & 27.* Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 6.* Pitigian. *dist. 9. quæst. 1. ar. 15.* Nauar. *cap. 21. manual. num. 55.* Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp. 16. numer.* .. Suarez *disp. 18. de sacram. sect. 2. in med.* Rodriquez *par. 1. sum. capit. 68. num. 4.* Angles *quæst. 2. de Euchar. ar. 4. conclus. 1.* Henriquez *lib. 1. sum. capit. 30. num. 5.* Graf. *par. 1. decis. lib. 2. capit. 38* Valent. *tom. 4. sum. disp. 6. quæst. 8. pun. 3. ver. Quartò peccatori.* Reginald. *lib. 26. praxis fori pœnitent. num. 62.* Viuald. *cap. 3. de sacrament. in genere. num. 12. conclus. 2.* Possenin. *de offic. curati. cap. 5. numer. 13.* Camerota *de Euchar. dub. 19.* Filliuc. *tr. 4. cap. 9. quæst. 10.* Bartholom. ab Angelo. *Dialogo 4. §. 36.* Bonac. *disp. 1. de sacramen. quæst. 6. pun. 4. num. 4.* Vasquez *3. par. disp. 209. cap. 3.* Coninch *de sacram. quæstion. 80. artic. 6.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 18. disp. vn. pun. 14. num. 3.* Gasp. Hurtad. *de sacram. disp. 9. de Eucharist. difficul. 9.* & alii in materia de sacramen. Et desumitur ex cap. *Si tantum. 6. q. 2.* vbi Glosa, & cap. *Non prohibeat. de consecrat. dist. 6.* vbi item Glosa, & cap. *Si sacerdos. de offic. ordin.*

2 Hinc dicendum est: *Peccatori occul-*

culto esse ministrandum viaticum. Sequitur ex dictis, quia quando petit viaticum, publicè petit, & publicè ministrandum est: vnde sumus in casu de peccatore publicè petenti. Varias rationes afferunt Doctores, quarum præcipuas examinat Vasquez 3. *par. disp.* 209. *cap.* 3. Sed ea videtur esse vera ratio fundamentalis, quæ colligitur ex dictis tex. cap. *Si tantum*. 6. *quæst*. 2. ibi. *Quamdiu probare non potest, nihil proferat*. & cap. *Si sacerdos. de offic. ordinar.* ibi. *Nisi iudiciario ordine quis probare potest, non debet eum arguere nominatim*. Quibus significatur, quod cum denegatio Eucharistiæ, aut alterius sacramenti sit quædam declaratio indignitatis, & redargutio determinatæ personę de scelere, non potest habere locum, nisi interueniat sufficiens fundamentum: non interuenit autem sufficiens fundamentum, quando peccatum est occultum, quia quod est occultum, non potest esse sufficiens fundamentum publicæ declarationis.

3. Ratio autem est, quia cum ista declaratio habeat vim sententiæ, per quam facto ipso pronunciatur indignus sacramento, & priuatur participatione ipsius, requiritur tale fundamentum, quod sufficiat ad hanc publicam declarationem, qua arceatur à perceptione sacramentorum. Ergo sicut sententia certa non potest proferri super re dubia cap. *Grane*. 11. *quæstion*. 1. & cap. *Iudicantem*. 3. *quæst*. 5. vbi Eleuterius Papa hoc scribit ad prouincias Galliæ, & cap. *Habuisset dist*. 33. vbi hoc ipsum decernitur à Gregorio Pontifice; ita neque sententia publica fundari potest super delicto occulto, aut aliquid, quod virtualiter vim habeat sententiæ, quale est publicè arcere à sacramentis. Vnde sicut iudex iniustè iudicaret, si delictum occultum puniret: ita etiam si ob delictum occultum sacerdos arceret à sacramentis, iniustè arceret.

4. Dices. Peccator, quamdiu in peccato manet, non habet ius ad Eucharistiam, imo petendo grauissimè peccat. Ergo potest sacerdos sine iniustitia ipsum arcere. Resp. Non habere quidem ius ad Eucharistiam petendam, quia non est instituta pro peccatoribus: habere tamen ius, ne publicè arceatur, dum delictum est occultum; sicut reus habet ius, ne damnetur, & ad absolutionem, quamdiu delictum est occultum, & is, cuius fama læsa est ob manifestationem criminis occulti, habet ius ad restitutionem. Si ergo sacerdos publicè arceret, iniustè ageret, quia declararet publicè criminosum, quem non potest declarare. Vnde D. August. *lib. de medicina poenitent. capit.* 3. habet, nos non posse quemquam prohibere à communione, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, & conuictum. Quia nimirum, vt dictum est, talis prohibitio habet vim sententiæ publicæ, quę requirit pro fundamento delictum publicum.

5. Instabis. Si Sacerdos posset in publico aliqua subtili inuentione prætermittere peccatorem occultum, aut consumando omnes hostias antequam ad illum perueniret, aut alio modo, teneretur id facere. Ergo etiam ex scientia priuata potest arcere: & proinde potest secundum ipsam se regulare. Resp. Quicquid sit de antecedenti, posse se regulare secundum scientiam priuatam, quando priuatè arcet, non autem quando publicè; quia, vt dictum est, priuata notitia non sufficit pro publica declaratione quando autem subtili inuentione ipsum præterit, quia talis prætermissio non innotescit coeteris, habet vim priuatæ prohibitionis, siquidem est occulta, nec declarat ipsum indignum sacramentis.

6 Dices 2. Præceptum non ministrandi indignis sacramenta est negatiuum; & proinde obligat semper, & pro semper. Ergo nunquam licebit administrare siue publicè, siue priuatè petant. Resp. Aliud esse ministrare indignis, & aliud ministrare indignè: primum dicit, quod indignitas sit ex par-

parte ſubiecti, quæ proinde facit receptionem indignam; ſecundum dicit, quod indignitas ſe teneat ex parte actionis miniſtrandi. Præceptum ergo, quia cadit ſupra miniſtrationem tanquam ſupra materiam, quam prohibet, prohibet ſolum miniſtrare indignè, ſeu miniſtrationem, quæ ex parte miniſtrantis fiat indigna, non autem miniſtrare indignis, aloquin Chriſtus miniſtrando Iudæ exercuiſſet actionem malam. Quando ergo ſacerdos peccatori publicè petenti miniſtrat, miniſtratio non eſt indigna, imo facit, quod debet, ita vt ſi negaret, iniuſtè ageret, quia nimirum talis miniſtratio non eſt contra regulas rectæ rationis, ſed ſecundum ipſas. Hinc etiam corruit argumentum, quod miniſtratio indigna ſit contra digniorem, & perfectiorem virtutem, nempe religionem; & denegatio ſit contra iuſtitiam, quæ eſt inferior virtus, & proinde hæc deberet cedere, nam cum in tali caſu miniſtratio non ſit indigna, vt oſtenſum eſt, non habet locum obiectio, quæ procedit ex ſuppoſitione, quod ſit indigna, vt pote contra religionem.

An amentibus ſit miniſtrandum viaticum. Quæſt. 298.

S V M M A.

1 *Duplex genus amentium.*
1 *Amentibus à natiuitate non miniſtratur Euchariſtia.*
2 *Habentibus lucida interualla miniſtratur.*
3 *Perpetuò amentibus an miniſtranda Euchariſtia per modum viatici, & num. ſeq.*
5 *Quid ſtatuant canones.*
6 *Paſtores tenentur miniſtrare ſacramenta omnibus, quando vrget præceptum.*
7 *Amentes capaces ſunt Euchariſtiæ.*
8 *Euchariſtia an exponatur periculo irreuerentiæ, ſi miniſtretur amenti.*
9 *Præceptum ſeipſos probandi ante Euchariſtiam quos afficiat.*
10 *Quid ſufficiat, vt amentibus poſſit miniſtrari viaticum.*
11 *Amentibus à pueritia, antequam ſumerent Euchariſtiam, an miniſtrandum viaticum.*
12 *An amentibus ante vſum rationis, qui poſtea habuerunt lucida interualla, & poſtea perpetuam amentiam.*

1 Amentes ſunt in duplici genere, quidam ſunt tales à natiuitate, aut ante vſum rationis, quidam verò facti amentes poſt vſum rationis. Quod ſpectat ad amentes prioris generis, quamuis ſint capaces effectus Euchariſtiæ, ſi ſint baptizati, quia ſunt in ſtatu gratiæ, quæ proinde augeri poteſt, ex conſuetudine tamen non ſolet miniſtrari neque etiam in articulo, vt notat etiam Vaſquez *3. par. diſp. 212. cap. 3. numer. 26.* Quia cum non poſſint peccare, nec etiam indigent corroboratione, & auxiliis contra tentationes, quæ cohibentur per Euchariſtiam. Fateor tamen, quod adhuc plurimum ipſis prodeſſet Euchariſtia, nempe ad augmentum vitæ ſpiritualis, qua viuunt, & conſequenter ad augmentum gloriæ. Non tamen miniſtratur, quia requirit Eccleſia in ſuſcipiente, ſaltem voluntatem interpretatiuam, quæ in ipſis eſſe non poteſt.

2 Quod verò ſpectat ad amentes ſecundi generis, certum eſt, quod ſi habent lucida interualla, poſſit miniſtrari, ſi ſe probent per confeſſionem, & diſponant ad ipſam congruè ſuſcipiendam; nam pro illo ſe habent, ac ſi non eſſent amentes, & proinde poſſunt admitti, quoties congruum fuerit. Solum ergo difficultas eſt de perpetuò amentibus poſt vſum rationis, an ſit ipſis miniſtrandum viaticum, cum ſint capaces effectus ſacramenti.

3 Prima ſententia aſſerit, non eſſe miniſtrandum viaticum amentibus. Ita Alens. *par. 4. quæſtion. 11. mem. 2. artic. 3. §. 1. ver. Conſequenter quæritur.*

tur. Gabr. *in* 4. *dist*. 9. *quæst*. 2. *art*. 3. *dub*. 4. Quorum fundamentum est, quia non possunt seipsos probare iuxta præceptum in Epist. *ad Corinth. cap*. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c*. & ideo nec etiam possunt recipere Eucharistiam.

4 Secunda tamen sententia, & communis affirmat, posse ministrari viaticum perpetuo amentibus, dummodo, quando inciderunt in amentiam, non constet, fuisse in statu peccati, aut si fuerunt in statu peccati, dederint ante amentiam signa poenitentiæ, & insuper absit periculum irreuerentiæ. Ita D. Th. 3. *par. quæst*. 80. *art*. 9. Syluius, Mercer, Præposit. Chellison. *ibid*. Palud. *in* 4. *dist*. 9. *q*. 4. *ar*. 2. Carthus. *quæst*. 4. Sotus *dist*. 12 *quæst*. 1. *ar*. 9. D. Antonin. 3. *par. tit*. 14. *cap*. 12. §. 3. Caiet. 3. *par. quæst*. 79. *art*. 1. §. *superest*. Nauar. *in Manuali cap*. 20. *numer*. 27. Petrus Sotus *lect*. 8. *de Eucharist. circa finem*. Syluester *verbo*. Eucharistia 3. *num*. 7. Angel. *num*. 14. Victoria *in sum. num*. 83. Ledesma 1. *par*. 4. *quæst*. 12. *ar*. 9. *dub*. 1. Henriquez *lib*. 8. *de Euchari. capit*. 41. *numer*. 3. Petrus Ledesma *par*. 1. *sum. capit*. 13. *de Euchar. conclus*. 8. Riccard. *ar*. 15. §. *Hunc aggressus*, Suarez *disp*. 68. *de Eucharis. sect*. 2. *dub*. 3. Vasquez 3. *par. disp*. 212. *capit*. 3. *num*. 21. Isamber. *quæst*. 80. *disp*. 4. *ar*. 3. Zambran. *in suis decis. cap*. 3. *de Eucharis. dub*. 4. *num*. 2. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp*. 9. *de Eucharis. difficul*. 20. Ochagauia *tra*. 2. *de Euchar. quæst*. 13. *numer*. 8. Henriquez *lib*. 8. *de Eucharist. capit*. 41. Laiman *lib*. 4. *theol. mor. tract*. 4. *cap*. 4. *quæst*. 3. Coninch. *de sacram. quæst*. 80. *ar*. 9. *numer*. 72. Bonac. *disp*. 4. *de Euchar. quæst*. 6. *pun*. 1. *init*. Palaus *par*. 5. *oper. moral. trac*. 21. *disp. vnica. pun*. 10. *num*. 7. Martinon. *disp*. 36. *de Euchar. sect*. 1. *num*. 5. Hieronim. Garzia *par*. 1. *sum. tr*. 3. *difficul*. 4. *pun*. 1. *numer*. 6. Baunius *par*. 1. *theol. moral. tract*. 5. *tit. de recipientib. Eucharis. quæstion*. 3. Villalob. *par*. 1. *sum. tract*. 7. *dub*. 4. *numer*. 3.

5 Dicendum est. *Viaticum ministrari posse perpetuò amentibus, quando post vsum rationis inciderunt in amentiam, supposito, quod non constet fuisse in statu peccati mortalis, quando amentes facti sunt, & quod non adsit periculum expuitionis Eucharistiæ, aut alterius irreuerentiæ*. Desumitur ex Concil. Cartaginensi IV. *can*. 74. & refertur in cap. *Is, qui*. 26. *quæst*. 6. & loquitur de iis, qui nullo modo confiteri potuerunt ob superuenientem amentiam. Similia habentur in Concilio Arausicano *cap*. 3. relato in capit. *Qui recedunt. eadem causa, & quæstion*. & in Concil. Toletano 2. *can*. 11.

6 Ratio autem est. Quia pastores tenentur ministrare Eucharistiam suis ouibus, quotiescunque vrget præceptum sumendi, vt nimirum possint illud adimplere, nec possunt eam denegare, nisi constet esse indignos; imo etiam si sciant, esse indignos, dummodo indignitas occulta sit, & publicè poeniteant, tenentur ministrare, vt ostensum est *quæstion. præcedenti*. Ergo cum non constet, amentes perpetuos esse indignos, siquidem non constat, vt supponitur, quod fuerint in statu peccati, quando inciderunt in amentiam, tenētur pastores ipsis viaticū ministrare. Præsertim quia fieri potest, quod quando inciderunt in amentiam, licet non fuerint in statu gratiæ, fuerint tamen attriti, & tunc Eucharistia per accidens conferret primam gratiam.

7 Dices. Non esse capaces talis sacramenti, quia cum non vtantur ratione, non possunt discernere inter cibum, & cibum, nec humano modo sumere. Contra. Quia neque infantes possunt discernere, nec humano modo manducare, & tamen antiquitus illis ministrabatur, vt desumitur ex Concilio Trident. *sess*. 21. *cap*. 4. Deinde vt possint sumere humano modo, & discernere inter cibum, & cibum, non est necesse, quod actu discurrant, sed sufficit, quod aliquando habuerint notitiam sacramenti, & quod christianè vixerint, nam ex hoc sequitur, quod

vir-

virtualiter discernãt, & habeant voluntatem interpretatiuam sumendi, quæ etiam ex praxi Ecclesiæ sufficit pro aliis sacramentis. Denique quod sumere debeant humano modo, & præcedente voluntate suscipiendi, habetur solum ex praxi Ecclesiæ, non autem est necessarium ex natura sacramenti: Ecclesia autem hoc non requirit in moribundis, alioquin non esset viaticum ministrandum, nisi iis, qui non haberent impeditum vsum rationis.

8 Dices. Ministrare Eucharistiam amentibus, est eam exponere periculo irreuerentiæ, nam fieri potest, quod inciderint in amentiam, dum erant in peccato mortali. Resp. negat. sequel. Nam ex parte ministrantis non exponitur periculo irreuerentiæ, quia præsumit, quod in amente sit debita dispositio, vel saltem adfuerit attritio: nec ex parte sumentis potest interuenire irreuerentia, quia dato, quod esset in statu peccati, cum non sit in statu operandi libere, nec et .m potest inferre irreuerentiam, quia irreuerentia est actus moralis, & fundatur in operatione libera.

9 Ad fundamentum in oppositum resp. Præceptum seipsos probandi ante sumptionem Eucharistiæ non afficere amentes, sed eos solum, qui possunt seipsos probare; nam est positum solum pro iis, qui habent conscientiam peccati mortalis, amentes. autem, quamuis essent in statu peccati, non habent conscientiam peccati mortalis, quia conscientia est actus rationis liberæ, quæ non est in ipsis. Et ideo quamuis se probare non possint, non per hoc debet ipsis denegari viaticum.

10 Ex his colligitur. Non esse necesse, quod amentes ante vsum rationis habuerint expressam voluntatem sumendi Eucharistiam, sed sufficere, quod habuerint voluntatem virtualem, & interpretatiuam; quæ sufficienter colligitur ex eo, quod christianè vixerint, & obseruauerint præcepta, & proinde sumpserint Eucharistiam, quando ex præcepto erat sumenda; siquidem sufficit quæcunque voluntas, quæ valeat fundare moralitatem, nam operatur, quod vbi est talis voluntas, sit etiam moralis intentio, & volitio. Et ita notant etiam Syluester cum Archidiacono, Angelus, D. Antonin. Paludan. Henriquez, Suarez, Zambran. Hurtad. Palaus supra *num.* 4. citati.

11 Colligitur 2. Quod siquis incideret in amentiam perpetuam post vsum rationis, sed antequam admitteretur ad Eucharistiam, siquidem pueri non admittuntur statim post vsum rationis, sed cum ad annos discretionis peruenerint, poterit adhuc ipsis ministrari Eucharistia pro viatico. Siquidem, cum professi sint vitam christianam, in hac professione habuerunt voluntatem virtualem implendi omnia præcepta, quæ in tali professione implenda sunt, & consequenter etiam præceptum viatici, quæ voluntas, cum non sit retractata, censetur adhuc moraliter perseuerare, & ideo se habent tanquam petentes sibi ministrari. Ex quo desumitur ratio, cur non sit ministranda iis, qui ante vsum rationis inciderunt in amentiam perpetuam, quia licet quoad statum præsentem eodem modo se habeant, quoad præteritum, tamen diuerso modo se habẽt, siquidem hi nunquam habuerunt propriam voluntatem regulatam ratione, nec etiam vnquam per propriam voluntatem professi sunt christianam religionem, atque adeo carent illa virtuali voluntate adimplendi præceptum viatici.

12 Colligitur. 3. Quod siquis ante vsum rationis incidisset in amentiam, sed postea habuisset aliqua lucida interualla, & rursus in perpetuam amentiam inciderit, posse refici viatico, si dum habuit illa lucida interualla, dedit signa christianæ professionis, vt esset more christianorum orare, implere aliquod præceptum, aut quid simile. Nam hi quoque in his signis, sicut ostendunt christianam professionem, ita

etiam virtualem voluntatē suscipiendi sacramentem,& implendi præcepta, & proinde etiam præceptum viatici.

An furiosis, & phræneticis dandum sit viatitum. Quæst. 299.

S V M M A.

1 *Furiosis, & phrenetieis an ministrandum viaticum. & num. seq.*
3 *Furiosi, & phrenetici christiani habent virtuale propositum implendi præcepta.*
4 *Phrenetico, qui ante non exhibuit signum pænitentiæ, an dandum viaticum.*
5 *Rituale Romanum solum in vita negat Eucharistiam furiosis, & phreneticis.*
6 *Phrenetico an ministrandum viaticum, stante spe, quod sit sanaturus.*

1 NOn esse furiosis, & phræneticis ministrandum viaticum asserunt ex eodem fundamento Alens. *par.* 4. *quæst.* 11. *mem.* 2. *ar.* 3. §. 1 ver. *Consequenter*, Gabr. *in* 4. *disp.* 9. *quæst.* 2. *ar.* 3. *dub.*4.

2 Dicendum tamen est. *Furiosis quoque & phræneticis esse dandum viaticum, si non adsit periculum alicuius irreuerentiæ.* Ita D. Th. 3. *par. quæstion.* 80. *artic.* 9. Syluius, Præposit, Mærcer, Chellison. *ibid.* Suarez *disp.*69. *de Eucharis. sect.* 2. *dub.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 212. *cap.* 3. *numer.* 21. Isambert. *quæst.* 80. *disp.* 4. *artic.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 4. *n.* 2. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 12, *art.* 9. *dub.* 1. Io. Sanchez *in select. de sacramen. disp.* 38. *num.* 10. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.*4. *de Eucharis. quæst.* 4. *de suscipient. Euchar.* ver. *An autem* & alii citati *quæst. præcedenti num.* 4. Hoc autem debet intelligi supposito, quod non constet, fuisse in statu peccati, quando inciderunt in amentiam.

3 Ratio autem est eadem. Quia cum professi sint christianam religionem, habent virtualem voluntatem implendi omnia præcepta, atque adeo etiam suscipiendi viaticum, & ideo tenentur Pastores implere munus suum, & ministrare viaticum. Præsertim quia fieri potest, quod habeant aliqua lucida interualla, quæ obseruari non possint, & proinde possint tentari à demone: vnde debet prouideri de præseruatiuo contra tentationes.

4 An autem sit exhibendum viaticum, si phræneticus postquam in morbum incidit, nullum dedit signum poenitentiæ, negat Zanard. *par.* 1. *direct. cap.* 7. *de Euchar.* Verum oppositum tenendum est, vt tenent Ioa. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 38. *num.* 10. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharis. quæst.* 4. *de suscipientib. Eucharis.* ver. *Quid si.* Et ratio est. Quia adhuc, & ipse censetur moraliter petere, cum profitendo vitam christianam ostēderit voluntatem adimplendi præcepta; & proinde tenentur adhuc pastores consulere saluti animæ ipsius.

5 Dices, Ex Rituali Romano Pauli V. *Tit. de commun.* habetur amentibus, seu phræneticis communicare non licet, licebit tamen, si quando habent lucida interualla, deuotionem ostendant, si nullum periculum indignitatis adsit. Resp. Rituale tradere Regulam de communicandis iis personis in vita, non autem pro tempore mortis, siquidem postea in speciali rubrica agit de viatico.

6 Ex dictis colligitur contra Baunium *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharistia quæst* 3. *de suscipientib. Euchar.* ver. *Excipiendi sunt*, quod stante spe, quod phræneticus sit sanaturus, ac vsum mentis recuperaturus, adhuc erit ministrandum viaticum, nisi aliud obstet. Tum quia ob incertam spem sanitatis non debet exponi periculo, quod decedat sine viatico. Tum quia, quan-

quando vrget periculum mortis, vrget etiam præceptum de viatico, & adueniente sanitate cessat.

An energumenis dandum sit viaticum. Quæst. 300.

S V M M A:

1 *Quibus energumenis olim denegata Eucharistia.*
2 *Energumenis ministrandum viaticum, si aliàs sint dispositi.*
3 *Id decernunt Concilia.*
4 *Energumeni habent ius ad viaticum.*
5 *Energumenis carentibus vsu rationis an ministrandum viaticum.*
6 *Energumenis vexatis in poenam peccatorum an denegandum viaticum, si poeniteant.*
7 *Quomodo accipiendi Doctores, qui oppositum tradunt.*

1 QVamuis ex aliquibus Patribus desumatur, energumenis fuisse denegatam Euchariſtiam, vt ex D. Dionis. *De Ecclesiast. hierar. cap. 3. par. 2.* Cypriano *lib. 3. Epist. 10. ad Decent. Episcop. cap. 2.* & refertur in Cap. *De nominib.* De *consecrat. dist. 1.* Hieronimo *in cap. 18. Ezech.* Isidoro *Epist. ad Ludifred.* & refertur in Cap. *perlectis. dist. 25.* Concil. Elibertino. *can. 39.* Non tamen hinc inferri potest, quod non sit danda Eucharistia; nam in citatis locis, & in alijs huiusmodi non est sermo de quibuscunque energumenis, sed de iis, qui ob delicta excommunicabantur, & dæmonis potestati tradebantur iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 15. *Tradidi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat*: & ita colligitur ex Cassiano. *Collat. 7. capit. 28. & 29.*

2 Dicendum igitur est. *Energumenis baptizatis ministrandum esse viaticum, si aliàs dispositi sint.* Ita communiter, dum docent ministrandam absolutè Eucharistiam, D. Th. *3 part. quæst. 80. art. 9. ad 2.* Siluius *ibidem.* Mercer. *proposit. 3.* Chellison. *ver. Diaco 4.* Isambert. *disp. 4. art. 4.* Vasquez *disp. 212. cap. 4. num. 32.* Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 9* Paludan. *dist. 9. quæst. 4. art. 2. conclus. 4.* D. Antonin. *3. part. tit. 14. cap. 12. §. 3.* Ochagauia *De sacram. tract. 2. de Eucharis. quæst. 13. conclus. 8.* Bonac. *disp. 4. de sacram. quæst. 6. de Eucharis. pun. 1. num. 6.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 9. de Eucharis. difficul. 21.* Reginald. *lib. 29. praxis fori poenit. numer. 80.* Posseuin. *De offic. Curati cap. 8. numer. 31.* Ludouic. à S. Th. *par. 1. sum. quæstion. 7. de Eucharis. dub. 2. difficul. 1.* Auersa *quæst. 8. de Eucharis. sect. 1. ver. Quintò.* Suarez *disp. 69. de Eucharis. sect. 2. in fine.* Tolet. *lib. 2. sum. cap. 28. in fine.* Ledesma *par. 1. sum. capit. 13. de Eucharis. in fine.* Palat. *in 4. dist. 9. disp. 11. col. 12.* Vega *part. 1. sum. cap. 61. casu 20.* Lopez *part. 1. instructorii. cap. 76. §. Quæritur 9.* Summa Coronæ *de sacramen. Eucharist. §. de sument. hoc sacram. ver. sed quid dicendum.* Angelus *verbo.* Eucharistia *3. num. 15.* Astens. *par. 1. sum. lib. 4. tit. 17. art. 4. quæst. 7.* Zambran. *in suis. decis. cap. 3. de Eucharis. dub. 4. num. 6.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 4. num. 6.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. numer. 10.* Petrus Thyræus *de Dæmoniacis. par. 2. cap. 28.* Baunins *par. 1. theol. moral. tract. 4. de Eucharis. quæst. 5. de suscipientib. Eucharis.* ver. *interim notare.* Hieronim. Garzia *par. 1. sum. tract. 3. difficul. 4. dub. 2. pun. 1. numer. 9.* Putean. *part. 3. quæst. 80. art. 12. dub. 2.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 38. num. 5.*

3 Desumitur autem ex D. Prospero *lib. 4. de prædict. & promission. cap. 6* & ex Concil. Arausicano 1. *can. 14.* ibi. *Energumeni iam baptizati, si de pur-*

quibusdam primariis ministraretur, nulli autem pauperi. Quem abusum Goæ, & in vicinis locis concionando, & ostendendo necessitatem ministrandi Eucharistiam, & refutando pastores quosdam se opponentes sustulit P. D. Antonius Ardizonus nostræ Congregationis Clericus Regularis cum magno fructu illorum populorum; siquidem illorum confessiones, vt plurimum erant sacrilegæ ob defectum integritatis, quando verò coeperunt sumere Eucharistiam, coeperunt etiam integrè confiteri, edocti, quod non poterant accedere cum aliquo peccato ad talem cibum, sed opus esset conscientia pura. Quare, ne tantus labor dicti Patris cursu temporis periret Illustrissimus, & Reuerēdissimus Archiepiscopus statuit, vt saltē in articulo mortis, & in Paschate iis populis ministraret: ut Eucharistia. Et quid simile olim statutum fu t in Concilio Limensi in Prouincia Peruana, nam Concilium. *Seriò monet Indorū Parochos, vt quos audita iam confessione perspexerint hunc coelestem cibum à reliquo corporali discernere; atque eumdem deuotè petere, & pascere, quoniam sine causa neminem diuino alimento priuare possumus, quo tempore coeteris christianis solent, Indis etiam omnibus administrent.*

6 Colligitur 3. Quod licet possit denegari viaticum Gentilibus recenter ad fidem conuersis, quando adest sufficiens fundamentum, quod non sint verè conuersi, aut quando constat de indignitate; non tamen denegandum est ex quacunque suspicione. Quia non potest denegari, nisi publicè denegetur, & ideo procedendum est iuxta regulam seruandam cum peccatoribus, quibus cum non possit denegari, nisi certò constet, & publicè, quod sint tales, nec etiam his denegari potest, nisi constet, quod non sint verè conuersi, aut quod sint indigni. Et ideo non potest statui regula generalis, quod ipsis non detur viaticum; & multò minus debet denegari ob debilem cognitionem rerum fidei.

An surdis, & mutis à natiuitate sit exhibendum viaticum. Quæst. 302.

S V M M A.

1 *Muti, Surdi, & coeci à natiuitate non sunt capaces viatici.*
1 *Non possunt percipere mysteria fidei.*
2 *Surdus, & mutus à natiuitate an capax viatici, & num. seq.*
2 *An possit percipere mysterium Eucharistiæ.*
4 *Surdus, & mutus à natiuitate potest percipere mysterium Eucharistiæ.*
5 *Surdus à natiuitate capax Eucharistiæ.*
6 *Surdus, & mutus à natiuitate quomodo concipere possit reuerentiam erga Eucharistiam.*
7 *Vnde cognosci possit surdos, & mutos à natiuitate habere notitiam mysterii Eucharistiæ.*
7 *Quomodo Eucharistia sit in possessione, vt non ministretur indignis.*
8 *Surdus, & mutus à natiuitate diiudicare potest inter Eucharistiam, & panem communem.*
9 *Surdus, & mutus à natiuitate in quibus comparetur mortuo, & menticapto.*

1 SVpponendum est tanquam certum, mutos, & surdos, & simul etiam coecos à natiuitate non esse capaces Eucharistiæ, vt notat etiam Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. num. 9.* Licet enim baptizandi sint, & possint saluari, si rectè vixerint, non tamen possunt vllo pacto percipere mysteria fidei, neque de ipsis in particulari habere fidem, quamtumuis implicitam; siquidem obtinent eos tantum sensus, nempe tactum, gustum, & olfactum, qui valde crassi sunt, nec inseruire possunt ad percipiendas res fidei, etiam qualicunque

que cognitione. Vnde difficultas de cæcis, & surdis à natiuitate.

2 Prima sententia asserit, esse ab- solutè incapaces Eucharistiæ. Ita Isambertus *3. par. quæst. 80. disp. 4. art. 2.* qui tamen addit, posse ministrari, quando nutibus ostendunt ardens desiderium Baunius *par. 1. theol. moral. tract. 4. de Eucharist. quæst. 5. de suscipientib. Eucharist.* ver. *Sed hæc opinio.* Prob. Carent principio, quo retineri possint ab iniuria erga sacramentum, nempe fide præsentiæ Christi sub speciebus sacramentalibus: nec possunt percipere, quod sub ipsis sit verum corpus Christi absque substantia panis. Ergo non est illis danda Eucharistia. Secundò. Adest iusta causa dubitandi, an habeant qualitates, præsertim fidem, quæ requiruntur pro dispositione ad recipiendam Eucharistiam. Ergo cum in dubio sit melior cōditio possidentis, & Eucharistia possideat, quia non est danda incapacibus Matth. 10. *Nolite sanctum dare canibus*, non est ipsis ministranda. Tertiò. Qui sumit Eucharistiam, debet diiudicare inter corpus Christi, & cibum communem 1. AdCorinth. *cap. 11.* Mutus autem, & surdus à natiuitate non potest diiudicare.

3 Secunda sententia asserit, posse, & debere ministrari si aliàs constet, quod habeant vsum rationis, & confiteantur per nutus: & proinde debere ministrari viaticum. Ita Abbas *in cap. cum apud. num. 6. de sponsalib.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 4. quæsito 4.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. num. 9.* Michalor. *de coeco, surdo, & muto. cap. 51. num. 11.* testans, se hoc vidisse in praxi seruatum in quodam, qui magna deuotione, & signis clarissimis notitiæ mysterii accedebat. Iacob. Marchant. *in resolut. Pastoralib. de sacram. tract. 4. cap. 3. quæst. 1. casu 4.* qui id tradit solum de viatico. Hieronim. Garzia *par. 1. sum. tract. 3. difficul. 4. dub. 2. pun. 2. num. 25.*

4 Dicendum est, *Surdis, & mutis à natiuitate ministrandum esse viaticum, si ex signis constet, quod habuerint vsum rationis, & notitiam aliquam talis mysterii.* Prob. Non minus per visum percipiuntur obiecta extrinseca, quam per auditum: imo visus est magis proportionatus ad illuminandum intellectum, cum plura in obiectis percipiat, ex quibus intellectus deducere potest suam cognitionem. Ergo possunt concipere fidem saltem implicitam de mysterio Eucharistiæ ex eo, quod videant à sacerdote confici cum tanta reuerentia, adorari à populo, sumi cum magna deuotione, & submissione, & alia huiusmodi, & credere, quod credunt coeteri, & quod proponitur ab Ecclesia. Ergo sunt capaces sumendi Eucharistiam, quia possunt intendere facere, quod faciunt coeteri, & tanquam suscipientes velle cooperari actioni Ecclesiæ, per quam ministrat Eucharistiam, cum illa fide, quam habent coeteri suscipientes. Hæc autem fides, & intentio sufficit, siquidem sufficit etiam ad tribuendum valorem sacramentis, vt siquis ignarus fidei christianæ baptizaret intendens facere, quod facit Ecclesia, & implicitè credens in baptismo illam virtutem, quam credit Ecclesiæ, imo etiam si solum intenderet facere, quod facit Ecclesia.

5 Confir. Surdus tantum à natiuitate est capax Eucharistiæ, quia per nutus potest instrui in fide: Licet enim fides regulariter fit ex auditu, attamen sicuti nutus, & alia signa, nempe scriptura substituuntur in ordine ad visum loco verborum, ita etiam visus supplet pro auditu: & proinde, quæ medio auditu percipiuntur, possunt etiam percipi mediante visu. Ergo etiam surdus, & mutus erit capax Eucharistiæ, quia ex eo, quod careat loquutione, non caret aliquo sensu, qui inseruiat docibilitati, & instructioni: vnde quòad facultates, quæ inseruiunt, vt possit quis instrui, est æqualis conditionis cum solo surdo, & ideo eodem

iuxta illud Actor. 20. *Mundus ergo sum à sanguine omnium vestrum; non enim subterfugi quominus annunciarem vobis omnem veritatem*: & illud Ambrosii. serm. 83. *Malo vos contumacia vestræ rationem reddere, quàm me veritatis dissimulatæ*.

10 Dices. Dum ratione ignorantiæ inuincibilis excusatur à peccato, excusabitur etiam à scandalo, quia in tantum est causa scandali, in quantum peccati: vnde adhuc poterit relinqui in suo statu. Resp. Non posse excusari à scandalo, quia scandalum generatur ex actione secundum se mala; cum ipse sit causa talis actionis, quæ est obiectum scandali, est etiam causa scandali. Et quamuis ipsi stante ignorantia, non imputetur scandalum, sicut nec imputatur peccatum, attamen quia reuera in proximo scandalum generatur, & est scandalum actiuum, debet sacerdos prouidere, vt tollatur, & admonere poenitentem suæ obligationis, prout respicit proximum: quia concurrente proximo innocenti, & poenitente in errore, debet potius illi prospici, quàm isti.

11 Ex dictis colligitur. Id, quod dictum est de vsurario, procedere etiam de quocunque alio peccatore siue in ordine ad peccata, siue in ordine ad satisfactionem alteri exhibendam, siue in ordine ad restitutionem, cum sit eadem ratio. Si enim excusatur à peccato siue ratione opinionis probabilis, siue ex alio capite, non debet illaqueari, nec debet iudicari in foro poenitentiæ tanquam reus. Præsertim quia confessarius, vt notant Henriquez *lib. 6. sum. cap. 26. num. 6.* Valer. *in different. vtriusq; fori verbo* Opinio *differen. 2. num. 2.* Bossius *tom. 1. moral. tit. 1. §. 23. num. 146.* debet amplecti benigniorem partem in fauorem poenitentis.

12 Dices. Si confessarius se conformet opinioni poenitentis, quando agitur de satisfactione alteri exhibenda, aut de restitutione, facit iniuriam is, quibus est satisfaciendum, aut restituendum, qui multoties possunt habere pro se opinionem probabiliorem. Ergo non potest se conformare. Resp. Non facere iniuriam: quia sicuti stante illa opinione probabili poenitens non subiicitur peccato, ita neque coram Deo obligatur ad satisfaciendum, aut restituendum: & ideo sacerdos, cum iudicet poenitentem, sicut coram Deo debet iudicari, non facit alicui iniuriam.

13 Instabis. Iudex in iudicando debet sequi communiorem, & probabiliorem opinionem. Ergo etiam confessarius, & proinde debet obligare poenitentem ad satisfaciendum, & restituendum, saltem quando pars habet pro se opinionem probabiliorem. Respon. neg. conseq. Quia confessarius non iudicat inter poenitentem, & partem, sed inter poenitentem, & Deum, & ideo debet iudicare secundum habitudinem, quam habet ad Deum, secundum quam non se habet, vt offensor, nec vt obligatus ad satisfaciendum, seu restituendum; siquidem probabilis opinio, sicut facit, quod coram Deo honestè operetur, ita etiam, quod non subsit peccato, nec obligationi satisfaciendi, & restituendi.

14 Sed rursus instabis. Ergo saltem quando reuera poenitens debet restituere, aut satisfacere, & ex ignorantia inuincibili putat se non obligari, erit monendus de obligatione, etiam si monitio cognoscatur non profutura. Resp. neg. conseq. Quia iudex in sacramento poenitentiæ tendit solum ad reconcilandum hominem Deo: & ideo cum stante ignorantia inuincibili, non impediatur reconciliatio huiusmodi, non debet sacerdos monere, quando videt monitionem non profuturam, quia non spectat ad ipsum curare interesse temporale alienum, sed tantum spirituale poenitentis, & ideo debet omittere monitiones non profuturas, imo ex mala dispositione ipsius nocituras; sicut med cus omittit medicinas alioquin aptas, quando cognoscit nocituras ex praua dispo-

fitione infirmi. Sic etiam communiter docent, quod confessarius cognoscens matrimonium nullum ex occulto impedimento, non debet monere, quando monitio esset nocitura, & tamen hoc posset præiudicare alteri, vt si vir haberet filios ex alia vxore, nam hi minus participabunt de bonis paternis. Ita Ledesm. 2. *par.* 4. *quæst.* 8. *art.* 4. *dub.* 9. Canus *relect. de poenit. par.* 5. §. *Atque hic ego.* Henriquez *lib.* 6. *de poenit. cap.* 27. *num.* 24. Io. Medina C. *de confes. tract.* 2. *quæst. de confes. dimidiat. iteran.* Corduba *in sum. quæst.* 189. *pun.* 1. & 6. Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disp.* 38. *num.* 20. & faciunt tex cap. *Siquis autem. de poenitent. dist.* 7. & cap. *De vidais* 27. *causa* 2. *quæst.* 1. Et ratio generalis est. Quia cum ignorantia excuset à peccato, ad monitio iniiceret laqueum, & constitueret absque fructu in malo statu: vnde confessio operaretur finem oppositum proprio fini, quia non esset in bonum, sed in detrimentum poenitentis.

An peccatori occulto sit ministrandum viaticum. Quæst. 297.

S V M M A.

1 *Peccatori occulto publicè petenti ministranda sacramenta.*
2 *Viaticum ministrandum peccatori occulto.*
2 *Denegatio sacramenti quid requirat, vt habeat locum.*
3 *Habet vim sententiæ de indignitate.*
3 *Sententia certa non potest proferri super re dubia.*
4 *Peccator an habeat ius ad Eucharistiam.*
5 *Sacerdos an secundum scientiam priuatam possit denegare sacramenta.*
6 *Præceptum non ministrandi sacramenta indignis est negatiuum: non vero non ministrandi indignis.*

1 Quod peccatori occulto publicè petenti sine ministranda sacramenta, est communis omnium sententia, fundata in facto Christi, qui, quamuis Iudas indignus esset, & ipsius indignitas probè nota esset Christo, nihilominus Eucharistiam in vltima coena illi ministrauit. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 90. *artic.* 6. *in corpore.* Caiet. *ibid.* Nugn. *ibid. difficul.* 2. *conclus.* 1. & 2. Syluius *quæsito* 2. *ver. Cæterum quando.* Præposit. *numer.* 31. vet. *Dico* 2. Chellison. *ver. Dico* 3. D. Bonauen. *in* 4. *dist.* 9. *ar.* 2. *quæstion.* 4. Alens. *par.* 4. *quæst.* 11. *memb.* 2. *ar.* 3. §. 1. *in corpore.* Syluester *verbo* Eucharistia. 3. *num.* 7. Armilla *num.* 22. & 27. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 6. Pitigian. *dist.* 9. *quæst.* 1. *ar.* 15. Nauar. *cap.* 21. *manual. num.* 55. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disp.* 16. *numer.* .. Suárez *disp.* 18. *de sacram. sect.* 2. *in med.* Rodriquez *par.* 1. *sum. capit.* 68. *num.* 4. Angles *quæst.* 2. *de Euchar. ar.* 4. *conclus.* 1. Henriquez *lib.* 1. *sum. capit.* 30. *num.* 5. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *capit.* 38 Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 6. *quæst.* 8. *pun.* 3. ver. *Quartò peccatori.* Reginald. *lib.* 26. *praxis fori poenitent. num.* 62. Viuald. *cap.* 3. *de sacrament. in genere. num.* 12. *conclus.* 2. Possenin. *de offic. curati. cap.* 5. *numer.* 13. Camerota *de Euchar. dub.* 19. Filliuc. *tra.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 10. Bartholom. ab Angelo *Dialogo* 4. §. 36. Bonac. *disp.* 1. *de sacramen. quæst.* 6. *pun.* 4. *num.* 4. Vasquez 3. *par. disp.* 209. *cap.* 3. Goninch *de sacram. quæstion.* 80. *artic.* 6. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 18. *disp. vn. pun.* 14. *num.* 3. Gasp. Hurtad. *de sacram. disp.* 9. *de Euchar. difficul.* 9. & alii in materia de sacramen. Et desumitur ex cap. *Si tantum. 6. quæst.* 2. vbi Glosa, & cap. *Non prohibeat. de consecrat. dist.* 6. vbi item Glosa, & cap. *Si sacerdos. de offic. ordin.*
2 Hinc dicendum est. *Peccatori occul-*

culto esse ministrandum viaticum. Sequitur ex dictis, quia quando petit viaticum, publicè petit, & publicè ministrandum est: vnde sumus in casu de peccatore publicè petenti. Varias rationes afferunt Doctores, quarum præcipuas examinat Vasquez *3. par. disp. 209. cap. 3.* Sed ea videtur esse vera ratio fundamentalis, quæ colligitur ex dictis tex. cap. *Si tantum. 6. quæst. 2.* ibi. *Quamdiu probare non potest, nihil proferat.* & cap. *Si sacerdos. de offic. ordinar.* ibi. *Nisi indiciario ordine quis probare potest, non debet eum arguere nominatim.* Quibus significatur, quod cum denegatio Eucharistiæ, aut alterius sacramenti sit quædam declaratio indignitatis, & redargutio determinatæ personæ de scelere, non potest habere locum, nisi interueniat sufficiens fundamentum: non interuenit autem sufficiens fundamentum, quando peccatum est occultum, quia quod est occultum, non potest esse sufficiens fundamentum publicæ declarationis.

3. Ratio autem est; quia cum ista declaratio habeat vim sententiæ, per quam facto ipso pronũciatur indignus sacramento, & priuatur participatione ipsius, requiritur tale fundamentum, quod sufficiat ad hanc publicam declarationem, qua arceatur à perceptione sacramentorum. Ergo sicut sententia certa non potest proferri super re dubia cap. *Graue. 11. quæstion. 1.* & cap. *Iudicantem. 3. quæst. 5.* vbi Eleuterius Papa hoc scribit ad prouincias Galliæ, & cap. *Habuisset dist. 33.* vbi hoc ipsum decernitur à Gregorio Pontifice; ita neque sententia publica fundari potest super delicto occulto, aut aliquid, quod virtualiter vim habeat sententiæ, quale est publicè arcere à sacramentis. Vnde sicut iudex iniustè iudicaret, si delictum occultum puniret: ita etiam si ob delictum occultum sacerdos arceret à sacramentis, iniustè arceret.

4. Dices. Peccator, quamdiu in peccato manet, non habet ius ad Eucharistiam, imo petendo grauissimè peccat. Ergo potest sacerdos sine iniustitia ipsum arcere. Resp. Non habere quidem ius ad Eucharistiam petendam, quia non est instituta pro peccatoribus. habere tamen ius, ne publicè arceatur, dum delictum est occultum; sicut reus habet ius, ne damnetur, & ad absolutionem, quamdiu delictum est occultum, & is, cuius fama læsa est ob manifestationem criminis occulti, habet ius ad restitutionem. Si ergo sacerdos publicè arceret, iniustè ageret, quia declararet publicè criminosum, quem non potest declarare. Vnde D. August. *lib. de medicina poenitent. capit. 3.* habet, nos non posse quemquam prohibere à communione, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, & conuictum. Quia nimirum, vt dictum est, talis prohibitio habet vim sententiæ publicæ, quę requirit pro fundamento delictum publicum.

5. Instabis. Si Sacerdos posset in publico aliqua subtili inuentione prætermittere peccatorem occultum, aut consumando omnes hostias antequam ad illum perueniret, aut alio modo, teneretur id facere. Ergo etiam ex scientia priuata potest arcere: & proinde potest secundum ipsam se regulare. Resp. Quicquid sit de antecedenti, posse se regulare secundum scientiam priuatam, quando priuatè arcet, non autem quando publicè; quia, vt dictum est, priuata notitia non sufficit pro publica declaratione quando autem subtili inuentione ipsum præterit, quia talis præterisio non innotescit coeteris, habet vim priuatæ prohibitionis, siquidem est occulta, nec declarat ipsum indignum sacramentis.

6 Dices 2. Præceptum non ministrandi indignis sacramenta est negatiuum; & proinde obligat semper, & pro semper. Ergo nunquam licebit administrare siue publicè, siue priuatè petant. Resp. Aliud esse ministrare indignis, & aliud ministrare indignè: primum dicit, quod indignitas sit ex par-

parte subiecti; quæ proinde facit receptionem indignam; secundum dicit, quod indignitas se teneat ex parte actionis ministrandi. Præceptum ergo, quia cadit supra ministrationem tanquam supra materiam, quam prohibet, prohibet solum ministrare indignè, seu ministrationem, quæ ex parte ministrantis fiat indigna, non autem ministrare indignis, aloquin Christus ministrando Iudæ exercuisset actionem malam. Quando ergo sacerdos peccatori publicè petenti ministrat, ministratio non est indigna, imo facit, quod debet, ita vt si negaret, iniustè ageret, quia nimirum talis ministratio non est contra regulas rectæ rationis, sed secundum ipsas. Hinc etiam corruit argumentum, quod ministratio indigna sit contra digniorem, & perfectiorem virtutem, nempe religionem; & denegatio sit contra iustitiam, quæ est inferior virtus, & proinde hæc deberet cedere, nam cum in tali casu ministratio non sit indigna, vt ostensum est, non habet locum obiectio, quæ procedit ex suppositione, quod sit indigna, vt pote contra religionem.

An amentibus sit ministrandum viaticum. Quæst. 298.

S V M M A.

1 *Duplex genus amentium.*
1 *Amentibus à natiuitate non ministratur Eucharistia.*
2 *Habentibus lucida interualla ministratur.*
3 *Perpetuò amentibus an ministranda Eucharistia per modum viatici, & num. seq.*
5 *Quid statuant canones.*
6 *Pastores tenentur ministrare sacramenta omnibus, quando vrget præceptum.*
7 *Amentes capaces sunt Eucharistiæ.*
8 *Eucharistia an exponatur periculo irreuerentiæ, si ministretur amenti.*
9 *Præceptum seipsos probandi ante Eucharistiam quos afficiat.*
10 *Quid sufficiat, vt amentibus possit ministrari viaticum.*
11 *Amentibus à pueritia, antequam sumerent Eucharistiam, an ministrandum viaticum.*
12 *An amentibus ante vsum rationis, qui postea habuerunt lucida interualla, & postea perpetuam amentiam.*

1 Amentes sunt in duplici genere, quidam sunt tales à natiuitate, aut ante vsum rationis, quidam verò facti amentes post vsum rationis. Quod spectat ad amentes prioris generis, quamuis sint capaces effectus Eucharistiæ, si sint baptizati, quia sunt in statu gratiæ, quæ proinde augeri potest, ex consuetudine tamen non solet ministrari neque etiam in articulo, vt notat etiam Vasquez *3. par. disp. 212. cap. 3. numer. 26.* Quia cum non possint peccare, nec etiam indigent corroboratione, & auxiliis contra tentationes, quæ cohibentur per Eucharistiam. Fateor tamen, quod adhuc plurimum ipsis prodesset Eucharistia, nempe ad augmentum vitæ spiritualis, qua viuunt, & consequenter ad augmentum gloriæ. Non tamen ministratur, quia requirit Ecclesia in suscipiente, saltem voluntatem interpretatiuam, quæ in ipsis esse non potest.

2 Quod verò spectat ad amentes secundi generis, certum est, quod si habent lucida interualla, possit ministrari, si se probent per confessionem, & disponant ad ipsam congruè suscipiendam; nam pro illo se habent, ac si non essent amentes, & proinde possunt admitti, quoties congruum fuerit. Solum ergo difficultas est de perpetuò amentibus post vsum rationis, an sit ipsis ministrandum viaticum, cum sint capaces effectus sacramenti.

3 Prima sententia asserit, non esse ministrandum viaticum amentibus. Ita Alens. *par. 4. quæstion. 11. mem. 2. artic. 3. §. 1. ver. Consequenter quaritur.*

tur. Gabr. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Quorum fundamentum est, quia non possunt seipsos probare iuxta præceptum in Epist. *ad Corinth. cap.* 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* & ideo nec etiam possunt recipere Eucharistiam.

4 Secunda tamen sententia, & communis affirmat, posse ministrari viaticum perpetuo amentibus, dummodo, quando inciderunt in amentiam, non constet, fuisse in statu peccati, aut si fuerunt in statu peccati, dederint ante amentiam signa poenitentiæ, & insuper absit periculum irreuerentiæ. Ita D. Th. 3. *par. quæst.* 80. *art.* 9. Syluius, Mercer, Præposit. Chellison. *ibid.* Palud. *in* 4. *dist.* 9. *q.* 4. *ar.* 2. Carthus. *quæst.* 4. Sotus *dist.* 12 *quæst.* 1. *ar.* 9. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 12 §. 3. Caiet. 3. *par. quæst.* 79. *art.* 1. §. *superest.* Nauar. *in Manuali cap.* 20. *numer.* 27. Petrus Sotus *lect.* 8. *de Eucharis. circa finem.* Syluester *verbo*. Eucharistia 3. *num.* 7. Angel. *num.* 14. Victoria *in sum. num.* 83. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 12. *ar.* 9. *dub.* 1. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharis. capit.* 42. *numer.* 3. Petrus Ledesma *par.* 1. *sum. capit.* 13. *de Euchar. s. conclus.* 8. Riccard. *ar.* 15. §. *Hunc aggressus*. Suarez *disp.* 68. *de Eucharis. sect.* 2. *dub.* 3. Vasquez 3. *par. disp.* 212. *capit.* 3. *num.* 21. Isamber. *quæst.* 80. *disp.* 4. *ar.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 4. *num.* 2. Gaspar. Hurtad. *de sacram. disp.* 9. *de Eucharis. difficul.* 20. Ochagauia *tra.* 2. *de Euchar. quæst.* 13. *numer.* 8. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. capit.* 42. Laiman *lib.* 4. *theol. mor. tract.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 3. Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 9. *numer.* 72. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæst.* 6. *pun.* 1. *init.* Palaus *par.* 5. *oper. moral. trac.* 21. *disp. vnica. pun.* 10. *num.* 7. Martinon. *disp.* 36. *de Euchar. sect.* 1. *num.* 5. Hieronim. Garzia *par.* 1. *sum. tr.* 3. *difficul.* 4. *pun.* 1. *numer.* 6. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.* 5. *tit. de recipientib. Eucharis. quæstion.* 3. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *dub.* 4. *numer.* 3.

5 Dicendum est. *Viaticum ministrari posse perpetuò amentibus, quando post vsum rationis inciderunt in amentiam, supposito, quod non constet fuisse in statu peccati mortalis, quando amentes facti sunt, & quod non adsit periculum expuitionis Eucharistiæ, aut alterius irreuerentiæ.* Desumitur ex Concil. Cartaginensi IV. *can.* 74. & refertur in cap. *Is, qui.* 26. *quæst.* 6. & loquitur de iis, qui nullo modo confiteri potuerunt ob superuenientem amentiam. Similia habentur in Concilio Arausicano *cap.* 3. relato in capit. *Qui recedunt. eadem causa, & quæstion.* & in Concil. Toletano 2. *can.* 11.

6 Ratio autem est. Quia pastores tenentur ministrare Eucharistiam suis ouibus, quotiescunque vrget præceptum sumendi, vt nimirum possint illud adimplere, nec possunt eam denegare, nisi constet esse indignos; imo etiam si sciant, esse indignos, dummodo indignitas occulta sit, & publicè peniteant, tenentur ministrare, vt ostensum est *quæstion. præcedenti*. Ergo cum non constet, amentes perpetuos esse indignos, siquidem non constat, vt supponitur, quod fuerint in statu peccati, quando inciderunt in amentiam, tenētur pastores ipsis viaticū ministrare. Præsertim quia fieri potest, quod quando inciderunt in amentiam, licet non fuerint in statu gratiæ, fuerint tamen attriti, & tunc Eucharistia per accidens conferret primam gratiam.

7 Dices. Non esse capaces talis sacramenti, quia cum non vtantur ratione, non possunt discernere inter cibum, & cibum, nec humano modo sumere. Contra. Quia neque infantes possunt discernere, nec humano modo manducare, & tamen antiquitus illis ministrabatur, vt desumitur ex Concilio Trident. *sess.* 21. *cap.* 4. Deinde vt possint sumere humano modo, & discernere inter cibum, & cibum, non est necesse, quod actu discurrant, sed sufficit, quod aliquando habuerint notitiam sacramenti, & quod christiane vixerint, nam ex hoc sequitur, quod

vir-

virtualiter discernāt, & habeant voluntatem interpretatiuam sumendi, quæ etiam ex praxi Ecclesiæ sufficit pro aliis sacramentis. Denique quod sumere debeant humano modo, & præcedente voluntate suscipiendi, habetur solum ex praxi Ecclesiæ, non autem est necessarium ex natura sacramenti: Ecclesia autem hoc non requirit in moribundis, alioquin non esset viaticum ministrandum, nisi iis, qui non haberent impeditum vsum rationis.

8 Dices. Ministrare Eucharistiam amentibus, est eam exponere periculo irreuerentiæ, nam fieri potest, quod inciderint in amentiam, dum erant in peccato mortali. *Resp.* negar. sequel. Nam ex parte ministrantis non exponitur periculo irreuerentiæ, quia præsumit, quod in amente sit debita dispositio, vel saltem adfuerit attritio: nec ex parte sumentis potest interuenire irreuerentia, quia dato, quod esset in statu peccati, cum non sit in statu operandi libere, nec et[ia]m potest inferre irreuerentiam, quia irreuerentia est actus moralis, & fundatur in operatione libera.

9 Ad fundamentum in oppositum resp. Præceptum seipsos probandi ante sumptionem Eucharistiæ non afficere amentes, sed eos solum, qui possunt seipsos probare; nam est positum solum pro iis, qui habent conscientiam peccati mortalis, amentes. autem, quamuis essent in statu peccati, non habent conscientiam peccati mortalis, quia conscientia est actus rationis liberæ, quæ non est in ipsis. Et ideo quamuis se probare non possint, non per hoc debet ipsis denegari viaticum.

10 Ex his colligitur. Non esse necesse, quod amentes ante vsum rationis habuerint expressam voluntatem sumendi Eucharistiam, sed sufficere, quod habuerint voluntatem virtualem, & interpretatiuam; quæ sufficienter colligitur ex eo, quod christianè vixerint, & obseruauerint præcepta, & proinde sumpserint Eucharistiam, quando ex præcepto erat sumenda; siquidem sufficit quæcunque voluntas, quæ valeat fundare mora litatem, nam operatur, quod vbi est talis voluntas, sit etiam moralis in tentio, & volitio. Et ita notant etiam Syluester cum Archidiacono, Angelus, D. Antonin. Paludan. Henriquez, Suarez, Zambran. Hurtad. Palaus supra *num.* 4. citati.

11 Colligitur 2. Quod siquis incideret in amentiam perpetuam post vsum rationis, sed antequam admitteretur ad Eucharistiam, siquidem pueri non admittuntur statim post vsum rationis, sed cum ad annos discretionis peruenerint, poterit adhuc ipsis ministrari Eucharistia pro viatico. Siquidem, cum professi sint vitam christianam, in hac professione habuerunt voluntatem virtualem implendi omnia præcepta, quæ in tali professione implenda sunt, & consequenter etiam præceptum viatici, quæ voluntas, cum non sit retractata, censetur adhuc moraliter perseuerare, & ideo se habent tanquam petentes sibi ministrari. Ex quo desumitur ratio, cur non sit ministranda iis, qui ante vsum rationis inciderunt in amentiam perpetuam, quia licet quoad statum præsentem eodem modo se habeant, quoad præteritum, tamen diuerso modo se habēt, siquidem hi nunquam habuerunt propriam voluntatem regulatam ratione, nec etiam vnquam per propriam voluntatem professi sunt christianam religionem, atque adeo carent illa virtuali voluntate adimplendi præceptum viatici.

12 Colligitur. 3. Quod siquis ante vsum rationis incidisset in amentiam, sed postea habuisset aliqua lucida interualla, & rursus in perpetuam amentiam inciderit, posse refici viatico, si dum habuit illa lucida interualla, dedit signa christianæ professionis, vt esset more christianorum orare, implere aliquod præceptum, aut quid simile. Nam hi quoque in his signis, sicut ostendunt christianam professionem, ita

etiam virtualem voluntatē suscipiendi sacramentem,& implendi præcepta, & proinde etiam præceptum viatici.

An furiosis, & phreneticis dandum sit viatitum. Quæst. 299.

S V M M A.

1 *Furiosis, & phreneticis an ministrandum viaticum. & num. seq.*
3 *Furiosi, & phenetici christiani habent virtuale propositum implendi præcepta.*
4 *Phrenetico, qui ante non exhibuit signum pœnitentiæ, an dandum viaticum.*
5 *Rituale Romanum solum in vita negat Eucharistiam furiosis, & phreneticis.*
6 *Phræneetico an ministrandum viaticum, stante spe, quod sit sanaturus.*

1 Non esse furiosis, & phræneticis ministrandum viaticum asserunt ex eodem fundamento Alens. *par.* 4. *quæst.* 11. *mem.* 2. *ar.* 3. §. 1 ver. *Consequenter*, Gabr. *in* 4. *disp.* 9. *quæst.* 2. *ar.* 3. *dub.* 4.

2 Dicendum tamen est. *Furiosis quoque & phræneticis esse dandum viaticum, si non adsit periculum alicuius irreuerentiæ.* Ita D. Th. 3. *par. quæstion.* 80. *artic.* 9. Sylulus, Præposit. Mærcer, Chellison. *ibid.* Suarez *disp.* 69. *de Eucharist. sect.* 2. *dub.* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 212. *cap.* 3. *numer.* 21. Isambert. *quæst.* 80. *disp.* 4. *artic.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 4. *n.* 2. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 12. *art.* 9. *dub.* 1. Io. Sanchez *in select. de sacramen. disp.* 38. *num.* 10. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharis. quæst.* 4. *de suscipient. Euchar.* ver. *An autem* & alii citati *quæst. præcedenti num.* 4. Hoc autem debet intelligi supposito, quod non constet, fuisse in statu peccati, quando inciderunt in amentiam.

3 Ratio autem est eadem. Quia cum professi sint christianam religionem, habent virtualem voluntatem implendi omnia præcepta, atque adeo etiam suscipiendi viaticum, & ideo tenentur Pastores implere munus suum, & ministrare viaticum. Præsertim quia fieri potest, quod habeant aliqua lucida interualla, quæ obseruari non possint, & proinde possint tentari à demone: vnde debet] prouideri de præseruatiuo contra tentationes.

4 An autem sit exhibendum viaticum, si phræneticus postquam in morbum incidit, nullum dedit signum poenitentiæ, negat Zanard. *par.* 1. *direct. cap.* 7. *de Euchar.* Verum oppositum tenendum est, vt tenent Ioa. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 38. *num.* 10. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharis. quæst.* 4. *de suscipientib. Eucharis.* ver. *Quid si.* Et ratio est. Quia adhuc, & ipse censetur moraliter petere, cum profitendo vitam christianam ostēderit voluntatem adimplendi præcepta; & proinde tenentur adhuc pastores consulere saluti animæ ipsius.

5 Dices, Ex Rituali Romano Pauli V. *Tit. de commun.* habetur amentibus, seu phræneticis communicare non licet, licebit tamen, si quando habent lucida interualla, deuotionem ostendant, si nullum periculum indignitatis adsit. Resp. Rituale tradere Regulam de communicandis iis personis in vita, non autem pro tempore mortis, siquidem postea in speciali rubrica agit de viatico.

6 Ex dictis colligitur contra Baunium *par.* 1. *theol. moral. tract.* 4. *de Eucharistia quæst.* 3. *de suscipientib. Euchar.* ver. *Excipiendi sunt*, quod stante spe, quod phræneticus sit sanaturus, ac vsum mentis recuperaturus, adhuc erit ministrandum viaticum, nisi aliud obstet. Tum quia ob incertam spem sanitatis non debet exponi periculo, quod decedat sine viatico. Tum quia, quan-

quando vrget periculum mortis, vrget etiam præceptum de viatico, & adueniente sanitate cessat.

An energumenis dandum sit viaticum. Quæst. 300.

S V M M A.

1 *Quibus energumenis olim denegata Eucharistia.*
2 *Energumenis ministrandum viaticum, si aliàs sint dispositi.*
3 *Id decernunt Concilia.*
4 *Energumeni habent ius ad viaticum.*
5 *Energumenis carentibus vsu rationis an ministrandum viaticum.*
6 *Energumenis vexatis in poenam peccatorum an denegandum viaticum, si ipoeniteant.*
7 *Quomodo accipiendi Doctores, qui oppositum tradunt.*

1 QVamuis ex aliquibus Patribus desumatur, energumenis fuisse denegatam Euchariſtiam, vt ex D. Dionis. *De Ecclesiast. hierar. cap. 3. par. 2.* Cypriano *lib. 3. Epist. 10. ad Decent. Episcop. cap. 2.* & refertur in Cap. *De nominib.* De *consecrat. dist. 1.* Hieronimo *in cap. 18. Ezech.* Isidoro *Epist. ad Ludifred.* & refertur in Cap. *perlectis. dist. 25.* Concil. Elibertino. *can. 39.* Non tamen hinc inferri potest, quod non sit danda Eucharistia; nam in citatis locis, & in alijs huiusmodi non est sermo de quibuscunque energumenis, sed de iis, qui ob delicta excommunicabantur, & dæmonis potestati tradebantur iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 15. *Tradidi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat*: & ita colligitur ex Cassiano. *Collat. 7. capit. 28. & 29.*

2 Dicendum igitur est. *Energumenis baptizatis ministrandum esse viaticum, si aliàs dispositi sint.* Ita communiter, dum docent ministrandam absolutè Eucharistiam, D. Th. *3 part. quæst. 80. art. 9. ad 2.* Siluius *ibidem.* Mercer. *proposit. 3.* Chellison. *ver. Draco* 4. Isambert. *disp. 4. art. 4.* Vasquez *disp. 212. cap. 4. num. 32.* Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 9* Paludan. *dist. 9. quæst. 4. art. 2. conclus. 4.* D. Antonin. *3. part. tit. 14. cap. 12. §. 3.* Ochagauia *De sacram. tract. 2. de Eucharis. quæst. 13. conclus. 8.* Bonac. *disp. 4. de sacram. quæst. 6. de Eucharis. pun. 1. num. 6.* Gaspar Hurtad. *de sacram. disp. 9. de Eucharis. difficul. 21.* Reginald. *lib. 29. praxis fori poenit. numer. 80.* Posseuin. *De offic. Curati cap. 8. numer. 3.* Ludouic. à S. Th. *par. 1. sum. quæstion. 7. de Eucharis. dub. 2. difficul. 1.* Auersa *quæst. 8. de Eucharis. sect. 1. ver. Quintò.* Suarez *disp. 69. de Eucharis. sect. 2. in fine.* Tolet. *lib. 2. sum. cap. 28. in fine.* Ledesma *par. 1. sum. capit. 13. de Eucharis. in fine.* Palat. *in 4. dist. 9. disp. 11. col. 12.* Vega *part. 1. sum. cap. 61. casu 20.* Lopez *part. 1. instructorii. cap. 76. §. Quæritur 9.* Summa Coronæ *de sacramen. Eucharis. §. de sument. hoc sacram. ver. sed quid dicendum.* Angelus *verbo.* Eucharistia 3. *num. 15.* Astens. *par. 1. sum. lib. 4. tit. 17. art. 4. quæst. 7.* Zambran. *in sais. decis. cap. 3. de Eucharis. dub. 4. num. 6.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 4. num. 6.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. numer. 10.* Petrus Thyræus *de Dæmoniacis par. 2. cap. 28.* Baunius *par. 1. theol. moral. tract. 4. de Eucharis. quæst. 5. de suscipientib. Eucharis.* ver. *interim notare.* Hieronim. Garzia *par. 1. sum. tract. 3. difficul. 4. dub. 2. pun. 1. numer. 9.* Putean. *part. 3. quæst. 80. art. 12. dub. 2.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 38. num. 5.*

3 Desumitur autem ex D. Prospero *lib. 4. de prædict. & promission. cap. 6* & ex Concil. Arausicano 1. *can. 14.* ibi. *Energumeni iam baptizati, si de pur-*

purgatione sua curent, & se sollicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodè communicent, sacramenti istius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum, vel purgandi, quorum iam ostenditur vita purgatior. Et ex Concil. Elibertino can. 37. *Eos, qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet, si verò fuerint fideles, dandam eis esse communionem.*

4 Ratio autem est. Quia, quantum est de se, sunt capaces Eucharistiæ, & effectus ipsius, & possunt ipsam recipere cum debita dispositione: & proinde habent ius, vt ipsis ministretur. Rursus etiam in articulo mortis vrget præceptum diuinum de ipsa sumenda, vnde concurrunt ius, & obligatio. Ergo tenentur pastores ministrare, quia ratione officii obligantur pascere suas oues, & consequenter ministrare sacramenta, quando debent sumere, presertim quando iis indigent.

5 Ex his colligitur, ministrandum esse viaticum energumenis, etiam si careant vsu rationis, vt notant Suarez *disp. 79. de Euchar. sect. 2. in fine.* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 43. numer. 3. in fine.* Zambran. *in suis decis. cap. 3. de Euchar. dub. 4. numer. 10.* Quia defectus vsus rationis non reddit ipsos incapaces, vt dictum est supra quoad amentes, vnde adhuc iuuandi sunt tali subsidio in illo extremo vitæ.

6 Colligitur 2. Quod, licet energumeni puniantur vexatione dæmonis in poenam peccatorum, si tamen poeniteant, non est ipsis denegandum viaticum, quod si amiserint vsum rationis, antequam dederint signa poenitentiæ, videndum est, an constet fuisse in statu peccati, quando amiserunt vsum rationis, & si non constat, erit ministrandum viaticum, vt docet etiam Zambran. *in suis decis. capit. 3. de Eucharis. dub. 4. numer. 11.* Quia punitio peccatorum non reddit incapaces Eucharistæ, sed ipsa peccata, & ideo, cum non sint incapaces, non sunt noua afflictione affligendi. Neque huic doctrinæ obstat D. Dionis. *cap. 3. de Ecclesiast. hierar. par. 2.* dum habet, quod debent arceri etiam ab inspectione Eucharistiæ: nam vel loquitur de enegumenis nondum baptizatis, vt explicat D. Th. *3. par. quæst. 80. art. 9. ad 2.* vel de energumenis, quos, constat, permanere in iis peccatis, propter quæ vexantur, & qui ob delicta excommunicati erant, vt dictum est. *num. 1.*

7 Colligitur 3. Doctores, qui negant esse ministrandam Eucharistiam, vt Alens. *par. 4. quæst. 39. mem. 3. ar. 3. §. 1. ver. Consequenter quæritur* Syluester. *verbo.* Eucharistia *3. quæstion. 5. casu 10.* Armilla *verbo.* Communio. *n. 15.* Palud. *in 4. dist. 9. in fine.* Ledesma *par. 1. sum. cap. 13. de Euchar. in fine.* Tabiena *verbo.* Communicare. *numer. 56.* D. Antonin. *3. par. tit. 14 cap. 12. §. 3. in fine.* Cantarel. *lib. 1. in decal. cap. 75. num. 336.* Ragucius *in lucerna Parochorum quæsito 14. de Eucharist.* quando nimirum arripiuntur à demone in poenam peccatorum, esse intelligendos iuxta dicta *numer. præcedent.* si ita accipi possunt, aliàs non sunt audiendi.

An semifatuis, seu habentibus debilem vsum rationis sit dandum viaticum. Quæst. 301.

S V M M A.

1 *Viaticum ministrandum semifatuis, & habentibus debilem vsum rationis.*
2 *Semifatui, & debiles discursu subsunt præceptis, & tentationibus.*
3 *Pueris cur ante annos discretionis non ministretur Eucharistia.*
3 *Pueri ante annos discretionis non tenentur præcepto Eucharistiæ.*
4 *Recenter conuersis ad fidem ministranda Eucharistia.*

Præ-

4 *Præceptum Ecclesiæ assistit præcepto diuino de viatico.*
5 *Quid dicendum de consuetudine non ministrandi Indis Eucharistiam.*
6 *Quomodo procedendum cum recenter conuersis ad fidem quoad ministrationem viatici.*

---

1 Dicendum est. *Ministrandum esse viaticum etiam semifatuis, seu habentibus debilem vsum rationis; dummodo tamen sciant discernere inter cibum, & cibum.* Ita communiter. Henriquez *lib.8.de Eucharist. cap.42.num.3.* Laiman. *lib.5. theol. moral. tract. 4.cap. 4. quæsito 3.* in fine. Reginal. *lib.29. praxis fori pœnit. num.* 81. Bonac. *disp.4. de Sacram. quæst. 6. de Eucharist. pun.1.num.7.* Posseuin. *de Offic. curati.cap.8.num.32.* Palaus *par.4. oper.moral.tract.21.disp.vn.pun.10.n.8.* Dicastil. *De Sacramen. tract. 4. de Eucharist. disp.10. dub.5. num.122.* & alij cum D.Th. *3.par.quæst.80. ar. 9.*

2 Ratio est. Quia non obstante debili vsu rationis subsunt præceptis diuinis, & Ecclesiasticis, quæ proinde violare possunt: vnde tenentur etiam præcepto viatici. Rursus, cum peccare possint, sunt obnoxii tentationibus, & ideo indigent auxiliis, quæ sunt annexa viatico. Ergo tenentur Pastores ministrare, tum vt subueniant necessitati, cum vt præceptum de viatico impleri possit.

3 Dices. Pueris non ministratur Eucharistia, sed expectantur anni discretionis iuxta cap. *Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remis.* non alia ratione, nisi quia non habent perfectum discursum, & vsum rationis. Ergo ob eamdem rationem non est ministranda habentibus debilem vsum rationis. Resp. negat. conseq. Quia ideo expectantur in pueris anni discretionis, vt cum maiori reuerentia assuescant accedere, siquidem ex maiori cognitione sacramenti crescit reuerentia: vnde non priuantur absolutè Eucharistia, sed differtur, quia expectatur tempus, in quo magis fructuosa esse potest iuxta meliorem dispositionem suscipientis, quod non habet locum in semifatuis, præsertim in articulo mortis, in quo expectari non potest melior vsus rationis. Deinde quòad pueros non vrget præceptum, quia præceptum diuinum de sumenda Eucharistia indiget determinatione Ecclesiæ, quæ proinde determinauit, expectandos annos discretionis: at quòad constitutos in articulo mortis vrget præceptum diuinum, & ideo sufficit, si adsit quæcunque capacitas.

4 Ex dictis colligitur. Infidelibus recenter conuersis ad fidem non esse denegandam Eucharistiam præsertim in articulo mortis, quamuis sint ingenii obtusi, & valde hebetis, quales sunt Peruani, & alii Indiarum populi, vt notat etiam Dicastillus *de sacrament. tract. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 5. numer. 126.* quia cum sint capaces doli, & impossibile sit, quod non sciant aliquo modo discernere inter cibum, & cibum, dum sufficientes fuerunt apprehendere coetera mysteria fidei, sunt etiam capaces Eucharistiæ, præsertim in articulo mortis; & ideo non solum habet locum præceptum diuinum de viatico, sed etiam præceptum Ecclesiæ de exequendo quòad omnia præcepto diuino, vt statuitur in Concil. Nicæno *can. 13.* & ab Innocent. I. *Epist. 3. ad Exuperium Tholosanum Episcopum. §.2* vbi præcipit, omnibus poenitentibus in articulo mortis ministrandam esse Eucharistiam, & in cap. *Quæsitum 13. quæst. 2.* & etiam quòad hæreticos relapsos in cap. *Super eo. De hæret. in 6.* Quare eo ipso, quod habent aliqualem capacitatem, peccant pastores non ministrando.

5 Colligitur 2. Quod licet consuetudo non ministrandi Eucharistiam etiam in articulo mortis Indis conuersis ad fidem ex rationabili causa ortum duxerit, postea tamen degenerauit in abusum intolerabilem ex negligentia pastorum, & sacerdorum, ita vt solum

qui-

quibusdam primariis ministraretur, nulli autem pauperi. Quem abusum Goæ, & in vicinis locis concionando, & ostendendo necessitatem ministrandi Eucharistiam, & refutando pastores quosdam se opponentes sustulit P. D. Antonius Ardizonus nostræ Congregationis Clericus Regularis cum magno fructu illorum populorum; siquidem illorum confessiones, vt plurimum erant sacrilegæ ob defectum integritatis, quando verò coeperunt sumere Eucharistiam, coeperunt etiam integrè confiteri, edocti, quod non poterant accedere cum aliquo peccato ad talem cibum, sed opus esset conscientia pura. Quare, ne tantus labor dicti Patris cursu temporis periret Illustrissimus, & Reuerẽdissimus Archiepiscopus statuit, vt saltẽ in articulo mortis, & in Paschate iis populis ministraretur Eucharistia. Et quid simile olim statutum fu t in Concilio Limensi in Prouincia Peruana, nam Concilium. *Seriò monet Indorũ Parochos, vt quos audita iam confessione perspexerint hunc coelestem cibum à reliquo corporali discernere, atque eumdem deuotè petere, & pascere, quoniam sine causa neminem diuino alimento priuare possumus, quo tempore coeteris christianis solent, Indis etiam omnibus administrent.*

6 Colligitur 3. Quod licet possit denegari viaticum Gentilibus recenter ad fidem conuersis, quando adest sufficiens fundamentum, quod non sint verè conuersi, aut quando constat de indignitate; non tamen denegandum est ex quacunque suspicione. Quia non potest denegari, nisi publicè denegetur, & ideo procedendum est iuxta regulam seruandam cum peccatoribus, quibus cum non possit denegari, nisi certò constet, & publicè, quod sint tales, nec etiam his denegari potest, nisi constet, quod non sint verè conuersi, aut quod sint indigni. Et ideo non potest statui regula generalis, quod ipsis non detur viaticum; & multò minus debet denegari ob debilem cognitionem rerum fidei.

An surdis, & mutis à natiuitate sit exhibendum viaticum. Quæst. 302.

S V M M A.

1 *Muti, Surdi, & coeci à natiuitate non sunt capaces viatici.*
1 *Non possunt percipere mysteria fidei.*
2 *Surdus, & mutus à natiuitate an capax viatici, & num. seq.*
2 *An possit percipere mysterium Eucharistiæ.*
4 *Surdus, & mutus à natiuitate potest percipere mysterium Eucharistiæ.*
5 *Surdus à natiuitate capax Eucharistiæ.*
6 *Surdus, & mutus à natiuitate quomodo concipere possit reuerentiam erga Eucharistiam.*
7 *Vnde cognosci possit surdos, & mutos à natiuitate habere notitiam mysterii Eucharistiæ.*
7 *Quomodo Eucharistia sit in possessione, vt non ministretur indignis.*
8 *Surdus, & mutus à natiuitate diiudicare potest inter Eucharistiam, & panem communem.*
9 *Surdus, & mutus à natiuitate in quibus comparetur mortuo, & menticapto.*

1 SVpponendum est tanquam certum, mutos, & surdos, & simul etiam coecos à natiuitate non esse capaces Eucharistiæ, vt notat etiam Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. num. 9.* Licet enim baptizandi sint, & possint saluari, si rectè vixerint, non tamen possunt vllo pacto percipere mysteria fidei, neque de ipsis in particulari habere fidem, quamtumuis implicitam; siquidem obtinent eos tantum sensus, nempe tactum, gustum, & olfactum, qui valde crassi sunt, nec inseruire possunt ad percipiendas res fidei, etiam qualicunque

que cognitione. Vnde difficultas de cæcis, & surdis à natiuitate.

2 Prima sententia asserit, esse absolutè incapaces Eucharistiæ. Ita Isambertus *3. par. quæst. 80. disp. 4. art. 2.* qui tamen addit, posse ministrari, quando nutibus ostendunt ardens desiderium Baunius *par. 1. theol. moral. tract. 4. de Eucharist. quæst. 5. de suscipientib. Eucharist.* ver. *Sed hæc opinio.* Prob. Carent principio, quo retineri possint ab iniuria erga sacramentum, nempe fide præsentiæ Christi sub speciebus sacramentalibus: nec possunt percipere, quod sub ipsis sit verum corpus Christi absque substantia panis. Ergo non est illis danda Eucharistia. Secundò. Adest iusta causa dubitandi, an habeant qualitates, præsertim fidem, quæ requiruntur pro dispositione ad recipiendam Eucharistiam. Ergo cum in dubio sit melior cōditio possidentis, & Eucharistia possideat, quia non est danda incapacibus Matth. 10. *Nolite sanctum dare canibus*, non est ipsis ministranda. Tertiò. Qui sumit Eucharistiam, debet diiudicare inter corpus Christi, & cibum communem 1. AdCorinth. *cap.* 11. Mutus autem, & surdus à natiuitate non potest diiudicare.

3 Secunda sententia asserit, posse, & debere ministrari si aliàs constet, quod habeant vsum rationis, & confiteantur per nutus: & proinde debere ministrari viaticum. Ita Abbas *in cap. cum apud. num. 6. de sponsalib.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 4. cap. 4. quæsito* 4. Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 21. disp. vn. pun. 10. num. 9.* Michalor. *de cæco, surdo, & muto. cap. 51. num. 11.* testans, se hoc vidisse in praxi seruatum in quodam, qui magna deuotione, & signis clarissimis notitiæ mysterii accedebat. Iacob. Marchant. *in resolut. Pastoralib. de sacram. tract. 4. cap. 3. quæst. 1. casu* 4. qui id tradit solum de viatico. Hieronim. Garzia *par. 1. sum. tract. 3. difficul. 4. dub. 2. pun. 2. num. 25.*

4 Dicendum est, *Surdis, & mutis à natiuitate ministrandum esse viaticum, si ex signis constet, quod habuerint vsum rationis, & notitiam aliquam talis mysterii.* Prob. Non minus per visum percipiuntur obiecta extrinseca, quam per auditum: imo visus est magis proportionatus ad illuminandum intellectum, cum plura in obiectis percipiat, ex quibus intellectus deducere potest suam cognitionem. Ergo possunt concipere fidem saltem implicitam de mysterio Eucharistiæ ex eo, quod videant à sacerdote confici cum tanta reuerentia, adorari à populo, sumi cum magna deuotione, & submissione, & alia huiusmodi, & credere, quod credunt coeteri, & quod proponitur ab Ecclesia. Ergo sunt capaces sumendi Eucharistiam, quia possunt intendere facere, quod faciunt coeteri, & tanquam suscipientes velle cooperari actioni Ecclesiæ, per quam ministrat Eucharistiam, cum illa fide, quam habent coeteri suscipientes. Hæc autem fides, & intentio sufficit, siquidem sufficit etiam ad tribuendum valorem sacramentis, vt siquis ignarus fidei christianæ baptizaret intendens facere, quod facit Ecclesia, & implicitè credens in baptismo illam virtutem, quam credit Ecclesia, imo etiam si solum intenderet facere, quod facit Ecclesia.

5 Confir. Surdus tantum à natiuitate est capax Eucharistiæ, quia per nutus potest instrui in fide; Licet enim fides regulariter fit ex auditu, attamen sicuti nutus, & alia signa, nempe scriptura substituuntur in ordine ad visum loco verborum, ita etiam visus supplet pro auditu: & proinde, quæ medio auditu percipiuntur, possunt etiam percipi mediante visu. Ergo etiam surdus, & mutus erit capax Eucharistiæ, quia ex eo, quod careat loquutione, non caret aliquo sensu, qui inseruiat docibilitati, & instructioni: vnde quoad facultates, quæ inseruiunt, vt possit quis instrui, est æqualis conditionis cum solo surdo, & ideo eo-

Aaaa dem

dem modo poterit instrui, quo ipse instrui potest.

6 Ad 1. neg. carere principio, quo retineantur ab iniuria erga sacramentum; nam, vt dictum est, possunt concipere fidem sufficientem pro veneratione, & debito culto sacramenti, & concipere reuerentiam, cum qua debent accedere. Rursus etiam possunt percipere, quod sub illis speciebus sit corpus Christi, & credere, eo modo ibi esse, sicut docet esse Ecclesia: nec est necesse, quod explicite credant, ibi non esse substantiam panis, sed sola accidentia absque subiecto; nam neque hoc explicitè credunt rudes, quãuis polleant omnibus sensibus, quia cum non percipiant terminos, nempe quid sit substantia, & quid sit accidens, nec etiam percipere possunt accidentia sine substantia.

7 Ad 2. Dubium, an habeant qualitates necessarias, vt sint capaces Eucharistiæ, sufficienter excludi ex ipsorum actionibus, nam ex ipsis coniici potest, an credant mysterium in confuso, vt ex veneratione, ex deuotione erga ipsum, & ex eo, quod ostendant se sentire de ipso, quod sentiunt alii, vt si ad exemplum ipsorum faciant, quod ipsi agunt; nam actio exterior, ad imitationem alterius elicita, arguit idem internum principium; sicuti, qui ad imitationem hæretici læderet imagines, præsumeretur id facere ex animo hæretico. Deinde licet Eucharistia sit in possessione, vt non ministretur indignis, non est tamen in possessione, nisi constet de indignitate, & incapacitate, alioquin si stante dubio non deberet ministrari, non posset ministrari, quando dubitaretur aliquem esse in peccato, quod est contra communem sensum, cum omnes doceant, quod solum publicis peccatoribus, & occultis occultè petentibus, si tamen minister certus sit, debeat denegari. Imo eo ipso, quod surdus, & mutus est baptizatus, & habet vsum rationis, habet ius ad Ecuharistiam, & ideo non possunt repelli, nisi constet de incapacitate.

8 Ad 3. Mutum, & surdum à natiuitate posse diiudicare inter Eucharistiam, & panem commune vt constat ex dictis, quia mediante visu potest percipere, quod non sit panis communis, siquidem per visum percipit consecrationem sacerdotis, adorationem populi, reuerentiam, cum qua sumitur, & distribuitur, & alia huiusmodi, ex quibus format conceptum, quod sub illius speciebus lateat quid diuinum: & mediis nutibus percipere potest, quod ibi sit Christus.

9 Ex his colligitur quod illa doctrina ciuilis, quod surdus, & mutus à natiuitate æquipararetur mortuo, & mente capto ex *l. Seruo inuito. §. Si pupillo. ff. ad Trebellianum.* & *l. Iubemus. C. de testamentis. &* §. *Furiosi.* Instit. *de curatoribus.* coarctanda est ad actiones fori ciuilis, in quibus etiam non semper valet quòad omnes surdos, & mutos à natiuitate: nec debet extendi ad alias actiones alioquin dicendum esset, quod essent incapacs peccati, sicuti sunt mortui, & mentecapti, quod tamen apertè constat, esse falsum, siquidem cum habeant vsum rationis, & exercitium libertatis, possunt mereri, & demereri.

An extremo supplicio afficiendis sit danda Eucharistia. Quæst. 303.

S V M M A.

1 *Morte puniendis ministranda est Eucharistia.*

2 *An ministranda in die supplicii, & numer. seq.*

4 *Confraternitatis S. Io. Decollati Capellanus potest de nocte celebrare, ne morte puniendi careant Eucharistia.*

Mor-

4 *Morte puniendi eadem die supplicij retinent ius ad Eucharistiam, & illa indigent.*
5 *Quæ ante sumptam Eucharistiam inferunt irreuerentiam, non inferunt post sumptionem.*
6 *Morte puniendis paulo ante mortem ministrari potest Eucharistia.*

1 SVpponendum tanquam certum, morte puniendis ministrandam esse Eucharistiam, si sint baptizati, & sufficienter dispositi. Quia sicuti ante sententiam mortis erant capaces, ita etiam post ipsam, cum sententia nihil operetur circa ea, quæ animam concernunt, & ita statuitur quoàd eos, qui ob delicta morte puniuntur in cap. *Quæsitum.* 13. *quæst.* 2. & de hæreticis relapsis, qui igne comburuntur in cap. *Super eo. de hæreticis. in 6.* Vnde solum difficultas est, an sit ministranda ipsa die supplicii.

2 Prima sententia est negatiua, quam tradunt Clarus *quæst.* 79. *numer.* 31. Cartar. *de exequutione senten. contum. cap. vlt. num.* 334. Vega *par.* 1. *sum. capit.* 61. *casu* 21. Cuchus *lib.* 5. *instit. tit.* 5. *num.* 107. Zerola *in praxi Episcop. par.* 2. *verbo.* Damnati *ad mortem*. Mouentur, quia est contra reuerentiam debitam sacramento, quod in illa die, in qua necandi sunt, ministretur.

3 Secunda sententia asserit, posse ministrari eadem die, qua necandi sunt. Ita Corset. *singul.* 38. *in fine.* testans de praxi. Scappus *de iure non scripto. lib.* 5. *cap.* 210. *num.* 6. Maiolus *lib.* 3. *de irregularit. cap.* 24. *num.* 13. Cened. *in quæst. canon. quæst.* 3. *num.* 4. *in fine.* Suarez *disp.* 68. *de Euchar. cap.* 5. *num.* 1. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *difficul.* 39. *numer.* 1. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 20. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 5. *num.* 6. Siluius 3. *par. quæst.* 80. *artic.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *ar.* 12. Nauar. *capit.* 25. *Manual. num.* 23. Tolet. *lib.* 2. *capit.* 28. Syluester *verbo*. Eucharistia 3. *quæst.* 5. Angelus *num.* 27. Victoria *in sum. num.* 83. Sà *verbo.* Eucharistia. *num.* 2. Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *art.* 9. *num.* 50. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. cap.* 6. *quæst. vlt. num.* 120. Fagundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Io. Sanchez *in selectis de sacramen. disp.* 40. *num.* 8. Bonac. *disp.* 4. *de Eucharist. quæst.* 7. *pun.* 1. *numer.* 5. vbi alios citat. Præposit. 3 *par. quæst.* 80. *art.* 11. *dub.* 1. *numer.* 56. *illat.* 4. Quintanaduen. *singul.* 13. *de Euchar. num.* 1. Dicastillus *de sacram. tract.* 4. *de Eucharist. disp.* 10. *dub.* 2. *numer.* 26.

4 Dicendum. *Eucharistiam esse ministrandam vltimo supplicio afficiendis etiam ea die, qua necandi sunt.* Hæc resolutio est iuxta mentem Summorum Pontificum, siquidem Pius V. *in sua Constitutione* 91. concedit Confraternitati S. Io. Decollati, vt eius Capellanus possit de nocte celebrare, ne extremo supplicio puniendi careat Eucharistia. Ratio autem est, quia habent ius ad Eucharistiam, nec Ecclesia ob delicta potest inferre aliam poenam, cum morte puniantur, & non priuantur hoc iure per id, quod eadem die exequenda sit sententia, aut etiam paulo post. Ergo est ministranda etiam eadem die, cum maximè indigeant ad vincendas tentationes, nec interueniat aliquid, quod irroget Irreuerentiam sacramento, siquidem non irrogat mors, alioquin non posset ministrari viaticum, iis qui paulo post creduntur expiraturi. Nec quod mors per carnificem sit exequenda, quia hæc actio est actus iustitiæ tàm ex parte exequentis; quàm ex parte substinentis, vnde erit actus virtutis, si fiat debito modo, & proinde non potest irrogare irreuerentiam sacramento, quod iam est consumptum, & sortitum suum effectum.

5 Confir. Comedere ante Eucharistiam est irreuerentia, & peccatum: comedere autem statim post, non est irreuerētia, vt aliqui docent, vnde secūdū ip-

ipsos, non tenetur, qui communicauit, abstinere à cibo per aliquod tempus. Rursus. Peccare mortaliter paulo post sumptam Eucharistiam non dicit specialem speciem peccati supra suam propriã,& proinde non dicit irreuerentiam, presertim si species existimantur consumptæ. Ergo si quæ ex natura sua inferunt irreuerentiam, non inferunt post sumptam Eucharistiam, multò minus inferent, quæ ex natura sua non continent. Quare ex his solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ.

6 Ex his colligitur. Eucharistiam posse ministrari, etiam si paulo post mors sit inferenda damnato, nempe post horam, vt notant Facundez, Sà *num.* 3. citati. Et plus addit Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *ar.* 12. *circa finem*, nempe posse ministrari, dummodo non sint illico ducendi ad patibulum: & proinde videtur concedere, quod possit ministrari etiam si ante horam elapsam essent ducendi ad mortem. Imo, quod etiam statim ex vrgenti causa possit mors inferri tradit Quintanaduẽ, *singul.* 13. *de Euchar. num.* 11. Et pro his omnibus militat eadem ratio, quia nimirum illatio mortis, cum sit actus iustitiæ vindicatiuæ, ex natura sua non continet irreuerentiam erga sacramentum, & ideo etiam si exerceatur statim post sumptam Eucharistiam, non fiet sacramento aliqua irreuerentia.

An valeat consuetudo, quod morte damnatis non ministretur Eucharistia, Quæst. 304.

S V M M A.

1 *Ecclesia aliquando negauit Eucharistiam in fine vitæ iis, qui Idolis sacrificauerant.*
2 *Consuetudo negandi viaticum morte puniendis an valeat.*
3 *Poenitentiæ nomine venit etiam viaticum.*
3 *Consuetudo negandi viaticum morte puniendis improbata à iure.*
4 *Consuetudo non valet contra ius diuinum.*
6 *Consuetudo negandi viaticum morte puniendis est irrationabilis.*
6 *Ecclesia cur aliquando aliquibus denegauerit viaticum.*
7 *Morte puniendi vt plurimum sunt dispositi pro Eucharistia.*
8 *Facinorosi non terrentur priuatione Eucharistiæ.*
8 *Priuatio viatici cur terreret, ne idolis immolarent.*
9 *Intercessio apud principem pro morte puniendis non est inconueniens, nec semper prompta.*
10 *Concedere tempus morte damnatis pro Eucharistia non est in præiudicium ordinis iudicarij, & plus interest, quod sumant Eucharistiam.*
11 *Militibus, qui more militari morte puniuntur non est neganda Eucharistia, nec valet consuetudo in contrarium.*

---

1 LAtè Isambertus 3. *part. quæst.* 80. *disp.* 6. *ar.* 4. conatur defendere talem cõsuetudinem. Et primò. Quia aliquando Ecclesia statuit, negandam Eucharistiam in fine vitæ iis, qui idolis sacrificassent, quamuis postea poenitentiam egissent, vt desumitur ex Concil. Elibert. *cap. Placuit* Siricio. 1. *Epist. ad Hincmarum Tarracon. Episcop. cap.* 3. & ex Concil. Atelaten. 1. *can.* 22. Ergo valebit etiam consuetudo, quod non detur morte damnatis. Secundò. Vix sunt dispositi pro sacramento poenitentiæ, negant obstinatè proptium crimen, incusant iustos iudices. Ergo cum multò minus sint dispositi pro Eucharisia, valebit consuetudo &c. Tertiò. Si ijs daretur Eucharistia, homines fierent audaciores ad malum, quia scirent, se non subituros talem infamiam: vnde etiam in terrorem coeterorum vetus Ecclesia priuabat Eucharistia, etiam in fine vitæ eos, qui idolis immolassent.

Quar-

Quartò. Si differretur sententia, ob ministrandam Eucharistiam, daretur tempus magnatibus intercedendi apud Principem pro reo: vnde plures ex gratia euaderent supplicium in detrimentum iustitiæ, & mali fierent audaciores, & testes timidiores ad deponendum contra ipsos, siquidem timerent, ne, si euaderent, vlciscerentur. Quintò. In iis locis, in quibus sententia post breue tempus exequutioni mandatur, perturbarentur ordo iudicii, nam esset differenda, vt concederetur tempus sumendi Eucharistiam.

2 Tenendum tamen est absolutè. *Quod talis consuetudo non possit induci: nec inducta possit subsistere, sed omnino morte puniendis ministrandam esse Eucharistiam*. Ita communiter Doctores Glos. *in Clemen*. 1. *de poenit*. Cardinal. Ancharan. & coeteri Canonistæ. *ibid*. Cherubin. *in compend. Bulla. ad constit*. 91. *Pii V. Schol*. 2. Petrus Nauar. *lib*. 2. *de restit. capit*. 3. *numer*. 227. Gomez *tom*. 2. *Variar. capit*. 14. *de delict. num*. 6. Hyppolit. *in practica*. §. *Vlterius. numer*. 4. Cosmas Gumier. *in pragmat. sanct*. Tit. *de Excommunicat. non vitan*. §. *Statuit*. Aufer. *in Clemen*. 1. Tit. *de potest Eccles. super laic. casu* 128. *de offitio ordinar*. Cassaneus *in consuetud. Burgun*. Tit. *de iustices. rubr*. 1. §. 5. *n*. 120. & *Rubr*. 2. §. 1. Azeuedo *in l*. 2. *num*. 13. *tit*. 2. *lib*. 1. Suarez *disp*. 69. *de Euchar. sect*. 3. *in fine*. Rodriquez *par*. 1. *sum. cap*. 68. *num*. 1. *de sacramentis. cap*. 10. *de Eucharis. dub*. 1. Reginal. *lib*. 29. *prax. fori poenit. n*. 70. Marta *de iurisdict. par*. 2. *cap*. 47. *num*. 4. qui citat etiam Petrum de Rauenna, & vocat talem consuetudinem crudelem, & contra omnem humanitatem. Dicastil. *de sacram. tract*. 4. *de Eucharis. disp*. 10. *dub*. 2. *num*. 26. qui vocant abusum consuetudinem oppositam.

3 Et desumitur ex Clemen. 1. *de poenit*. quæ licet expresiè loquatur de sacramento poenitentiæ, procedit tamen etiam de Eucharistia, vt cum Glosa notant *ibid*. Doctores, siquidem in iure nomine poenitentiæ venit etiam viaticum, vt decernitur in cap. *Quod in te. de poenit. & remission*. ibi. *Per quod poenitentiā morientibus non denegamus, viaticum etiam, quod verè poenitentibus exhibetur, intelligi volumus*. Imo ab Ecclesia abrogati sunt illi canones, quibus denegabatur aliquibus viaticum ob certa delicta, & in cap. *Quæsitum*. 13. *quæst*. 2. præcipitur, dari Eucharistiam iis, qui ob delicta morte puniuntur, & in cap. *Super eo. de hæret. in 6*. statuitur, dandam Eucharistiam etiam hæreticis relapsis igne comburendis. Et nouissimè Pius V. *in suo motu proprio edito anno* 1569. qui incipit........ hanc consuetudinem improbauit, & præcepit tolli, atque ministrari Eucharistiam omnibus morte afficiendis, qua occasione in Hispania lege Regia cautum fuit, quod decretum Pontificis omnino seruaretur.

4 Ratio autem est. Quia licet contra ius Ecclesiasticum possit induci cōsuetudo, non tamen contra ius diuinum; siquidem consuetudinis vis non excedit vim legis humanæ, & solum se habet tanquam lex non scripta, & proinde abrogat legem tanquam altera lex, semper tamen est intra ordinem legum humanarum, & ideo tanquam inferioris ordinis non potest præualere contra ius diuinum, quod est superioris ordinis. Quod autem detur Eucharistia morte plectendis, est de iure diuino, quia præceptum diuinum obligat ad sumendam Eucharistiam in fine vitæ, aut saltem præceptum diuinum de sumenda Eucharistia indeterminatè, est determinatum ab Ecclesia, vt obliget in fine vitæ. Vnde semper consuetudo erit contra ius diuinum.

5 Confir. Consuetudo, vt præualeat contra legem humanam, debet esse rationabilis, vt decernitur in cap. *fin. de consuet*. Consuetudo autem non dandi Eucharistiam morte puniendis est irrationabilis; tum quia improbatur

tur à iure, vt constat ex dictis *num.* 3. & proinde subintrat doctrina Gloſæ *in dict. cap. fin.* verbo. *Rationabilis,* quod illa consuetudo sit irrationabilis, quam improbant iura. Tum quia est contra præceptum diuinum de sumenda Eucharistia in fine vitæ. Tum quia est contra charitatem, quæ exigit, quod tali subsidio spirituali subueniatur saluti morte plectendi. Tum quia recta ratio dictat, quod cum morte luant debitas poenas delictorum, non sint affligendi in spiritualibus: vnde talis consuetudo esset contra dictamen rectæ rationis, & proinde irrationabilis. Tum quia habent ius ad sumendam pro illo tempore Eucharistiam: est autem irrationabile, & contra iustitiam, quod non possint vti suo iure in ordine ad salutem animæ, cum iuxta ordinem charitatis proximus quòad ea, quæ concernunt salutem animæ, sit magis diligendus, quàm proprium corpus, & omnia temporalia, vt communiter docent cum D. Th. 2.2. *quæstion.* 26. *ar.* 5.

6 Ad 1. resp. Potuisse Ecclesiam statuere, quod ob aliqua delicta negaretur Eucharistia in fine vitæ, quia Christus ipsi reliquit potestatem statuendi circa sacramenta salua eorumdem substantia, quæ ipsorum reuerentiæ, & fidelium vtilitati magis expedirent, vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Vnde vbi non est talis potestas, non potest circa hoc aliquid decerni, & proinde, nec induci consuetudo. Hæc autem potestas non est apud Ecclesias particulares, & multo minus apud laicos.

7 Ad 2. Quamuis aliqui non sint sufficienter dispositi pro sumenda Eucharistia, plures tamen sunt optimè dispositi, agnoscunt propria crimina &c. Vnde ex eo quod aliqui non sint dispositi, non est inducenda regula vniuersalis, quod omnibus negetur Eucharistia, sed iis solum est neganda, qui non sunt dispositi; & hoc relinquendum est iudicio confessarii.

8 Ad 3. neg. sequel. Siquidem homines facinorosi curant de morte, non autem de priuatione Eucharistiæ, vnde aut in Paschate non sumunt, aut si sumunt, id faciunt metu poenarum; & ideo si non terrentur morte, multò minus terrebuntur priuatione Eucharistiæ. Nec est eadem ratio quòad eos, qui idolis imolabant, quia peccabant ex fragilitate, non ex malitia; sed ex metu poenarum, & cum animo emendandi peccatum per pænitentiam, & interius fidem retinebant, & ideo plurimum mouebantur illa poena priuationis Eucharistiæ, quam ne substinerent, eligebant potius subire tormenta tyramnorum. Deinde hoc totum Pontifices considerarunt, & nihilominus statuerunt, dandam Eucharistiam.

9 Ad 4. Nullum esse inconueniens, quod adsit tempus intercedendi apud Principem; neque hinc sequi aliquid contra bonum publicum, quia non præsumitur, quod princeps sit gratificaturus eum præiudicio publicæ vtilitatis, nec quod aliquando gratificet, est sufficiens causa inducendi talem consuetuditem; quia in gratia Principis non continetur aliquid mali, quando est rationabilis: vnde si consuetudo esset in hunc finem, fierent mala, vt non euenirent bona. Imo hoc esset ligare indirectè manus principis, ne posset concedere tales gratias. Deinde neque hoc motiuum habet semper locum, sed raro, vel quia Princeps est absens, vel quia damnatus non habet intercessores; vel si habet, non audent intercedere: vnde proptet id, quod raro contingit, non est inducenda vniuersalis consuetudo, præsertim quia non est sufficiens ad vitandum incommodum; nam, si adsunt intercessores, poterunt adhuc intercedere apud Principem, antequam proferatur sententia.

10 Ad 5. Esse inducere vnum inconueniens ob alterum substinendum. Siquidem est inconueniens, quod sententia mortis post breue tempus exequutioni mandetur, quando non vr-

vrget aliqua grauis causa; quia damnatus non habet sufficiens tempus disponendi de iis, quæ animam concernunt; vnde pro sustinendo hoc inconuenienti inducitur aliud de non danda Eucharistia morte plectendis. Deinde neque hoc esset sufficiens ratio, dato quod esset rationabile, quia, vt dictum est *quæstion. præcedenti numer.* 6. poterit damnatus paulo post sumptionem Eucharistiæ duci ad mortem. præterea dato, quod esset aliqualis perturbatio ordinis iudiciarii, non est tamen tanti facienda hæc perturbatio, vt ob illam vitandam denegetur Eucharistia contra Sactiones Pontificias, & ius diuinum assistens damnato.

11 Ex dictis colligitur. Neque quòad milites, qui more militari in exercitibus morte plectuntur, valere consuetudinem, quod non ministretur Eucharistia, sed esse abusum omnino extirpandum, & curandum, quod res ita disponantur, vt ministrari possit Eucharistia. Nam decreta Pontificia procedunt vniuersaliter de omnibus morte damnatis; & hi quoque tenentur præcepto diuino, & habent ius diuinum sibi assistens pro obtinenda Eucharistia, & ideo quòad hos quoque consuetudo est irrationabilis ex iis omnibus capitibus, ex quibus est irrationabilis quòad reliquos.

An iudex teneatur concedere tempus damnatis ad mortem, vt possint Eucharistiam sumere. Quæst. 305.

S V M M A.

1 *Iudex an teneatur concedere tempus damnatis ad mortem pro Eucharistia sumenda. & num. seq.*

3 *Nomine sacramenti poenitentiæ venit etiam Eucharistia.*

4 *Damnatis ad mortem danda Eucharistia ex præcepto Ecclesiæ.*

5 *Iudex non potest negare tempus pro Eucharistia damnatis ad mortem ex eo, quod timeat recursum ad superiorem.*

6 *Quid si damnatus ad mortem non possit sumere Eucharistiam ob aliquod impedimentum.*

1 Quod non teneatur concedere, tradunt non nulli criminalistæ, & ii, qui defendunt consuetudinem non ministrandi Eucharistiam, afferentes pro sua opinione quod aliquando esset differenda exequutio sententiæ, vt Iambert. 3. *par. quæst.* 80. *disp.* 6. *ar.* 4.

2 Alij tamen communiter docent quod iudex tenetur concedere tempus non solum, vt possint confiteri, sed etiam sumere Eucharistiam. Ita Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 5. *num.* 4. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 68. *num.* 1. Suarez *disp.* 69. *de Euchar. sect.* 3. *in fine. ver. Ad vltimam.* Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *numer.* 228. Syluester *verbo*. Eucharistia 3. *quæst.* 3. *dicto* 8. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. numer.* 7. Bonac. *disp.* 4. *de sacrament. quæst.* 7. *pun.* 1. *num.* 6. Ochagauia *de sacram. tract.* 2. *de Eucharis. quæst.* 14. *num.* 10. Leander *tom.* 2. *de sacramen. tract.* 7. *disp.* 2. *quæst.* 12. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Eucharis. disp.* 10. *dub.* 2. *num.* 28.

3 Dicendum est. *Iudicem teneri concedere tempus damnatis ad mortem, vt possint sumere Eucharistiam, & si deneget, peccare mortaliter.* Desumitur ex Clemen. 1. *de poenitent.* vbi iniungitur, quod compellantur iudices, etiam medijs censuris, concedere tempus damnatis ad mortem pro sacramento poenitentiæ, quod intelligitur etiam de Eucharistia: vt ibi notant Glossa, & cæteri Doctores, quia in iure nomine sacramenti poenitentiæ venit etiam Eucharistia instante morte, vt de-

declaratur in cap. ***Quod in te. de pœnit. & remissionib.***

4 Ratio autem est. Quia Ecclesia præcipit, quod damnatis ad mortem detur Eucharistia, vt in cap. *Tanta. dist. 96.* & in cap. *Quæsitum. 13. quæst. 2.* & nouissimè Pius V. vt dictum est in superioribus. Rursus etiam vrget præceptum diuinum sumendi Eucharistiã, cum sint in fine vitæ. Ergo tenetur iudex sub mortali concedere tempus, vt possint implere huiusmodi præceptum, cum non possit neque etiam indirectè impedire, ne impleantur præcepta, nec possit in re graui contrauenire dispositioni Ecclesiæ. Confir. Lex charitatis obligat, vt subueniamus constitutis in graui necessitate, præsertim spirituali. Damnati autem ad mortem sunt in graui necessitate spirituali in ordine ad Eucharistiam. vnde esset contra charitatem, si ipsis non concederetur tempus pro ea sumenda.

5 Ex his colligitur cum Dicastillo *de sacram. tract. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 2. num. 32.* Non posse iudicem negare tempus sufficiens pro sumenda Eucharistia damnato ad mortem ex eo, quod timeat recursum ad superiorem iudicem non obstante, quod probabiliter credat, quod superior iudex sit auocaturus causam ad se, & reum liberaturus. Nam cum huiusmodi recursus sit licitus, sicut etiam auocatio causæ, peccaret grauiter, si, vt impediret aliquid licitum, negaret aliquid debitum; imo ex eo etiam capite peccaret, quod impediret id, quod non potest impedire. Quamuis enim non teneatur concedere tempus, vt possit recurrere ad superiorem iudicem, adhuc tamen nec impedire potest recursum, quia hoc esset detrahere iurisdictioni superioris iudicis, & ideo si aliàs adest tempus recurrendi, & negat hoc tempus in hunc finem, ne recurrat, impedit dedita opera id, quod impedire non potest.

6 Colligitur. 2. Quod si damnatus ad mortem non posset ob aliquam indispositionem sumere Eucharistiam, vt esset tussis, vomitus &c. non teneri iudicem differre supplicium, quousque cesset indispositio, nisi forte breui speretur cessatura enim est tũc eadẽ ratio de ipsis, ac de infirmis, qui ob talem indispositionem non possunt suscipere viaticum: tunc enim habentur pro incapacibus huius sacramenti, & ideo non tenetur iudex concedere tempus, seu expectare, quod fiant capaces.

An quando timetur, quod reus sit eripiendus curiæ, teneatur iudex adhuc concedere tempus pro sumenda Eucharistia.

Quæst. 306.

S V M M A.

1 *Iudex timens reum eripiendum, non debet denegare tempus pro Eucharistia, sed alio modo obuiare.*
2 *Quid si ex dilatione mortis timeatur graue damnum, aut scandalum.*
3 *Quid si immineat periculum, quod eripiatur curiæ, nec possit alio modo obuiare, nisi accelerando mortem. & numer. sequent.*
5 *Publica necessitas præferenda priuato damno, præsertim negatiuo.*
6 *Iudex tenetur seruare indemnem rempub. etiam cum damno priuato, & in hoc vtitur iure suo.*
7 *Salus spiritualis proximi, quando præferenda temporalibus.*
8 *Iudex cur possit accelerare exequutionem sententiæ, si timeat reum eripiendum.*

---

1 IN hac difficultate certum esse debet, quod quando iudex timet, si mors differatur, quod reus eripiendus sit curiæ, non debet statim denegare tempus pro suscipienda

da

da Eucharistia, sed debet res ita disponere, vt obuiet periculo, quantum fieri potest, quod poterit diuersis modis præstare: siquidem prouidere debet saluti spirituali ipsius, quantum fieri potest, nec statim debet denegare subsidia spiritualia. Vnde solum dubium remanet, quando non potest obuiare periculo.

2 Rursus est etiam apud me certum, quod si ex dilatione mortis timeatur aliquod graue scandalum, aut graue damnum reipublicæ, non teneri iudicem concedere tempus pro sumenda Eucharistia, vt notant etiam Quintanaduen. & Dicastil. infracitandi. Nam in hoc casu concurrit vtilitas, & necessitas publica cum priuata: & ius naturale diuinum, quo tenetur iudex procurare quietem, & vtilitatem reipublicæ, atque adeo ius, quod respicit publicum commodum, cum iure diuino, quo obligatur reus sumere in illo casu Eucharistiam, atque adeo respiciente priuatum commodum. Ergo debet preferri publica necessitas, & vtilitas priuatæ, & ius naturale diuinum respiciens publicum commodum iuri tantum diuino respicienti priuatum commodum. Solum ergo difficultas remanet, quando solum imminet periculum, quod reus eripiatur curiæ, nec aliud damnum, aut scandalum timetur.

3 Prima sententia asserit, adhuc debere concedere tempus pro sumenda Eucharistia. Ita Bonac. *disp. 4. de sacramen. quæstion. 7. pun. 1. númer. 6.* Fundamentum est. Quia iudex ob vtilitatem rei tenetur pati illam aliqualem læsionem suæ iurisdictionis, & præferre vtilitatem spiritualem proximi.

4 Secunda sententia asserit, non teneri in tali casu concedere tempus. Ita Quintanaduen. *de sacramen. singul. 15. de Euchar. num. 4.* Dicastil. *de sacramen. tract. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 2. num. 3.*

5 Dicendum est. *Iudicem in tali casu, quando timet reum eripiendum, etiam si nullum aliud scandalum, aut damnum sit secuturum, non teneri concedere tempus pro sumenda Eucharistia, quando aliter periculo obuiare non potest.* Ratio est. Quia in hoc casu concurrunt publica necessitas, cui iudex tenetur prouidere, & priuata necessitas: & cum hoc discrimine, quod si non subueniatur publicæ necessitati respublica positiuum damnum patietur, nempe læsionem iurisdictionis, & violentiam in suis ministris, si verò non occurratur priuatæ necessitati, reus patietur tantum damnum negatiuum, nempe subtractionem illius auxilii, quod præbet Eucharistia. Ergo debet præferri publica necessitas, & illi occurri, negando damnato tempus sumendæ Eucharistiæ, si aliter occurri non potest.

6 Confir. Iudex tenetur ex officio prouidere indemnitati Reipublicæ, & curare, ne aliquod damnum patiatur, & proinde potest vti illis mediis, quæ sunt in ipsius potestate, etiam si inde proueniat alicui damnũ aliquod, quia in hoc vtitur iure suo, & nemini iniuriam facit *l. 1. §. Denique Marcellus. ff. de aqua pluuia arcen.* & *l. Fluminum. §. fin. ff. de damno infec.* & capite *Cum Ecclesia. de elect.* Quia nimirum tunc alterius damnum est præter intentionem. Cum ergo iudici nullum aliud medium suppetat pro auertendo periculo, & damno, quod imminet reipublicæ, poterit iure suo vtens facere occidi reum quamprimum.

7 Dices. Tunc vtilitatem publicam esse præferendam priuatæ, quando vtraque est in eodem genere, non autem publicam temporalem priuatæ spirituali, quia spiritualis anteponenda est omnibus temporalibus iuxta communem doctrinam, quam tradit D. Th. 2. 2. *quæst. 26. ar. 5.* Sed reiicitur hæc responsio, quia tunc solum salus spiritualis proximi anteponenda est temporalibus, quando periclitatur, nisi anteponatur: & periculum certum est; non autem in dubio, quia tunc non est cognita necessitas spiritualis pro-

proximi, & consequentur non obligat ad subueniendum. In casu autem præsenti non periclitatur salus spiritualis proximi, quia potest elicere actum contritionis, & confiteri; nec si adesset aliquid periculum, esset notum; vnde non consurgit obligatio subueniendi proximo, præsertim cum non possit subuenire nisi cũ notabili damno: vnde adhuc præferri potest publica vtilitas, & obuiari periculo imminenti. Confir. Saltem qui non tenetur, ex officio, non obligaretur ministrare Eucharistiam damnato cum notabili damno temporali. Ergo cum iudex non teneatur ministrare ex officio, nec etiam tenebitur cum notabili damno reipublicæ concedere tempus, vt possit ministrari.

8 Ad fundamentum in oppositum resp. Etiam si solum ipse iudex læderetur, cum læsio sit notabilis, neque adhuc teneretur postponere proprium damnum vtilitati spirituali damnati, quia non est in tanta necessitatate spirituali, vt teneatur subuenire cum damno adeo notabili. Deinde quia, quando damnatus eripitur curiæ, læditur respublica, & princeps in suis ministris, ideo tenetur iudex impedire talem læsionem, si potest, quia tenetur assistere reipublicæ, & procurare, quod indemnis seruetur: vnde ratione officii tenetur accelerare exequutionem sententiæ. Neque in contrarium vrget præceptum Ecclesiæ, quod concedatur damnatis tempus sumendi Eucharistiam, quia hoc procedit, quando sine detrimento reipubicæ concedi potest.

An damnato ad mortem concedenda sit dilatio, si noluit se præparare tempore concesso.

Quæst. 307.

S V M M A.

1 *Iudex non tenetur reo concedere dilationẽ se præparandi ad mortem, si noluit vti tempore concesso.*
2 *Quid si adsit spes emendationis.*
3 *Subueniendum in graui necessitate constituto, præsertim seclusso incommodo.*
4 *Si reus confessus est sua peccata, non tenetur iudex aliam dilationem concedere pro Eucharistia vltra concessam.*

1 CErtum est, Quod si damnatus ad mortem habuit sufficiens tempus se præparandi, & noluit, imo adhuc perseueret in sua pertinacia absque spe emendationis, non tenetur iudex concedere aliquam dilationem, quamuis, si concederet, rectè faceret. Et ratio clara est, quia cum habuerit sufficiens tempus se præparandi, sibi debet imputare, quod non se præparauerit. Rursus cum non adsit spes emendationis, neque etiam adest motiuum differendi exequtionem sententiæ. Vnde difficultas est, quando adest spes, quod se præparet: aut si confessus est, adest spes, quod sumat Eucharistiam.

2 Dicendum est. *Quando iudex concessit debitum tẽpus damnato ad mortem, & reus noluit se præparare, si adsit spes, quod concessa dilatione se præparabit, tenetur iudex illam concedere. Si verò confessus est, quamuis non teneatur concedere vlteriorem dilationem, vt possit sumere Eucharistiam, expediens tamen erit, quod concedat.* Ita Petrus Na-

uar.

uat. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 227. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæstion.* 7. *pun.* 1. *num.* 6. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. nu.* 70. Quintanaduen. *de sacram. singular.* 15. *de Euchar. num.* 2. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Euchar. disp.* 10. *dub.* 2. *num.* 27.

3 Prob. prima pars. Nam ratione charitatis tenetur quisque succurrere proximo constituto in graui necessitate præsertim, quando id præstare potest absque sub graui incommodo; imo etiam cum graui incommodo, quando necessitas est spiritualis, quia spiritualia proximi præferenda sunt temporalibus propriis iuxta communem doctrinam, quam tradit D. Th. 2. 2. *quæst.* 26. *ar.* 5. Damnatus autem ad mortem, qui non se præparauit, est in grauissima necessitate, & potest ipsi succurri, si concedatur tempus, siquidem adest spes, quod se præparabit; & ideo tenetur iudex ratione charitatis concedere dilationem.

4 Secunda vero pars de se patet. Quia cum sumpserit sacramentum poenitentiæ, non est in illa graui necessitate, in qua aliàs esset, & si non habet tempus sumendi Eucharistiam, sibi imputare debet, quia non est vsus tempore concesso: & ideo non tenetur iudex concedere vlteriorem dilationem. E contra verò, cum damnatus sit dignus misericordia, & Eucharistia sit illi valde necessaria ad vincendas tentationes, erit valde expediens, quod concedatur dilatio.

An damnatis ad mortem possit denegari Eucharistia in poenam delicti. Quæst. 308.

S V M M A.

1 *Damnatis ad mortem an in poenam possit denegari Eucharistia, & num. seq.*
2 *De iure communi damnatis ad mortem conceditur Eucharistia.*
4 *Inferior non potest immutare sancita à superioribus.*
5 *Iudex laicus non potest imponere poenam spiritualem.*
6 *Ecclesia potuit priuare moribundos Eucharistia.*

1 PRima sententia asserit, denegari posse Eucharistiam damnatis ad mortem in poenam delicti. Ita Henriquez *lib.* 8. *de Eucharistia capit.* 5. *num.* 1. Præposit. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 11. *dub.* 1. *num.* 57. *ver. Dixi communiter.* Fundamentum est. Quia etiam antiquitus Ecclesia in poenam aliquorum delictorum denegabat viaticum; quantumuis poenitentibus. Vnde nunc quoque poterit hæc poena irrogari.

2 Secunda sententia negat, posse denegari etiam in poenam delicti. Ita Angles *in floreb. quæst.* 2. *de Eucharist. ar.* 9. *difficul.* 3. Chamerota *de Euchar. cap.* 16. *dub.* 1. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 28. Suarez *disp.* 69. *de Eucharist. sect.* 3. Reginald. *lib.* 29. *praxis fori poenit. num.* 70. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst.* 7. *pun.* 1. *numer.* 6. *ver. Respondeo.* Quintanaduen. *de sacrament. singul.* 15. *de Eucharist. numer.* 6.

3 Dicendum est. *Eucharistiam non posse denegari damnatis ad mortem in poenam cuiusuis delicti.* Prob. Ius commune præcipit, concedi Eucharistiam omnibus damnatis ad mortem, quamtumuis facinorosis. cap. *Tanta. dist.* 96. & cap. *Quæsitum.* 3. *quæst.* 2. ita vt etiam hæreticis relapsis sit ministranda, vt decernitur in cap. *Super eo. de hæret. in* 6. Et Pius V. *in suo motu proprio edito* 1569. præcipit absolutè, concedi tempus damnatis, vt sumere possint Eucharistiam. Ergo non relinquitur locus, vt in poenam delicti de-

negari possit Eucharistia, siquidem poena non potest esse aliquid contra canonicas sanctiones, quia cum sit effectus iustitiæ non potest esse aliquid iniustum, sicuti esset, si esset contra canonicas sanctiones.

4 Confir. Inferior non potest immutare, quæ sancita sunt à superiori *l. Formam. C. de offic. præfec. prætor,* & cap. *Cum inferior. de maior, & obed.* & Clemen. *Ne Romani. de electione.* Ergo cum Ecclesia vniuersalis statuerit, quod omnibus damnatis ministretur Eucharistia, non possunt inferiores iudices immutare hanc constitutionem, & per modum poenæ denegare Eucharistiam; præsertim quia non conceditur inferiori, quod possit vsurpare pro poena, quæ specialiter à legibus superioribus prohibentur.

5 Confir. 2. Poena, quæ imponitur, non debet excedere facultatem imponentis, quia est effectus potestatis coercitiuæ, & effectus non potest excedere virtutem causę. Ergo non potest denegari Eucharistia in poenā delicti. Conseq. prob. Delictum punitur poena mortis per iudicem sæcularem, qui non habet potestatem spiritualem; ergo non potest imponere poenam spiritualem, quæ solum imponi potest per potestatem spiritualem. Rursus. Ecclesia, seu iudices Ecclesiastici; si persona sit Ecclesiastica, non puniunt, sed tradunt puniendam iudici laico, & ideo nec ipsi possunt statuere hanc poenam.

6 Ad fundamentum in oppositum resp. Tunc potuisse imponi talem poenam, quia imponebatur ab habente potestatem, nempe ab Ecclesia, quæ per modum legis, ita exigentibus circumstantiis illius temporis, id statuit. Vnde non resistebant leges superioris, sicuti modo resistunt, quoad iudices inferiores.

An consuetudine induci possit, quod negetur Eucharistia ob aliqua delicta damnatis ad mortem. Quæst. 309.

S V M M A

1 *Consuetudo negandi Eucharistiam damnatis ad mortem an induci possit.*

2 *Abusus, seu consuetudo irrationabilis non potest praualere contra ius Ecclesiasticum.*

3 *Consuetudo non potest induci contra legem diuinam.*

3 *Dispositum de vno correlatiuo censetur dispositum de altero.*

4 *Consuetudo contra charitatem non valet.*

4 *Lex est effectus charitatis.*

5 *Qua potestate Ecclesia denegauerit aliquibus Eucharistiam in fine vitæ.*

6 *Ex eo, quod differri possit communio Paschalis, non licet arguere, quod possit negari communio in fine vitæ.*

7 *Viaticum non potest denegari existente dubio de dispositione.*

7 *Super re incerta non potest ferri sententia certa.*

8 *Consuetudo negandi viaticum recenter conuersis ad fidem ob dubium de dispositione, non valet.*

8 *In dubio quilibet præsumitur bonus.*

---

1 QVod possit induci consuetudo negandi Eucharistiam damnatis ad mortem in poenam aliquorum delictorum, tradunt nonnulli Recentiores, præsertim Dicastil. *de sacrament. tract. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 2. numer. 26.* Fundamentum est. Quia cum Ecclesia antiquitus negaret morituris Eucharistiam in poenam aliquorum delictorum, vt habetur ex *can. 1.* Concil. Elibert. & ex Concilio Sardicensi *can. 2.* & Innocent,

cent. I. *Epist. 3. ad Exuperium Episcop. Tholosan.* §. 2. talis poena est rationabilis, & ideo consuetudine adhuc introduci potest, siquidam iura, quæ obligant ad ministrandam Eucharistiam sunt Ecclesiastica, & proinde contra ipsa præualere potest consuetudo cap. *fin. de consuetud.*

2 Tenendum tamen est, *quod nullo pacto posse induci consuetudo denegandi Eucharistiam damnatis ad mortem stantibus quibusuis delictis*. Desumitur ex Glos. *in Clemen. 1. de poenit.* Cardinali, Ancharan. *ibid.* Cherub. *in Compendio Bullar. ad constit. 91 Pii V. schol.* 2. quatenus talem consuetudinem vocant abusum; si enim est abusus est irrationabilis, & ideo non potest præualere contra ius etiam merè Ecclesiasticum ex eodem cap. *fin. de consuet.*

3 Prob. Consuetudo non potest induci contra legem diuinam, vt communiter docent cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad* 1. Quia lex diuina dependet à voluntate diuina, contra quam nulla alia voluntas præualere potest, quia semper est voluntas inferioris, qui mutare non potest, quæ sancita sunt à superioribus Clemen. *Ne Romani. de elect.* Vnde Christus reprehendit Iudæos quod propter suas consuetudines transgrederentur præcepta Dei Matth. 5. ver. 15. *Transgredimini præceptum Dei propter traditiones vestras*. Ergo non potest induci consuetudo præscribens contra ministrandam Eucharistiam damnatis ad mortem. Quia ex præcepto diuino est ministranda, vt constat ex dictis supra *quæst.... num...* Sicut enim præceptum diuinum obligat damnatos ad illam suscipiendam, ita etiam pastores ad illam ministrandam, quia suscipere, & ministrare sunt correlatiua, quorum vnum non potest stare sine alio, & ideo dispositum de vno censetur etiam dispositum de altero. *l. Fin. C. de indic. viduit. tollen.* & *l. Iulia §. Si procurator. ff. de. action. emp.* & *l. Siquis seruo. C. de furt.*

4 Confir. Consuetudo, quæ est contra charitatem, nullam habet vim, sed est iniusta, & reprobanda, quia finis præcepti est charitas, & plenitudo legis est dilectio. Ad Rom. 13. & 1. ad Timoth. 1. Nam si lex est circa temporalia ordinatur ad bonum temporale communitatis, quatenus redundat in bonum singularium personarum; vnde est effectus charitatis respicientis ad temporalia. Si verò est circa spiritualia, respicit bonum Ecclesiæ, & filiorum ipsius spirituale: vnde est effectus charitatis respicientis ad salutem spiritualem. Quare consuetudo quoque, vt habeat vim, & possit abrogare legem, etiam merè humanam, non debet esse contra charitatem, sed debet esse effectus illius. Consuetudo autem non dandi Eucharistiam damnatis ad mortem est contra charitatem, quia negat ipsis maximum subsidium in ordine ad salutem, & contra tentationes; & quia ex fine, & motiuo charitatis Ecclesia præcepit, quod omnibus indifferenter ministretur, etiam hæreticis relapsis cap. *Super eo. de hæret. in 6.* vnde consuetudo tendens contra legem Ecclesiæ tenderet etiam contra finem legis, atque adeo contra charitatem. Hoc autem non habebat locum in primitiua Ecclesia, quando aliquibus denegabatur. Quia bonum commune Ecclesiæ exigebat hanc seueritatem, & proinde anteponendum erat bono particulari, & charitas erga communitatem exigebat præferri charitati erga personas particulares.

5 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Esse diuersam rationem de Ecclesia vniuersali, ac de Ecclesia particulari; nam cum Ecclesiæ vniuersali sit relicta à Christo potestas immutandi circa sacramenta, salua eorumdem substantia, quæ magis congruunt vtilitati sumentium, & reuerentiæ sacramentorum, vt habet Concilium Tridentinum. *sess.* 21. *cap.* 2. potuit respiciens ad communem vtilitatem aliquibus denegare Eucharistiam in fine vitæ ad terrorem coeterorum. Ecclesia

sta verò particularis, quia non habet talem potestatem, sicut non potest talem legem ferre, ita nec consuetudinem introducere, & multò minus laici, cum circa spiritualia nihil possint.

6 Ex his colligitur. Non esse eamdem rationem de communione Paschali, & de communione in extremo vitæ, & proinde non posse argui, quod si conceditur, posse Pascalem differri de consensu confessarii in cap. *Omnis vtriusque sexus. de poenit. & remission.* possit, etiam in extremo vitæ denegari, nam aliud est differre, & aliud denegare, quod enim differtur, non absolutè denegatur, sed tantum pro tempore. Deinde cum communio Paschalis sit determinata ad tale tempus ab Ecclesia, rectè etiam concedit, posse differri, quia tunc in aliqua persona possunt concurrere tales circumstantiæ, vt valde expediens sit, communionem differre. At pro extremo vitæ est determinata de iure diuino; nec possunt occurrere circumstantiæ, ratione quarum sit expediens constituto in tali statu, quod ipsi denegetur, si aliàs dispositus sit, quia est danda propter illam vrgentem necessitatem. Denique Ecclesia expressè concedit, posse Paschalem differri; at non concedit, posse denegari in extremo vitæ: imo expressè præcipit, quod omnibus detur.

7 Colligitur. 2. contra nonnullos Recentiores, quod licet Eucharistia denegari debeat iis, qui duxerunt vitam depræuatam, & ex circumstantiis formatur iudicium moraliter certum: quod non sint dispositi, in dubio tamen est iis administranda, etiam si dubium sit positiuum, & pro vtraque parte adsint motiua. Ita etiam Baunius *par. 1. theol. moral. tract. 5. de Eucharist. quæst. 16. ver. Dico ergo*. Cum enim quisque habeat ius ex vi institutionis Christi ad illam petendam, & sumendam, non potest ratione cuiuscunque dubii priuati hoc iure, nec super re incerta proferri sententia certa, quod debeant carere Eucharistia cap. *Grauis. 11. quæstion. 1.* & cap. *Habuisset. dist. 33.* Accedit etiam, quod sicuti occulto peccatori publicè petenti non potest denegari Eucharistia; vt communiter omnes docent, multò minus poterit denegari in extremo vitæ constituto, quamtumuis criminosus fuerit, si ostendit aliquam poenitentiam, quamuis dubium sit, an sit dispositus; nam non potest tunc temporis denegari, nisi publicè denegetur. Neque dici potest, quod reuerentia debita sacramento exigat, quod denegetur; quia non exponitur periculo irreuerentiæ, quando ministratur secundum ius, quod habent sumentes: neque ad ministrum pertinet scrutari, an reuerenter, vel irreuerenter sit sumenda: sed solum arcere, quos nouit indignos; stante autem dubio non nouit indignum, licet dubitet.

8 Colligitur 3. Non posse denegari viaticum, & multò minus consuetudinem induci, quod denegetur recenter conuersis ad fidem ex dubio, an sufficienter sciant discernere inter cibum, & cibum; aut an vere emendauerint infidelitatis vitia, aut an ex corde conuersi sint. Quia si res relinquitur dubia, non possunt priuari suo iure: nec ipsis infligi poena certa ex incerta causa. Et subintrat regula generalis, quod in dubio quisque debet præsumi bonus. *l. Merito. ff. pro socio.* & *l. Quoties. §. Qui dolo. ff. de probat.* & cap. *Dudum.* & cap. *fin. de præsumpt.*

An damnatis ad mortem non ieiunis possit ministrari Eucharistia. Quæst. 310.

S V M M A.

1 *Damnatis ad mortem non ieiunis an ministranda Eucharistia.*

Præ-

2 *Præceptum de ieiunio pro Eucharistia non extenditur ad tempus, quando implendum est præceptum diuinum de viatico.*
3 *Damnati ad mortem an teneantur seruare ieiunium pro sumendo viatico.*
4 *Causa finalis non obligandi ad ieiunium pro viatico.*
4 *Dispositio casum comprehendit, si militat eadem ratio finalis.*

---

1 Dicendum est. *Eucharistiam posse ministrari damnatis ad mortem, etiam si non sint ieiuni*. Ita Nauar. *consil.* 40. *in fine de poenit. & remis.* Henriquez *lib.* 8. *sum. capit.* 50. *littera E.* Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 56. *num.* 1. Suarez *disp.* 66. *de Eucharis. sect.* 5. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. num.* 120. Bartholom. ab Angelo *Dialogo* 4. §. 55. Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *art.* 8. *numer.* 56. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæstion.* 6. *pun.* 2. *num.* 22. Gomez *in Bullam cruciata clausf.* 6. *num.* 86. Azeuedo *in continuat. ad recopil. l.* 9. *num.* 2. *tit.* 1. *lib.* 1. Præposit. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 8. *dub.* 2. *num.* 42. Granad. *controuer.* 6. *tract.* 10. *disp.* 8. *num.* 9. Tannet *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *quæstion.* 8. *dub.* 4. *num.* 84. Hurtad. *de sacramen. disp.* 9. *de Eucharis. difficul.* 16. *init.* Sylvius 3. *par. quæst.* 80. *art.* 8. Villalob. *par.* 1. *summ. tract.* 7. *difficul.* 39. *numer.* 11. Escobar *in theol. moral. tract.* 3. *Exam.* 6. *cap.* 5. *numer.* 62. Basseus *in florib. Theolog. verbo.* Communio sacra. *num.* 25. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Eucharis. disp.* 9. *dub.* 16. *numer.* 342.

2 Ratio autem est. Quia præceptum de ieiunio ante Eucharistiam non extenditur ad tempus, in quo implendum est præceptum diuinum de sumptione pro extremo vitæ tempore. Siquidem cum tunc non solum vrgeat diuinum præceptum, sed etiam Eucharistia sit maximè necessaria ad superandas tentationes, quæ speciali modo vrgere possunt damnatos, noluit Ecclesia ponere aliquod impedimentum, aut causare aliquam difficultatem in ordine ad sumptionem, qualis nasci posset stante tali præcepto, & ideo non extendit ipsum ad huiusmodi tempus, & proinde est priuilegium viatici, quod possit ministrari non ieiunis, & consequenter etiam damnatis ad mortem.

3 Sed difficultas, est an damnati ad mortem teneantur seruare ieiuniũ, quando debent sumere Eucharistiam. Et partem affirmatiuam tradunt Coninch. *de sacram. quæst.* 80. *ar.* 8. *num.* 50. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæst.* 6. *pun.* 2. *num.* 22. quando sine notabili incommodo possunt. E contra verò partem negatiuam tenet Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Euchar. disp.* 9. *dub.* 16. *num.* 342. Quia possunt se gerere tanquam non comprehensi sub præcepto. Quæ opinio mihi videtur probabilior. Quia damnati ad mortem peruenerunt ad extremum, & cum maiori certitudine, quàm quilibet grauiter, & cum periculo ægrotans; & ideo tenentur præcepto diuino de sumenda Eucharistia, cuius ipsi omnium maximè indigent, vt pote expositi rationem circumstantiarum grauioribus tentationibus, & ideo à fortiori militat in ipsis ratio, ob quam Ecclesia non extendit præceptum de præmittendo ieiunio ad moribundos. Imo ipsi quoque in rigore sunt moribundi, quia sunt morti proximi.

4 Dices. Ecclesiam excipere solum infirmos, vt in Concilio Constantiensi. *sess.* 13. ibi. *Sacrorum canonum auctoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, vt hoc sacramentum non possit recipi à non ieiunis, nisi in casu infirmitatis.* Quia videlicet infirmitas facit regulariter, vt non possit sine notabili incommodo seruari ieiunium. Ergo hoc non habet locum quoad damnatos ad mortem. Respon. Causam finalem, ob quam Ecclesia non extendit suum præceptum ad infirmos, esse, quia vult, adimpleri præceptum diuinum communionis, quocunque modo impleri possit, & per Eucharistiam

ftiam ipsis succurri, quod autem non possit seruari regulariter ieiunium ab infirmis, nisi cum notabili incommodo, est causa impulsiua, qua cessante non cessat dispositio; quia vt casum comprehendat, sufficit similiter eadem ratio, & causa finalis. *l. Illud C. de sacrosanct. Eccles.* & *l. His solis.* §. *Satis etiam cautè C. de reuocan. donat.* & notant Alexan. *in leg. Peregrè.* §. 1. ver. *Non obstat. ff. de acquiren. posses.* Ruin. *in l. 1. num. 93. ff. de legat. 1.* Hippolit. Riminal *Instit. de donat. num.* 227. & communiter.

An damnatis ad mortem liceat ministrare Eucharistiam quotidie ab intimatione sententiæ.

Quæst. 311.

S V M M A.

1 *Expedit damnatis ad mortem quotidie ministrari Eucharistiam.*
2 *An possit ministrari per modum viatici non ieiunis.*
3 *Viaticum quando de nouo ministrari possit.*
4 *Qui pridie ad supplicium sumpsit Eucharistiam, potest rursus in die supplicii sumere viaticum.*
4 *Eucharistia per modum viatici quando ministranda.*
5 *Qui pridie ad supplicium sumpsit viaticum, non potest rursus sumere in die supplicii.*

1 SVpponendum est. Non solum licere, sed etiam stante bona ipsorum dispositione valde eis expedire quotidianam sumptionem Eucharistiæ, vt notant Io. Sanchez *in selectis. de sacram. disp.* 40. *num.* 40. Quintanaduen. *singular.* 14. *de Euchar num.* 1. Quia tunc maximè indigent roboratione, & antidoto spirituali pro vincendis tentationibus, & præseruatione à peccatis. Vnde in die supplicii esse ministrandam tradunt Maiol. *lib.* 3. *de irregularit. cap.* 34. *num.* 15. & de praxi etiam testantur Corset. *singul.* 68. Scap. *lib.* 5. *de iure non scripto cap.* 210. *num.* 7. solum difficultas est, an possit ministrari per modum viatici non ieiunis.

2 In hac difficultate variè Doctores sentiunt iuxta ipsorum placita de ministratione viatici, quæ supra recensui *quæstion.* . . . *num.* 1. *& sequent.* In specie autem Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Eucharis. disp.* 9. *dub.* 16. *num.* 345. asserit, quotidie ministrari posse non ieiunis, si perseueret periculum vitæ pro singulis diebus, vt si hodie credantur capite plectendi, & postea in aliam diem differatur exequutio sententiæ, quia cum Apostolo possunt dicere. *Quotidie morimur.*

3 Dicendum 1. *Non posse pluries non ieiunis ministrari Eucharistiam, nisi ex aliquo accidenti differatur supplicium vltra quatuor dies, postquam non ieiuni illam sumpserunt.* Ita etiam Quintanaduen. *de sacramen. singul.* 14. *de Eucharist. num.* 3. Ratio est eadem, quam attuli quoad reliquos infirmos. Quia nimirum iuxta Rituale Pauli V. *Tit. de communion. infirmor.* non potest viaticum ministrari de nouo, nisi infirmus per aliquot dies superuiuat, & ideo à prima sumptione vsque ad secundam quattuor dies requiruntur, vt ponderatum est in eadem *quæstion.* . . . *num.* . . .

4 Dicendum 2. *Siquis pridie ad supplicium sumpsit Eucharistiam, potest in die supplicii non ieiunus communicare*, Ita Quintanaduen. *cit. singul. n.* 5. & ii, qui concedunt, posse viaticum sumi ab eo, qui pridie, aut etiam mane sumpsit Eucharistiam, quos supra *quæst.* . . *numer.* . . . . citaui. Prob. Eucharistia per modum viatici est ministranda de proximo morituris, & quando probabile est, quod eam amplius non sint sumpturi, vt habet Rituale

Pau-

Pauli V. *Tit. de commun. infir.* Ergo damnatus potest differre adimpletionem præcepti ad ipsum diem mortis; & tunc potest sumere non ieiunus, cum hoc sit priuilegium viatici; præsertim quia non minus, quam infirmus indiget corroboratione mediante cibo spirituali in illis angustiis animæ redundantibus etiam in corpus.

5 Ex his colligitur contra Quintanaduen. *de sacrament. singul.* 14. *de Euchar. num.* 7. Quod si damnatus ad mortem pridie ante supplicium sumpsit Eucharistiam per modum viatici, non poterit amplius sumere die sequēti, in quo morte afficiendus est, nisi sumat ieiunus, etiam si ex inaduertentia sumpsisset cibum. Quia iam impleuit præceptum viatici, & Eucharistia non potest ministrari per modum viatici non ieiuno, nisi post aliquot dies iuxta Rituale Pauli V. *Tit. de commun. infirmor.*

An pueris, qui nondum sumpserunt Eucharistiam, sit ministrandum viaticum. Quæst. 312.

S V M M A.

1 *Pueris doli capacibus an ministrandum viaticum ante annos discretionis. & numer. seq.*

3 *Præceptum diuinum de viatico an obliget ante annos discretionis.*

5 *Præceptum diuinum de Eucharistia est determinatum ab Ecclesia.*

3 *Eodem modo obligat in articulo mortis, ac extra.*

4 *Obligatio ad Eucharistiam tota simul pro quocunque tempore incipit.*

4 *Christus non determinauit, quando præceptum Eucharistiæ incipiat obligare pro articulo mortis.*

5 *Viaticum potest ministrari pueris habentibus vsum rationis.*

6 *Præceptum viatici non incipit obligare, nisi quando incipit obligare præceptum communionis.*

7 *Qui ante Pascha peruenit ad annos discretionis, tenetur præcepto viatici, si occurrat casus.*

8 *In dubio de annis discretionis præceptum viatici non obligat.*

8 *Præceptum in dubio æqualitate requisita non obligat.*

8 *Præceptum ieiunii non obligat, nisi constet, esse expletum annum vigesimum primum.*

1 Difficultas procedit quoad pueros, qui doli quidem sunt capaces, sed nondum peruenerunt ad annos discretionis, & proinde nondum obligantur præcepto communionis Paschalis iuxta capit. *Omnis vtriusque sexus. de poenitent. & remis.* Prima autem sententia asserit, non solum esse ministrandum viaticum, sed etiam teneri præcepto diuino ad illud sumendum. Ita Suarez *disp.* 70. *de Eucharist. sect.* 1. *in fine.* Caiet. *in sum. verbo.* Communionis *minister.* Armilla *verbo.* Communio. *in fine.* Salas *disp.* 14. *de legib. sect.* 13. *num.* 127. Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharist. dub.* 2. *num.* 14. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 42. *num.* 4. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 4. *numer.* 3. Bartholom. à S. Fausto *lib.* 1. *de Euchariſ. quæst.* 262. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. num.* 82. Bonac. *disp.* 4. *de Euchar. quæst.* 7. *pun.* 2. *numer.* 4. ver. Ego vero. Posseuin. *de offic. curati. cap.* 8. *num.* 10. Nugnus 3. *par. quæst.* 80. *art.* 11. *difficul.* 2. *ad* 3. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1. *pun.* 24. S. 2. *num.* 7. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 5. *quæst.* 8. *dub.* 5. *num.* 116. Arboleda *in praxi sacram. Euchar. notat.* 13. Perlinus *de sacro conuiuio. dist.* 2. *capit.* 5. Baldel. *tom.* 1. *theol. moral. lib.* 5. *disp.* 30. *numer.* 16. Diana *par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 50. Auersa *quæst.* 8. *de Eucharist. sect.* 2. ver. *Attamen.* Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 9. *de Eucharis. numer.* 5. Dicastil. *de sacram. tract.* 4. *de Eucharist. disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 112. & *sequent.* qui tamen addit,

dit, hoc solum habere locum, quando sunt sufficienter capaces, & possunt se satis præparare: secus autem, si putentur non valere tanto iudicio, vt possint se sufficienter præparare, & male citat Præpositum *3. par. quæst. vnica de extrema vnct. dub. 7. num. 58.* cum ibi solum dicat, quod deberet ministrari, non autem quod teneantur præcepto. Fundamentum est, quia præceptum sumēdi Eucharistiam in articulo mortis est diuinum. Ergo cum Ecclesia ipsum non limitet, tenetur quisque statim, ac habet vsum rationis in tali articulo ipsum implere.

2 Secunda sententia asserit, non obligari. Ita Vasquez *3. par. disput. 214. cap. 4.* asserens nec posse ministrari. Granad. *controuer. 6. tract. 10. disp. 3. num. 11.* Præposit. *quæst. 80. ar. 11. dub. 1. num. 56.* ver. *Aduertunt aliqui.* Ochagauia *tract. 2. de Eucharist. quæst. 17. num. 6.* Nauar. *capit. 21 Manual. num. 57.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 35. de Euchar. sect. 4.* ver. *Dicendum. tertiò* Corduba *in sum. quæst. 60.* Hurtad. *de sacram. disp. 10. de Euchar. difficul. 4.* ver. *Obseruandum.* Chellison. *3. par. quæst. 80. ar. 11. in fine.*

3 Dicendum 1. *Præceptum diuinum de sumenda Eucharistia in articulo mortis non obligare pueros, qui nondum peruenerunt ad annos discretionis.* Prob. Præceptum diuinum de sumenda Eucharistia tanquam indeterminatum fuit determinatum ab Ecclesia, vt obligaret semel in anno, & hoc in Paschate, & non omnes, sed eos tantum, qui peruenerunt ad annos discretionis. Ita in cap. *Omnis vtriusque sexus. de poenit. & remis.* Ergo neque in articulo mortis obligat ante annos discretionis. Anteced. patet. Nam si obligaret ante annos discretionis, decreuisset, quod etiam ante ipsos in Paschate deberent pueri illud implere. Conseq. prob. Tum quia est vnum, & idem præceptum, quod obligat in articulo mortis, & extra ipsum, & ideo incipit simul obligare tàm extra articulum mortis indeterminate, quàm in articulo mortis determinatè, vnde quando nondum incoepit obligatio extra articulum mortis, nec etiam incoepit in articulo mortis. Tum quia ideo non obligat extra articulum mortis, quia ante annos discretionis non adest sufficiens iudicium, vt pueri subiici possint tali obligationi; sed neque etiam, in articulo mortis adest, imo vt plurimum ratione infirmitatis minuitur: vnde in vtroque casu militat eadem ratio, & proinde eadem dispositio. Tum quia articulus mortis non facit incipere obligationem præcepti diuini; sed solum determinat, vt pro tali tempore obliget; & proinde supponitur, quod iam præceptum indeterminatè obliget. Non obligat autem indeterminatè; alioquin obligaret etiam pro aliqua vice extra illum articulum. Vnde etiam quoàd alia sacramenta, quando non adest præceptum extra mortis articulum, nec etiam adest pro mortis articulo, ut constat in confessione.

4 Dices obligare in articulo mortis, quia pro illo tempore fuit impositum à Christo. Extra verò illum articulum reliquit determinationi Ecclesiæ. Verum reiicitur hæc responsio. Quia obligatio pro articulo mortis non est adæquata obligatio præcepti, cum se extendat ad alias vices. Ergo non incipit secundum talem determinationem, nisi quando incipit tota adæquata obligatio: siquidem Christus supponens obligationem à se impositam, determinauit ipsam inadæquatè pro tempore mortis: determinatio namque obligationis ex natura sua supponit obligationem. Ergo cum obligatio absoluta non incipiat ante annos discretionis, neque etiam incipiet secundum determinationem pro articulo mortis. Confir. Licet obligatio præcepti de Eucharistia sit determinata à Christo pro tempore mortis, non est tamen ab ipso determinatum, quando absolutè incipiat obligare præceptum, nec in qua ætate, sed hoc reliquit dispositioni Ecclesiæ. Ergo cum determinatio ab ipso facta pro articul-

ol

lo mortis subintret solum ad determinationem pro absoluta obligatione, & ad designationem ætatis, in qua præceptum incipiat obligare; non obligabit ante annos discretionis in articulo mortis, cum ante ipsos non incipiat absoluta obligatio.

5 Dicendum 2. *Eucharistiam ministrari posse pueris habentibus vsum rationis in articulo mortis*. Ita Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 57. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. Præposit. 3. *par. quæst. vn. de extrema vnct. dub.* 7. *num.* 58. Dicastil. *de sacramen. tract.* 4. *de Eucharis. disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 120. & alii ex citatis pro secunda sententia. Ratio est. Quia eo ipso, quod habent vsum rationis, sunt etiam capaces, vt discernant inter honestum, & turpe, & consequenter se probare possunt per sacramentalem confessionem. Rursus sunt etiam capaces, vt exhibeant Deo debitum cultum, præcipuè dum assistunt sacrificio missæ, atque adeo vt possint discernere inter Eucharistiam, & cibum communem: vnde etiam poterunt se disponere ad ipsam suscipiendam cum reuerentia; & ideo ministrari poterit, ne priuentur illo subsidio. Confir. Ideo extra articulum mortis expectantur anni discretionis, quia tunc pueri poterunt melius se præparare, hoc autem non habet locū in articulo mortis, quia prudenter dubitatur, quod non sint superuicturi, & consequenter cessat motiuum expectandi meliorem dispositionem.

6 Ad fundamentum oppositæ sententia neg. conseq. Siquidem præceptum de communione in extremo vitæ licet sit dininum, non tamen incipit obligare, nisi quando absolulè incipit obligare præceptum de communione, quia est determinatio præcepti iam obligantis, non antem nouum præceptum. Præceptum autem communionis ex declaratione, & praxi Ecclesiæ absolutè non obligat ante annos discretionis, vt dictum est.

7 Ex dictis colligitur. Quod siquis perueniens ad annos discretionis differret communionem vsque ad superuenturum Pascha, vt tunc impleret præceptum, si interim infirmaretur cum vitæ periculo, teneretur præcepto diuino ad sumendum viaticum. Quia licet non obligetur præcepto Ecclesiastico, nisi in proximè superuenturo Paschate, obligatur tamen præcepto diuino, quia cum superuenerit ætas, in qua præceptum reperit subiectum capax obligationis iuxta declarationem Ecclesiæ, nempe anni discretionis, adueniente quocunque tempore, ad quod est determinatum, iam ligat, & exigit impleri, atque adeo in illo articulo mortis, cum ad ipsum sit determinatum.

8 Colligitur. 2. Quod in dubio, an quis peruenerit ad annos discretionis, quamuis sit capax Eucharistiæ, non tamen subest præcepto recipiendi etiam in articulo mortis. Quando enim lex aliqua requirit aliquam qualitatem, aut conditionem, vt obliget, non obligat, nisi constet de qualitate, aut conditione. Vnde cum præceptum de sumenda Eucharistia requirat annos discretionis tanquam qualitatem, seu conditionem, non obligabit, nisi de ipsis constet. Sic nisi constet quod quis expleuerit annum vigesimum primum, non tenetur ieiunare, vt cum aliis notat Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disp.* 41. *num.* 48. & cum aliis insuper ego ipse tradidi *in praxi ieiunii decis.* 255. *num.* 1. *& sequent.* quia nimirum possessio stat pro libertate, & in hoc casu speciali ita tenet etiam Dicastil. *de sacramen. tract.* 4. *de Eucharist. disp.* 10. *dub.* 5. *numer.* 118.

An in dubio, quod puer sit capax doli, possit ministrari viaticum. Quæst. 313.

SUMMA.

1 In dubio negatiuo puer non est doli capax.
2 In dubio positiuo, quod puer sit doli capax, potest ministrari viaticum.
2 Ministratio Eucharistiæ cum dubio de doli capacitate non continet irreuerentiam.
3 Sacramentum pœnitentiæ potest ministrari cum dubio de doli capacitate, & cur apponenda conditio.
4 In iis, quæ sunt iuris, sequi possumus opinionem probabilem.
5 Cur dubius an sit doli capax possit sumere Eucharistiam, & non dubius an sit dignus.
6 Dubius de ætate requisita pro ordine quando possit ordinari.
7 Viaticum an possit ministrari, si minus probabile sit, quod puer sit capax doli.

1 PRocedit difficultas, quando dubium est positiuum, non autem quando est negatiuum; quia in dubio negatiuo; cum nullum appareat signum, quod sint doli capaces, certum esset, quod non essent doli capaces, quia nullum adesset motiuum iudicandi de capacitate. Et proinde difficultas solum habet locum, quando ex vna parte adest motiuum iudicandi, quod sint capaces, ex alia verò, quod non sint capaces.

2 Dicendum est. *In tali casu posse viaticum ministrari.* Ita etiam Posseuin. *de offic. curati cap. 8. num.* 10. Dicastil. *de sacram. tract. 4. de Euchar. disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 120. Ratio est, Quia sacramentum non potest irritari, quia est iam factum, cum consistat in facto esse, nec frustrari suo effectu, quia ipsum obtineret etiam in infantibus, vt dixi cum pluribus *in Theologia morali disp.* 110. *sect.* 1. *num.* 5. Nec ministratio continet irreuerentiam, sicut non continebat, quando antiquitus ministrabatur infantibus, quam consuetudinem non esse damnandam, sed sic facientes habuisse sui facti probabilem causam, habet Concilium Triden. *sess.* 21. *cap.* 4. Ergo solum obstare potest consuetudo Ecclesiæ obligantis ad non ministrandum, nisi scientibus discernere. Ergo si est probabile, quod puer sciat discernere, poterit ministrari, quia stante tali probabilitate habetur, quod requirit Ecclesia, & ideo cessat prohibitio. In tali autem dubio adest probabilitas, quia cum sit dubium positiuum, adest motiuum pro vtraque parte.

3 Confir. Si quis confiteatur peccatum non quidem certum, sed solum probabile, quia sit probabiliter capax absolutionis, potest absolui. Ergo poterit ministrari Eucharistia ei, qui probabiliter est capax. Confir. 2. Quando dubitatur, an puer sit doli capax, potest ipsi ministrari sacramentum pœnitentiæ sub conditione. Ergo etiam Eucharistia, quia ideo in sacramento pœnitentiæ adhibetur conditio, ne, si non esset doli capax, irritum fiat sacramentum; hoc autem non habet locum in Eucharistia, quæ consistit in facto esse, & sortitur suum effectum, etiam si non esset doli capax.

4 Ratio autem generalis est. Quia in iis, quæ sunt iuris, possumus sequi opinionem probabilem, siquidem tunc opinio probabilis, cum sit conformis regulis rectæ rationis, est sufficiens regula ad rectificandas operationes. Cum igitur in dubio positiuo de capacitate in ordine ad Eucharistiam sit pro vtraque parte probabile motiuum, atque adeo probabilis opinio, poterit quisque sequi hanc opinionem, & tanquam capaci iuxta consuetudinem Ecclesiæ ministrare viaticum. Præsertim quia ministrando multum prodest puero, etiam in ordine ad augmentum vi-

vitæ æternæ, & non se exponit periculo denegandi capaci, sicut se exponeret, si denegaret, & nihil fit contra reuerentiam debitam sacramento.

5 Obiicies. Dubius, an sit dignus, non potest sumere Eucharistiam; ergo neque dubius, an sit capax. Resp. negat. consequent. Quia stante dubio de capacitate, non exponitur sacramentum periculo irreuerentiæ, nec ponitur obex effectui ipsius, sicut poneretur stante dubio, quod sit dignus. Deinde sumus in casu, in quo dubium est solum specularium, nec cum tali dubio procedit ministratio, sed formatur iudicium practicum, quod liceat ministrare, & sumere, & virtute ipsius ministratur, & sumitur. Vnde si dubium, an sit dignus, esset solum dubium positiuum speculatiuum, si formaret iudicium practicum, quod posset sumere, quia deponeret dubium, posset sumere sequendo probabilem opinionem.

6 Obiicies. 2. Qui dubitat de legitima ætate pro aliquo ordine suscipiendo, non potest ordinari; ergo nec sumere Eucharistiam stante dubio de capacitate. Resp. Non posse ordinari, si dubium sit negatiuum; secus autem, si sit positiuum, nam cum vtraque pars sit probabilis potest vtramque sequi, & formare dictamen conscientiæ, quod liceat ordinari, hoc autem contingit in casu præsenti, quia dubium est positiuum. Et eodem modo soluenda est obiectio desumpta ex eo, quod dubius, an sit ieiunus, non potest sumere Eucharistiam; siquidem non obstante tali dubio potest sumere, vt cum pluribus docui *in praxi ieiunii. decis.* 445. *numer.* 2. & *decis.* 446 *numer.* 3.

7 Ex his colligitur, quod etiam si minus probabile esset, quod puer esset capax doli, adhuc tamen posset ipsi ministrari viaticum. Nam in tali casu concurrunt duæ opiniones probabiles circa capacitatem ipsius, vna probabilior, quæ dicit, non esse capacem, altera minus probabilis, quæ dicit esse capacem. In tali autem concursu sequi possumus opinionem minus probabilem, quia, vt latè ostendi *in decis. moral. decis.* 5. *num.* 3. cum communissima sententia possumus sequi opinionem minus probabilem, quia est sufficiens regula honestæ operationis; & hoc habet locum specialiter in præsenti casu, quia, si illam sequamur, valde prosumus constituto in articulo mortis, nec vlla irreuerentia irrogatur sacramento, & si non sequamur, denegamus ipsi notabile emolumentum in ordine ad vitam æternam.

An iis, qui conuertuntur ad fidem, in extremo vitæ sit danda Eucharistia. Quæst. 314.

SVMMA.

1 *Qui conuertuntur ad fidem, recipere possunt viaticum, etiam si sint morte damnati.*
2 *Possunt facile instrui circa necessaria pro viatico suscipiendo.*
3 *Damnato, qui non vult baptizari, nisi quando peruenit ad patibulum, an possit ministrari viaticum.*

1 Difficultas procedit tàm quòad eos, qui ex infirmitate moriuntur, quàm quòad eos, qui damnati sunt ad mortem. Dicendum autem est. *Esse vtrisque Eucharistiam ministrandam, etiam si non morituri sunt.* Ita etiam Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 40. *num.* 3. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 45. & colligitur ex cap. *Is, qui* 26. *quæst.* 6. vbi statuitur, quod ei, qui pœnitentiam petiit, & habet de hoc testimonium. *Si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Si ergo continuò

tinuò morituris debet ministrari Eucharistia, poterit etiam ministrari recenter conuersis ad fidem.

2 Ratio autem est. Quia dum conuertitur ad fidem, & baptizatur, est sufficienter instructus circa necessariò credenda, & implicitè credit quicquid Ecclesia proponit credendum: vnde facilè poterit instrui circa substantiam mysterii Eucharistiæ, & sufficienter disponi ad ipsam sumendam. Rursus. Eucharistia tanquam antidotum, quo præseruamur à peccatis, plurimum illi proderit ad vincendas tentationes, & ad augmentum gratiæ, atque adeo etiam gloriæ, & ideo non erit priuandus tanto beneficio.

3 Sed difficultas est, quando damnatus non vult baptizari, nisi quando peruenerit ad patibulum, putans hoc sibi magis prodesse, an tunc possit illi ministrari Eucharistia. Resp. Debere moneri de maxima vtilitate Eucharistiæ, & quod magis proderit prius baptizari, & sumere Eucharistiam, quàm sic differre baptismum, quia recipiet etiam effectus Eucharistiæ: & si forte incidat in aliquod peccatum, poterit per sacramentum poenitentiæ deleri, ita etiam Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 40. *num.* 8. Quod si persistat, vt baptizari solum velit, quando peruenit ad patibulum, addit idem Sanchez, quod adhuc poterit ministrari Eucharistia, quia non erit indecens eò deferri Eucharistiam, cum deferatur etiam ad pauperes decumbentes in stabulis, & tradit Posseuin. *de offic. curati. cap.* 8. *num.* 32. *&* 33. imo, cum vrgeat præceptum diuinum quòad tūc baptizatum, erit necessarium ministrare. Et quidem tunc vrgere præceptum de sumenda Eucharistia, cum instet vltimus terminus vitæ, non potest verti in dubium; rursus etiam adest tempus, & opportunitas sufficiens pro ministranda, ita vt solum de industria denegari possit; & cum deferri possit ad locum patibuli cum debita reuerentia, non video, cur non teneantur pastores illam ministrare; & præbere morituro hoc subsidium.

An patienti vomitum ministrari possit viaticum. Quæst. 315.

SVMMA.

1 *Patienti vomitum quando ministrari possit viaticum.*
2 *Quomodo indicandum non adesse periculum eiectionis.*
3 *Quid aliud obseruandum.*
4 *Obseruandum interuallum inter vnam; & aliam eiectionem.*
5 *Infirmo laboranti flatibus hypocondriacis an ministrandum viaticum.*
6 *Quid faciendum, si patiens vomitum eiiciat species sacramentales.*

1 Conueniunt communiter, & praxis quoq; declarat, quod, non possit ministrari, si adsit periculum, quod Eucharistia eiiciatur si verò non adsit, posse ministrari. Ita D. Th. *3. par. quæst.* 80. *ar.* 9. *in corpore.* loquens de amentibus, in quibus est periculum expuitionis. Suarez *disp.*69. *sect.* 2. ver. *Ad fundamentum.* Zambran. *in suis decis. cap.* 3. *de Eucharis. dub.* 4. *num.* 5. Diana *par.* 2. *resol.* 78. ver. *Sed hi Doctores.* Io. Sanchez *in selectis de sacrament. disp.* 38. *numer.* 2. Et ratio est, quia secluso periculo vomitus, nullum adest motiuum, cur debeat denegari.

2 Verum difficultas est, quomodo diiudicandum sit, quod adsit, vel non adsit periculum vomitus præsertim, quando non adest medicus, cuius iudicio standum sit: si enim medicus asserat, quod per aliquod tempus cessare possit vomitus, poterit viaticum ministrari. Resp. cum Zambrano. Sanchez, Diana. *num. præced.* citatis posse infirmo tribui formulam non conse-

cra-

cratam, quia si illam retinebit, saltem per horam poterit viaticum ministrari; secus autem si eiiciat; nam tunc probabiliter iudicabitur, quod sit retenturus Eucharistiam; quod si eiiciat, per accidens erit. Erit tamen monendus infirmus, quod illa formula non sit consecrata, ne illi exibeat reuerentiam, quam non debet.

3 Insuper etiam considerari poterit, an vomitus proueniat ex eo, quod ad stomachum descendat cibus, ita vt quantitas cibi excitet vomitum; vel ex eo quod stomachus, ita sit affectus, vt identidem conetur eiicere, quiquid in se habet; nam si ex prima causa contingat vomitus, poterit viaticum ministrari in formula valde exigua, ita vt solum sufficiat, vt possit traiici ad stomachum; nam exiguitas ipsius non erit sufficiens ad excitandum vomitum: secus autem, si vomitus posteriori modo contingat.

4 Est etiam considerandum, quænam intercapedo sit inter vnam, & aliam eiectionem. Quia si sit notabilis poterit Eucharistia ministrari tanto tempore ante superuenturam eiectionem, vt species sacramẽtales tunc temporis sint digestæ: pro quo sufficere vnicam horam, notat Io. Sanchez *numer.* 1. citatus. Rursus an vomitus habeat certas periodos, secundum quas reuiuiscat: atque tunc quoque ministrari poterit Eucharistia anticipando debito tempore superuenturam periodum.

5 Quod si infirmus laboret flatibus hyponcondriacis, qui aliquando ascendentes ad stomachum excitant vomitum, considerandum erit, an semper excitent, & quàm frequenter. Nam si quando commouentur, non semper excitant vomitum, licet stomachum exagitent, aut adsit competens intercapedo temporis, ministrari poterit viaticum, quando cessauerint, ita vt adsit sufficiens tempus quietis, in quo digeri possint species sacramentales.

6 Denique. Si contingat vomitus antequam digestæ sint species sacramentales, seruandum erit, quod præscribitur *in Rubr. Missal.* Tit. *De defec. occurrent. in minis. num.* 14. ibi *Si sacerdos euomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reuerenter sumantur, nisi nausea sit; tunc enim species consecratæ cautè separentur; & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium proiiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur.* Hoc autem debet intelligi, quando creditur, quod non sint digestæ, sed ita immixtæ materiæ eiectæ, vt non appareant.

De essentia sacramenti extremæ vnctionis.

An extrema vnctio sit sacramentum. Quæst. 316.

S V M M A.

1 *Extrema vnctionis nomine quid intelligatur.*
2 *Extrema vnctio an sit sacramentum, & num. seq.*
4 *Patres Græci agnoscunt vt sacramentum.*
5 *Patres item Latini.*
6 *Sacramenti definitio, & quomodo congruat extremæ vnctioni.*
7 *Extrema vnctio est signum interioris sanctificationis.*
8 *Christus auctor extremæ vnctionis.*
9 *Epistola D. Iacobi non est dubiæ fidei.*
10 *D. Iacobus quomodo exprimat Christum institutorem extremæ vnctionis, & eiusdem effectus.*
11 *D. Iacobus cur non possit intelligi de vnctione ad curandum.*
12 *Dictio, Alleuiabit, quem effectum significet.*
13 *Effectus extremæ vnctionis tribuitur à D. Iacobo tàm vnctioni, quàm orationi.*
14 *Extrema vnctio etiam in primitiua Ecclesia erat sacramentum.*

Pri-

15 *Primarius effectus extremæ vnctionis est spiritualis.*

---

1 NOmine extremæ vnctionis intelligitur illa vnctio, qua à ministris Ecclesiæ vnguntur infirmi, quando creduntur discessuri ex hac vita: vnde ideo dicitur extrema, quia est vltima, quam circa suos fideles adhibet Ecclesia; & quia est remedium omnium vltimum pro adiuuandis fidelibus ad consequendam salutem.

2 Negant autem hæretici esse sacramentum, vt Albigenses apud D. Antonin. *par.* 4. *sum. tit.* 11. *cap.* 7. §. .. *Lutherani cum Luthero lib. de captiuitate Babilonica. capit. de extrema vnct. Caluinistæ cum Caluino lib.* 4. *instit.cap.* 19. §. 18.

3 Dicendum tamen est. *Extremam vnctionem esse verum sacramentum nouæ legis cum omni proprietate.* Ita communiter scholastici cum D.Th. 3.*par. quæst.* 29. *supplem. art.* 1. *& in* 4. *dist.* 23. Est de fide ex Concil. Florent. *sess. vlt. in Decreto Eugenii.* & ex Concil. Trident. *sess.* 14 *cap.*1.*& can.* 1. *de extrema vnct.* vbi ita definit. *Siquis dixerit extremam vnctionem non esse verè, & propriè sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à partibus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

4 Desumitur autem ex Patribus tum Græcis Chrysost. *lib.* 3. *de sacerdot. Sacerdotes, non solum cum nos regenerant, sed postea habent potestatem indulgendi peccata. Infirmatur quis, inquit Apostolus, ex vobis Accersat præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum.* Nicolaus Cabasilus de liturg. cap. 29. *Peccatorum quoque remissio poenitentibus datur per orationem sacerdotum, & vltimum obei sacramentum. Similiter perficit sacerdotum oratio, quod etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remissionem dat iis, quibus peragitur, vt habet Apostolica traditio. Infirmatur quis in vobis &c.* Hieremia Constantinopol. Resp. 1. cap. 7. *Sacrum verò oleum, & hoc nobis est traditum, & ipsum est diuinum sacramentum, diuinæ nobis misericordiæ typum repræsentans, quod in redemptionem, & sanctificationem illis, qui à peccatis conuertuntur, conferri solet, & ex multis infirmitatibus nos subleuat, eosque, qui illo dignè vtuntur, sanctificat.*

5 Tum ex Latinis August. De rectitud. cathol. conuersat. *Qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide, & deuotione accipiat; oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur, & secundum Apostolum oratio fidei saluabit infirmum, & alleniabit eum Dominus: non solum corporis, sed & animæ sanitatem accipiet.* Ansel. in Elucidario. *Quid valet vnctio olei infirmis? Peccata confessa, & non iterata, vel quotidiana per hanc vnctionem relaxantur, vt dicitur, qui in peccatis est, dimittentur ei. Si de peccato poenitentiam non egit, ista vnctio non solum ei nihil prodest, sed etiam multum obest.* Petro Damiano. Sermone 1. in Dedicat. Eccles. *Tertium sacramentum est vnctio infirmorum. Infirmantibus nobis, & vsque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus spiritus pietatis assistit; ait enim D. Iacob. Infirmatur quis in vobis &c. Solemnis vnctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Videsne, qualiter sacerdotalis manus infirmantis corpus alleuiet, & illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget vnctione? Vnde & sancti Patres hanc vnctionem sacramentum esse sanxerunt.* Et alia similia leguntur apud coeteros Patres, quos recenset Conuius *lib.* 7. *Thesauri. ar.* 6. *de Extrema vnctione*, quibus significant esse sacramentum. Idem etiam declararunt Summi Pontifices præsertim Innocent. 1. *Epist.* 1. *cap.*

cap. 8. *ad Decent.* & Innocent. III. *in cap. cum venissent. de sacr. vnct.*

6 Ratio autem est. Quia cuicunque conuenit definitio, conuenit etiam propriè natura, & essentia rei definitæ, ita vt cum omni veritate sit talis. Extremæ autem vnctioni conuenit definitio sacramenti. Sacramenti namque definitio, vt colligunt communiter Doctores ex D. Th. *3. par. quæst. 62. ar. 1.* & sequentibus est, quod sit, *Signum sensibile à Christo institutum rei sacræ*, hoc est interioris sanctificationis, quia nimirum sacramenta sunt instituta à Christo ad sanctificandos homines vel quoad primam gratiam, vel quoad augmentum illius. Hæc autem definitio congruit extremæ vnctioni iuxta ea, quæ de ipsa tradit Iacob. Apost in sua Epist. cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbiteros Ecclesia, et orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei saluabit infirmum; et alleuiabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* In hac ergo vnctione reperiuntur omnia, quæ requiruntur ad sacramentum constituendum, & explicantur in definitione. Nam in primis reperitur materia tum remota, nempe oleum, tum proxima, nempe vnctio, quam explicat inquiens, *Vngentes eum oleo*. Reperitur etiam forma, quæ explicatur illis verbis, *Et oratio fidei*, quæ debet coniungi cum materia; siquidem ait Apostolus; *Orent super eum vngentes eum oleo*; ita vt orandum sit supra infirmum, dum vngitur. Orare autem supra infirmum est deprecari ipsi aliquod à Deo; forma namque huius sacramenti est deprecatiua. Qualis autem esse debeat, habetur ex traditione Apostolica, & infra explicabitur. Vnctio autem, & oratio constituunt vnum adæquatum signum sensibile, & ideo saluatur prima pars definitionis sacramenti.

7 Rursus non solum est signum sensibile, sed etiam rei sacræ, nempe interioris sanctificationis, quam explicat D. Iacob. illis verbis, *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Hæc autem verba continent certam promissionem, & firmam de gratia annexa huic vnctioni, & de remissione peccatorum, quæ requirit sanctificationem interiorem, vt definitur ex Concil. Tridentino *sess. 14. cap. 2. de extr. vnct.* Atque hunc effectum assignat vnctioni, & orationi tanquam causæ, nam ponit vnctionem infirmi, & orationem super ipsum in hunc finem, vt Deus alleuiet ipsum, & remittat peccata. Dictio enim, Et, attribuit præcedenti subsequentem effectum, tanquam ipsi alligatum.

8 Denique exprimitur, quod hoc signum sensibile rei sacræ sit institutum à Christo, dum dicitur, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, nam illa dictio, *In nomine Domini*, significat, quod illa actio vnctionis debet fieri in nomine Christi, quando autem fit aliquid nomine alterius, significatur, quod ipse sit auctor illius actionis, & quod fiat ex mandato ipsius. Deinde cum Apostolus promittat infallibilem effectum gratiæ obtinendum media hac vnctione, nec ipse possit esse auctor gratiæ, oportet, qood hæc promissio fundetur in auctoritate illius, qui potest esse auctor gratiæ, atque adeo, quod ab ipso originem trahat institutio huius signi sensibilis sanctificatiui.

9 Obijciunt 1. hæretici. Ex sola Iacobi Epistola colligitur, quod hæc vnctio sit sacramentum. Hæc autem Epistola est dubiæ fidei, vt habet Euseb. *lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 32.* & D. Hieronim. *de scrip. Ecclesiast. in Iacobo* ait, Veteres existimasse illam non fuisse scriptam à S. Iacobo. Resp. Esse canonicam, tum quia Patres communiter illam recensent inter scripturas canonicas apud Canum *De locis theol. lib. 2. cap. 4.* Tum quia Concilium Milleuitanum *can. 7.* Laodicenum *can. 59.* Cartaginen. III. *can. 47.* quæ licet prouincialia, fuerunt tamen confirmata in Generali VI. Synodo, ill. m habent pro catholica. Tum quia nouissi-

simè Concilium Tridentinum *sess. 4. in decreto de* canonicis scripturis illam reponit inter libros canonicos. Imo etiam D. Hieronim. illam admittit vt canonicam, & solum dicit, quod aliqui asseruerint, esse ab alio editam sub nomine D. Iacobi: sicut etiam illam habet pro canonica Eusebius, & solum refert aliquos sensisse contrarium, quod parum refert.

10 Obiiciunt. 2. D. Iacobus non exprimit, quod Christus instituerit, nec quod promiserit illius effectum, quod requireretur, vt esset sacramentum. Resp. D. Iacobum non voluisse ibi tradere, quod Christus instituerit extremam vnctionem, sed supposita institutione, voluisse introducere vsum ipsius, quem solum indicit, & sufficienter exprimit institutionem Christi, dum dicit, *Vngentes in nomine Domini*, & promissionem effectus dum subdit, *Et alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei*.

11 Obijciunt 3. Hunc locum esse intelligendum de vnctione ad sanandos corporaliter infirmos. Resp. Non posse intelligi; tum quia gratia curationum erat in ordine etiam ad infideles 1. ad Corinth. 14. hæc autem vnctio est solum pro fidelibus, quod declarat Iacob. Apost. dum ait, *Infirmatur quis inter vos*, hoc est inter vos, qui estis fideles. Tum quia gratia curationis vnicuique generi personarum concedebatur, etiam foeminis; pro hac autem vnctione requiruntur sacerdotes, nam ai. *inducat presbiteros*. Tum quia sanitas corporalis non semper obtinetur ex hac vnctione, sicut semper obtinetur, quando applicatur gratia curationis. Denique quia Apost. ait, *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. vnde ordinatur ad effectum gratiæ. Nec sequitur, quod debeat intelligi de effectu corporali, quia nimirum agit Apostolus de infirmo corporaliter. Quia licet subiectum huius sacramenti sit infirmus corporaliter, sacramentum tamē ordinatur principaliter ad subleuamentum spirituale iuxta indigentiam infirmi corporaliter.

12 Instant. Iacobus inquit, *Alleuiabit eum Dominus*; verbum autem græcum correspondens latino *Alleuiabit*, significat effectum corporalem, nempe illam virtutem, per quam decumbens ita roboratur, vt possit surgere e lecto. Resp. Hoc verbum sumi metaphoricè ad significandam similem corroborationem in anima, vt passim sumit scriptura, vnde etiam Ad Roman. 13. *Hora est iam nos de somno surgere*, Græcè habetur ἐγερθῆναι.

13 Obiiciunt 4. D. Iacob. non tribuit hunc effectum vnctioni, sed orationi fidei. Resp. Tribuere tàm orationi, quàm vnctioni; nàm frustra requireret vnctionem, si non deberet operari effectum. Deinde considerat vnctionem, & orationem per modum vnius actionis. Dum dicit, *Orent super eum vngentes oleo*, cui adscribit effectum, quem explicat.

14 Obiiciunt 5. Hæc vnctio in primitiua Ecclesia non erat sacramentum, nam primis octingentis annis neque Patres; neque Concilia meminerunt huius sacramenti, sed solum Concilium prouinciale Cabilonense. Vnde Glos. *in cap. Vir autem. de secundis nuptr.* ait non esse sacramentum. Resp. falsum assumi, vt constat ex dictis *num. 4. & 5.* & constat indici à Iacobo Apostolo, vt sacramentum. Glosa autem loquitur de impositione manuum reconciliatiua supra publicos pęnitentes, quam confundit cum extrema vnctione, in quo decipitur.

15 Obiiciunt 6. Principalis effectus sacramenti est gratia spiritualis; in hac autem vnctione principalis effectus est quid corporale, & spiritualis gratia solum secundario, & sub conditione; ait enim. *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. Respon. Non esse quid corporale, quia alleuiatio, quam absolutè, & primo loco ponit Apostolus, est alleuiatio animæ, atque adeo spiritualis. Hæc autem alleuiatio fit per gratiam sanctificantem habentem annexa specialia auxilia: & ideo pro se-

secundario effectu tollit peccata, si reperiat.

An sacramentum extremæ unctionis sit immediatè institutum à Christo. Quæst. 317.

S V M M A.

1 *Sacramentum extremæ unctionis an immediate institutum à Christo, & num. seq.*
3 *Potestas instituendi sacramenta non est communicata puræ creaturæ.*
4 *Omnia sacramenta nouæ legis instituta à Christo.*
5 *Extrema unctio non fuit instituta à Christo* Marc. 6.
6 *An instituta in ultima coena.*
7 *Incertum quando instituta.*
7 *Congruenter dicitur instituta post resurrectionem.*

1 NOn fuisse immediatè institutum à Christo, sed ab Apostolis, tradunt graues Doctores Magister *in 4. dist. 23.* D. Bonauen. *art. 2. quæst. 2.* Altisiodorens. *lib. 4. sum. tract. 7. cap. 1.* Alens. *par. 4. quæst. 8. mem. 2. ar. 1.* Hugo Victorin. *lib. 2. de sacramen. par. 15. cap. 2.* Ex debili tamen fundamento; Quia nimirum non habetur ex Euangelio: quasi necessarium sit, quod omnia, quæ Christus tradidit, habeantur ex Euangelio, nec aliæ sint admittendæ traditiones. Vnde vix possum adduci, quod adeo graues Doctores hoc senserint, sed puto, quod per institutionem intellexerint promulgationem.

2 Dicendum tamen est. *Extremæ unctionis sacramentum esse immediatè institutum à Christo.* Ita communiter Doctores *in 4. dist. 23.* vbi D. Th. *quæstion. 1. ar. 1.* & *quæst. 29. supplementi ar. 3.* & modo est de fide ex definitione Concil. Trident. *sess. 14. can. 1. de extrema unct.* vbi ita definit. *Siquis dixerit, extremam unctionem non esse vere, & proprie sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, anathema sit.*

3 Ratio autem est. Quia potestas excellentiæ, quam habuit Christus, & ratione cuius potuit instituere sacramenta, non fuit communicata alicui puræ creaturæ, & ideo non est, nec fuit in Ecclesia excepto Capite Christo. Vnde quamuis possit Ecclesia aliqua mutare, aut de nouo instituere circa sacramenta, non tamen ea, quæ spectant ad ipsorū substantiam, vt definit Concil. Trident. *sess. 21. capit. 2.* Ergò non potuit sacramentum extremæ vnctionis ab alio institui, quàm à Christo.

4 Confir. Omnia sacramenta nouæ legis fuerunt instituta à Christo, vt est de fide ex definitione Concilii Trident. *sess. 7. can. 1.* vbi ita tradit *Siquis dixerit non omnia sacramenta nouæ legis fuisse à Iesu Christo instituta, anathema sit.* Ergo eo ipso quod Extrema vnctio est sacramentum, sequitur fuisse institutam à Christo. Et ratio congruentiæ est. Quia solus Christus fuit Caput, & reparator generis humani; & ideo ad ipsum solum spectabat instituere media, per quæ influxus à capite in membra deriuarent, & quibus ad salutem peruenirent.

5 Difficultas autem est, quando sit institutum à Christo. Est autem supponendum tanquam certum non fuisse institutum, quando Christus Marci 6. Misit Apostolos, vt prædicarent, & sanarent infirmos vnctione olei, vt quidam voluerunt, nimirum Maldonat. *in illum locum.* Vu[illegible]dens *tom. 2. de sacrament. cap. 163.* Petrus Sotus *lect. 1. de Extrema unct.* Nam vt habet Concil. Trident. *sess. 14. capit. 1. de Extrema unct.* tunc solum fuit à Christo hoc sa-

cramentum insinuatum in illa vnctione. Deinde tunc Apostoli nondum erant sacerdotes, cum ordinati fuerint in vltima coena; nec qui vngebantur erant omnes baptizati; & ideo non erant omnes capaces huius sacramenti, cum soli baptizati sint capaces, nec Apostoli poterant esse ministri, seclusa dispensatione, de qua non constat; vnde illud factum non potest arguere institutionem sacramenti. Et ita sentiunt D. Th. *in 4. dist. 23. quæst. 1. ar. 1. quæstiun. 3. ad 1.* Sotus *quæst. 1. art. 1.* Suarez *in 3. par. tom. 4. disput. 39. sect. 1. numer. 4.* Coninch. *de sacram. tom. 2. disp. 19. dub. 1. num. 3.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 1 num. 9.*

9 Aliqui ergo volunt fuisse institutum in vltima coena, quia nimirum tunc fuit institutum testamentum nouũ, quod fuit postea morte confirmatum: tunc enim Christus instituit discipulos circa statum futuræ Ecclesiæ: Verum neque hæc ratio potest esse alicuius momenti, nam etiam sacramentum poenitentiæ pertinet ad testamentum nouum, & tamen non fuit institutum in vltima coena, sed post resurrectionem, vt habet Concil. Tridenr. *sess. 14. cap. 1. de poenit.* Vnde neque cum fundamento dicitur, vt volunt Suarez *3. part. tom. 4. disp. 39. sect. 2. num. 5.* Villalobos *par. 1. sum. tr. 10. difficul. 1. n. 3.* quod institutũ fuerit in vltima coena, & quod post resurrectionem dederit Apostolis iurisdictionem ad illud ministrandum, neque enim cum fundamento inducitur hæc distinctio, siquidem pro hoc sacramento ministrando non est opus speciali iurisdictione, sed sufficit illa, qua quis constituitur pastor animarum.

7 Itaque incertum omnino est, quo tempore fuerit institutum, vt inter alios notat Chellison. *3. par. quæst. 29. supplem. ar. 1. ver. Quando autem.* Cum aliqua tamen congruentia dici posset, quod fuerit institutũ à Christo post resurrectionem, & post institutionem sacramenti poenitentiæ. Et ita docent Præposit. *3. par. quæst. vn. de extrem. vnct. dub. 1. numer. 5.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 2. num. 29.* Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extrema vnct. difficul. 3. ver. Tertiò. alii.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 1. num. 2.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. 1. num. 5.* Ludouic. à S. Io. *part. 1. sum. quæst. vn. de Extrema vnct. art. 1. dub. 5.* Ratio autem est, quia sacramentum extremę vnctionis est adhibendum tanquam cõsumatiuum sacramenti poenitentiæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 24. de extr. vnct. init.* & ideo cum habeant ex natura rei ordinem ad inuicem, est etiam verisimile, quod Christus instituerit cum hoc ordine, ita vt prius instituerit sacramentum poenitentiæ, & postea sacramentum extremæ vnctionis.

An sacramentum extremæ vnctionis sit vnum. Quæst. 318.

SVMMA.

1 *Sacramentum extremę vnctionis est vnum etiam vnitate numerica.*
2 *Non continet diuersas species, sicut sacramentum ordinis.*
3 *Vt vnum numero coalescit ex pluribus partibus.*
4 *In sacramento extremæ vnctionis qualem significationem habeant singula formæ.*

1 Dubium oritur, quia in ipso interueniunt non solum plures vnctiones in diuersis partibus corporis, sed etiam diuersæ formæ habentes diuersas significationes: vnde videntur esse plura sacramenta. Tenendum tamen est. *Sacramentum extremæ vnctionis esse vnum, non solum vni-*

vnitate specifica, sed etiam numerica, quando eidem subiecto ministratur, ita vt ex omnibus vnctionibus, & formis fiat vnum sacramentum. Ita communiter D. Th. *quæst. 29. supplementi. ar.* 1. Chellison. Siluius *ibid.* Nugn. *dub. vnico.* Mercer. *proposit.* 2. Præpositus *quæst. de extrema vnct. dub.* 1. *num.* 6. Granad. *controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 4. *numer.* 1. & 2. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 1. *num.* 4. Scot. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. D. Bonau. *distin.* 14. *ar.* 1. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. quæstion. vn. de extrema vnct. ar.* 1. *dub.* 2. Quod autem sit vnum specie, est omnino certum ex Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 1. *de sacram.* vbi definit sacramenta non esse plura, nec paucio ra, quàm septem: & inter hæc septem reponit extremam vnctionem.

2 Verum quia posset quis dicere, sacramentum extremæ vnctionis esse vnum eodem modo, ac est sacramentum ordinis, quod secundum aliquos continet plures species athomas, quicquid de hoc sit, est diuersa ratio de sacramento extremæ vnctionis. Tum quia Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extrema vnct.* ponit omnes vnctiones tanquam vnicam materiam; sicut etiam Concil. Florent. *in instruct. Armenor.* & omnes illas deprecationes tanquam vnicam formam. Tum quia omnes vnctiones vnico contextu adhibentur, & omnes formæ in ordine ad eumdem effectum. Tum quia omnes sunt tantum vnicum signum rei sacræ, cum in omnibus vnctionibus idem effectus significetur: non potest autem multiplicari sacramentum, nisi multiplicetur signum rei sacræ.

3 Rursus quod sit etiam vnum numero coalescens ex pluribus vnctionibus, & formis tanquã ex pluribus partibus, ex eo deducitur, quia singulę formę coniunctæ cum singulis vnctionibus nõ significant adæquatè effectum sacramentalem, sed tantum inadæquatè, nempe singulæ in ordine ad singulos sensus, qui cum inadæquatè se habeant ad animam, se habent etiam inadæquatè ad effectum sacramentalem, qui ordinatur ad animam, prout est radix omnium sensuum. Cum ergo sacramentum consistat formaliter in significatione, non potest multiplicari, nisi multiplicetur significatio: vnde cum sit vnica numero adæquata significatio, erit etiam vnicum numero sacramentum, coalescens ex pluribus partibus, seu materiis, & formis partialibus.

4 Dices. In sacramento extremæ vnctionis singulæ formæ habent suam significationem completam independenter ab aliis; ergo singulæ constituunt suum sacramentum independenter ab aliis. *Resp.* nequaquam habere significationem completam independenter ab aliis, nam signi ficant interiorem vnctionem spiritus sancti per gratiam, qua confortatur infirmus, & excitatur ad fiduciam diuinæ misericordiæ, & reliquiæ peccatorum absterguntur, vt habet Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de extrema vnct.* Hanc autem vnctionem interiorem non significant adæquatè singulæ exteriores vnctiones tanquam coarctatæ ad singulas partes corporis, prout inuicem distinguuntur; vnde cum singulæ non sint adæquata vnctio hominis, nec etiam singulæ significant adæquatè interiorem præsertim in ordine ad abstergenda peccata.

An sacramentum extremæ vnctionis sit iterabile. Quæst. 319.

S V M M A.

1 *Sacramentum extremæ vnctionis est iterabile.*
2 *Id statuitur à Concilio Tridentino.*
3 *Cur sit iterabile.*
4 *Iterabilitas sacramenti vnde deducatur.*

1 Dicendum est. *Sacramentum extremæ vnctionis esse ex natura sua*

sua iterabile. Ita communiter D. Th. *in 4. dist.* 23. *quæst.* 3. *ar.* 4. & *quæst.* 33. *supplem. artic.* 1. Nugnus, & Siluius *ibid.* Mercer. *quæst.* 30. *ar.* 3. Paludan. *in 4. dist.* 23. *quæst.* 4. Syluester *verbo*. Vnctio, *quæst.* 8. Sà *num.* 4. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 19. *num.* 3. Valent. *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 2. *pun.* 2. *in fine*. Laiman *lib.* 5. *sum. tract.* 8. *cap.* 4. *in fine*. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 4. *num.* 4. Coninch. *disp.* 19. *de sacram. dub.* 8. *num.* 16. Tabiena *verbo*. Extrema vnctio. *num.* 9. Armilla *eod. numer.* Posseuin. *de offic. curati cap.* 9. *num.* 18. Reginal *lib.* 28. *num.* 49. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. pun.* 6. *numer.* 4. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 6. *num.* 17. Chellison. 3. *par. qu.* 33. *supplem. ar.* 11. Præposit. *quæst. vn. de extrema vnct. dub.* 7. *num.* 65. Tanner. *par.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *num.* 54. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 1. *de extrema unct. num.* 5. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. un. disp.* 4. *numer.* 2. Ochagauia *de sacram. tract. de extr. unct. quæst.* 3. *num.* 8.

2 Id autem constat ex praxi Ecclesiæ, quæ, si casus contingat, quod quis pluries incidat in periculum mortis, pluries etiam vngit. Et hoc ipsum declarat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap. de extrema vnct.* dum habet. Quod si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

3 Ratio autem est, quia omnia sacramenta, quæ non imprimunt characterem, possunt iterari, & ideo iterari possunt, quia non habent effectum permanentem, atque adeo contingit, quod idem pluries iis indigeat. Vnde cum sacramenta sint instituta ad subueniendum humanæ indigentiæ, ea, quibus homo pluries indiget, iterari possunt. Sacramentum autem extremæ vnctionis non imprimit characterem, & quisque potest pluries indigere effectu ipsius, cum possit pluries incidere in periculum mortis.

4 Dices. Quamuis sacramentum ordinis imprimat characterem, non habet tamen permanentem effectum, quia gratia cum illis auxiliis, quam confert in ordine ad digne exercendum ordinem potest amitti; vnde contingit, quod ordinatus pluries indigeat effectu ipsius, & tamen non potest iterari; ergo non ex eo potest inferri iterabilitas sacramenti, quod homo pluries indigeat effectu ipsius. Resp. Iterabilitatem sacramenti non deduci ex eo præcise, quod homo pluries indigeat effectu ipsius; sed ex eo, quod indigeat adæquato effectu. Quod non contingit in sacramentis, quæ imprimunt characterem; quia cum character semper maneat, nunquam contingit indigentia adæquati effectus ipsius: & ideo Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 9. *de sacramen. in genere*, ex eo, quod sacramentum imprimat characterem, infert non posse iterari. Quare si iterarentur, iteraretur etiam character, & esset superfluus.

De materia remota Sacramenti extremę vnctionis.

Quę nam sit materia remota huius sacramenti. Quæst. 320.

S V M M A.

1 *Materia extremæ vnctionis.*
2 *Analogia olei cum significatione sacramenti extremæ vnctionis.*
3 *Benedictio olei an sit de necessitate sacramenti, & num. seq.*
5 *Concil. Floren. & Trident. doctrina de materia extremæ vnctionis.*
6 *Qualificatio benedictionis quomodo se habeat ad materiam extremæ vnctionis.*
7 *Benedictionem pertinere ad materiam extremæ vnctionis unde colligatur.*

Vn-

8 *Vnde inferatur, quod aqua non benedicta sit sufficiens materia baptismi.*
9 *Deficiente oleo benedicto an possit adhiberi non benedictum.*
10 *Oleum amygdalarum, nuſtum, &c. an possint esse materia extremæ vnctionis.*
11 *Oleum oliuarum conditum rosis, &c. an possit esse materia extremæ vnctionis.*

---

1 Materiam sacramenti extremæ vnctionis esse oleum oliuarum, est constans sensus totius catholicæ Ecclesiæ, & est de fide ex Concil. Florent. *in instruct. Armenorum*, & ex Concil. Trinent. *sess* 14. *cap.* 1. *de extrema vnct.* dum ait. *Intellexit enim Ecclesia, Materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Et constat etiam ex verbis D. Iacobi, quibus hoc sacramentum promulgauit, dum dixit, *Vngentes eum oleo*: cum enim vnctio facienda sit cum oleo, fit, quod oleum sit materia adhibenda in hoc sacramento. Nomine autem olei absque addito intelligitur oleum ex oliuis, nam coetera dicuntur oleum cum addito, & ita etiam tradunt Doctores *in* 4. *dist.* 33. & *quæst.* 29. *supplem. art.* 4. cum D. Th. iisdem locis.

2 Hæc autem materia est maximè apta ratione suæ analogiæ cum spirituali effectu sacramenti, & proinde habet quamdam aptitudinem, vt eleuari possit, vt sit pars huius sacramenti. Cum enim hoc sacramentum ordinetur ad fouendam animam præcipue quoad spem in Deum, & fiduciam diuinæ misericordiæ, & ad tollendas reliquias peccati, ideo sacramentum debet hos effectus significare; quantum autem est ex parte materiæ oleum est valde accommodatum ad hanc significationem; si quidem est aptissimum fomentum ignis, & ideo potest significare, quod sacramentum foueat charitatem, vnde postea corroboretur spes, & fiducia. Rursus etiam oleum est aptum ad curanda vulnera, vnde Lucæ 10. narratur, quod Samaritanus alligauit vulnera, & infudit oleum, & ideo potest vnctio ipsius significare curationem vulnerum, quæ relicta sunt ex peccatis, & perfectam animæ sanitatem, quam tribuit sacramentum. Difficultas modo est, an hoc oleum debeat esse benedictum ex necessitate sacramenti, an verò solum ex necessitate præcepti.

3 Prima sentent. asserit, benedictionem esse solum necessariam necessitate præcepti: non autem necessitate sacramenti. Ita Martin. Ledesma. 2. *par.* 4. *quæst.* 31. *art.* 6. ver. *Vnde ego*, qui tamen in fine articuli dicit benedictionem esse de essentia, Victoria in *sum. de sacram. num.* 216. Sà *verbo*. Extrema vnctio *num.* 6. Idem videtur sentire Viual. *in Candelab. quæst.* 10. *de extrema vnc.* quamuis dicat se nolle recedere à communi sententia, & probabile putat Nicolaus Serarius *Opusc. de Extr. vnct. cap.* 7. *num.* 83. & idem videtur sentire Martinon *De sacram. disp.* 65. *de extrema vnct. sect.* 3. *num.* 16. dum ait, quod in extrema necessitate, namque quando oleum benedictum non suppeteret, posset adhiberi oleum non benedictum; quamuis postea subdat, quod si infirmus superuiueret, deberet iterum vngi sub condicione cum oleo benedicto. Et videtur hæc opinio habere fundamentum in Iacobo Apostolo, qui dum agit de hoc sacramento, inquit solum *Vngentes eum oleo*; nec requirit, quod sit benedictum.

4 Secunda tamen sententia omnium communis, asserit, benedictionem esse necessariam necessitate sacramenti. Ita D. Tho. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. & 3. & *quæst.* 29. *supplem. art.* 5. vbi Siluius, Mercer. ver. *Obiicit.* Francisc. Putean. *quæst. vn. de extrem. vnc. dub.* 2. ver. *Dubitatur autem*. Nugnus *in exposit. art.* Durand. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. D. Bonauen. *quæstion.* 1. *art.* 3. Palud. *quæst.* 1. *artic.* 1. Sotus *dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 3. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 39. *sect.* 2. Valent. *tom.*

tom. 4. disp. 9. quæst. 2. pun. 2. Tanner. *par. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 10.* Coninch. *De sacram. disp. 19. dub. 2. conclus. 2,* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 2. num. 2.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 2. numer. 3.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. punc. 2, numer. 2.* Præposit. *3. par. quæst. vn. de extrema vnct. dub. 3. num. 4.* Chellison. *quæst. 29. supplemen. art. 6.* ver. *Dico secundo.* Zambert. *disp. 2. de sacram. extrem. vnct. art. 1.* Granad. *controuer. 8. tract. vn. disp. 2. numer. 2.* Baun. *de sacram. tract. vlt. de extrema vnct. quæst. 3.* ver. Dico *secundo*, Syluester *verbo*, Vnctio *quæst. 1.* Gaspar Hurtad. *De sacram. tract. de extrema vnc. difficul. 4.* ver. *Reliqui tamen* Caspens. *par. 2. cur. Theol. tract. 27. disp. 4. sect. 1. conclus. 2.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 10. difficul. 1. numer. 5.* Filliuc. *tract. 3. cap. 4. quæst. 6.* Bellarmin. *De sacram. extrem. vnc. cap. 7.* Ochagauia *De sacramen. tract. de extrema vnct. quæst. 3. conclus. 2.* Io. à Cruce *par. 2. Direct. confessen. dub. 2, de extrema vnc. conclus. 1.* Fernandez *par. 3. Examin. Theol. moral. cap. 10. §. 1. num. 2.* Dicastil. *De sacr. tract. 7. disp. 1. dub. 3. num. 32,* Angles *in Florib. quæst. de Extr. vnct. art. 1. difficul. 4.* Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. quæst. vn. de Extr. Vnc. ar. 2. difficul. 3.* Reginal. *lib. 28. num. 50.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. Moral. lib. 1. tract. 1. de Extr. vnc. num. 7.*

5 Dicendum est. *Oleum, quod est materia sacramenti extremæ vnctionis, debere esse benedictum ex necessitate sacramenti, ita vt seclusa benedictione non valeat sacramentum.* Desumitur ex Concil. Florent. *in Decreto Eugen.* vbi dicitur. *Quia tum sacramentum est Extrema vnctio, cuius materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum*, & ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1. de extrema vnct.* in fine vbi ait. *Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Ratione autem probari non potest; quia cum hoc dependeat ex libera institutione Christi, non potest aliunde talis institutio ostendi, nisi quia sic Ecclesia intelligit, vt habet Concil. Trident.

6 Dices. Ex his Concilijs conuinci quidem, quod requiratur benedictio; non autem quod sit necessaria necessitate sacramenti. Contra. Concilia declarant dogmaticè, quænam sit materia sacramenti extremæ vnctionis, & dicunt, esse oleum benedictum, quod non esset verum, nisi benedictio ingrederetur constitutionem materiæ, quia quod prædicatur in recto de subiecto, identificatur cum ipso: et si non identificatur, non potest prædicari. Et dum assignant pro materia oleum non quomodocunque, sed qualificatum per benedictionem, oportet quod ista qualificatio pertineat ad rationem materiæ, alioquin assignaret aliquid pro materia, quod non pertineret ad materiam. Sic quamuis panis, qui est materia Eucharistiæ debeat prius ex præcepto Ecclesiæ in missa offerri, non tamen potest dici quod materia Eucharistiæ sit panis oblatus; quia oblatio non pertinet ad rationem materiæ. Confir. Quia materia remota baptismi est aqua naturalis absque eo, quod sit benedicta, quamuis ab Ecclesia soleat benedici, attamen quando Concilia assignant materiam, non dicunt esse aquam benedictam, sed aquam naturalem. Ita Concil. Florent. *in Decreto pro Armenis. §. Primum omnium* ibi. *Materia huius sacramenti est aqua vera, & naturalis, nec refert frigida sit, an calida*, & Concil. Trident. *sess. 7. can. 2. de baptismo.* Ergo cum dicant materiam extremæ vnctionis esse oleum benedictum, & non simpliciter oleum, oportet dicere, quod oleum non benedictum non sit sufficiens materia, ità vt benedictio sit de necessitate materiæ.

9 Ad fundamentum oppositæ sent. resp. Quamuis ex loco D. Iacobi non colligatur, oleum debere esse benedictum, colligi tamen ex traditione Ecclesiæ, & ex allatis Conciliis. Ideo autem D. Iacob. non expressit hoc,

quia

quia non tradidit modum, quo esset ministrandum sacramentum, sed solum docuit esse ministrandum, & supponebat, quod aliunde notum haberet modum administrandi: vnde nec etiam in speciali expressit formam, cum tantum dixerit, *Orent super eum*.

8 Instabis. Quia scriptura loquens de baptismo meminit tantum aquæ pro materia, infertur, quod sola aqua absque vlla benedictione sit sufficiens materia. Ergo cum mentionem facit solius olei, & non benedictionis, erit inferendum, quod solum oleum, licet non benedictum, sit sufficiens materia. Resp. Non inferri, quod sola aqua sit sufficiens materia pro baptismo, ex eo solum, quod scriptura mentionem faciat solius aquæ, sed etiam quia ita fert traditio, quæ declarat scripturam. Traditio autem declarat scripturam, quod oleum debeat esse benedictum; & ideo inferri nō potest, quod sufficiat oleum non benedictum.

9 Ex dictis colligitur. Quod deficiēte oleo benedicto nō poterit adhiberi oleum non benedictum vrgente quacumque necessitate, quamuis oppositum sentiat Martinon. *de sacramen. disp. 65. de extr. vnct. sect. 3. num. 16.* Quia licet aliqui sentiant, quod benedictio non sit necessaria necessitate sacramenti, in contrarium tamen est communis sensus, & praxis Ecclesiæ, & ideo non possunt ipsi facere opinionem probabilem, atque adeo nec reddere oleum non benedictum materiam probabilem, præsertim quia non habent fundamentum pro sua opinione considerabile. Solum crederem, posse adhiberi oleum non benedictum, quando infirmus non posset suscipere aliud sacramentum, nam tunc posset sub conditione conferri extrema vnctio, ita vt minister intenderet tantum illum ritum coeremonialem, supposito, quod materia non esset sufficiens.

10 Colligitur 2. Coetera olea, vt amygdalarum, nucum, & alia huiusmodi non esse sufficientia, vt assumantur pro materia huius sacramenti, vt Pasqualig. notat etiam Ludouicus à S Io. *par. 1. sum. quæst. un. de extr. unct. ar. 2. dub. 2. in Append.* Quia sunt diuersæ speciei ab oleo oliuarum, sicut etiam est ipsa materia, ex qua eliciuntur, & ideo non sunt oleum simpliciter, sed cum addito, nempe oleum nucum &c. Quare, si non adesset oleum oliuarum, non posset aliud oleum consecrari, vt inseruiret pro materia huius sacramenti.

11 Colligitur 3. Oleum oliuarum rosis conditum, aut alio modo, si benedicatur, esse sufficientem materiam, dummodo non corrumpatur, sed adhuc conseruetur in sua substantia, vt docent etiam D. Th. *in 4. dist. 23. quæstion. 1. ar. 3.* Pitigian. *quæst. vn. artic. 3.* Nauar. *cap. 22. Manual. numer. 13.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 8. num. 8.* Posseuin. *de offic. curati. cap. 9. num. 2.* Nald. *verbo.* Extrema vnctio. *num. 4.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. de extrema vnct. numer. 9.* Quia nimirum mixtio, qua conditur, sicut non tollit substantiam materiæ institutæ à Christo, ita nec etiam tollit, quin sit congrua materia.

An oleum pro Extrema vnctione debeat benedici ex institutione Christi. Quæst. 321.

S V M M A

1 *Oleum infirmorum an benedicendum ex institutione Christi.*
2 *Si benedictio olei non esset ex institutione Christi, an sequeretur quod non esset de essentia.*
3 *Ecclesia ex speciali mandato potuit aliquid determinare circa substantiam sacramentorum.*

4 *Specialis aliqua commissio circa substantiam sacramentorum an facta Ecclesiæ à Christo.*

1 MAteriam sacramenti Extremæ vnctionis non esse benedicendam ex institutione Christi, docet Paludan. *in 4. dist. 7. quæst. 4. num. 34.* Quia vult, quod Christus instituerit tantum oleum pro materia, nec positiuè definierit, quod esset benedictum, sed reliquisse Ecclesiæ determinationem, quale oleum deberet adhiberi, & ideo cum determinauerit, quod esset oleum benedictum, nunc benedictionem esse de substantia materiæ.

2 Hanc tamen opinionem reiicit Suarez *3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 1. num. 7.* Quia sequeretur, quod benedictio non esset necessaria necessitate sacramenti, nam procederet ex sola determinatione Ecclesiæ, alioquin possemus dicere, alios etiam similes ritus esse de substantia, vt quod vinum pro Eucharistia sit aqua mixtum. Tum quia tota substantia sacramenti non esset à Christo. Tum quia si ab initio Ecclesia instituisset benedictionem, nunc quoque posset illam tollere.

3 Verum hæ rationes non conuincunt, Nam si Christus præscripsisset solum oleum pro materia, & reliquisset Ecclesiæ determinationem, quale futurum esset, delegasset etiam ipsi potestatem pro tali derminatione: & ideo ex speciali facultate concessa à Christo determinasset; & cum delegatus procedat auctoritate delegantis *l. Mandatum. ff. de offic. eius.* nomine Christi, & auctoritate ipsius determinasset benedictionem tanquam complementum materiæ, & ideo censeretur instituta à Christo, & esset de substantia; nec esset eadem ratio de coeris ritibus, cum ipsos non instituerit auctoritate delegata, sed propria. Vnde neque sequeretur, quod tota substantia sacramenti non esset à Christo, siquidem adhuc benedictio esset instituta auctoritate Christi, Nec item sequitur, quod posset nunc tollere benedictionem, nam ab initio esset functa officio suæ delegationis, & proinde expirasset illa facultas delegata.

4 Solum obstat opinioni Paludani, quod non adest fundamentum sufficiens pro asserenda hac speciali commissione Christi in ordine ad determinandam qualitatem olei, Vnde cum Ecclesiæ non sit communicata facultas aliqua circa substantiam sacramentorum, sed solum circa coetera salua eorumdem substantia, vt habet Concil. Trident. *sess. 21. capit. 2.* & proinde hinc inferatur, quod substantialia sacramentorum sint instituta à Christo, non est asserenda aliqua specialis commissio facta Ecclesiæ à Christo circa substantiam alicuius sacramenti, nisi de ipsa constet, præsertim, quia, cum Christus fuerit auctor sacramentorum omnium, conueniens fuit, quod ipse per se singula institueret secundum sua substantialia, ita vt illa determinaret, quantum opus erat, vt sufficerent pro constituendis sacramentis.

An oleum pro extrema vnctione debeat benedici ab Episcopo de necessitate sacramenti.

Quæst. 322.

S V M M A.

1 *Oleum infirmorum saltem de præcepto benedicendum ab Episcopo apud Latinos.*

2 *Benedictio olei infirmorum an possit committi simplici sacerdoti, & num. seq.*

3. *Quæ suadeant non posse committi.*

4. *Apud Græcos oleum infirmorum benedicitur à simplici sacerdote.*

4 *Hic ritus approbatus à Clemente VIII.*

5 *Est antiquissimus, nec derogat validitati sacramenti.*

Chris-

6 *Chrisma aliquando benedictum à simplici sacerdote.*
7 *Concil. Toletan. permittit ipsi benedictionem consentiente Episcopo.*
8 *Sacerdos simplex potest totum, quod potest Episcopus excepta ordinatione.*
9 *Florent. & Trident. dum dicunt, oleum ab Episcopo benedictum &c. loquuntur de ministro ordinario.*
10 *Cur ex Florent. & Trident. inferatur benedictionem olei esse de necessitate sacramenti, non autem, quod benedictio sit ab Episcopo.*
11 *Cur Tridentinum explicauerit, ministrum ordinarium confirmationis esse solum Episcopum.*

1 Certum est, quod apud Latinos saltem de præcepto benedicendum sit ab Episcopo, vt constat ex praxi Ecclesiæ latinæ, & desumitur ex Innocent. 1. *Epist.* 1. & ex cap. *vn. de sacr. vnct.* Quo stante peccaret grauiter, qui adhiberet oleũ benedictum à simplici sacerdote, aut sacerdos, qui illud benediceret, nam in re graui faceret contra præceptum, & praxim Ecclesiæ. Vnde difficultas est, an benedictio Episcopi sit necessaria necessitate sacramenti, an verò possit committi à Pontifice simplici sacerdoti.

2 Prima sententia asserit, nequaquam posse Pontificem committere benedictionem olei infirmorum simplici sacerdoti. Ita Suarez *3. par. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 8. Bellarmin. *de extrema vnct. capit.* 7. Coninch. *de sacramen. tom.* 2. *disp.* 19. *dub.* 2. Laiman *lib.* 4. *Theologiæ moral. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 1. Palaus *par.* 4. *oper. moral. trac.* 26. *disp. vn. pun.* 2. *numer.* 3. Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vnct. difficul.* 4. ver. *Reliqui tamen*. Putean. 3. *par. quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 2. ver. *Ex hoc colliges*, Chellison. *quæstion.* 29. *supplem. ar.* 6. ver. *Dico secundo*. Mercer. ver. *Probatur responsio*. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 2. *de extrema vnct. sect.* 1. ver. *Secunda est*, Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 1. *de extr. vnct. num.* 7. Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 3. *numer.* 6. Granad 3. *par. controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 2. *n.* 2. Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 3. *num.* 3. *in fine*. Nugn. 3. *par. quæst.* 29. *supplem. art.* 6. *conclus.* 2. qui tamen etiam oppositum putat probabile. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 1. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 4. *numer.* 72. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *de sacramen. extr. vnct. sect.* 3. *numer.* 45. Caspens *par.* 2. *curs. theol. tract.* 27. *disp.* 4. *sect.* 1. *conclus.* 2. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 3. *num.* 32. Zech. *cap.* 1. *de extr. vnct.* Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *materia extr. vnct.* ver. *Benedictionem*

3 Fundamentum est. Quia Concil. Florent *in Decreto Eugenii IV. pro Armenis*, & Trident. *sess.* 7. *cap.* 1. *de extr. vnct.* absolutè dicunt, materiam huius sacramenti esse oleumab Episcopo benedictum, & ideo non relinquunt fundamentum contrarium opinandi. Confir. Quia dicunt, materiam esse oleum benedictum, infertur, quod benedictio sit de necessitate sacramenti. Ergo quia dicunt, benedictum ab Episcopo, inferendum est, quod benedictio Episcopalis sit de necessitate sacramenti, Confir. 2. Quia minister confirmationis ordinarius est Episcopus, & ex commissione potest esse sacerdos, dum assignant ministrum dicunt, Ministrum ordinarium esse Episcopum. Ergo si ex commissione Pontificis posset oleum benedici à sacerdote, dicerent, materiam ordinariam esse oleum benedictum ab Episcopo.

4 Secunda sententia asserit, benedictionem olei infirmorum posse committi à Pontifice simplici sacerdoti. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 3. Palud. *quæst.* 1. *artic.* 1. Caiet. 3. *par. quæst.* 72. *ar.* 3. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. Victoria *de sacrament. num.* 216. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 8. *quæstion.* 1. *pun.* 2. ver. *Dixi autem*, Martin. Ledes. 2. *par.* 4. *quæst.* 31. *ar.* 6. Præ-

 po-

posit. 3. par. quæstion. un. de extr. unct. dub. 3. num. 15. Viuald. in Candel. tit. de ext. unct. quæstion. 12. Isambert. 3. par. disp. 2. de sacram. extr. unct. art. 2. ver. Neque etiam Iriburnes in 4. dist. 23. quæst. un. disp. 22. sect. 2. conclus. 1. Ledesma par. 1. sum. tract. de extr. unct. cap. 2. difficul. 1. post. 4. conclus. ver. Digo lo primero. Bartolom. ab Angelo. Dial. 3. §. 98. Zambran. in suis decis. cap. 5. de extr. unct. num. 3. Fernandez par. 3. exam. theol. moral. cap. 10. §. 1. num. 2. in fine. Arcud. de sacram. lib. 5. cap. 2. ver. His ita. Tanner. tom. 4. sum. disp. 7. quæstion. 1. dub. 1. numer. 10 in fine. Lodouicus à S. Io. par. 1. sum. quæst. un. de extr. unct. ar. 2. dub. 2. difficul. 4. conclus. 3. Angles in Florib. par. 1. quæstion. de extr. unct. ar. 1. difficul. 4. conclus. 2. Io. à Cruce. par. 2. direct. conscien. de sacram. ex. unct. dub. 2.

5 Dicendum est. *Benedictionem olei infirmorum posse committi à summo Pontifice simplici sacerdoti*. Ratio desumitur ex consuetudine Græcorum, apud quos sacerdotes ministraturi sacramentum extremæ vnctionis benedicunt oleum toties, quoties est ministrandum, & hic mos est vetustissimus, vt constat ex Euchologiis: vnde cum viguerit ante schisma, non est damnandus. Imo fuit approbatus à Clemente VIII, *in Instructione super ritibus Græcorum*. Tit. *de oleo catechumenor. & infirmor.* apud Arcudium *lib. 5. de sacram. cap. 2. ver. Postremo in illa.* vbi ita habet. *Non sunt cogendi presbiteri Græci olea sancta, præter Chrisma ab Episcopis Dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.* Cum ergo Pontifex præcipiat, quod non cogantur sacerdotes recipere oleum ab Episcopo benedictum, sed quod relinquatur ipsis proprius ritus, sequitur, quod approbet talem ritum. Ergo oleum infirmorum poterit benedici à simplici sacerdote, nec benedictio Episcopi erit necessaria necessitate sacramenti; tum quia secundum ritum Ecclesiæ Græcæ conficitur sacramentum cum oleo benedicto à sacerdote; tum quia Clemens VIII. hunc ritum approbauit.

6 Dices. Græcos non habere verum sacramentum extremæ vnctionis etiam ex hoc capite. Contra. Hic ritus fuit antiquissimus ante schisma, quando Ecclesia Græca non errabat circa sacramentum: vnde non est dicendum, quod tunc quoque caruerit hoc sacramento. Deinde Clemens VIII. in illa instructione ea tradidit, quæ erant necessaria, in ordine ad ritus Græcorum, vt sine errore procederent, & approbauit hunc ritum: ergo sensit, quod non derogaret validitati sacramenti.

7 Confir. In Concil. Tolet. 1. can. 20. Supponitur, quod in aliquibus locis, & prouinciis simplices sacerdotes conficerent Chrisma, & Concil. hoc statuere decernit, quod inposterum non conficiant, sed conficiatur solum per Episcopum; non autem dicit, quod non possent conficere, atque adeo nulliter operarentur, seu solum prohibet, & id reseruat Episcopo. Ergo quod Episcopus solus conficiat Chrisma, est de iure positiuo Ecclesiastico, & proinde ex commissione summi Pontificis poterit benedici à simplici sacerdote. Verba Concilii sunt, *Quamuis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, uel prouinciis presbiteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum Chrisma conficere, & per Dioecesim destinare: ita ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut subdiaconi; qui confectum Chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Pascha possint ad tempus deferre. Episcopo sanè certum est, quod omni tempore licet Chrisma conficere. Sine conscientia autem Episcopi nihil penitus presbiteri agere præsumant.* Si autem simplex sacerdos potest conficere Chrisma, & olim validè confecit, poterit ipsi commit-

mitti etiam benedictio olei infirmorum; nam Chrisma quoque est materia sacramenti, cuius ordinarius minister est solus Episcopus.

7 Confir. 2. Ex citato canone habetur. *Sine conscientia autem Episcopi, nihil penitus præsbiteri agere præsumant*, Ergo quod iis denegatur sine scientia, & approbatione Episcopi, conceditur cum scientia, & approbatione ipsius. Dictio enim, *Sine*, cum respiciat tempus futurum importat conditionem, vt notant Bald. *consil.* 264. *num.* 3. *lib.* 1. Roman. *consil.* 353. *number.* 8. vers. *Quoad quartum*. Tusch. *littera*, C. *conclus.* 583. *num.* 12. vnde sensus est, quod deficiente scientia, & approbatione, atque licentia Episcopi nihil facere præsumant, possint tamen si adsit conditio licentiæ. Vnde cum in illo can. denegetur benedictio chrismatis, censetur concessa accedente licentia Episcopi.

8 Confir. 3. Sacerdos simplex potest facere totum id, quod facit Episcopus excepta ordinatione, vt habent D. Hieronim. *Epist.* 85. *ad Euagrium*. ibi. *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod præsbiter non faciat?* & D. Isidor. *de offic. Ecclesiast. lib.* 2. *cap. His* (sacerdotibus) *sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiis Christi, & in confectione diuina corporis, & sanguinis consortes cum Episcopo sunt. Similiter, & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio, et consecratio reseruata est, ne à multis Ecclesia disciplina vindicata concordiam solueret, scandala generaret.* Quod intelligitur de iure diuino, nam de iure positiuo Ecclesiastico plura reseruata sunt Episcopis. Ergo cum sacerdotes possint, quicquid possunt Episcopi excepta ordinatione, poterunt etiam benedicere oleum infirmorum, si hoc ipsis committatur, & relaxetur prohibitio iuris positiui.

9 Ad 1. oppositæ sentent. respon. Concil. Florent. & Trident. quando dicunt oleum ab Episcopo benedictum esse materiam extremæ vnctiones, intelligere de ministro ordinario benedictionis, non autem de ministro necessario pro validitate materiæ, & sacramenti. Hæc autem explicatio necessaria est ad cõcordandam declarationem Clementis VIII. cum Conciliis, dum præcepit, quod sacerdotes Græci sinerentur vti suo ritu benedicendi oleum pro sacramento extremæ vnctionis, vnde est explicatio auctoritatiua, quia nascitur ex facto, & declaratione summi Pontificis.

10 Ad confir. negat. consequent. Quia si hoc deduceretur, contrariaretur implicite determinationi Clementis VIII. Quod verò inferatur benedictionem esse de necessitate sacramenti, non solum non contrariatur alicui declarationi, seu determinationi; sed etiam est iuxta sensum Ecclesiæ, & Doctorum. Deinde diuerso modo de materia sacramenti extremæ vnctionis dicitur oleum benedictum, ac dicatur minister benedictionis, nam oleum cum qualitate benedicti prædicatur in recto de materia, & ideo identificatur cum ipsa; minister vero dicitur solum vt connotatum à qualitate benedictionis, & ideo non licet inferre, quod talis minister sit necessarius necessitate sacramenti. Sic etiam licet dicatur, quod iustificatio fiat per sacramenta mortuorum, non tamen significantur hæc sacramenta tanquam vnica, & necessaria causa iustificationis, ita vt sine ipsis non possit haberi, cum etiam sacramenta viuorum possint aliquando iustificare conferendo primam gratiam.

11 Ad 2. confir. negat. similiter conseq. Quia non est necesse, quod Concilia semper explicent, quicquid explicari potest, præsertim quando nulla vrget necessitas, quæ vrgebat in explicando ministro confirmationis, nam hæretici volebant etiam sacerdotem simplicem esse ministrum ordinarium confirmationis; & ideo Concil. Trident.

dent. *sess.* 7. *can.* 3. *de confir.* definit, ordinarium ministrum huius sacramenti esse solum Episcopum.

An simplex sacerdos possit ex commissione Episcopi benedicere oleum infirmorum. Quæst. 323.

S V M M A.

1 *Simplex sacerdos an ex commissione Episcopi possit benedicere oleum infirmorum.*
2 *Quid dicendum ex natura rei.*
3 *Quæ sunt ordinis etiam de solo iure Ecclesiastico non possunt committi non habenti ordinem.*
4 *Simplex sacerdos an valide benediceret oleum infirmorum ex commissione Episcopi.*
4 *Commissio est nulla deficiente forma.*
4 *Consuetudo non potest induci per actus irritos reprobatos à lege.*
5 *Pontifex tolerando ratificat, quod nullum est.*

1 Affirmatiuam partem, nempe quod Episcopus possit committere simplici sacerdoti benedictionem olei infirmorum, probabilem putat Martin. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 31 *ar.* 6. ver. *Si autem hæsites.* Quia nimirum in Concilio Toletano 1. *can.* 20. facta prohibitione, quod simplices sacerdotes non benedicerent Chrisma, subditur, *Sine conscientia autem Episcopi nihil penitus præsbiteri agere præsumant.* Quibus declaratur, quod cum conscientia, hoc est approbatione, & licentia Episcopi possint benedicere; & ideo videtur concessum Episcopo, posse committere sacerdoti simplici huiusmodi benedictionem. Accedit etiam, quod Episcopus habet ex officio facultatē benedicendi oleum infirmorum, & ideo poterit suas vices sacerdoti committere, subdit tamen idem Ledesma, quod pars negatiua est tutior, cum Ecclesiæ consuetudo sit in contrarium.

2 Et quidem *si loquamur ex natura rei, seclusa quacunque Ecclesiastica prohibitione, crederem, quod posset Episcopus committere simplici sacerdoti hanc benedictionem*; quod deducitur ex citato Concil. Toletano. Est enim simplex sacerdos, quantum est de se capax huiusmodi commissionis, & habet habilitatem sufficientem ad munus commissum exercendum; nam vt dictum est *quæst. præced. num.* 8. excepta ordinatione potest quicquid potest Episcopus. Rursus potest quilibet alteri delegare, quæ sibi de iure ordinario conueniunt, & ideo Episcopus tanquam ordinarius minister huius benedictionis posset, quantum est ex natura rei illam delegare simplici sacerdoti.

3 Ratione *tamen prohibitionis Ecclesiæ non potest de facto, huiusmodi benedictionem delegare simplici sacerdoti.* Militat enim regula generalis, quod ea, quæ sunt ordinis, etiam de solo iure Ecclesiastico, non possunt committi non habenti ordinem ab ipso Episcopo, vt desumitur ex cap. *Quamuis. dist.* 68. & cap. *aqua. de consecrat. Eccles. uel altar.* vbi Doctores Abbas, Io. Andr. & notant etiam Claud. Seissel. *in rubr. numer.* 13. *ff. de offic. eius.* Rebuf. *in pract. benefic.* Tit. *de deuolut. num.* 66. Cardin. *in Clemen.* 2. §. *Statuimus. de statu monachor.* Pauin. *de potest. capit. sede uacan. par.* 1. *quæst.* 3. *num.* 1. Sbrozzins. *de offic. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 10. *num.* 7. Cum ergo benedictio olei infirmorum sit ordinis Episcopalis de iure Ecclesiastico, non poterit Episcopus non habenti ordinem eam committere.

4 Sed dubium remanet, an si Episcopus committeret hanc benedictionem simplici sacerdoti, validè benediceret, ita vt oleum illud sic benedictum esset sufficiens materia pro sacra-

cramento extremæ vnctionis. Et negatiuè videtur resoluendum. Quia simplex sacerdos non est absolutè minister huius consecrationis, sed solum ex commissione, vnde non potest validè consecrare, nisi accedat commissio, cui ipsius facultas est alligata. Episcopi autem non possunt hanc benedictionem committere, & committendo nulliter procedunt, & eodem modo se habent simplices sacerdotes, ac si nulla eis facta esset commissio. Vt enim committi possit, requiritur pro forma ex determinatione Ecclesiæ ordo in commissario, vt notat Abbas. *in capit. aqua. numer. 7. de consecrat. Eccles. uel altar.* qua forma deficiente commissio est nulla; siquidem regula est generalis, quod deficiente forma actus corruit *l. Maiius. & l. Qui heredi. ff. de condit. & demonstrat.* & cap. *Dilecta. de rescript.* vbi Abbas *num.* 4. Felin. *nu.* 6. & coeteri Doctores. Et ideo in dicto cap. *Aqua*. Consuetudo in oppositum dicitur corruptela, si quidem legitima consuetudo non potest induci per actus irritos, & reprobatos à lege, vt dixi *in quæst. canon. centur. 3. quæst. 216. num. 4. & seq.*

5 Nec obstat. Quod in dicto capit. *Aqua de consecrat. Eccles. uel altar.* Pontifex toleret, quod illucusque factum fuerat, quia non per hoc infertur, quod consecratio facta fuerit valida, sed solum, quod Pontifex, quod nullum erat ratificauerit, ita vt ex ui ratificationis incoeperit valere, vt notat Glos. *ibid.* verbo. *Toleramus*; cum enim nullum fuerit de iure positiuo, accedente consensu illius, ad quem spectat, potuit acquirere validitatem.

An benedictio olei infirmorum sit determinata de iure diuino. Quæst. 324.

S V M M A.

1 *Benedictio olei infirmorum non est determinata de iure diuino.*
2 *Christus instituit solum consecrationem olei in genere.*
3 *Forma consecrationis olei infirmorum est determinata ex præcepto.*
4 *Græci benedicentes oleum infirmorum tenentur uti forma ab ipsorum Ecclesia præscripta.*
5 *Sacramentum esset validum cum oleo benedicto alia benedictione; & an illo utens peccaret.*
6 *Si non adsit oleum consuetum, an possit alia benedictione benedici, vt ministretur sacramentum, si non sit in promptu sacramentum.*
7 *Ecclesia an possit præscribere formam benedictionis, qua non seruata, sacramentum sit nullum.*

1 Dicendum 1. *Benedictionem olei infirmorum non esse determinatam de iure diuino, sed quamlibet sufficere in ordine ad validitatem sacramenti.* Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 4. *sect.* 1. *num.* 9. Præpósit. *quæst. un. de extr. unct. dub.* 3. *num.* 14. ver. *Aduerte.* Hambert. *disp.* 2. *de extr. unct. art.* 3. ver. *Nostra propositio.* Nugn. *quæst.* 29. *supplem. artic.* 6. ver. *Circa quod* Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 2. *de extr. unct. sect.* 2. *init.* Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 1. *num.* 5. *in fine*. Bonac. *disp.* 8. *de sacram. pun.* 2. *numer.* 4. Caspensis. *par.* 2. *cur. theol. tract.* 27. *disp.* 4. *sect.* 1. *num.* 2. Gaspar Hurtad. *de sacramen. tract. de*

extr.

extr. unct. difficul. 4. *in fine*. Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 2. *de extr. unct. difficul.* 3. *post* 4. *conclus.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. un. pun.* 2. *num.* 4. Loduic. à S. Io. *par.* 1. *summ. quæst. un. de extr. unct. artic.* 2. *dub.* 1. *difficul.* 5. Amicus *tom.* 8. *cursus theol. disp.* 19. *sect.* 3. *numer.* 51. Dicastil. *tract.* 7. *de sacram. disp.* 1. *dub.* 3. *numer.* 33.

2 Ratio autem est, Quia ex ui sacramenti non requiritur, nisi materia consecrata, neque enim ex institutione Christi habetur aliqua specialis forma consecrationis præscripta; vnde Concilia Florent. & Trident. explicantia materiam huius consecrationis, dicunt solum, esse oleum benedictum, non autem hac, vel illa benedictione, & in Ecclesia Græca fuit diuersa forma benedicendi olium infirmorum, vt constat ex Euchologiis. Vt autem oleum dicatur benedictum, & materia consecrata, sufficit quæcunque benedictio.

3 Dicendum 2. *Formam benedictionis esse determinatam ex præcepto, ita ut benedicens peccaret mortaliter, si prætermissa consueta forma alia uteretur*. Ita Doctores citati *num.* 1. Ratio est. Quia in re graui faceret contra ritum Ecclesiæ, & læderet notabiliter praxim coeremonialem; & aperiret viam ad mutandos alios ritus Ecclesiasticos, & ad inuehendam confusionem circa ipsos. Confir. Ecclesia tanti facit obseruationem rituum præscriptorum circa sacramenta, vt Concilium Tridentinum *sess.* 7. *can.* 13. *de sacram. in genere* anathema ferat in eum, qui dixerit, posse mutari in alios nouos per quemcunque Pastorem Ecclesiarum. Ergo habet pro materia graui obseruantiam horum rituum, & ideo erit peccatum mortale in re graui eos violare.

4 Ex his colligitur, Quod cum singulis ministris extremæ vnctionis apud Græcos sit concessum benedicere oleum pro sacramento ministrando, tenentur tamen sub mortali vti consueta benedictione præscripta in ipsorũ Euchologiis, nam ipsi quoque tenẽtur sub eadem obligatione seruare ritus propriæ Ecclesiæ.

5 Secundò colligitur, Quod quamuis peccaret, qui in consacratione olei infirmorum vteretur alia forma à præscipta, siquis tamen cum ipso ministraret extremam vnctionem, validum esset sacramentum, quia vt dictum est, non requiritur de necessitate sacramenti determinata forma benedicendi. An autem peccaret, qui scienter vteretur tali oleo, affirmatiua pars videtur tenenda; seclusa necessitate, nam secto ipso approbaret talem benedictionem, & participaret in crimine cum benedicente, nam cum sacramentum incoeptum sit in preparatione materiæ, ipse illud perficeret.

6 Tertiò colligitur. An stãte necessitate infirmi, si non adesset oleũ nec minister benedictionis haberet in promptu consuetam formam benedicendi, posset tunc vti quacunque alia benedictione. Negatiue enim respond. est. Quia præscripta forma benedicendi pertinet ad publicum ritum Ecclesiæ, & consequenter ad ius publicum. Non debent autem ius publicum, & ea quæ sunt de iure publico ob priuatorum vtilitatem immutari. Præsertim quia agitur de sacramento, quod non est necessarium, & secundum multorum opinionem non est sub præcepto.

7 Quartò colligitur cum Mæratio *tom.* 3. *summ. disp.* 2. *de extrema unct. sect.* 2. ver. *Secundò quia*. Non posse Ecclesiam ita certam formam, seu ritum pro olei infirmorum benedictione præscribere, vt ea non seruata sacramentum non teneat, quia cum non sit de necessitate sacramenti hæc, vel illa forma benedicendi, vt dictum est, non poterit vnquam ipsius omissio, dummodo alia adhibeatur, reddere irritum sacramentum. Nec Ecclesia potest facere, quod sacramenta irrita sint, si adhibeantur pro ipsis conficendis

dis ea, quæ sunt de ipsorum substantia iuxta institutionem Christi, cum validitas sacramenti non dependeat ex voluntate Ecclesiæ, sed ex institutione Christi.

An oleum, quod est materia sacramenti extremæ unctionis, debeat esse simplex. Quæst. 325.

S V M M A.

1 *Oleum infirmorum ex præcepto debet esse simplex.*
2 *Oleum ita mixtum, ut amittat externam apparentiam non est sufficiens pro extrema unctione.*
3 *Oleum mixtum est sufficiens, pro extrema unctione, si retineat suam apparentiam.*
4 *Talis mixtio non infert mutationem substantialem.*
5 *Destructa specie externa olei; & salua substantia an sit materia sufficiens.*
6 *Mixtio siue liquidi, siue solidi non officit validitati sacramenti, si inferat solum mutationem accidentalem.*
7 *Miscens aliquid oleo infirmorum, etiam in ordine ad perficiendum peccat.*
7 *Mixtio an consuetudine induci possit.*

1 Conueniunt omnes, præsertim infracitandi, quod ex præcepto Ecclesiæ debeat esse simplex: ita enim præscribitur ab Ecclesia, & praxis declarat, non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos. Vnde siquis aliquid aliud misceret, peccaret mortaliter, quia in re graui, qualis est materia sacramentorum, faceret contra præceptum, & praxim Ecclesiæ. Vnde difficultas est, an de necessitate sacramenti debeat esse simplex, an verò sufficiat mixtum.

2 Dupici autem modo misceri potest; primo quidem, si quod misceatur, ita sit in minori quantitate, quàm sit oleum, vt proinde non solum non corrumpat ipsius substantiam, sed neque etiam externam apparentiam, sed adhuc in morali æstimatione habeatur pro oleo. Secundò, si quod miscetur, superet in quantitate ipsum oleum, & proinde tollat externam apparentiam, & faciat, quod non habeatur pro oleo. Certum est autem, quod oleum hoc modo mixtum non potest esse materia sufficiens, vt docent communiter Sotus *in 4. quæst. 2. art. 3.* & alii infracitandi. Tunc enim illud mixtum non potest dici oleum, quia quamuis in ipso reperiatur substantia olei, non tamen habet externam speciem olei, & ideo non venit nomine olei, nec verificaretur, quod dicit Iacob. Apostolus, *Vngentes eum oleo.* Quare solum difficultas manet de oleo priori modo mixto.

3 Dicendum est. *Oleum priori modo mixtum, ita ut retioneat externam speciem olei, esse sufficientem materiam extremæ unctionis.* Ita Palud. *in 4. dist. 23. quæst. 1 artic. 1* dum solum dicit, mixtionem esse contra præceptum. Sotus *quæst. 2. ar. 3.* Suarez 3 *par. tom. 4. disp. 40. sect. 1. num. 10.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. num. 11.* Nugn. 3. *par. quæst. 29. supplem. artic. 4. ver. Aduertenda sunt.* Siluius *ver. Cœterum.* Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. dub. 3. num. 20.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 5. de extr. vnct. sect. 2. ver. Etsi autem.* Gaspar Hurtad. *de sacramen. tract. de extr. vnct. difficul. 4. init.* Caspens. *par. 2. curs. theol. tract. 27. disp. 4 sect. 1. num. 2. in fine.* Syluester *verbo.* Vnctio extrema. *numer. 1.* Nauar. *cap. 22. Manual. num. 13.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 8. num. 2.* Posseuin. *de offic. Parochi cap. 9. numer. 2.* Bartholom ab Angelo *Dial. 3. §. 92. & 101.* Pitigian. *in 4. dist. 23. quæstion. vn. ar. 3.* Naldus *verbo.* Extrema vnctio. *num. 4.* Bonac. *disp. 8. de sacramen. quæst. vn. pun. 2. num. 7.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 2. numer. 6.* Amicus *tom. 8. curs. theol.*

theol. disp. 19. sect. 3. num. 34. Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub 3. num. 35.* Granad. *3. par. controuer. 8. tract. vn. disp. 2. num. 3.* Ledesma *2. par. 4. quæst. 31. ar. 4.*

4 Ratio autem est. Quia quando saluatur substantia sacramentorum, saluatur etiam validitas, quia saluatur, quod Christus ex vi institutionis requirit. Qando autem fit solum talis mixtio olei, vt salua maneat eius substãtia, & externa species, saluatur substantia materiæ, atque adeo validitas sacramenti, quantum est ex parte materiæ; siquidem fit tantum mutatio accidentalis in materia. Confir. Mutatio accidentalis in forma sacramentorum, quia non tollit substantiam significationis, non officit validitati sacramenti, vt communiter docent Theologi; ergo nec mutatio accidentalis in materia officiet, cum non tollat esse substantiale materiæ.

5 Dices. Ex hoc sequeretur, quod, etiam si destrueretur species externa olei, adhuc sufficeret pro materia, quia adhuc permaneret salua substãtia ipsius, & vnctio adhuc fieret cum oleo, quatenus in mixtura adessent partes olei. Resp. Non sequi, quia, si destruatur externa species olei, illud mixtum, quamuis retineret aliquas partes olei, non tamen esset oleum, sed quid tertium, nec pro oleo haberetur: vnde non posset verificari, quod infirmus vngeretur oleo iuxta Apostolum *Vngentes eum oleo*, & ideo non esset sufficiens materia. Sic etiam si aqua misceatur cum alia materia, ita vt non retineret externam speciem aquæ, non esset sufficiens materia pro baptismo: vnde quamuis in luto sint plures partes aquæ, non est tamen aptus pro baptismo, quamuis humectare possit.

6 Ex his colligitur, parum referre pro validitate sacramenti, quod ea, quæ miscentur oleo, sint liquida, aut solida. Cum enim validitas sacramenti ab eo dependeat, quod conseruetur substantia, & externa species olei, per accidens se habet, & parum refert, quod hoc, vel illud misceatur. Fieri tamen posset, quod miscens nedum peccaret contra præceptum Ecclesiæ, sed etiam contra reuerentiam sacramenti, si quæ miscerentur, essent indecentia.

7 Colligitur 2. Quod licet ea, quæ miscerentur oleo, essent in ordine ad perficiendam materiam vnctionis, vt essent odorifera, & alia similia, adhuc tamen miscens peccaret, quia violaret præceptum Ecclesiæ in re graui. Posset tamen apud aliquam Ecclesiam particularem consuetudine introduci talis mixtio, quia non esset decens. Et si hoc introductum reperiretur, posset tolerari, dummodo non prouenirет ex errore, quia putarent, quod illud, quod miscetur, esset de necessitate sacramenti, nam vt facilius extirparetur talis error, esset introducendum simplex oleum.

An Chrisma, & oleum catechumenorum possint validè adhiberi pro extrema vnctione.

Quæst. 326.

SVMMA.

1 *Triplex oleum benedicitur ab Ecclesia.*
2 *Chrisma quantum est ex parte mixtionis non repugnat, quod sit materia extremæ vnctionis.*
3 *Oleum, vt sit sufficiens materia, an debeat esse benedictum in ordine ad extremam vnctionem, & num. seq.*
4 *Benedictio propria an necessaria, vt materia sit propria.*
5 *Delinitus oleo loco chrismatis an iterum confirmandus.*
7 *De necessitate sacramenti sufficit oleum quocunque modo sacrum.*
8 *Sacramenta non habent nisi ex iis, quæ circa ipsa præscribit Ecclesia.*
9 *Oleum quomodo materia propria extremæ vnctionis.*

Chri-

10 Christus an instituerit oleum benedicendum in ordine ad effectum sacramenti.
11 Materia quomodo propria cuiusque sacramenti.
12 Christus quomodo instituerit consecrationem olei infirmorum.
13 Quomodo paria sint, oleum non esse benedictum, & esse benedictum benedictione impertinenti.

---

1 Triplex oleum benedicitur ab Ecclesia, nempe Chrisma, quod constat ex oleo, & balsamo, vt desumitur ex Innocent. III. Capit. *Cum venisset. de sacr. vnct.* quo vtitur tanquam sacramentali ad vngendos, qui baptizantur in vertice, & tanquam materia pro sacramento confirmationis. Oleum catechumenorum, quo vtitur tanquam sacramentali ad vngendos baptizandos in pectore, & inter scapulas, & est oleum simplex. Et oleum infirmorum, quo vtitur tanquam materia pro sacramento extremæ vnctionis. Oleum autem cathechumenorum, & oleum infirmorum, cum vtrumque sit oleum simplex, non differunt, nisi penes diuersam benedictionem.

2 Ex dictis auté *quæstion. præcedent.* certum est, quod Chrisma possit esse materia sufficiens pro extrema vnctione, quantum est ex parte mixtionis, cum huiusmodi mixtio non tollat substantiam, nec externam apparentiam olei; vnde difficultas prouenit ratione benedictionis; & ideo est eadem difficultas de Chrismate, ac de oleo catechumenorum, & in eo consistit, an debeat esse benedictum in ordine ad tale sacramentum, vt sit sufficiens materia.

3 Prima sententia asserit, Chrisma, aut oleum infirmorum non esse materiam sufficientem pro hoc sacramento, & ideo non solum esse contra præceptum iis vti, sed etiam sacramentum fore nullum. Ita Bellarmin. *de extr. vnct. capit.* 7. Pitigian. *in* 4. *dist.* 23. *quæst. vn. ar.* 3. Nugn. 3. *par. quæst.* 29. *supplem. ar.* 6. ver. *Circa id.* Mercer. *ibid.* ver. *Quæritur primò.* Siluius. ver. *Quari hic potest.* Præposit. *quæstion. vn. de extr. vnct. dub.* 3. *nu.* 20. Isambert. *disp.* 2. *de extr. vnct. artic.* 3. ver. *Nostra propositio.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 2. *num.* 5. Bonac. *disp.* 7 *de sacram. quæst. vn. pun.* 2. *num.* 5. Reginald. *lib.* 28. *praxis fori pœnitent. cap.* 9. *num.* 5. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract. vlt. de extrema vnct. quæst.* 3. ver. *Quare cum.* Naldus *verbo.* Extrema vnctio. *numer.* 2. Graf. *consil.* 2. *de extr. vnct. num.* 22. *lib.* 2.

4 Fundamentum huius sententiæ in eo consistit. Quod vnumquodque sacramentum, vt valeat, confici debet materia sibi propria; oleum autem non est materia propria extremæ vnctionis, nisi sit consecratum consecratione propria in ordine ad hoc sacramentum. Confir. Materia extremæ vnctionis est oleum benedictum, ita vt benedictio sit necessaria necessitate sacramenti: & determinatio benedictionis est relicta potestati Ecclesiæ. Ergo validitas sacramenti dependet à benedictione determinanda ab Ecclesia. Ergo facta determinatione dependet à benedictione præscripta. Confir. 2. Paria sunt oleum non esse benedictum, ac esse benedictum benedictione impertinenti, sicuti paria sunt non fieri, & fieri non legitimè. Ergo sicut sacramentum esset nullum, si oleum non esset benedictum, ita etiam erit nullum, si sit benedictum benedictione non facienti ad rem, seu non ordinata ad hoc sacramentum.

5 Secunda sententia asserit, quod, licet sit contra præceptum Ecclesiæ, vti chrismate, aut oleo catechumenorum, sacramentum tamen esset validum. Ita Henriquez *lib.* 3. *sum. capi* 8. *num.* 2. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 4. *sect.* 1. *num.* 10 Laiman. *lib.* 5 *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 3. Tanner. *tom.* 4. *sum. disput.* 7. *quæst.* 1 *dub.* 1. *num.* 12. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 2. *de extr. vnct. sect.* 2. ver. *Secundò quia.*

Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. de extr. vnct. sect. 3. numer. 34.* Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *An extrema vnctio chrismate &c.* & Tit. *An oleo catechum. ver. Recensitis.* Dicastil. *tract. 7. de sacram. disp. 1. dub. 3. num. 38.*

6 Dicendum est, *Extremam vnctionem ministratam cum Chrismate, aut oleo catechumenorum esse validum sacramentum; atque adeo validitatem non dependere à benedictione ordinata ad hoc sacramentum, Esse tamen contra præceptum Ecclesiæ.* Desumitur ex cap. *Pastoralis. de sacram. non iteran.* vbi Innocent. III. interrogatus de eo, qui in confirmatione fuit delinitus per errorem oleo, non autem chrismate, an debeat iterum confirmari; respondet, non esse iterandam confirmationem. Si ergo non est iteranda, fuit validum sacramentum, nam si fuisset nullum, debuisset iterari. Ergo pro confirmationis sacramento non requiritur Chrisma benedictum benedictione speciali ad ipsum sacramentum ordinata, siquidem cum non fuerit adhibitum chrisma, sed oleum ex errore, neque etiam erat benedictum benedictum benedictione propria chrismatis. Ergo neque pro sacramento extremæ vnctionis est necessarium necessitate sacramenti, quod materia sit benedicta benedictione, quæ respiciat hoc sacramentum.

7 Prob. De necessitate sacramenti solum requiritur, quod materia sit benedicta: non autem quod sit benedicta tali, aut tali benedictione, vt docent communiter Doctores, & constat ex supradictis, & præsertim ex Concil. Florent. *in Decreto Eugenii*, vbi de sacramento extr. vnct. & Tident. *sess. 7. cap. 1. de extr. vnct.* dum solum dicunt, materiam sacramenti extremæ vnctionis esse oleum benedictum ab Episcopo. Ergo siue sit benedictum benedictione destinata ad hoc sacramentum, siue quacunque alia, erit sufficiens materia, quia adhuc erit oleum sacrum, quod solum requiritur ex institutione Christi, & proinde erit materia apta pro sacramento; siquidem, vt sit apta, sufficit, si talis sit, qualis est à Christo instituta.

8 Confir. Sacramenta non habent vim ex iis, quæ circa ipsa decernit Ecclesia, sed solum ex iis, quæ sunt ex institutione Christi; quia sicut solus potuit instituere sacramenta, ita etiam solus potest dare vim. Ergo materia sacramenti extremæ vnctionis habet vim vt pars sacramenti solum ex iis, quæ circa ipsam Christus præscripsit. Ergo cum Christus præscripserit solum oleum benedictum, nec præscripserit, quod si benedictum benedictione ordinata ad tale sacramentum, habebit vim solum vt benedictum, non verò vt tali benedictione benedictum; ideo quocunque modo sit benedictum, erit apta, & sufficiens materia. Alioquin si esset materia apta ex eo, quod esset benedictum in ordine ad tale sacramentum, Ecclesia haberet facultatem determinandi partes essentiales sacramenti.

9 Ad fundamentum oppositæ sententiæ neg. minor. Nam eo ipso, quod est oleum consecratum, est materia propria sacramenti extremæ vnctionis. Nec dici potest, quod debeat fieri propria per consecrationem respicientem hoc sacramentum; quia debet esse materia destinata à Christo pro hoc sacramento, ita vt habeat ex institutione Christi, quod sit materia talis sacramenti. Si autem fieret materia talis sacramenti, quia consecratio esset in ordine ad ipsum, cum talis consecratio sit ex determinatione Ecclesiæ, fieret etiam ex determinatione Ecclesiæ materia talis sacramenti.

10 Dices, Christum, dum instituit, quod oleum benediceretur, vt esset materia, instituisse etiam in genere, quod benedictio esset in ordine ad sacramentum. Resp. Hoc dici non posse, quia non constat de tali institutione; imo oppositum colligitur, dum Concilia solum dicunt, materiam esse oleum benedictum; Et quia consecratio requiritur, vt materia consacretur,

tur, siquidem non consecratur, in ipsa confectione sacramenti, vt in Eucharistia, vt communiter docent cum D. Th. 3. *par. quæst.* 29. *supplem. ar.* 6. & ideo Christus instituit solum, quod oleum benediceretur quacunque benedictione apta ad ipsum consecrandum; siquidem per benedictionem debet solum eleuari ad esse sacrum.

11 Dices 2. Sequeretur, quod materia extremæ vnctionis non esset diuersa à materia sacramenti confirmationis, nam chrisma posset inseruire pro extrema vnctione: & oleum infirmorum pro confirmatione. Respo. Non esse inconueniens, quod horum duorum sacramentorum sit eadem materia remota, sicut etiam est eadem materia proxima, nempe vnctio, si considerentur secundum se. Quia tamen materia sacramentorum tanquam pars intrinseca sacramenti consideratur in ordine ad formam, cum qua sacramentum constituit; ideo quando consideratur vt materia, non consideratur secundum se præcisè, sed vt determinabilis per formam. Quia autem alio modo est determinabilis per formam confirmationis, & alio modo per formam extremæ vnctionis, ideo in ratione materiæ adhuc adest sufficiens diuersitas.

12 Ad 1. confir. neg. prima conseq. Nam Christus relinquens Ecclesiæ determinationem benedictionis, non aliud requisiuit pro materia habili, nisi quod esset consecrata: non autem voluit, quod forma benedictionis determinanda ab Ecclesia esset necessaria ad validitatem sacramenti, alioquin non solum esset necessarium, quod esset in ordine ad tale sacramentum; sed etiam, quod adhiberetur illa præcisa forma benedictionis, quæ est ab Ecclesia præscripta.

13 Ad 2. confir. Paria esse oleum non esse benedictum, ac esse benedictum benedictione impertinenti, si sit omnino impertinens, nec valeat cōferre effectum, ob quem adhibetur: nam si potest conferre effectum istum, non est benedictio impertinens, sed habilis. Quia autem adhibetur benedictio, vt oleum fiat sacrum, non autem, vt determinetur ad effectum sacramenti, nam hoc habet ex institutione Christi, ideo nulla benedictio potest esse impertinens, siquidem eo ipso, quod est benedictio, habet vim consecrandi, seu sanctificandi materiam, & reddendi aptam pro sacramento.

An aliquando adhibitum fuerit Chrisma pro extrema vnctione? Quæst. 327.

S V M M A.

1 *Nunquam fuit adhibitum Chrisma pro materia extremæ vnctionis.*
2 *Aliquando fuit adhibitum, & probatur, num. 3.*
4 *Quid intelligendum nomine Chrismatis.*
5 *Chrisma cur sub claue custodiendum.*
6 *Obiectis respondetur, num. 7.*

1 Nunquam fuisse adhibitum Chrisma pro sacramento extremæ vnctionis, docent Sotus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Valent. *tom.* 4. *summ. disp.* 8. *quæst.* 1. *pun.* 2. Laiman *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 4. *numer.* 8. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract* 26. *disp. vn. pun.* 2. *nume.* 8. qui tamen oppositum probabile existimant. Prob. Concil. Florent. & Trident. diuerso modo assignant materiam sacramenti confirmationis, & extremæ vnctionis, nam pro hoc assignant oleum, pro illo vero Chrisma confectum ex balsamo, & oleo. Ergo nunquam eadem fuit materia pro vtroque sacramento. Secun-

cundò Ecclesia semper consecrauit oleum sub triplici diuersitate, vt notant Durand. in Rationali Diuinorum officiorum *lib. 6. cap.* 74. nempe Chrisma ex oleo, & balsamo, oleum catechumenorum, & oleum infirmorum, & huius triplicis olei meminit Concil. Meldense apud Bruchar. *lib. 4. cap.* 75 & Iuo *par. 1. cap.* 269.

2 Secunda sententia tenet, aliquando in veteri Ecclesia adhibitum fuisse Chrisma pro extrema vnctione. Ita Henriquez *lib. 3. sum. cap. 8. capit.* 2. Suarez *3. par. tom. 4. disp.* 40. *sect. 1. in fine.* Victorel. *de extr. vnct.* Tit. An extrema vnctio chrismate &c. ver. Ex his igitur.

3 Hoc autem prob. ex Innocent. 1. *Epist. 1. cap. vlt. ad Decent.* relato in cap. *Illud superfluum. dist.* 95. vbi ita habet: Illud superfluum videmus adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quod præsbiteris licere, non dubium est: quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Coeterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Ecce ergo quomodo chrisma adhibebatur ad vngendos infirmos in sacramento extremæ vnctionis.

4 Respondent. Nomine chrismatis intelligi quodlibet oleum, vt desumitur ex cap. 1. *de cust. Eucharist.* ibi. Statuimus, vt in cūctis Ecclesiis Chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruetur. Cum autem custodienda sint omnia olea, ideo nomine chrismatis venit quodcunque oleum. Verum licet chrisma Grece idem sit quod latine vnguentum, & possit dici de omni oleo, quo fideles ab Ecclesia vnguntur, vt notat etiam D. August. *tract. 33. in Io. & serm. 47. de verbis*, attamen vsus scriptorum Ecclesiasticorum obtinuit, quod accipiatur solum pro confecto ex oleo, & balsamo, vt notat etiam Casalius *de veteris Christianorum ritib. par. 3. cap.* 37. vet. Circa prædictum, & ideo quando explicant, quod sit chrisma mentionem faciunt olei, & balsami. Cyprian. de vnct. Chrismatis. Sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ, & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem. S. Gregor. in capit. 1. Cant. Balsamum, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur. Innocent. 3. *in cap. Cum venisset de sacr. vnct.* Chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mistica ratione vbi contradistinguit à coeteris oleis. Concil. Florent. *in Instruc.* pro Armenis Chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Concil. Coloniens. *par. 7. cap.* 12. Docebit præterea Parochus, quid significet Chrisma, & cur oleo oliuæ, & balsamo conficiatur. Et alia similia apud alios auctores reperiuntur, quibus significant Chrisma accipi pro mixto ex oleo, & balsamo. Imo idem Innocent. eadem *Epist. capit.* 3. in eadem significatione accipit Chrisma, dum scribit, Præsbiteris Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod fuerit ab Episcodo consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare. Hoc est confirmatio: confirmatio autem ministratur oleo mixto cum balsamo.

5 Nec obstat, quod ex cap. 1. *de custod. Euchar.* adducitur, quia ibi Pontifex intelligit tantum de Chrismate ex oleo, & balsamo, illud enim præceptum de custodiendo Chrismate sub claue fuit impositum etiam in aliis Concilijs Arelat. *cap.* 1. Metensi *capit.* 3. Oxoniensi *cap.* 16. & motiuum fuit, quia aliqui illo vtebantur ad veneficia, & incantationes, vt desumitur ex concil. Maguntino *cap.* 27. ibi Præsbiteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætexto medicinæ, aut maleficii donare inde præsumant, & ideo hoc de chrismate est specialiter sancitum, non de coeteris oleis sacris.

6 Ad 1. responderi potest. Quod Concilium Florentinum assignat materiam pro sacramento confirmationis,

nis, & extremæ vnctionis, quæ ex consuetudine, & præcepto Ecclesiæ solet adhiberi, non autem, quæ sit simpliciter necessaria pro validitate sacramenti; sicut etiam assignat septem vnctiones pro extrema vnctione, & tamen non omnes sunt necessariæ. Concil. autem Tridentinum assignat solum materiam pro extrema vnctione, nihil autem agit de materia confirmationis; sed solum *sess.* 7. *can.* 2. *de confirmat.* damnat dicentes, iniurios esse spiritui sancto, qui tribuunt Chrismati confirmationis virtutem aliquam.

7 Ad 2. resp. Fuisse quidem in vsu etiam in primordio Ecclesiæ benedicere oleum infirmorum diuersum à Chrismate, vt desumitur ex Concil. Nicæno *can.* 69. vbi sic habetur: Transacto anno debet sacerdos benedicere aquam, & oleum; non sicut fit in baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma; sed sicut oleum infirmorum. Attamen non constat, an hoc fuerit in vsu apud totam Ecclesiam. Deinde, ut ait Glos. in cap. Illud superfluum *dist.* 95. fieri potuit quod Episcopus adhiberet Chrisma pro extrema vnctione, cum etiam adhibeatur ad alias unctiones extra confirmationem, ut in baptismo, in consecratione altaris, Calicis, &c. Quare non minus probabilis hæc secunda sententia, quamuis nihil certi siue pro prima, siue pro secunda adduci possit, cum totum dependeat ex facto, quod solum ex aliquibus coniecturis inferri potest.

Quomodo resoluenda nonnulla dubia circa materiam extremæ vnctionis. Quæst. 328.

SVMMA.

1 *Quid faciendum si per errorem in extrema vnctione adhibeatur chrisma, aut oleum catechumenorum.*

2 *Quid si sine scandalo iterari posset sacramentum.*

3 *Si non possit haberi oleum infirmorum, an possit ministrari extrema vnctio cum chrismate, aut oleo catechumenorum.*

4 *Quid inspiciendum, quando agitur de veritate materiæ extremæ vnctionis.*

5 *Quid faciendum, si sacerdos deferat chrisma, aut oleum catechumenorum, dum pergit ad ministrandam extremam vnctionem.*

6 *Amissio lucri, & damnum æquiparantur.*

6 *Publica quando præferenda priuatis.*

1 PRimum dubium est, Quid faciendum, si per errorem sacerdos vteretur Chrismate pro extrema vnctione. Resp. cum Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 3. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 3. *numer.* 38. Non esse repetendam extremam vnctionem. Et ratio est, quia, vt dictum est supra, non officit validitati sacramenti, quod oleo sit admixtum aliquid extraneum, dummodo non tollat speciem externam olei. Nec item officit, quod sit benedictum benedictione diuersa ab ea, qua benedicitur oleum infirmorum, nam adhuc est consecratum, atque adeo apta materia. Et idem dicendum esset, si per errorem conferretur extrema vnctio cum oleo catechumenorum. Quod etiam admittit Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disput. vn. pun.* 2. *num.* 11. in casu, in quo adesset scandalum si iteraretur extrema vnctio.

2 Verum si scandalum cesset, vt facilè cessare potest monendo adstantes de errore, putat idem Palaus sacerdotem obligari ad repetendam extremam vnctionem cum oleo infirmorum, cum sit probabile, cum alio oleo non posse confici sacramentum. In tali autem casu deberet iterari sacramentum sub conditione, quia extrema vnctio, non est statim iterabilis stante eodem statu infirmitatis. Verum hoc non puto necessarium, Quia quòd oleum pro extrema vnctione debeat

beat esse benedictum in ordine ad ipsam, non habet tale fundamentum, quod oleum aliter benedictum reddat materiam dubiam. Sicut enim opinio aliquorum non sufficit, vt materia possit adhiberi tanquam sufficiens in sacramentis, ita nec etiam sufficit, vt habeatur pro insufficienti. Et aliàs certum est, quod mixtio balsami non impedit validitatem sacramenti.

3 Secundum dubium est. An si non posset haberi aliud oleum, ministrari posset extrema vnctio cum Chrismate, aut oleo catechumenorum. Negant Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 8. cap. 2. numer. 3.* Palaus *par. 4. oper. mor. tract. 26. disp. vn. pun. 2. num. 11.* tum quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, tum quia est probabile, quod non sint materia sufficiens. Verum oppositum docet Dicastil. *tract. 7. de sacramen. disp. 1. dub. 3. numer. 38.* & desumitur etiam ex Suarez *3. part. tom. 4. disp. 40. sect. 2. num. 11.* Tannero *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 12.* quatenus dicunt secluso Ecclesiæ præcepto nullum esse peccatum vti chrismate, quod in illo casu cessat. Idem quoque tradit Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 3. num. 35. & 51.*

4 Et quidem hæc posterior sententia est probabilior. Quia necessitas facit cessare Ecclesiæ præceptum, & consuetudinem. Sic etiam, consuetudo Ecclesiæ est, quod pro baptismo aqua benedicatur, & tamen ex necessitate adhiberi potest non benedicta. Nec dici potest, quod sit probabile, quod non sint materia sufficiens. Quia certum est, quod sufficiant ad saluandam veram rationem vnctionis, quæ fit ex oleo, & quam solam requirit Iacobus Apostolus in sua Epistola, dum inquit, *Vngentes oleo.* Quod verò sint consecrata benedictione, quæ non respicit hoc sacramentum, sicut non tollit rationem vnctionis factæ ex oleo; ita neque tollit sufficientiam materiæ.

5 Tertium dubium est. Quid faciendum, si sacerdos, dum pergit ad vngendum infirmum loco olei infirmorum deferat secum Chrisma, aut oleum catechumenorum, & ita vrgeat infirmitas, vt non adsit probabiliter tempus deferendi oleum infirmorum; quod facilè contingere potest, quando infirmus longe distat ab Ecclesia. Resp. Tunc posse ministrare cum oleo, quod secum detulit, quod sequitur ex doctrina eorum, quos n. 3. pro posteriori responsione citaui. Nam tunc sumus in casu, in quo oleum infirmorum deficit, nec haberi potest; si quidem, dum deferretur, infirmus interim probabiliter moreretur; vnde necessitas cessare facit præceptum Ecclesiæ, quod solum obstat.

6 Dices. Sacramentum extremæ vnctionis non est necessarium; ergo potius seruanda est consuetudo Ecclesiæ, quàm ministrandum cum alio oleo, quia consuetudo est publica, quæ autem publica sunt, priuatis præferri debent. Resp. Licet hoc sacramentum non sit necessarium, esse tamen magnæ vtilitatis; vtilitas autem infirmi præualet consuetudini, & præcepto, cum non obligent cum tanto onere: si quidem posse habere notabile emolumentum, & sinere amitti æquiparatur damno cap. *Licet.* De feriis. Nec est vniuersaliter verum, quod publica sint præferenda priuatis; alioquin sequeretur, quod nulla lex cessaret obligare, quamuis inde quodcumque damnum priuatis personis obueniret, quia vt quid publicum deberet præferri. Solum ergo publica præualent priuatis, quando concurrunt in eodem gradu, ita vt concurrant damnum priuatum, & damnum publicum, aut vtilitas priuata, & publica. Quod autem ministretur extrema vnctio cum Chrismate; aut oleo catechumenorum, nullum publicum damnum Ecclesiæ inde emergit.

An

An oleum præcedentis anni sit sufficiens materia extremæ vnctionis, & adhiberi possit.

Quæst. 329.

SVMMA.

1 *Oleum infirmorum quotannis innouandum ex consuetudine, non ex speciali præcepto.*
2 *Benedictio olei infirmorum quotannis facienda ex præcepto.*
3 *Oleum priori anno benedictum est sufficiens materia pro extrema vnctione.*
4 *Oleum vetus, & nouum non differunt in ratione materiæ sacramentalis.*
5 *Ecclesia an possit oleum vetus reddere ineptam materiam pro extrema vnctione.*
6 *Extrema vnctio an ministrari possit cum oleo veteri.*
7 *In necessitate potest adhiberi Chrisma vetus.*
8 *Necessitas à fortiori facit cessare obligationem non adhibendi vetus oleum in extrem. vnct.*
9 *Grauitas præcepti vnde attendatur.*
10 *Magis refert non seruari ritum in sacramento, & ministrari sacramentum, quam seruari cæremonialia.*

1 Singulis annis esse innouandum oleum infirmorum, constat ex consuetudine Ecclesiæ, & ex Rituali Romano Pauli V. *Tit. de sacram. Extrema vnct.* ver. *Habeat igitur.* Non tamen adest aliquod speciale præceptum de hac innouatione, nam in dicto Rituali non habentur verba præceptiua; ita enim habet, *Quod singulis annis feria 5. in cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto renouandum est.* Neque huiusmodi præceptum continetur in cap. *Litteris vestris. De consecrat. dist. 3.* neque in cap. *Si quis de alio. De consecrat. dist. 4.* neque etiam alibi, & ideo ita tradunt Henriquez *lib. 3. sum. cap. 8. num. 2.* Sà *verbo*, Extrema vnctio. *numer. 6.* Nald. *ibid. num. 2.* Lezana *numer. 13.* Victorel. *De extr. vnc.* Tit. *An sacerdos nouo oleo*, ver. *Hac de Chrismate.* Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. quæst. vn. de extr. vnct. art. 2. dub. 2. difficul. 7.* Idem etiam videtur sentire Ledesma *par. 1. sum. tract. de extr. vnct. cap. 2. in fine.*

2 Neque obstat, quod aliqua Concilia præcipiant esse quotannis benedicēdū in feria 5. Cœnæ Domini vt Cōcil. Meldense *apud Burchar. lib. 4. cap. 75.* & apud *Iuonem. par. 1. cap. 568.* & notat Durand. *lib. 1. de Ritib. Ecclesiæ cap. 20. num 2.* Si quidem aliud est, quod Episcopi teneantur ex præcepto singulis annis illud benedicere, & aliud, quod adsit præceptum de non adhibendo oleo veteri. Primum solum præcipitur in eum finem, vt semper sit in promptu oleum infirmorum, quando opus est, quia si relinqueretur beneplacito Episcoporum, fieri posset, quod ex negligentia alicuius deficeret, & ideo ad obuiandum huic incommodo præcipitur, quod singulis annis innouetur. Quare si Episcopus prætermitteret benedictionem in feria 5. Cœnæ Domini, peccaret mortaliter, nisi ex rationabili causa excusaretur. Difficultas autem est, an facta innouatione oleū vetus sit sufficiens materia, & adhiberi possit vrgente necessitate.

3 Dicendum 1. *Oleum infirmorum prioris anni facta innouatione esse materiam sufficientem pro extrema vnctione.* Ita Nauar *cap. 22. Manual. num. 13.* Reginal. *lib. 28. Praxis fori pœnit. num. 50.* Posseuin. *De offic. Curati cap. 9. numer. 2.* Victorel. *de extrema vnct.* Tit. *An sacerdos nouo oleo*, ver. *Recepta quidem.* Dicastil. *tract. 7. de sacram. disp. 1. dub. 5. nu. 71.* Putean. *3. par. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 2.* ver. *Aduerte.* Granad. *controuer. 8. tract. vn. disp. 2. num. 3.* & communiter in tractandi specialiter, & desumitur ex

ijs, quæ habet D. Th. 3. *par. quæstion. 63. ar. 5. in corpore*.

4 Ratio autem est, Quia oleum vetus non differt ab oleo innouato neque secundum substantiam, neque secundum esse morale benedictionis, cum, & ipsum sit benedictum; sed solum secundum tempus, quia fuit consecratum priori anno, quæ est differentia extrinseca. Ergo si prius erat sufficiens materia, erit etiam postea, quia circumstantia temporis extrinseca non variat esse intrinsecum olei, nec secundum substantiam, nec secundum esse morale consecrationis.

5 Dices, Ecclesiam, dum innouat oleum infirmorum, & præscribit, quod vetus comburatur, reddere vetus materiam ineptam, nam per hoc factum determinat, quod consecratio, quæ est necessaria necessitate sacramenti, valeat solum pro illo anno. Contra. Quia non constat, quod Ecclesia intendat coarctare consecrationem, vt valeat tantum pro illo anno, Deinde consecratio est ex natura sua permanens, & durans, quantum durat res consecrata, vt constat in aliis rebus. Ergo eodem modo durabit in oleo infirmorum, nec poterit Ecclesia dare ipsi esse limitatum, quia cum habeat esse permanens, si semel ponatur in esse, durabit, quantum ex natura sua durare potest, nec poterit causa efficiens limitare existentiam ipsius, vt constat etiam in coeteris causis producentibus effectus, qui non dependent in conseruari ab actuali influxu causæ.

6 Dicendum 2, *Quando non adest in promptu aliud oleum infirmorum, potest ministrari extrema vnctio cum veteri*, Ita Doctores citati *num.* 3. & Præterea, Laiman, *lib.* 5. *theol. moral. trac.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 4. *num.* 15. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 2. *num.* 12. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 2. *num.* 6. Basseus *in florib. theol. pract. verbo*. Extrema vnctio, *numer.* 4. Lezana *in summa, verbo*, Extrema vnctio. *num.* 13. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 2. *num.* 3. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 13. *num.* 213.

7 Prob. Quamuis expresse prohibeatur sub peccato mortali vsus chrismatis veteris in baptismo, vt in capit. *Siquis de alio. de consecrat. dist.* 4. conceditur tamen, quod vrgente necessitate, vt si mors instaret, possit adhiberi si nouum non adsit, ita in eodem cap. ibi. *Nisi præoccupante morte*, Ergo à fortiori cum de oleo infirmorum non adsit præceptum saltem expressum, poterit vetus adhiberi instante necessitate, si nouum præsto non sit, Confir. Ad summum obstare posset consuetudo Ecclesiæ, aut præceptum tacitum: non obstat autem, quia cedit necessitati, præualet enim necessitas, quia præcepta non obligant cum graui detrimento.

8 Dices. Esse diuersam rationem, quia sacramentum baptismi est absolutè necessarium, non autem extrema vnctio, Contra, Baptismi sacramentum ministrari potest absque vnctione ex Chrismate, cum talis vnctio non spectet ad essentiam sacramenti, sed tantum contineat ritum, & coeremoniam: vnde in necessitate ministratur baptismus absque vllo ritu ex præscriptis ab Ecclesia: & ideo vnctio ex chrismate solum est necessaria ad seruandum ritum. Ergo si vt seruetur ritus, cessat præceptum de non adhibendo veteri chrismate, multo magis cessabit consuetudo, seu etiam præceptum, si adesset, de non adhibendo veteri oleo infirmorum, vt possit ministrari sacramentum, quod est saltem aliquo modo necessarium, & plurimum iuuat ad salutem consequendam.

9 Dices 2. Chrisma non adhiberi vt materiam sacramenti, sed coeremoniali modo, & ideo præceptum esse minus graue, Oleum autem infirmorum esse materiam sacramenti, & ideo tanquam de re grauiori non cessare prohibitionem. Contra. Grauitas præcepti non attenditur secundum digni-

gnitatem materiæ, sed secundum exigentiam finis, quæ est mensura obligationis; siquidem, quod præcipitur, in ordine ad finem præcipitur, sicut etiam prohibetur in ordine ad ipsum, & ideo oligatio, vel prohibitio est magis, vel minus stricta, prout est maior, vel minor exigentia. Minor autem est exigentia finis, quod prohibeatur vsus veteris olei pro extrema vnctione, quàm quod prohibeatur vsus veteris chrismatis pro baptismo, siquidem bonum spirituale Ecclesiasticæ communitatis minus exigit, quod seruentur ritus in sacramento, dummodo sacramentum ministretur instante necessitate. quàm quod seruentur in coeremonialibus; nam si in his non seruentur, nullum damnum alicui obuenit, etiam si omittantur coeremonialia; at si omittatur sacramentum, quia non possit seruari aliquis ritus, tollitur notabile adiutorium ad salutem.

An habentes curam animarum teneantur quotannis innouare oleum infirmorum. Quæst. 330.

S V M M A.

1 *Episcopi tenentur sub mortali innouare oleum infirmorum.*
2 *Habentes curam animarum an sub mortali teneantur quotannis innouare oleum infirmorum. & num. seq.*
3 *Consuetudo quando obliget sub mortali.*
4 *Publica vtilitas exigit talem innouationem.*
5 *Obligatio innouandi oleum admittit aliquam latitudinem dierum.*
6 *Prælati regulares, & qui ministrant sacramenta monialibus, tenentur quotannis innouare oleum infirmorum.*

---

1 QVod teneantur ex consuetudine Ecclesiæ, non potest verti in dubium, cum ita praxis habeat, & præscribatur in Rituali Romano. Solum difficultas est, an hæc consuetudo obliget sub mortali. Quod autem obliget Episcopos, dictum est *quæstion. præced. num.* 2. ratione grauitatis materiæ, siquidem hæc innouatio est omnino necessaria, ne deficiente oleo veteri, non adsit, vnde ministretur sacramentum; vnde solum difficultas est, an etiam habentes curam animarum obligentur sub mortali petere quotannis oleum nouum.

2 Prima sententia asserit, non adesse præceptum, nec obligationem sub mortali quòad pastores animarum huius innouationis. ita ii, qui absolutè volunt, non adesse obligationem sub mortali innouandi oleum infirmorum Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 8. *num.* 2. Sà *verbo*. Extrema vnctio. *num.* 6. Naldus *num.* 2. Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *An sacerdos nouo oleo &c.* Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. vn. de extr. vnc. artic.* 2. *dub.* 2. *difficul.* 7. & nonnulli alii.

3 Secunda sententia tenet, adesse obligationem illud renouandi etiam quòad Pastores animarum. Ita ij, qui absolutè ponunt obligationem renouationis. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 4. *num.* 5. *& sequen.* Posseuin. *de offic. curati. cap.* 9. *num.* 2. Bonac. *disp.* 7. *de sacramen. quæst. vn. pun.* 2. *num.* 6. Basseus *in florib. theol. pract. verbo*. Extrema vnctio. 1. *num.* 4. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 76. *ver. Sed mihi*.

4 Dicendum. *Pastores animarum teneri sub mortali innouare quotannis oleum infirmorum iuxta consuetudinem Ecclesiæ*. Prob. Licet non adsit speciale præceptum de hac innouatione, adest tamen consuetudo Ecclesiæ, & Præscriptio Pontificalis, & Ritualis Romani. Ergo hæc consuetudo obligat sub mortali. Conseq. prob. Tunc consuetudo obligat, quando transit in naturam legis, siquidem est lex non scripta; atque adeo induit conditiones intrinsecas legis; vt nimirum sit iusta,

afficiat communitatem, ordinetur ad bonum publicum, & sit necessaria propter ipsum; nam cum vnusquisque lege naturali teneatur vt membrum communitatis cooperari bono ipsius, sicut membra debent cooperari bono totius corporis, eo ipso, quod consuetudo inducitur ut necessaria pro bono publico, procedit ex dictamine practico, quod adsit obligatio sic faciendi in uirtute dictæ naturalis obligationis, atque adeo ex animo obligatorio.

5 Talis autem est consuetudo, quod Pastores innouent quotannis oleum infirmorum. Nam publica utilitas spiritualis exigit, quod in qualibet parochiali sit in promptu huiusmodi oleum quouis tempore, & nunquam deficiat, ne fideles, dum indigent, careant præsidio huius sacramenti, hoc autem obtineri non potest, nisi quotannis oleum innouetur, siquidem si non innouaretur, facile contingere posset, quod veteri consumpto, non esset in promptu aliud, & consequenter infirmus decederet absque hoc sacramento, & ideo bonum spirituale fidelium exigit tanquam necessariam hanc innouationem. Et cum sit res grauis, quia agitur de obuiando periculo, ne plures priuentur hoc sacramento, etiam exigentia erit grauis, & faciet consurgere dictamen, quod obligatio sit de re graui, atque adeo sub mortali.

6 Ex his colligitur. Obligationem innouandi oleum infirmorum non esse adeo strictam, vt obliget statim; ac est benedictum ab Episcopo, illud innouare, sed admittere aliquam latitudinem dierum. Quia non plus obligat, quàm exigat finis innouationis. Finis autem non exigit, quod statim innouetur, sed sufficit, si occurratur periculo.

7 Colligitur 2. Prælatos quoque Regularium, & qui ministrant sacramenta Monialibus, teneri ad innouationem olei infirmorum sub peccato mortali, cum militet quoàd ipsos eadem ratio. Hæc tamen obligatio habet quoàd Prælatos regulares maiorem quādā latitudinem temporis, in quo impleri debeat, quia vsus olei apud istos ratò contingit. Rursus possunt alicui committere innouationem, nempe Sacristæ, aut alteri, & hoc pacto se eximere ab hac obligatione.

An peccet mortaliter vtens oleo veteri infirmorum absque necessitate. Quæst. 331.

S V M M A.

1 *Aliud teneri ad innouandum oleum infirmorum, & aliud teneri ad adhibendum innouatum.*
2 *Extra casum necessitatis an possit adhiberi sine mortali oleum vetus infirmorum, & nu. seq.*
3 *Vsus veteris chrismatis prohibetur.*
3 *Priuilegium adhibendi oleum vetus infirmorum.*
5 *Obligatio vtendi oleo innouato non infertur ex obligatione innouandi.*
6 *Combustio veteris olei quomodo præcipiatur.*
7 *Vsus veteris chrismatis cur prohibeatur.*
8 *Priuilegium vtendi veteri oleo infirmorum cur concessum.*
9 *Cur sub conditione, quod non possit haberi nouum.*

1 Aliud est, quod habentes curam animarum teneātur quotannis innouare oleum infirmorum: & aliud quod in ministratione sacramenti teneantur vti oleo innouato. Primum enim obligat ad restaurandum quotannis materiam sacramenti, & obligatio est sub mortali, vt dictum est *quæst. præced. num. 3. & 4.* Secundum verò obligat ad adhibendam in sacramenti administratione materiam talisqualitatis, nempe innoua-

uationis. Et de hac obligatione dubitatur, an sit sub mortali: quod enim adsit aliqua obligatio, non potest verti in dubium, cum id præscribatur in Rituali Romano.

2 Prima sententia asserit, adesse obligationem sub mortali adhibendi nouum oleum infirmorum, ita vt extra casum necessitatis non possit vetus adhiberi. Ita Zambran. *in suis decis. moral. cap. 5. de extr. vnct. dub. 4. num. 5.* Posseuin. *de offic. Parochi cap. 9. num. 1.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæstion. vn. pun. 2. numer. 6.* Dicastil. *tract. 7. de sacramen. disp. 1. dub. 5. numer. 72.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 76.* ver. *Sed mihi* Basseus *in florib. theol. pract. verbo.* Extrema vnctio 1. *num.* 4. Vgolin. *de offic. Episcopi cap. 7. §. 2. num.* 1. Tureblan. *lib. 2. iur. spirit. capit.* 10. *num.* 16. Barbosa *de Parochis capit.* 22. *num.* 25. Palaus *par. 4. oper. mor. trac. 26. disp. vn. pun. 2. num.* 12.

3 Et probari potest, primò ex capit. *Litteris. de consecrat. dist. 3.* vbi non solum præcipitur innouatio, sed etiam damnatur vsus veteris, quod præcipitur comburi. Et quamuis tex. loquatur de chrismate, debet tamen extendi ad oleum infirmorum, cum, & ipsum singulis annis ab Episcopo in eadem feria 5. coenæ Domini debeat innouari, & ita accipit Turrecrem. *ibid.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 1. num.* 10. Secundo Gregor. XIII. concessit Societati Iesu *sub die* 8. *Septemb.* 1573. Vt in Molnchis, Japponiis, & aliis regionibus huiusmodi possint dicti Socii sine scrupulo vti oleis sanctis ante consecratis per quattuor annos, dummodo prius quotannis faciant debitam diligentiam, vt habeant oleum nouum. Esset autem frustratoria hæc concessio, si sine peccato mortali posset adhiberi oleum vetus.

4 Secunda sententia negat esse peccatum mortale vti oleo veteri, etiam extra casum necessitatis. Ita Henriquez *lib. 2. sum. cap. 29. num. 3.* citans *in Glos. Litera.* I. Doctores Salmaticenses. Sà *verbo*. Extrema vnctio. *num. 6.* Nald. *num.* 2. Victorel. *de extrem. vnct.* Tit. *An sacerdos nouo oleo, &c.* ver. *Recepta quidem.* Ledesma *par. 1. sum. tract. de extrema vnct. capit. 2. in fine.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extrema vnc. numer.* 14.

5 Dicendum est. *Quamuis seclusa necessitate optimum sit, non vti, nisi oleo de noua benedicto, non tamen existimo mortaliter peccaturum, qui veteri oleo extra casum necessitatis vteretur.* Ratio est. Quia non licet inferre obligationem vtendi oleo nouo ex obligatione innouandi, nam non est idem finis, siquidem innouatio habet pro fine obuiare periculo, ne vetus deficiat; neque aliunde colligitur præceptum obligans sub mortali, ne adhibeatur oleum vetus; & aliàs est materia sufficiens, nisi sit corruptum.

6 Dices Ecclesiam prohibere vsum veteris olei, dum præcipit, quod vetus comburatur. Contra. Quod comburatur pertinet solum ad ritum Ecclesiæ, & combustio introducta est, quia quælibet Ecclesia solet habere vnicum tantum vasculum, & ideo cum debeat nouum in ipso reponi, & extrahi vetus, ob reuerentiam est comburendum. Rursus quia cum vetus non sit amplius necessarium, expedit, quod comburatur, ne forte aliquid irreuerenter circa ipsum fiat. Coeterum si contingeret adesse vetus oleum, non prohibetur sub mortali vsus ipsius; neque enim hæc prohibitio alicubi habetur.

7 Ad 1. resp. In illo cap. *Litteris. de consecrat. dist. 3.* statui expresse de chrismate. Ideo autem hoc præcipitur de chrimate, quia ita fuit traditio Apostolica. Ita enim habet Pontifex ibi. *Ista à sanctis Apostolis, & successoribus eorum accipimus, & vobis tenenda mandamus.* Et ob hanc causam in capit. *Siquis de alio. de consecrat. dist. 4.* dicitur. quod qui audet vti vetere chrismate, *Pro temeritatis ausu ipse in se sua damnationis protulisse sententiam manifestatur.* Hoc autem non debet extendi

ad

ad oleum infirmorum, cum de ipso non extet huiusmodi traditio Apostolica.

8 Ad 2. Illud priuilegium concessum fuisse ad remouendos scrupulos, & ad auctorizandum vsum olei veteris, nam quòad substantiam nihil concedit, quod non liceat secluso priuilegio; cum enim concedat, quod adhiberi possit oleum vetus, quando adhibita diligentia nouum haberi non potest, solum concedit, quod adhiberi possit ex necessitate, quando nouum non suppetit. In tali autem casu adhiberi potest absque vllo priuilegio, vt communiter docent.

9 Instabis. Pontifex vult, quod adhibeatur diligentia pro obtinendo oleo nouo, & tunc solum possit vetus adhiberi, quando nouum haberi non potuit. Ergo signum est, quod Pontifex putat adesse grauem obligationem de vsu tantum noui olei, dum ita circumspectè dispensat pro vsu veteris. Resp. neg. conseq. Quia, vt dictum est *num. pracedent.* non concedit aliquid, quod in communi opinione non liceret seclusa concessione. Pontifex autem ita circumspectè procedit, vel quia oratores priuilegium sub tali conditione postulauerunt. Vel quia putauit, facile futurum, quod desuesceret innouatio olei infirmorum, si absolutè authenticaret vsum veteris, & proinde noluit occasionem præbere labefactandi consuetudinem Ecclesiæ.

10 Adhuc tamen instari potest ex Concilio Aquisgranensi *sub Gregorio IV.* quod ita sanciuit. *Statutum est etiam, vt vel semel in anno, idest in V. feria, quæ est in coena Domini, vnctio sancti olei, in quo saluatio infirmorum creditur, per omnes ciuitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc vsque neglecta est; sed omni deuotione iuxta Apostolicam traditionem, & statuta decretalium, in quibus de eadem re præcipitur, peragatur.* Ergo adhuc de oleo infirmorum adest Apostolica traditio, & proinde obligatio erit sub mortali, sicut est quòad chrismæ. Resp. Ex hoc tex. tantum colligi, quod traditio Apostolica sit tantum de innouando oleo infirmorum singulis annis, & proinde dictum est supra, quod Episcopi sub mortali tenentur innouare: non autem quod ex Apostolica traditione sit prohibitus vsus veteris olei.

An in quolibet die liceat benedicere oleum infirmorum. Quæst. 332.

S V M M A.

1 *Oleum infirmorum quotannis feria V. in Cœna Domini benedicitur.*
4 *Si alio die benedicatur, non redditur irrita bedictio.*
2 *Græci quocumque die benedicunt.*
3 *Antiquitus licebat Episcopis quouis die conficere Chrisma.*
4 *Episcopi tenentur sub mortali consecrare oleum infirmorum.*
5 *Episcopi quando extra feriam V. Cœnæ possint consecrare oleum infirmorum numer. 7. & 8.*
6 *Soluuntur obiecta.*
10 *Episcopi quomodo excusentur à non consecrando oleum infirmorum.*

---

1 Oleum infirmorum benedicitur quotannis in feria quinta Cœnæ Domini simul cum Chrismate, & oleo catechumenorum, ita præscribente Pontificali, & Rituali Romano. Difficultas autem est, an liceat alio die benedicere; seu an dicta præscriptio Pontificalis, & Ritualis ita coarctet benedictionem ad illam diem, vt faciat illicitam in coeteris diebus.

2 Est autem supponendum tanquam certum, quod si alio die benedicatur, non redditur irrita benedictio; & proinde adhuc illud oleum erit materia sufficiens. Quia, quod oleum consecretur hoc, vel illo die, non est de

de iure diuino, sed de iure Ecclesiastico, & proinde non est de substantia materiæ, sed quid accidentale. Vnde Græci quouis die, quando necessitas vrget ministrãdi extremam vnctionem, illud consecrant. Imo quamuis possit Ecclesia reddere illicitam talem benedictionem pro certis diebus, non tamen videtur posse reddere irritam; quia cum sit potestas in consecrante, & benedictio ex natura sua sit consecratiua, non videtur posse impediri effectus consecrationis ex positiuo decreto; cum ex natura rei sequatur ex applicatione causæ. Sic licet prohibere possit, ne Episcopus ordinet, non tamen potest facere irritam ordinationem.

3 Antiquitus autem licebat Episcopo, quouis die conficere chrisma, vt desumitur ex Concil. Toletano 1. cap. 20. celebrato anno 400. ibi. Episcopo sane certum est, quod omni tempore licet chrisma conficere. Vnde videtur eadem ratio de oleo infirmorum, siquidem cũ frequentior sit vsus huius olei, si tunc licebat quouis tempore consecrare chrisma, potiori ratione videtur licuisse consecrare etiam oleum infirmorum. Hæc tamen consuetudo non videtur fuisse vniuersalis in tota Ecclesia, nam antea Fabianus Papa *Epist.* 2. ad Episcopos Orientales, vt refertur in cap. *Litteris, de consecrat. dist.* 3. ita habet. Sicut enim ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda, quia nouum sacramentum est per singulos annos, & iam dicto die innouandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis, & successoribus eorum accipimus, & vobis tenenda mandamus. Et idem postea semper seruatum fuit. Verum quia in hac, & aliis huiusmodi auctoritatibus præcipitur solũ, quod in coena Domini consecretur chrisma, non autem prohibetur, quod non consecretur in alia die, ideo concordari possunt cum Concilio Toletano, quod adsit obligatio consecrandi in coena Domini, possit tamen in quacunque alia die consecrari, si opus fuerit.

4 Quod autem spectat ad oleum infirmorum, dicendum est Episcopos sub peccato mortali teneri consecrare oleum infirmorum. Ratio est. Quia consecratio olei infirmorum est absolutè de obligatione, ita vt ratione officii teneantur Episcopi illud consecrare, siquidem hæc consecratio est vnum ex muneribus, quæ Episcopus exercere tenetur sub mortali, siquidem ex munere tenetur prouidere suis ouibus de omnibus necessariis. Ergo tenentur consecrare in coena Domini; quia cum Ecclesia præscribat consecrationem pro tali die, determinat tempus, in quo est implenda obligatio, sicut determinat tempus, in quo est implendum præceptum communionis.

5 Dicendum 2. Episcopos ita teneri conficere oleum infirmorum in coena Domini, vt tamen non prohibeantur consecrare extra illud tempus, si opus fuerit. *Ratio* est. Quia de hac prohibitione nihil constat; neque enim ex eo, quod præcipiatur benedici in coena Domini, prohibetur, quod non conficiatur altero etiam die, sicut ex eo, quod præcipitur communio in Paschate pro implendo præcepto de sumenda Eucharistia non sit; quod prohibeatur sumi extra illud tempus.

6 Dices in Concilio Meldensi sub Sergio II. præcipitur, Vt nemo sacrum chrisma, nisi in V. feria maioris septimanæ, idest in coena, quæ specialiter Dominica appellatur, conficere præsumat. Ergo neque etiam oleum infirmorum poterit benedici. Resp. neg. conseq. Tum quia concilium loquitur tantum de chrismate, nec potest fieri extensio ad oleum infirmorum, quia in chrismate militat specialis ratio eo, quod ex Apostolica traditione consecrandum sit in speciali illa feria quinta, vt habetur ex cap. *Litteris. de consecrat. dist.* 3. Tum quia il-

illud Concilium non fuit vniuersale, & ideo non obligat omnes; tum quia potuit habere speciale motiuum ita statuendi ex eo nempe, quod prætermitterent consecrare in feria quinta, quia poterant quocunque tempore consecrare.

7 Ex his colligitur. Quod si Episcopus ex aliquo legitimo impedimento non potest in feria quinta coenæ Domini benedicere oleum infirmorum, vt si impediretur infirmitate, cessato impedimento poterit quocunque alio die benedicere; cum de hoc non adsit prohibitio, vt dictum est, Imo etiā si adesset posset adhuc benedicere, nam prohibitio Ecclesiæ cederet necessitati; maior enim est obligatio de illo benedicendo quotannis, quàm de benedicendo in tali die, siquidem illa pertinet ad munus Episcopale, & ideo est de naturali iure diuino; & nisi impleatur, potest oleum vetus deficere, & plures decedere sine extrema vnctione, hæc verò est merè de iure Ecclesiastico, & ideo debet cedere.

8 Colligitur 2. Episcopum consecrare posse oleum infirmorum extra feriam V. coenæ Domini, quotiescunque necessitas id exigeret, vel quia consecratum esset consumptum; vel quia censecratum longe abesset, ita vt non posset deferri in tempore. Quia vel nulla adest prohibitio, vel si adest, cum sit merè Ecclesiastica, cedit necessitati, quando aliàs non posset ministrari sacramentum extremæ vnctionis. Si tamen Episcopus consecrasset absq; vlla necessitate, consecratio esset irrationabilis, & esset violatiua præcepti, si adesset. Secluso verò præcepto peccaret saltem venialiter.

9 Dices. Consecrare in feria V. coenæ Domini oleum infirmorum, pertinet ad ritum publicum Ecclesiæ; ergo si adest præceptum de non consecrando extra illum diem, non poterit consecrari ob priuatam necessitatem alicuius; quia publica priuatis anteponenda sunt. Resp. Pertinere ad publicum ritum Ecclesiæ, quod consecratio fiat in dicta feria V. non autem pertinet ad publicum ritum, quod fiat etiam in alio die. Vnde cum possint stare simul, quod consecratio fiat in feria V. & etiam in alio die, si fiat in alio die non destruetur publicus ritus Ecclesiæ.

10 Colligitur 3. Episcopum excusari, si non consecret oleum infirmorum in feria V. coenæ Domini ex iis omnibus causis, quæ possunt excusare ab obseruantia præcepti Ecclesiæ, quia quod consecratio fiat in tali die, est præceptum merè Ecclesiasticum, Ratio est, quia licet obligatio consecrandi oriatur ex officio; non tamen consurgit, nisi quando adest necessitas ex eo, quod iam consecratum sit consumptum, & ideo determinatio Ecclesiæ non facit, quod præceptum tunc obliget vt annexum muneri, & vt naturale diuinum, sicut obligat præceptum communionis in Paschate facta determinatione Ecclesiæ, quia nimirum determinat tunc saltem obligare ratione necessitatis, pro qua est institutum: vnde relinquitur, quod sit merè obligatio Ecclesiastica.

11 Colligitur 4. Quod si Episcopus ex legitimo impedimento non posset in feria V. coenæ Domini consecrare oleum infirmorum, tenetur postea illud consecrare. Nam Episcopus tenetur absolutè consecrare, & etiam tenetur tali die: primum habet locum ratione muneris Episcopalis; secundum ratione determinationis Ecclesiæ: vnde licet cesset obligatio ex determinatione Ecclesiæ, vrget tamen adhuc obligatio muneris. Hinc tamen fit, quod non statim teneatur consecrare, quando primò poterit; sed sufficit, si consecret opportuno tempore, ne deficiat materia pro extrema vnctione.

An,

An, & quomodo oleum vetus infirmorum sit cremandum.

Quæst. 333.

S V M M A.

1 *Oleum vetus infirmorum cremandum.*
2 *Esse cremandum sub mortali ex præcepto, qui doceant.*
3 *Non esse hoc præceptum sub mortali.*
5 *Quomodo comburendum.*

1 OLeum vetus infirmorum esse cremandum habetur ex præscriptione Pontificalis Romani; communiter autem aduertunt, quod non debet cremari quousque obtineatur nouum, ne si interim quis incidat in periculum vitæ, exponatur periculo, quod moriatur absque hoc sacramento. Difficultas autem est, an adsit præceptum sub mortali de ipso cremando.

2 Qui docent adesse præceptum de innouando, & de non adhibendo veteri, volunt, adesse præceptum de cremando. Ita Vgolin. *de offic. Episcopi. cap. 7. §. 2. numer. 1.* Zambran. *in suis decis. cap. 5. de extr. vnct. dub. 4. num. 5.* Posseuin. *de offic. curati cap. 9. numer. 1.* Torreblan. *lib. 2. iuris spirit. cap. 10. num. 16.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 2. num. 6.* Dicastil. *tract. 7. de sacram. disp. 1. dub. 5. num. 72.* Palaus *par. 4. oper. moral. tr. 26. disp. vn. pun. 2. num. 2.*

3 Alij tamen non agnoscunt aliquod præceptum sub mortali de comburendo oleo veteri infirmorum. Ita Henriquez *lib. 2. sum. cap. 29. numer. 3.* Sà verbo. *Extrema vnctio. num. 6.* Pasqualig. Nald. *num. 2.* Victorel. *de extrema vn. Tit. An sacerdos nouo oleo, &c.* ver. *Recepta quidem.* Ledesma *par. 1. sum. tr. de extrema vnct. cap. 2. in fin.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extrema vnct. num. 14.*

4 Dicendum est. Non adesse præceptum obligans sub mortali de veteri oleo infirmorum comburendo. Ratio autem est, quia canones, in quibus præcipitur hæc combustio, vt cap. *Litteris. de consecrat. dist. 3.* & capit. *Si quis de alio. de consecrat. dist. 4.* non loquuntur de oleo infirmorum, sed de chrismate; neque possunt extendi ad oleum infirmorũ, cum in chrismate militet specialis ratio, traditio videlicet Apostolica. Neque etiam ex Pontificali Romano desumi potest hoc præceptum, quia, dum dicit, quod vetus est comburendum, procedit tantum directiuo modo, vt nimirum ostendat, quid de veteri faciendum, & vt vitetur irreuerentia, quæ tamen vitari potest, si vetus decenter conseruetur. Vnde ex nullo capite colligi potest præceptum de comburendo obligans sub mortali.

5 Quomodo autem comburendum sit, docet Pontificale Romanum in Rubrica de oleo infirmorum benedicendo ver. Vetus autem, subdit de veteri. Et si quod remanserit in ampullis, ponatur in lampadibus Ecclesiæ ante sacramentum, vt comburatur. Quod etiam notat Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 2. num. 4.* Non est tamen necessarius iste modus combustionis, vnde poni posset etiam in lampadibus, quæ non ardent ante sacramentũ; vel alio modo comburi absque aliquo vsu nimirum cum stupa, aut quouis alio modo, dummodo tamen in vsus prophanos non conuertatur; vnde non posset poni in lampadibus, quæ vsibus prophanis inseruiunt, nam hoc esset contra reuerentiam ipsi debitam.

An tempore interdicti benedici possit oleum infirmorum.
Quæst. 334.

S V M M A

1 *Stante interdicto Generali non potest benedici oleum infirmorum.*
2 *Tempore interdicti non potest ministrari extrema unctio.*
3 *Probatur, & confirmatur conclusio. num. 3, & 4.*
5 *Sublato interdicto potest alio die extra fer. V. Coenæ Domini Episcopus benedicere oleum infirmorum.*

1 Difficultas habet locum, quando interdictum est generale; nam si particulare sit, potest oleum consecrari, saltem in loco non interdicto, quia non est facta aliqua determinatio loci, in quo oleum consecrandum sit. Dicendum est autem, Stante interdicto generali non posse benedici oleum infirmorum. Ita etiam Victorel. *de extrema unct. Tit. An aliquando olei infir. consecr. ver. fit.*

2 Ratio autem est, Quia stante interdicto non potest ministrari extrema unctio, vt habetur ex cap. *Quod in te. de poenitent. & remis.* & notant Couarruu. in cap. *Alma mater. par. 2. §. 2. num. 7. ver. Extrema unct.* Vgolin. *de censur. tab. 5. cap. 7. §. 1.* Henriquez *lib. 13. sum. cap. 40. num. 4.* Suarez *disp. 33. de censur. sect. 1. numer. 38.* Auila *de censur. par. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 7.* Sayr. *lib. 5. de censur. capit. 7. num. 29.* Miranda *tom. 2. Manual. qu. 37. ar. 8. conclus. 3.* Rodriquez *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 109. ar. 3.* Reginal. *lib. 32. praxis fori poenit. tract. 3. numer. 27.* Ergo nec etiam consecrari potest oleū pro extrema vnctione.

3 Conseq. autem deducitur ex eo, quod decernitur in cap. *Quoniam in baptismo de sententia excommunicat. in 6.* Nam ibi statuitur, quod in terra interdicta in die coenæ Domini consecrari potest chrisma, quia tempore interdicti ministrari potest baptismus, & confirmatio, & chrisma in vtroque sacramento adhibetur. Ergo quia tempore interdicti non potest ministrari extrema vnctio, nec etiam poterit consecrari oleum pro ipsa, nam si affirmatio est causa affirmationis, nempe posse ministrare sacramentum cum chrismate est causa affirmationis, nempe non posse ministrare sacramentum erit causa, quod possit consecrari, negatio quoque erit causa negare, nēpe quod non possit consecrari oleum pro ipsa.

4 Rursus quia valet argumentum à contrario sensu in dispositionibus, quando contrarietas se tenet ex parte causæ finalis. *l. Tale pactum. §. fin. ff. de pact.* & *l. Qui testamento. §. Mulier. ff. de testamen.* & cap. *Cum Apostolica, de iis, quæ fiunt à Prælat.* & cap. *Quamquam. de censib. in 6.* vbi Doctores Bald. *consil. 477. in fine. ver. Ego dixi.* Dec. *consil. 386. num. 4.* Roman. *consil. 399. init.* Castrens. *consil. 175. num. 3. lib. 1.* & declarat Euerard. *in Topica iuris cap. 4.* Cum ergo finis, ob quem conceditur consecratio chrismatis tempore interdicti, sit, quia possint ministrari sacramenta, in quibus adhibetur. Quia in oleo infirmorum adest contrarius finis, nam prohibetur administratio sacramenti, in quo adhibetur, valebit argumentum à contrario sensu, nempe quod sit prohibita consecratio eiusdem olei infirmorum.

5 Ex dictis colligitur. Quod si ob interdictum non posset oleum infirmorum benedici in feria V. coenæ Domini, atque postea tolleretur interdictum, posset Episcopus tunc consecrare oleum infirmorum, quia, vt constat ex supradictis, benedictio olei infirmorum ita celebrari debet in dicta feria quinta, vt tamen non prohibeatur celebrari extra illud tempus, in illo autem

tem caſu celebratio eſſet maximè rationabilis, cum prohibita fuerit in tempore præſcripto.

An oleum non benedictum miſceri poſſit benedicto. Quæſt. 335.

SVMMA:

1 *Si oleum non benedictum miſceatur non benedicto, hoc adhuc eſt materia apta pro extrema vnctione.*
2 *Oleum ſacrum trahit vt dignius ad ſe non ſacrum vt minus dignum.*
3 *Oleum non ſacrum mixtum ſacro moraliter in ipſum conuertitur.*
4 *Quando oleum non ſacrum miſcetur ſacro, debet eſſe in minori quantitate.*
5 *Mixto oleo non ſacro cum ſacro, totum fit ſacrum.*

1 DIfficultas non eſt an poſſit abſolutè miſceri, quia hoc non poteſt in dubium reuocari ſed an ita poſſit miſceri, vt adhuc remaneat materia apta pro ſacramento extremæ vnctionis. Communiter Doctores agentes ſiue de hoc oleo, ſiue de coeteris, ſiue de aqua benedicta, cenſent, poſſe miſceri, ita vt adhuc remaneat in illa habilitate, in qua erant prius. Ita D. Th. *opuſ. 65. de offic. ſacerd. cap. de extr. vnct.* & *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiun. 6. ad 2.* & *3. par. quæſt. 67. art.* 8. Armilla *verbo.* Aqua benedicta. *num.* . Angelus *verbo.* Aqua. *num.* 1. Tabiena. *numer.* 8. Syluester *verbo.* Vnctio. *num.* 1. Naldus *verbo.* Extrema vnctio. *numer.* 2. Mercer. *de ſacram. quæſt. 29. ſupplem. ar. 6.* ver. *Quæritur ſecundò.* D. Antonin. *3. par. tit. 12. capit. 10. §. 3.* Turrecrem. *in cap. Aquam. de conſecrat. diſt.* 3. Sotus *in 4. diſt. 10. quæſt. 2. art.* 8. *in fine.* Durand. *in ration. diuin. offic. lib. 4. cap. 4.* Bonac. *diſp. 7. de ſacramen. quæſt. vn. pun. 2. n.* 8. Poſſeuin. *de offic. cur. cap. 9. num. 2.* Palat. *in 4. diſt. 12. quæſt. 5. ar. 3. in fine.* Henriquez *lib. 3. ſum. cap. 8. num.* 2. Zambran. *in deciſ. cap. 5. de extr. vnct. dub. 5. num.* 1. Torreblan. *lib. 2. iur. ſpirit. cap. 11. num.* 17. Fuſch. *de viſit. lib. 1. cap. 6. num.* 10. Barboſa *de Paroch. cap. 22. num.* 26. Iſambert. *3. par. diſp. 2. de extr. vnct. art.* 3. ver. *Atque ex hac.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. ſum. quæſt. vn. de extr. vnct. ar. 2. dub. 2. difficul. 6. concluſ.* 1. Baſſeus *in ſlorib. theol. pract. verbo* Extrema vnctio. 1. *num.* 4. Martin. à S. Ioſeph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extr. vnct. num.* 10. Dicaſtil. *de ſacram. tract. 7. diſp. 1. dub. 5. num.* 74.

2 Dicendum eſt, *Oleum non conſecratum poſſe miſceri cum conſecrato, ita vt remaneat materia ſufficiens pro extrema vnctione.* Habetur deciſum in capit. *Quod in dubiis. de conſecrat. Eccleſ. vel altar.* ibi. *Nec negamus quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri.* & hoc ipſum notat Gloſ. *ibid.* verbo. *Conſecrato*, quæ rationem reddit, quia oleum ſacrum tanquam dignius trahit ad ſe non ſacrum tanquam minus dignum cap. *Non æſtimemus, 13. quæſt.* 2.

3 Alia etiam ratio afferri poteſt. Quia dum oleum non ſacrum additur ſacro, moraliter in ipſum conuertitur, quia ipſi commiſcetur cum diuiſione in minimas partes, eo modo proportionaliter, quo viuens conuertit in ſuam ſubſtantiam alimẽtum ſibi ſuperadditum. Et ſicuti viuens remanet idem numero, quamuis longè augeatur, & ex actione caloris naturali, plures ex primigeniis partibus deperdantur, quia additio ſucceſſiuè fit, & facta quacunque additione remanet idem viuens, ita etiam, ſi addatur oleum non conſecratum ſacro, ita vt cenſeatur moraliter conuerti in ipſum, & fie-

ri pars ipsius, remanebit idem numero oleum, & erit apta materia pro extrema vnctione.

4 Ex his colligitur quod quando fit huiusmodi mixtio, oleum nō sacrum debet esse in minori quantitate, vt notant Zech. *de sacram. cap. 1, de etr. vn*, Bartolom. ab Angelo, *Dialogo 3*, §. 101: & Doctores *num. 1*, citati; & aduertit etiam Rituale Romanum, *in rubr. de sacram. extr. vnct.* ver. *Habeat igitur*. Et ratio est, quia si esset in maiori quantitate non sacrum, absorberet sacrum, & illud potius conuerteret in se, quàm conuerteretur in ipsum; nec sacrum, etiam in morali æstimatione, maneret idem numero oleum.

5 Colligitur. 2. Facta hac mixtione, dummodo non sacrum sit in minori quantitate, totum oleum fieri sacrum, vt tradunt communiter præsertim citati *num.* 1. Ratio est. Quia consecratio passiua, quæ remanet in oleo post consecrationem actiuam, non est quid physicum superadditum oleo, sed solum qualitas quædam moralis, quæ in eo consistit, quod per intentionem debiti ministri, & certas preces sit dedicatum vsui sacro; & non est aliud, quàm ordo quidam trascēdentalis, quē retinet ad consecrationem actiuam. Hanc autem qualitatem communicat oleo non sacro sibi admixto, nam per hanc admixtionem conuertitur in sacrum, & virtute ipsius fit dedicatum vsui Sacro; & ordo ad consecrationem actiuam consurgit etiam in ipso, quatenus ex sui natura extendi potest ad ea, quæ oleum sacrum in se conuertit.

An oleo sacro possit addi non sacrum in maiori quantitate, sed diuersis vicibus, Quest. 336.

S V M M A.

1 *Oleo sacro misceri potest non sacrum in maiori quantitate, sed pluribus vicibus, & n. sequent.*
2 *Quid tradat Rituale Romanum.*
3 *Tabula altaris enormiter læsa debet de nouo consecrari.*
4 *Oleo sacro si misceatur non sacrum, hoc quoque secundum proprias partes fit sacrum.*
5 *Minor quantitas olei non sacri fit sacra, quando secunda vice fit mixtio.*
6 *In quacunque mixtione repetita oleum sacrum trahit non sacrum ad sui identitatem.*
7 *Maior quantitas cur non possit trahi ad esse sacrum.*
8 *Noua additio olei non sacri cur non immutet oleum sacrum.*
9 *Quomodo oleo sacro misceri possit non sacrum in maiori quantitate.*
10 *Oleo sacro si misceatur maior quantitas non sacri, desinit esse sacrum.*
10 *In necessitate an possit adhiberi oleum, cui maior quantitas non sacri est permixta.*

1 Oleum non sacrum additur prima vice sacro in minori quātitate, dubitatur modo, an facta prima additione, possit de nouo addi nouum oleum non sacrum. Prima autem sententia asserit, quod possit quidem addi, dummodo tamen, quod additur in omnibus vicibus, sit semper collectiuè sumptum minus oleo sacro, cui facta est prima additio; non autem posse addi maiorem quantitatem, quàm sit oleum sacrum, cui non sacrum misceatur, quamuis in diuersis vicibus misceatur.

tur. Ita Armilla *verbo.* Aqua benedicta. *num.*.. Zambran. *in decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 5. *nu.* 3. Quintanaduen. *de sacram. tr.* 5. *sing.* 1. *num.* 4. vbi alios citat, qui tamen hoc non dicunt, sed solum, quod oleum non sacrum, quod additur sacro, debet esse in minori quantitate, vt possit sacrum illud in se conuertere. Affert etiam Rituale Romanum, vbi de extr. unct. sed nihil fauet nam solum habet. *Id tamen, si forte intra annum aliquo modo ita deficiat, vt sufficere non posse uideatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate, qua sufficiens esset pro totius anni decursu, superfuso reparari potest.* Ex quibus constat, quod solum uult, quod oleum non sacrum debeat esse in minori quantitate: an autem facta prima permixtione possit de nouo aliud permisceri, si rursus non sufficeret, non explicat.

2 Prob. Tabula altaris enormiter læsa debet de nouo consecrari capit. *Quod in dubiis. de consecrat Eccles. uel alt.* quia stante tali læsione non censetur remanere eadem, & ideo nec retinere consecrationem. Oleum autem sacrum per tot mixtiones, in quibus misceatur maior quantitas non sacri, ita enormiter læditur, vt non censeatur amplius idem, & proinde neque sacrum. Confir. Quando quantitas olei mixti, licet diuersis vicibus, excedit quantitatem olei, cui primo additum est non sacrum, non manet idem indiuiduum olei physicum. Ergo cum mutetur subiectum, perit benedictio, quia non potest manere idem in ratione benedicti, nisi maneat idem in entitate physica, quia hæc est subiectum benedictionis. Confir. 2. Ideo quando vnica mixtione miscetur maior quantitas, perit benedictio, quia maior quantitas conuertit in se minorem, & tunc oleum sacrum non potest trahere non sacrum ad sui identitatem, cum ipsum trahatur ad identitatem non sacri. Ergo est eadem ratio, quando pluribus vicibus additur maior quantitas, cum parum referat, quod pluribus vicibus misceatur.

3 Secunda sententia asserit. Quod si pluries oleo sacro misceatur non sacrum in minori tamen quantitate, fit semper sacrum totum, & materia apta sacramenti, quamuis quantitas per plures mixtiones addita excedat quantitatem olei, cui primò additum est oleum non sacrum. Ita Syluester *verbo.* Aqua benedicta. *num.* 3. Bartholomeus ab Angelo *dial.* 3. §. 100. Victorel. *de extrem. vnct.* Tit. *Quid obseruandum in hac &c.* Et videtur hoc determinatum in Concil. Mediolan. 4. *pa. 2. init.* vbi ita habetur. *Sacro oleo deficiente, si tempus non patitur, vt aliunde haberi possit, illa ratio ineatur canone præscripta, vt cum oleo consecrato misceatur non consecratum. Id verò non consecratum guttatim ita infundatur, vt semper quod infunditur, minus sit oleo consecrato, quod vel exiguum in vase reliquum est.*

4 Dicendum est. *Facta prima mixtione olei non sacri in minori quantitate, quàm sit sacrum, potest de nouo misceri oleū non sacrum adhuc in minori quantitate: & sic deinceps, quāuis quātitas non sacri in tot mixtionibus mixti excedat quantitatem olei sacri primigenii.* Prob. Quando miscetur oleum non sacrum in minori quantitate, ex hac admixtione euadit totum sacrum, ita vt in illo mixto non solum partes olei iam sacri sint sacræ, sed etiam partes olei admixti, vt communiter docent cum D. Tho. *Opus.* 65. *de offic. sacerdot. cap. de extr. vnct.* & *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 6. *art.* 2. *ad* 2. vbi de aqua habet, quod virtus acquisita ex benedictione peruenit ad aquam additam. Ergo si de nouo addatur aliud oleum adhuc in minori quātitate, fiet sacrum, sicut factum est sacrum in prima additione, & idem fiet in tertia, quarta, & aliis additionibus, quamuis quantitas addita excedat primam quantitatem. Confeq. prob. Ideo fit sacrum oleum prima vice additum, quia oleum, cui additur, tanquam sacrum, & in maiori

ri quantitate trahit ad sui identitatem non sacrum, cum sit in minori quantitate, & illi communicat suas qualitatas. Sed etiam quando interpolatè continuantur additiones, & peruenitur ad illam partem, quæ continuata cū prioribus additionibus excedit quātitatem primi olei sacri, adhuc oleum, cui additur, est totum sacrum, & ipsa secundum se est in minori quantitate. Ergo oleum præexistens sacrum trahet ipsum ad sui identitatem, & communicabit proprias qualitates, & proinde fiet sacrum, non secus ac factum est in additione prima.

5 Confir. In hac mixtione non debet fieri sacra tota quantitas, quæ excedit quantitatem primi olei sacri, sed tantum illa quantitas, quæ in illa noua mixtione additur, quæ est minor, quàm sit oleum sacrum primigenium. Ergo si potuit reddere sacram illam quantitatem, quæ primò addita fuit tanquam minor, poterit etiam reddere hanc posteriorem quantitatem, quia per id, quod reddidit sacram illam primam, non desiit ipsum esse sacrum, & proinde nec fuit factum inhabile ad reddendam sacram aliam similem quantitatem. Confir. 2. Si Deus separaret ab oleo sacro omnes partes superadditas de non sacro, si ipsi de nouo adderetur oleum non sacrum in minori quantitate; fieret sacrum; cum sit eadem ratio, ac si nunquam fuisset permixtum aliud oleum. Ergo fiet etiam sacrum, si permaneat permixtum totum oleum additum, quia cum hoc sit iam factum, non impediet, ne fiat sacrum, quod de nouo additur.

6 Ad 1. resp. Esse diuersam rationem, quia tabula altaris enormiter læsa non censetur amplius eadem saltem in morali æstimatione: at oleum facta quacunque mixtione in minori quantitate remanet idem oleum: nam facta prima mixtione est idem, vt fatentur etiam Auctores oppositæ sententiæ, quia oleum primum trahit ad sui identitatem id, quod additur. Hæc autem ratio valet in quacunque mixtione, nam cum semper addatur minor quantitas, militat eadem ratio identitatis, præsertim, quia considerari debet, quando fit secunda additio, aut tertia, oleum non in sua primigenia quantitate, sed in ea, quam habet, dum fit secunda, aut tertia additio. Sic in augmentatione remanet semper idem numero viuens, quamuis tota quantitas, quæ per ipsam acquiritur, sit maior quantitate ipsius viuentis, quando primò coepit augeri, quia in qualibet additione quantitas addita est minor viuente, cui additur.

7 Ad 1. confir. neg. assumptum. Nam, quando additur quantitas olei, quæ cum aliis additionibus excedit quantitatē primi olei sacri, oleum est idem indiuiduum, quod erat prius, & quantitas, quæ superuenit est minor, & ideo non potest immutare esse indiuiduale esse ipsius, sicut non immutauit prima additio, quia addebatur minor quantitas & hoc ipsum contingit in viuente, quando augetur.

8 Ad 2. confir. neg. conseq. quia quando additur maior quantitas, non potest trahi ad identitatem olei sacri, sicut potest trahi, quando additur minor, licet præcessernt aliæ additiones, quia tunc non est reddenda sacra maior quantitas, cum iam oleum permixtum in aliis additionibus sit factum sacrum, sed tantum illa minor, quæ proinde potest trahi ad identitatem olei iam sacri.

9. Ex dictis colligitur. Oleo sacro posse misceri non sacrum in maiori quantitate duplici modo. Primo quidem, si multiplicentur additiones in eadem semper quantitate, vt si vnciæ olei sacri addatur semiuncia, & postea continuentur additiones in eadem quantitate semiunciæ, ita vt semper quantitas addita sit minor quantitate primigenia olei sacri. Secundo modo, si dum multiplicantur additiones, crescat etiam proportionaliter quantitas addita, & proinde eo vsque perueniat, vt in vnica additione plus addatur, quàm fuerit quantitas primige-

ge-

genia, sit tamen quid minus quantitate, cui tunc permiscetur, vt si duabus vnciis addatur primò vnica vncia, & in secunda additione tribus vnciis addantur duæ, & in tertia quinque vnciis addantur tres, & sic deinceps. Vtro autem modo fiat, semper oleum, quod additur fiet sacrum. Quia cum, quod miscetur primo loco fiat sacrum, potest etiam reddere sacrum, quod ipsi permiscetur, & sic totum oleum etiam, quod permixtum est, potest aliud oleum reddere sacrum; & ideo sufficit, quod quantitas, quæ secundo loco miscetur, aut tertio loco, & sic deinceps sit minor, non oleo primigenio, sed oleo toto, cui immediatè miscetur.

10. Colligitur 2. Quod si vnica vice misceatur oleum non sacrum in maiori quantitate, quàm sit sacrum, peribit benedictio sacri, & non erit amplius materia sufficiens pro extrema vnctione, quia tunc præualebit maior quantitas, quæ trahet minorem ad sui identitatem. Vnde siquis tali oleo vteretur, peccaret mortaliter, quia vteretur materia inhabili. An autem posset adhiberi sub conditione in casu necessitatis, si aliud oleum sacrum non suppeteret, videtur probabilius esse, quod non possit adhiberi. Quia est regula generalis Ecclesiæ, quod res sacræ quandiu retinent propriam identitatem, retineant etiam consecrationem, eam verò amittant, si amittant identitatem. Cum autem certum sit, quod oleum sacrum, cui commiscetur aliud non sacrum in maiori quantitate, non remanet idem numero, certum etiam erit, quod non sit amplius sacrum, atque adeo nec materia sufficiens pro extrema vnctione; & ideò non poterit adhiberi, cum solum possit adhiberi materia dubia sub conditione in casu necessitatis, quando est verè dubia, non autem quando est certum, quod non sit apta.

An oleum sacrum vetus possit misceri cum nouo. Quæst. 337.

S V M M A.

1. *Oleum vetus infirmorum an possit misceri cum nouo, & an in maiori quantitate.*
2. *Quid, si misceretur absque causa.*
3. *Si misceatur vetus oleum infirmorum cum nouo, an comburendum habito alio nouo.*
4. *Quid, si vetus sit in minori quantitate.*
5. *Quid, si sit in æquali, vel maiori quantitate.*

1 Dicendum est. *Oleum infirmorum vetus posse misceri cum nouo, quando creditur non futurum sufficiens de nouo consecratum.* Ita etiam Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 5. num. 75.* Ratio est, quia dato quod adesset præceptum de veteri comburendo, hoc præceptum in tantum obligaret, in quantum supponeret, quod vetus non deberet amplius inseruire, ne forte casus ferret, quod irreuerenter tractaretur: si autem Ecclesia præsupponeret, quod deberet inseruire, non præciperet comburi. Ergo quando ex probabili coniectura habetur, quod nouum non sit futurum sufficiens, & quod vetus debet ex necessitate inseruire, misceri poterit: Imo mixtio fieri poterit etiam, si quantitas veteris sit maior, quàm quantitas noui, quia cum vtrumque sit benedictum, siue sacrum trahat ad sui identitatem non sacrum, siue è contra semper conseruatur consecratio.

2. Dubitari tamen potest, an peccaret mortaliter, qui vetus oleum sacrum cum nouo misceret absque illa probabili opinione de insufficientia noui, sed solum ex mera voluntate.

Et

Et quidem qui agnoſcunt præceptum ſub mortali de veteri oleo cōburendo, quos ſupra *quæſt.* 32. *num.* 1. & *quæſt.* 33. *num. item* 2. citaui agnoſcent etiam peccatum mortale in mixtione veteris cum nouo. Qui verò negant præceptum de comburendo, quos retuli eadem *quæſt.* 32. *num.* 4. & *eadem quæſt.* 33. *num.* 3. negabunt, eſſe peccatum mortale vetus cum nouo miſcere. Quod mihi videtur probabilius. Neque enim committitur peccatum, quia non comburatur, cum non adſit obligatio ſub mortali de comburendo. Neque quia miſceatur cum nouo, nam hæc mixtio eſt contra ſolum ſimplicem ritum Eccleſiæ, ſeu potius conſuetudinem, quæ non obligat ſub mortali, præſertim quia mixtio non impedit innouationem, nam adhuc verum eſt, quod illud oleum ſit innouatum: ſic etiam dicitur innouata domus, cui de nouo aliqua adduntur, & omne id innouatum cenſetur, cui aliquid de nouo additur iuxta doctrinam Gloſ. in *Clemen.* 2. *in fine.* ver. *Sanctum, de vita, & honeſt. cler.* Socin. ſen. *conſil.* 24. *colum.* 4. *lib.* 1. Curtiis ſen. *conſil.* 43 *in fine*, & aliorum.

3 Rurſus dubitatur, an ſi cum vetus oleum mixtum fuit nouo ex eo, quod nouum non crederetur ſufficiens futurum, habeatur poſtea nouum ſufficiens, ſit illud mixtum comburendum. Tres caſus diſtinguit Dicaſtil. *de ſacram. tract.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 5. *num.* 77. primum quando maior pars mixti eſt de veteri: Secundum quando nouum & vetus fuerunt æqualis quantitatis. Tertium, quando maior pars mixti fuit de nouo, & reſoluit quocunque ex his modis ſe habeat mixtio, ſemper eſſe comburendum ratione veteris admixti.

4 Quod tamen probari mihi non poteſt, quando minor pars mixti fuit de oleo veteri. Quia quando minor pars de oleo non ſacro miſcetur ſacro, trahitur ad identitatē ſacri, & fit ſacra, & totum illud mixtum reputatur idem oleum præcedens. Ergo etiam quando minor pars veteris miſcetur cum nouo, trahetur ad identitatem noui, & fiet totum nouum, & ideo non erit comburendum, quia in tantum eſſet comburendum, in quantum eſſet vetus.

5 Si verò mixtio ſit facta cœteris modis, adhuc probabile exiſtimo, quod non ſit comburendum, quia licet quantitas veteris ſit æqualis, aut etiam maior, adhuc tamen ſe habet vt acceſſoria, quia miſcetur cum nouo ad augendum nouum, atque adeo ipſi accreſcit, & accedit, & ideo tanquam acceſſoria debet ſequi naturam ſui principalis, & non comburi. Non poteſt autem dici idem de oleo non benedicto mixto benedicto in æquali, vel maiori quantitate, nam vt fiat ſacrum, non ſufficit, quod ſe habeat vt acceſſorium, ſed etiam debet poſſe trahi ad identitatem ſacri, & ideo debet eſſe in minori quantitate.

An Epiſcopus eam quantitatem olei conſecrare teneatur, quæ pro toto anno ſufficiat. Quæſt. 338.

S V M M A.

1. *Epiſcopus tenetur conſecrare eam quantitatem olei, quæ pro toto anno ſufficiat.*
2. *Oleum infirmorum quomodo reparari poteſt, & reparatum eſt certa materia.*
3. *Epiſcopus tenetur prouidere de oleo infirmorum.*
4. *Epiſcopi tenentur conſecrare oleum infirmorum pro diœceſibus carentibus Epiſcopo.*
5. *Epiſcopi tenentur exhibere oleum infirmorum regularibus.*
6. *Epiſcopi an pro expenſis olei conſecrati poſſint aliquid accipere.*
7. *Quid, ſi Epiſcopi non poſſint reperire totam quantitatem olei conſecrandi.*

1 Dicendum eſt, *Teneri Epiſcopum ſub mortali totam illam quanti-*

quantitatem olei consecrare, quæ sufficiat pro toto anno pro sua Dioecesi. Ita etiam Quintanaducn. *de sacram. tract. 5. de extrema vnct. sing. 2. numer. 2.* Qui hoc ex eo probat, quia tenetur sub mortali Episcopus prouidere de materia certa, nam obligatio applicandi materiam certam afficit omnes, qui concurrunt ad ministranda sacramenta. Si autem Episcopus non benediceret eam quantitatem, quæ sufficeret pro toto anno, esset causa, quod aliquando in hoc sacramento adhiberetur materia incerta; nam cogerentur Parochi miscere oleum non sacrum cum sacro, & reddere materiam incertam.

2 Verum hæc ratio non conuincit, quia Rituale Romanum docet *in rubr. de extrem. vnct.* ver. *Habeat igitur*. Quod oleū sacrum reparari potest admixto non sacro in minori quantitate. Per hoc autem sufficienter declaratur, quod sit materia certa: nam Pontifex illam habet pro tali. Et est eadem ratio, si secunda vice alio oleo non sacro in minori quantitate repararetur; nam adhuc ob eamdem rationem sacrum conuertet in se non sacrum, vt constat ex supradictis.

3 Ratio ergo est. Quia Episcopus ratione proprii muneris, atque adeo ex iustitia tenetur prouidere de oleo infirmorum parochis omnibus sibi subiectis, & quibuscunque, qui ab eo debent illud accipere, & si non prouideret, faceret in re graui contra proprium munus, atque adeo mortaliter peccaret. Cum autem Ecclesia præscripserit tempus, in quo Episcopus hoc munus implere debeat, consecrando oleum, & distribuendo, tenetur tunc prouidere sufficienter de oleo infirmorum, quia tunc tenetur adæquatè implere suam obligationem. Confir. Siquis teneatur soluere certam summam, & habeat præfixum tempus solutionis, si non soluat totum, quod debet, non implet totam suam obligationem. Ergo cum Episcopus teneatur prouidere de oleo infirmorum, & habeat tempus præfixum, in quo debet prouidere, nisi sufficienter prouideat, non satisfaciet propriæ obligationi.

4 Dicendum 2. *Episcopos teneri, consecrare oleum infirmorum etiam pro illis Diœcesibus, in quibus non est Episcopus, & debent ab ipsis accipere*. Ratio est. Quia quando Ecclesiæ carent Pastore, obligantur habentes curam animarum petere oleum infirmorum ab aliquo ex vicinioribus Episcopis. Ergo Episcopi quoque obligantur consecrare etiam pro ipsis. Prouisio namque huius olei est necessaria, & ideo eo ipso, quod disponitur, quod quis ab alio illud consequatur, disponitur etiam, quod ipse teneatur exhibere, nam frustra esset petitio, si non esset exhibendum, nec prouideretur necessitati Ecclesiæ.

5 Ex his colligitur. Quod Episcopi tenentur exhibere oleum infirmorum Regularibus, qui sunt in eorumdem Dioecesi. Nam cum ad ipsos solos pertineat consecratio, debent prouidere omnibus, qui indigent intra terminos propriæ dioecesis, vel alterius, cui teneantur prouidere. Et ideo Clemen. VIII. in sua Constit. *Exponi nobis* edita anno. 1599. quæ est 57. *tom. 3. Bullar.* præcipit ad fauorem Carmelitarum Archiepiscopis, & Episcopis, vt dictis Fratribus petentibus promptè, & liberaliter exhiberi faciant oleum infirmorum. Et cum ratio finalis huius constitutionis habeat locum quòad omnes Regulares, habet etiam locum constitutio.

6 Sed dubium est. An cum Episcopi magnam quantitatem olei sacri debeant distribuere, possint aliquid accipere pro compensatione expensarum in comparando oleo consecrando, præsertim in ijs regionibus, in quibus oleum ob penuriam, vel quia aliunde importatur, magni stat. Resp. Non posse aliquid accipere siue à suis subditis, quibus ex officio tenetur prouidere, siue etiam ab exteris, quibus ex accidenti incumbit illud exhibere; nam in Concil. Generali Lateranensi.

sub. Alexan. 3. cap. 10. par. 2. statuitur, quod nihil percipiatur. ibi, *Pro sepultura quidem, & chrismatis, & olei perceptione nulla alicuius pretii exactio intendatur*,

7 Colligitur 2. Quod si Episcopi in locis, vbi difficile oleum reperitur, non possint eam totam quantitatem comparare, quæ esset consecranda, poterunt consecrare illud, quod habent, & æquis portionibus omnibus, quibus tenentur, distribuere, monendo, ne vetus comburant, sed conseruent in omnem euentum; siquidem in tali casu vrget necessitas conseruandi. Quod si postea comparare possint aliud oleum, poterunt in supplementum prioris illud benedicere; & rursus distribuere. Quia dato etiam, quod prohiberetur benedictio extra feriam V. in coena Domini, non tamen censeretur prohibita in casu necessitatis: cum enim concurrant, & prohibitio non consecrandi oleum extra dictum diem, & necessitas olei pro ministrando sacramento, debet hæc præualere, quia plus interest, quod prouideatur fidelibus de sacramento, quam quod seruetur Ecclesiæ præceptum.

An oleum consecratum ab Episcopo hæretico, schismatico, vel nominatim denuntiato sit apta materia extremæ vnctionis.

Quæst. 339.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua, & probatur num. 2.*
3 *An sacerdos vtens tali oleo peccaret.*
4 *Obiectio resoluitur.*

1 Dicendum est. Oleum consecratum ab Episcopo hæretico, excommunicato nominatim, aut schismatico esse aptam materiam pro extrema vnctione, vt pote valide consecratum, licet non licitè, & Desumitur ex capit. *Dictum est.* & cap. *Quod quidam.* & cap. *Per Esaiam. 1. quæst. 1.*

2 Ratio autem est. Quia consecratio olei infirmorum est actus ordinis. Sicut ergo ordo est indelebilis ratione characteris, ita etiam potestas ordinis. Cum ergo hæretici, schismatici, & nominatim excommunicati retineant potestatem ordinis, validè operantur actus ordinis, vt docent communiter in materia de sacramentis.

3 Sed dubium remanet, an sacerdos vtens oleo benedicto ab huiusmodi Episcopis, peccaret. Et quidem si vteretur vrgente necessitate, excusaretur à peccato, quia tunc adest rationabilis causa vtendi. Imo etiam si non vrgeret necessitas, posset vti absque peccato, quia cessat ratio, ob quam potest committi peccatum. Ideo enim peccatur recipiendo sacramenta ab his personis, quia cooperatur ipsorum peccato. In tali autem casu nulla interuenit cooperatio, quia tunc non consecratur oleum, sed est iam consecratum, & est materia apta, quantum est de se. Confir. Si sacerdos hæreticus, aut nominatim denunciatus consecraret Eucharistiam etiam distribuendam coeteris, & illam relinqueret conseruandam, posset alter sacerdos illa vti distribuendo populis absque peccato, quia per hoc, quod distribueret non communicaret in peccato consecrantis. Ergo idem dicendum est etiam de oleo infirmorum.

4 Dices. Vti oleo à dictis Episcopis consecrato esse approbare eorumdem consecrationem. Contra. Nam aliud est approbare talem consecrationem vt validam, & aliud vt licitam, per id quod adhibeatur oleum, approbatur solum vt valida, vt res vera valida est; sic etiam Ecclesia approbat vt validas ordinationes, & sacramenta coetera ab his collata. Non autem approbatur vt licita, quia non fit aliquid, ex quo col-

colligatur, quod vtens tali oleo consentiat in consecrationem vt actionem, sed tantum quod consentiat in effectum consecrationis.

An sacerdos latinus validè ministraret extremam vnctionem cum oleo consecrato à sacerdote Græco. Quæst. 340.

S V M M A.

1 *Sacerdotes Græci benedicunt oleum quando debent ministrare extremam vnctionem.*
2 *Sententia affirmatiua.*
3 *Obiectio soluta.*
4 *An si non suppeteret aliud oleum adhiberi possit consecratum à simplici Sacerdote Græco.*

1 VT dictum est in superioribus, Sacerdotes Græci ministraturi extremam vnctionem benedicunt oleum, qui ritus est approbatus à Clemen. VIII. in institutione pro Græcis, vt dictum est supra *quæst.... num.* 5. & proinde valide benedicunt. Casus autem contingere potest in partibus orientalibus quòad missionarios, vbi seruatur ritus Græcorum. Certum est autem, quod vtens huiusmodi oleo peccaret mortaliter, nam in re graui faceret contra ritum Ecclesiæ latinæ. Imo neque in hoc seruaret ritum Græcorum, quia apud ipsos minister extremæ vnctionis non vtitur oleo ab alio consecrato, sed ipse ipsum consecrat.

2 Dicendum est. Si sacerdos latinus vteretur oleo consecrato à sacerdote simplici Græco, teneret sacramentum extremæ vnctionis. Ratio est, Quia materia, quæ semel est sufficiens, & apta pro aliquo sacramento, est semper talis à quocunque adhibeatur, nam habet hoc ex institutione Christi, & ideo non potest variari, ita vt sit materia respectu vnius ministri, & non respectu alterius. Oleum autem benedictum à simplice sacerdote Græco est materia suffi iens quòad ipsum, & ideo erit etiam talis quòad sacerdotem latinum.

3 Dices. Sacerdotem Græcum benedicere oleum ex commissione tacita saltem Pontifi. is: hanc autem commissionem esse tantum quòad illam administrationem præsentem, non autem quòad aliàs. Contra. Quamuis commissio sit quòad illam vnam administrationem, adhuc tamen oleum, quod superest, est consecratum, & factum apta materia sacramenti, non secus ac si esset consecratum ab Episcopo, quamuis ex ritu Ecclesiæ græcæ non sit adhibenda pro alia administratione. Ergo hoc non obstat, quominus sit vera materia sacramenti; & proinde validè possit adhiberi, licet non licitè, neque enim comissio coarctata tollit, quin efficiatur apta materia. Sic si Episcopus ex commissione ordinaret aliquem non subditum, & simul etiam aliquem alium, de quo non haberet commissionem, validè ordinaret, imo est maior ratio in oleo infirmorum, quia tota illa materia est consecrata pro illa vnica extrema vnctione, atque adeo validè iuxta etiam commissionem, & per accidens superest.

4 An autem si non suppeteret aliud oleum adhiberi posset consecratum à simplici sacerdote Græco. Negatiuè videtur respondendum. Quia sicut non licet consecrare in fermentato ob ministrandum viaticum, nam publicus ritus debet præualere vtilitati priuatæ, ita nec etiam vti oleo consecrato à simplici sacerdote. Quod neque esset licitum existenti in Ecclesia græca, nam in hac non seruaretur ritus Latinorum, nec etiam Græcorum, si quidem ipse minister extremæ vnctionis benedicit oleum.

An sacerdos latinus existens apud Græcos ministraturus extremam unctionem possit benedicere oleum. *Quæst.* 341.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Obiectio enodatur.*
3 *Sacerdos latinus habens facultatem à S. Pontif. ministrandi Sacramenta morans apud Græcos potest benedicere oleum pro extrema unctione.*

1 Dicendum est Sacerdotem Latinum apud Græcos ministraturum extremam vnctionem posse seruare ritum Græcorum, & benedicere oleum. Ita sentire debent ii, qui volunt Latinum apud Græcos conficere posse in fermentato, & è contra. Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 11. Nugn. 3. *par. quæst.* 74. *art.* 4. *conclus.* 7. Suarez *de Eucharis. disp.* 24. *sect.* 4. Coninch. *De sacram. quæst.* 74. *art.* 4. *dub.* 3. *num.* 95. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 28. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 10. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 21 *disp. vn. pun.* 4. *num.* 4. & communiter, & Ego dixi *in theol. moral. disp.* 91. *sect.* 3. *numer.* 22. Ratio autem est. Quia quisque potest se accommodare consuetudini loci, per quem transit. Cap. *Ille dist.* 11. & ideo potest sequi ritum Ecclesiæ, apud quam moratur.

2 Dices. Esse diuersam rationem de consecratione in fermentato, nam cum de se sit materia sufficiens, potest, vbi est consuetudo, ab vnoquoque adhiberi, at non potest simplex sacerdos consecrare oleum infirmorum, nisi ex commissione Pontificis, quam non habent sacerdotes Latini, sicut habent Græci. Contra. In Ecclesia Græca omnes sacerdotes possent consecrare oleum infirmorum non solum præsentes, sed etiam futuri, & proinde non est facta singularibus personis, sed ipsi Ecclesiæ Græcæ pro suis sacerdotibus: atque adeo ratione generalis huius commissionis tenet consuetudo vniuersalis. Ergo commissio est facta etiam pro Sacerdotibus Latinis morantibus apud Græcos, nam est facta secundum mensuram consuetudinis, quia commissio, & consuetudo sibi inuicem correspondent; & ideo qui potest sequi consuetudinem, potest participare etiam in commissione.

3 Ex his colligitur. Quod Sacerdos Latinus morans apud Græcos, & habens facultatem ministrandi sacramenta à Pontifice, quales sunt Missionarii, aut ministrans extremam vnctionem ex commissione, poterit oleum benedicere etiam sequendo in ministratione ritum latinum, & vtendo benedictione, qua vtuntur latini, quia commissio facta Ecclesiæ Græcæ pro Sacerdotibus de benedicendo oleo nō coarctat ad vsum huius, vel illius benedictionis, & cum ritus sint diuisibiles, poterit complecti vnam partem, & non aliam.

De materia proxima sacramenti extremæ vnctionis.

Quæ nam sit materia proxima sacramenti extremæ vnctionis. *Quæst.* 342.

S V M M A.

1 *Oleum consecratum non est sacramentum extrema vnctionis.*

Vn-

2 Vnctio materia proxima extremæ vnctionis.
3 Vnde id colligatur.
4 Concilium Tridentinum explicat materiam extremæ vnctionis.
5 Vnctio communicat in significatione signi sensibilis.
6 Vnctio quomodo assignetur à Concilio Florentino pro materia extremæ vnctionis.
7 Vnctio cur non sit tantum conditio.

1 ALiqui veteres, quorum mentionem faciunt Doctores in 4. dist. 23. non agnoscebant aliquam materiam proximam huius sacramenti, sed volebant ipsum oleum sacrum esse sacramentum: vnctionem verò esse vsum sacramenti. Verum loquuti sunt contra sensum omnium Doctorum, & Ecclesiæ, siquidem non agnoscunt aliud sacramentum, quod habeat esse permanens præter Eucharistiam: coetera verò consistunt in actione. Deinde si oleum consecratum esset sacramentum, ipsa consecratio esset forma, sicut consecratio est forma in confectione Eucharistiæ, non autem essent illa verba. *Per istam sanctam &c.* in quibus tamen consistere formam docet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extr. vnct.*

2 Dicendum est. *Materiam proximam huius sacramenti esse ipsam vnctionem.* Ita communiter Doctores. D. Th. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 3. D. Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 5. Palud. *quæstion.* 3. *Scot. quæst.* 1. Sotus. *quæst.* 2. *art.* 3. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 2. *numer.* 2. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 5. Chellison. 3. *par. quæst.* 29. *supplem. art.* 6. *dicto* 3. Mercer. *ibid.* Siluius *art.* 4. Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 3. *numer.* 22. Putean. *dub.* 2. *conclus.* 2. Marrat. *tom.* 3. *sum. tract. de extr. vnct. disput* 3. Conich. *tom.* 2. *de sacram. disp.* 19. *dub.* 2. *numer.* 7. Isambert. 3. *part. disp.* 2. *de extr. vnct. artic.* 4. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. un. pun.* 3. *num.* 1. Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extr. unct. difficul.* 5. Cispens. *tom.* 2. *Curs. theol. tract.* 37. *disput* 4. *sect.* 1. *conclus.* 3. Ochagauia. *De sacram. quæst.* 3. *de extr. un. conclus.* 3. Granad. 3. *par. contr.* 8. *tract. un. de extr. unct disp.* 2. *num.* 4. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 1. *numer.* 13. Dicastil. *tract.* 7. *de sacram. disp.* 1. *dub.* 3. *numer.* 39. Et est certum, sicuti est certum, quod tunc conficiatur sacramentum; quando vngitur infirmus, siquidem forma sacramenti profertur non supra oleum, sed supra vnctionem.

3 Desumitur autem ex Epist. D. Iacobi, nam declarans materiam huius sacramenti, inquit, *Vngentes eum oleo*, cum igitur mentionem faciat vnctionis, oportet, quod ipsa vnctio ingrediatur rationem materiæ, atque adeo sit materia proxima. Sicut enim quia Christus dixit, *Baptizantes eos &c.* hoc est abluentes, infertur, quod aqua sit materia remota baptismi, & ablutio proxima, ita etiam in hoc sacramento, cum Iacob. dicat, *Vngentes eum oleo*, debet inferri, quod vnctio sit materia proxima.

4 Hoc ipsum etiam docet Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 1. *de extr. vnct.* vbi ita habet. *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam vnctio aptissimè spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Vnde cum colligat, Ecclesiam agnouisse oleum pro materia, quia vnctio significat interiorem gratiam, quæ confertur per sacramentum, fit quod ipsa vnctio sit proxima materia, cum sit applicatio illius, quod est materia, ita vt faciat esse materiam in actu exercito.

5 Ratio autem est. Quia totum id pertinet ad sacramentum, vel vt materia, vel vt forma, quod significat effectum sacramenti, siquidem sacramentum est signum sensibile rei sacræ. Vnctio autem communicat in significatione huius sacramenti, siquidem significat interiorem vnctionem per gra-

gratiam, vt habet Concil. Trident. *cit.* Cum ergo non possit pertinere ad formam, pertinebit ad materiam; & cum sit id, quo oleum sit materia in actu exercito, erit materia proxima.

6 Dices. Concilium Florentinum *in decreto pro Armenis*. §. *Quintum sacramentum*. assignans materiã extremæ vnctionis, solum habet, *Cuius materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum*; non autem assignat aliam materiam proximam. Ergo vnctio non est materia proxima. Resp. Non assignare seorsim, & expressè materiam proximam, quia hoc non erat necessarium pro instructione Armenorum. Sed sufficienter illam ponit, quia cum assignet oleum pro materia non quomodocunque, sed in ordine ad vnctionem, nam recenset partes, quæ sunt vngendæ, assignat etiam implicitè ipsam vnctionem. Præsertim quia assignat etiam formam, quæ consistit in illis verbis, *Per istam sanctum vnctionem &c.* cum enim forma significet actionem ministri, & cadat supra ipsam materiam, eo ipso, quod in forma exprimitur vnctio, declaratur etiam, quod ipsa vnctio sit materia.

7 Dices 2. Vnctio est applicatio olei, quod est materia. Ergo erit tantum conditio, non autem materia, sicut applicatio ignis ad comburendum est solum conditio, non autem causa combustiua. Resp. neg. conseq. Quia applicatio ignis dicit tantum approximationem localem, non autem dicit aliquam virtutem combustiuam, & ideo est mera conditio. At applicatio olei sacri non est sola approximatio, sed dicit virtutem sacramentalem, nempe significationem, siquidem, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extrem. vnc.* significat interiorem vnctionem per gratiam, & ideo continet etiam ipsa in virtute significatiua effectum sacramenti, & consequenter pertinet ad esse sacramenti, seu ad materiam.

Quanta debeat esse vnctio pro sacramento extremæ vnctionis. Quæst. 343.

S V M M A.

1 *Vnctio pro materia extremæ vnctionis quanta debeat esse, & num. seq.*
2 *Vnica gutta olei sufficit pro materia extremæ vnctionis.*
3 *Vnctio quatenus debeat saluari in sacramento extremæ vnctionis.*
4 *Pro sacramento extremæ vnctionis, an sufficiat, quod gutta tangat subiectum.*
4 *Vngi quid importet.*
5 *Contactus olei saluat vnctionem.*
6 *Ablutio, & vnctio quomodo differant.*
7 *Vnctio non requirit fluxum olei.*

1 Prima sententia asserit, sufficere quidem quamlibet minimam vnctionem, non tamen sufficere, quod vnica gutta olei tangat, seu stilletur, sed debere aliquam partem corporis oleo linire. Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *sect.* 2. *num.* 4. Præposit. 3. *par. quæst. vn. de extrema vnct. dub.* 3. *num.* 23. Marchin. *de peste par.* 3. *cap.* 6. *n.* 14. Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 58. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 2. *n.* 4. Fundamentum huius sententiæ est. Quia stillare vnam guttam olei non est vngere, aut saltem est quid dubium: requiritur autem illa materia, quæ in communi æstimatione sit vnctio.

2 Secunda sententia asserit sufficere, quod vnica gutta olei instilletur, seu si tangat. Ita Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 1. *num.* 16. ver. *Addit Suarez.* Diana 3. *par. trac.* 4. *resol.* 177. Dicastil. *de sacrament. tract.*

tract. 7. *disp.* 1. *num.* 44. Et ita sentire debent ii omnes; qui volunt, sufficere guttulam aquæ pro baptismo, vt Henriquez *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 4. Vasquez 3. *par. disp.* 45. *cap.* 4. *numer.* 32. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 7. *ar.* 8. *dub.* 1. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 2. *de baptis. sect.* 4. ver. *Quoad posteriorem.* Ochagauia *de sacram. tract. de baptis. quæstion.* 4. *num.* 8. Citans Panorm. & Innocent. *in cap. debitum. de baptismo.* Fernandez *par.* 3. *exam. theol. moral. cap.* 2. *de Baptis.* §. 3. *num.* 6. quos sequutus sum *in decis. moralib. decis.* 73. *num.* 4.

3 Dicendum 1. *Vnicam guttam olei sufficere pro oblinitione, atque adeo esse materiam sufficientem pro extrema vnctione.* Prob. Vnica gutta sufficit non solum ad contactum subiecti inungendi, sed etiam, vt possit super ipsum extendi. Ergo sufficit ad saluandam vnctionem non solum simpliciter, sed etiam prout regulariter fieri solet, siquidem in ratione vnctionis nihil amplius potest intelligi, quàm quod materia, qua fit, extendatur supra subiectum, quod vngitur. Quod autem vnica gutta sufficiat ad talem extensionem experientia patet, & præsertim in oleo, quod est valde diffusiuum sui ipsius: vnde etiam parua guttula latè diffundi potest. Confir. Hæc vnctio non debet operari materiali modo, ita vt sit necessaria certa quantitas olei, vt vires habere possit, sed tantum debet operari spirituali modo, vt signum practicum. Ergo sufficit, quod saluetur vnctio, quatenus possit esse signum sensibile interioris vnctionis, vt autem saluetur hæc ratio signi, sufficit quæcunque minima quantitas.

4 Dicendum 2. *Pro materia extrema vnctionis sufficit, si guttula olei tangat subiectum, etiam si opera ministri non extendatur.* Dixi, etiam si opera ministri non extendatur, quia, cum oleum sit valde penetratiuum, & sui diffusiuum, ex se extenditur ad partes subiecti propinquas, vt experientia constat. Prob. Eo ipso, quod oleũ per contactum applicatur subiecto, dicitur vngi vnctione in fieri. Ergo talis contactus sufficit pro materia extremæ vnctionis, si quidem nulla alia vnctio requiritur, nisi illa, qua subiectum dicatur vnctum & quæ tanquam signum sensibile in ratione vnctionis proueniat à ministro, & ideo, si sufficiat, vt subiectum dicatur vnctum, sufficiet etiam pro materia sacramenti. Anteced. prob. Subiectum dicitur vnctum in facto esse secundum omnes illas partes, in quibus oleum per contactum reperitur, ita vt ratione talis contactus dicatur vnctum, si quidem esse vnctum non est aliud, quàm esse affectum oleo. Ergo in fieri dicetur vngi per id, quod oleum applicetur ad contactum, absque eo, quod extendatur, siquidem per solum contactum subiectum afficitur oleo, & fit subiectum ipsius.

5 Confir. Si Deus, aut Angelus poneret oleum in toto aliquo subiecto; ita tamen, vt poneret singulas partes olei in singulis partibus subiecti absque vlla extensione per solam immediatam infusionem, totum illud subiectum remaneret vnctum, etiam secundum communem æstimationem, & modum loquendi. Ergo illa actio esset vnctio, quia qualis est terminus in facto esse, talis est actio in fieri. Ergo non requiritur extensio, sed sufficit cõtactus ad saluandam actionem vnctionis.

6 Confir. 2. Ablutio, & vnctio inter se differunt, quia ablutio ex natura sua ordinatur ad detergendum, quod non potest fieri absque eo, quod aqua fluat, quia fluens, & defluens abstergit; vnctio vero non ordinatur ad abstergendum, sed ad fouendum. Ergo vnctio non requirit id, per quod ablutio habet, quod abstergat, atque adeo nec etiam, quod fluat, cum ratione fluxus ablutio abstergat. Immò vnctio fouet, eo ipso, quod oleum applicetur per contactum.

7 Ad fundamentum oppositæ sent. negandum est, quod stillare vnicam

cam guttam non sit vngere, quia fluxus, & extensio olei in subiecto vncto est accidentalis vnctioni, nec pertinet ad eius conceptum, sed tantum est necessaria, vt oleum applicetur pluribus partibus. Et sicuti post fluxum, seu extensionem omnes illæ partes subiecti, quibus applicatum est oleum, dicuntur vnctæ in facto esse, non quia per fluxum aut extensionem, sit applicatum, quia hoc pertinet ad modum applicandi, sed quia subiiciuntur oleo, ita etiam actio erit vnctio in fieri per id tantum, quod sit applicatiua olei, nam quod applicet per fluxum, vel extensionem pertinet ad modum. Sic etiam corpus dicitur esse in loco, siue per motum localem ibi ponatur, siue sine motu, vt si in tali loco crearetur.

An vnctio facienda sit in modum crucis. Quæst. 344.

SVMMA.

1 *Vnctio in modum crucis non est necessaria necessitate sacramenti.*
2 *An necessaria ex præcepto, & numero sequen.*
4 *Consuetudo, quod vnctio fiat in modum crucis, an obliget.*
5 *An præcipiatur in modum crucis à Rituali.*
6 *Quando ritus in ministratione sacramenti non obliget sub mortali.*
7 *Signum crucis, ex consuetudine adhibetur in sacris functionibus.*
8 *Omittere signum crucis in extrema vnctione, an aliquando licitum.*

1 Conueniunt communiter, quod non sit de necessitate sacramenti, quod in extrema vnctione fiat vnctio in modum crucis. Tum quia ex Epist. Iacobi Apostoli habetur solum, *Vngentes eum oleo*, non autem explicat, quod vnctio sit in modum crucis. Tum quia Concil. Floren. *in Decreto pro Armenis. §. Quintum sacramentum.* & Trident. *sess. 14. cap. 1. de extr. vnct.* dum declarant materiam huius sacramenti, dicunt solum, esse vnctionem, nec requirunt, quod sit in modum crucis. Tum quia neque ratione formæ, neque ratione significationis sacramenti requiritur, quod fiat in modum crucis, siquidem signum crucis nullo modo innuitur à forma, neque effectus sacramenti exigit in materia, seu vnctione formam crucis ad ipsum significandum, vt per se patet. Vnde solum difficultas est, an sit necessaria in modum crucis ratione præcepti obligantis ad mortale.

2 Prima sententia asserit, esse necessariam ratione præcepti obligantis ad mortale. Ita Ledesma *par. 1. sum. tract. de extr. vnct. cap. 2. diffcul. 2. post 2. conclus.* ver. *Digolo primero in fin.* Syluester. *verbo,* Vnctio. *numer. 2.* Nugn. *3. par. quæst. 29. supplem. ar. 6.* ver. *Secundo dico.* Caspensis *par. 2. curs. theol. tract. 27. disp. 4. sect. 1. num. 4.* Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. quæstion. vn. de extr. vnct. ar. 2. dub. 1. difficul. 2. conclus.* 1. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex cap. *Nunquid. de consecrat. dist. 5.* vbi ita habet Stephanus Papa V. *Numquid non omnia chrismata sacerdotalis mysterii crucis figura perficiuntur? Numquid baptismatis vnda, nisi cruce sanctificata, peccata relaxantur.* Ergo vnctio necessariò est facienda in formam crucis.

3 Secunda sententia asserit, non adesse obligationem sub mortali vngendi in formam crucis. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 2. numer. 3.* Ledesma. *2. par. 4. quæst. 31. artic. 8.* ver. *Sed hæsitabis.* Zambran. *in decis. capit. 5. de extr. vnct. num. 12.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 8. capit. 3. in fine.* Coninch. *de sacram. tom. 2. disp. 19. dub. 2. in fine*, Bonac. *disp. 7. de* sa-

sacram. quæst. vn. pun. 2. num. 9. ver. Dixi. Filliuc. tract. 3. cap. 4. quæst. 8. numer. 75. Palaus par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 3. num. 2. Gaspar. Hurtad. de sacram. tract. de extr. unct. difficul. 5. ver. Circa qualitatem. Isambert. 3. par. disp. 2. de extr. unct. ar. 4. ver. Tertiò. Chellison. quæstion. 29. supplem. ar. 6. ver. Notandum non esse. Præposit. quæst. vn. de extr. unct. dub. 3. num. 22. ver. Notandum 2. Mærat. tom. 3. sum. disp. 3. de extr. unct. ver. Nec dicas. Baunius par. 1. theol. moral. tract. vlt. de extr. unct. quæst. 3. in fine. Tannerus tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 15. Ochagauia de sacram. tract. de extr. unct. quæst. 3. nu. 5. Tribarnes in 4. dist. 23. quæstion. un. disp. 22. sect. 2. ver. Tertio dico. Posseuin. de offic. curati. cap. 9. num. 5. Martin. à S. Ioseph. tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extr. unct. num. 12. Dicastil. de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 3. num. 39. Lezana uerbo. Extrema vnctio. num. 7.

4 Dicendum est. *Neque necessitate præcepti obligantis sub mortali unctio facienda est in modum crucis.* Ratio autem est. Quia quod vnctio in extrema vnctione fiat in modum crucis, prouenit ex generali consuetudine, quod actiones sacræ exerceantur cum signo crucis: vnde quando sacerdos ministrat Eucharistiam, facit signum crucis cum ipsa Eucharistia, quando quis se aspergit aqua benedicta, signat se crucis signo, quando quis benedicit, facit signum crucis. Hæc autem consuetudo est tantum consuetudo decentiæ, non autem obligationis. Si enim obligaret præsertim sub mortali, semper obligaret; constat autem, quod non obligat, vt in allatis exemplis; nec est maior ratio de vno casu, quàm de alio.

5 Dices. Rituale Romanum *in Rubrica de extrema unctione*, iniungere, quod vnctio fiat in modum crucis, & ideo si omitteretur non seruaretur rubrica in re graui. Resp. Rituale Romanum non præcipere, quod vnctio fit in modum crucis, sed tantum dirigere ad ministrandam extremam vnctionem iuxta consuetudinem, & proinde non vtitur verbis præceptiuis, sed solum habet, *Intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum.*

6 Instabis. Omittere formam crucis in extrema vnctione est facere contra ritum Ecclesiæ in re graui, siquidem est ritus ordinatus ab Ecclesia in ministratione sacramenti. Ergo erit peccatum mortale. Resp. Esse facere contra ritum Ecclesiæ non ex præcepto impositum, sed ex decentia introductum. Omittere autem ritus ex decentia introductos in ministratione sacramentorum non est peccatum mortale, sic siquis ministraret Eucharistiam absque signo crucis, non peccaret mortaliter.

7 Ad Fundamentum oppositę sententia resp. In illo textu Pontificem nihil statuere, sed solũ recitatiuè afferre consuetudinem adhibendi signum crucis, quod notat etiam Glosa *uerbo, Nisi cruce.* vbi habet, *Refert factum, quia sic fit.* Et ideo ex hoc textu non potest colligi præceptum, sed tantum consuetudo decentiæ.

8 Ex his colligitur, quod omittere signum crucis in ministranda extrema vnctione ex aliqua rationabili causa, neque esset peccatum veniale, vt si celeritate opus esset ob periculum, ne interim infirmus expiraret, aut si opus esset, quod sacerdos se expediret celeriter ob ministrandum aliquod sacramentum alteri infirmo, & periculum esset in mora, aut ex aliqua alia simili causa; tunc enim omissio vestiretur illa causa, & ratione ipsius fieret conformis regulis rectæ rationis, & euaderet decens, cum prius esset indecens. Vnde poterit sacerdos tuta conscientia signum crucis in vnctione omittere, quando occurrit casus, quod celeritate opus sit,

Quot partes vngenda in sacramento extrema vnctionis.
Quæst. 345.

S V M M A.

1 *Partes vngendæ in extrema vnctione.*
2 *Vnctio renum, & pedum an necessaria.*
3 *Vnctio renum, & pedum non habet specialem significationem sacramentalem,*
4 *Vnctio renum an conuenientius omittatur,*
5 *Consuetudo est diuersa quoad partes vngendas in extrema vnctione.*
6 *Renum vnctio, & pedum ex rationabili causa omitti potest.*
7 *Omittere sine causa, an peccatum mortale.*
8 *In foeminis an umbilicus vngendus loco renum.*
9 *Minister si vellet vngere mulieres in renibus, vbi non est in vsu, peccaret mortaliter,*
10 *Vnctio renum, & pedum an omitti possit, si infirmus ægreferat vngi.*
11 *Vnctio renum an omitti possit in religiosis.*

1 SEptem partes corporis esse vngendas, tradit Eugenius IV. *in Concilio Florent. in Decreto pro Armenis*, nempe Oculos, Aures, Nares, Os, Manus, Pedes, & Renes, ita enim habet. *Qui* (infirmus) *in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*, Difficultas autem, est, àn omnes istæ vnctiones sint necessariæ pro sacramento.

2 Dicendum est. *Duas posteriores unctiones, nempe renum, & pedum, non esse necessarias, nedum necessitate sacramenti, sed neque etiam necessitate præcepti uniuersalis, & proinde alicubi adest consuetudo illas omittendi.* Et quod spectat ad vnctionem renum Rituale Romanum *Tit. de extr. unct. in rubr. ver. Quinque verò.* monet, Vnctionem renum esse semper in mulieribus honestatis causa omittendam, & etiam in viris, quando infirmus commodè moueri non potest. Et ita tenent communiter Doctores præsertim infracitandi tàm in hac, quàm in sequentib. quæst. Contra Palar. *in 4. dist. 23. disp. 3. §. Ego verò.* qui vult, omnes septem vnctiones esse de substantia.

3 Ratio autem est, Quia vnctiones renum, & pedum cum suis peculiaribus formis non continent aliquam specialem significationem, quæ non contineatur in coeteris; nam delinquere per lumborum delectationem, est delinquere per tactum, siquidem talis delectatio pertinet ad sensum tactus, vnde cum nihil speciale significetur in hac vnctione lumborum, quam remissio delictorum ex delectatione per lumbos, idem significatur, quod significatur in vnctione manuum. Rursus in vnctione pedum totum speciale est significatio remissionis delictorum per gressum. Cum autem per gressum non introducatur aliquod peccatum, ex eo quod non fit sensus aliquis, sed omnia peccata originem habeant a sensibus, quatenus per ipsos incipit cognitio, atque adeo appetitus, nec sint gressus aliquod speciale subiectum peccati, ideo non significatur aliquid, quod non contineatur in significatione aliarum vnctionum. Et ideo non sunt vnctiones necessariæ ad significationem sacramenti.

4 Quare vnctionem renum conuenientius omitti, tradunt Henriquez *lib. 3. sum. cap. 12. numer. 2.* Supplementum Gabr. *dist. 23. quæst. 1. ar. 2.* Sotus *quæst. 2. ar. 3.* Victoria *in sum. num. 23.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 2. pun. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. par. disput. 40. sect. 2. num. 6.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. pun. 1. num. 16.* Auersa *quæst. un. de sacramen. extr. unct. sect. 4. ver. Inter illos*, & alii infra-

præcitandi. Verum seclusa consuetudine non debet omitti quoàd viros, cum præscribatur à Rituali Romano, quod habet vim legis ex Bulla præfixa Pauli V.

5 Notant etiam communiter Doctores quod vnctio renum, & pedum non est in vsu apud aliquas Ecclesias, vt præter citatos D. Th. *quæst.* 32. *supplemen. artic.* 6. *in corpore* Siluius *ibid.* Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 8. qui habet, in quibusdam Ecclesiis vngi caput, pectus, scapulas, & pedes, in aliis pectus, & pedes. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 3. Bellarm. *de extr. vnct. cap.* 10. Sà *verbo*. Extrema vnctio. *numer.* 12. Coninch. *tom.* 2. *de sacramen. disp.* 19. *dub.* 3. *num.* 8. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 5. Bonac. *disput.* 7. *de sacram. quæstion. vn. pun.* 5. *num.* 18. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tr.* 26. *disp. vn. pun.* 3. *nu.* 3. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extrema vnct. nu.* 4. Gaspar Hurtad *de sacrament. tract. de. extr. vnct. difficul.* 6. *init.* Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 14. Bassæus *in florib. theol. verbo.* Extrema vnctio. 1. *num.* 5. Naldus *ibid. num.* 4. Bizozer. *de sacramen. par.* 6. *de extre. vnct. cap. vlt. num.* 2. Quare quoàd has duas vnctiones obseruanda est consuetudo vniuscuiusque Ecclesiæ, siquidem an sint adhibendæ, an verò non adhibendæ, dependet à consuetudine.

6 Difficultas autem est, an sit peccatum omittere has duas posteriores vnctiones. Et quidem difficultas procedit quoàd illas Ecclesias, in quibus sunt in praxi; apud quas, si omitterentur ex rationabili causa, non peccaretur, vt in tempore pestilentiæ, aut si non posset vngi infirmus absque graui incõmodo in illis partibus; aut sacerdos deberet ministrare sacramenta aliis infirmis, aut ex aliqua alia simili causa. Ratio est; quia in Rituali Romano *in rubr. de extr. vn.* ver. *Quinque verò.* colligitur, quod istæ vnctiones prætermitti possunt ex rationabili causa, cum dicat, vnctionem renum in foeminis ob honestatem esse omittendam, & etiam in viris, quando ibi infirmus commode vngi non potest, & est eadem ratio etiam de vnctione pedum, quia hæ duæ vnctiones eodem iure censentur. Si autem semel omitti possunt, poterunt etiam omitti ex quacunque rationabili causa.

7 Si autem merè voluntariè omittantur, mihi videtur probabile, non esse peccatum mortale, & ita tenet etiam Granad. *3. par. controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 7. *num.* 16. *in fine*. Ratio est, quia neque sunt partes essentiales, neque integrales sacramenti, siquidem non minus est integrum sacramentum, quando ministratur foeminis, & non vnguntur renes, quàm quando ministratur viris cum vnctione renum. Rursus neque etiam pertinent ad ritum vniuersalem ministrationis sacramenti, cum apud aliquas Ecclesias non sint in vsu, sed solum ad ritum particularem. Et hoc desumitur etiam ex Rituali Romano *in rubr. de extr. vnct.* ver. *Quinque*. vbi habetur. *Quinque verò corporis partes præcipuè vngi debent*, quibus videtur significare, quod quinque partes quinque sensuum necessariò debent vngi, & ceteras duas vnctiones non videtur requirere tanquam necessarias, sed relinquere arbitrio ministri. Dictio enim *Præcipuè*, significat specialitatem rationis, & maioritatem, vt notat Tiraquel. *de priuil. pia causa. priuil.* 34. *in fine*; & proinde hæc specialitas, & maioritas rationis coarctatur ad quinque vnctiones, & consequẽter aliæ duę non comprehenderentur sub hac ratione, & proinde non erunt necessariæ, sicuti sunt istæ.

8 Ex his colligitur contra Victorel. *de ext. vn.* Tit. *Quæ corpor. par. inungen.* Quod non debeat vngi in foeminis umbilicus loco renum, aut quando infirmus uir non potest commodè vngi in renibus, quia Rituale Romanum *in rubr. de extr. vnct.* præscribit, quod, quando renes vngi non possunt, siue in mulieribus, siue in viris, non sit vngenda alia pars corporis loco ipsarum, ita enim habet. *Sed siue in mulieribus,*

siue in uiris alia corporis pars pro renibus vngi non debet. Per quod significat, hanc vnctionem non esse necessariam, sed posse prætermitti.

9 Colligitur 2. Quod si sacerdos vngere vellet mulierem in renibus, vbi non est in vsu, peccaret mortaliter, quia læderet grauiter mulierem in honestate. Cum enim hæc vnctio prætermittenda sit in mulieribus honestatis gratia, vt habet Rituale Romanum in cit. *rubr. de extr. unct.* dum nollet prætermittere, læderet mulierem in honestate, non secus, ac si dedita opera vellet illam aspicere in illis partibus, imo facilè generaret scandalum, quia id scientes, suspicari possent, quod abuteretur illa vnctione ob aspiciendas renes mulieris.

10 Colligitur 3. Quod siquis ægrè ferret vngi in renibus, aut etiam in pedibus, possent ex hoc solo capite istæ vnctiones prætermitti. Nam est valde rationabile, quod sacramentum non reddatur difficile infirmo, & quod ab illo præcidantur ea, à quibus ipse abhorret, præsertim quia si non omitterentur, posset infirmus recusare extremam vnctionem, cum iuxta communiorem opinionem non sit in præcepto. Deinde est etiam rationabile, quod infirmus non contristetur, dum ita grauiter decumbit, vt sit in statu suscipiendi hoc sacramentum.

11 Colligitur 4. Vnctionem renum prætermitti posse etiam in Religiosis; nam non adhiberi propter honestatem in monachis docent Henriquez *lib. 3. sum. cap. 12. numer. 2.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 1.* Ratio autem est. Quia Rituale Romanum *in rubr. de extrem. vnct.* disponit, vnctionem renum in fœminis ob honestatem esse prætermittendam. Ergo ob honestatem quoque etiam in religiosis erit prætermittenda; nam in ipsis quoque militat ratio honestatis, & vbi militat eadem ratio, ibi debet esse eadem iuris dispositio. Honestas namque exigit, quod religiosi quoque subtrahant ab aspectu partes illas corporis, quas vestimentis tegunt: vnde experientia docet, quod quando aliqui religiosi debent detegere medicis partes aliquas corporis, ægrè ferunt, ita vt non pauci ex hac causa recusent sibi medicamenta adhiberi.

An sensus gemini sint necessario ambo vngendi. Quæst. 346.

S V M M A.

1 *Vtrumque organum sensuum an vngendum.*
2 *Vnctio vnius organi sufficit ad verificandum formam.*
3 *Vrgente necessitate potest vngi sensus in vnico tantum organo.*
4 *Seclusa necessitate an peccatum mortale vngere vnicum organum.*
5 *Consuetudo vngendi vtrumque organum an obliget sub mortali.*
5 *Consuetudo confitendi circumstantias non mutantes speciem non obligat sub mortali ad eas confitendas.*

1 Dicendum est. *Sensus geminos non esse ambos necessariò ungendos necessitate sacramenti; sed sufficere, si unicus oculus ungatur, vnica manus, vnica auris.* Ita communiter Henriquez *lib. 3. summ. cap. 12. num. 1.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tr. 8. cap. 2. numer. 5.* Sà *verbo* Extrema vnctio. *num. 12.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 2. num. 5.* Zambran. *in suis decis. cap. 5. de extr. vnct. num. 9.* Bonac. *disp. 7. de sacramen. quæst. vn. pun. 5. in fine.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 3. num. 9.* Siluius *3. par. quæst. 32. supplem. artic. 6 ver. Sicut autem.* Chellison. *quæstion. 29. ar. 6. dub. 2.* Baunius *par. 1. theol. moral. tract. vlt. de extr. vnct. quæst. 3. ver. Sanè constans.* Io. à Cruce *par. 3. di-*

direct. conscient. dub. 4. *conclus.* 4. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 1. *num.* 7. Galpar. Hurtad. *de sacrament. tract. de extr. vnct. difficul.* 6. ver, *Ita tamen.* Tanner. *par.* 4. *sum disp.* 7. *q.* 1. *dub.* 1. *numer.* 19. Reginal. *lib.* 29. *praxis fori poenit. num.* 53. Nald. *verbo.* Extrema vnctio. *num.* 2. Martin. à S. Iosep. *tom.* 1. *moral. tract.* 3. *num.* 12. Auersa *quæst. vn. de extr. vnct. sect.* 4. ver. *Neque verò.* Basseus *in florib. theol. verbo.* Extrema vnctio. 1. *num.* 6. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 4. *num.* 55. Victorel. *de extr. vnc.* Tit. *An in sing. dupl. vngen.* Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 3. *numer.* 57. Lezana *verbo.* Extrema vnctio. *n.* 7. Ochagiaua *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 6. *num.* 5. Posseuin. *de offic. curati. cap.* 9. *num.* 15. Filliuc. *tr.* 3. *cap.* 4. *numer.* 78. *dicto.* 3. Marchin. *de peste. par.* 3. *cap.* 6. *num.* 10.

2 Ratio est. Quia quamuis sint duo organa, est tamen vnicus sensus, cui illa duplicia organa inseruiunt: & ideo eo ipso, quod vnicum organum vngitur, in illo organo vngitur sensus; & sufficit talis vnctio ad verificandam formam, nam in ipsa explicatur tantum deprecatio remissionis delictorum commissorum per illum sensum; & ideo vt vnctio tanquam materia coadæquet formam, sufficit, si sit vnctio illius sensus, cuius delictorum remissio deprecatur in vnctione. Confir. Actio ministri in sacramentis sufficit si correspondeat significationi formæ. Per id autem, quod vngatur sensus in vnico tantum organo, sufficienter actio correspondet significationi formæ; nam forma significat solum remissionem peccatorum per illum sensum commissorum, & ideo sufficit, si actio ministri sit vnctio eiusdem sensus.

3 Ex his colligitur, vt notant communiter Doctores præsertim Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 2. *numer.* 5. Palaus mox citandus, in necessitate, vt quando periculum immineret, ne interim infirmus moreretur, aut tempore pestilentiæ, posse vngi tantum singula organa singulorum sensuum, quia cum vnctio vtriusque organi non sit necessaria necessitate sacramenti, sed solum sit ex consuetudine Ecclesiæ, potest in necessitate omitti, cum talis consuetudo rationabiliter tantum obliget, atque adeo non contra necessitatem. Imo cum ea, quæ sunt de necessitate sacramenti, qualis est integritas confessionis, possint ratione necessitatis omitti, poterit à fortiori omitti vnctio alterius organi eiusdem sensus.

4 At dubium remanet, an si seclusa necessitate vnicum tantum organum vngatur, peccetur mortaliter. Et affirmatiuè respondent Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 3. *num.* 9. Præposit. 3. *par. quæst. vn. de extr. vn. dub.* 8. *num.* 71. & idem videtur sentire etiam Auersa *quæst. vn. de extrem. vnct. sect.* 4. ver. *Neque verò.* Alij vero dicunt seruandam Ecclesiæ consuetudinem, & vngendum vtrumque organum. Quod quidem verum est, sed quæritur, an hæc consuetudo obliget sub mortali. Quod autem obliget sub mortali non ita facilè affirmarem; nam vnctio alterius organi est tantum quædam extensio vnctionis illius sensus, cum vnctio prioris organi sit sufficiens materia sacramenti, & proinde est tantum circumstantia quædam materiæ, secus, ac quod vnctio fiat in modum crucis, & tamen hæc consuetudo non obligat sub mortali, vt docent communiter, sicut visum est supra. Rursus cum peccata confessa sint materia sacramenti poenitentiæ, & qualitates ipsi adiacentes sint circumstantiæ, quando non mutant speciem, non est mortale eas non confiteri, atque adeo vti materia pro hoc sacramento sine his circumstantiis, quamuis adsit consuetudo subiiciendi clauibus peccata cum his circumstantiis iuxta probabiliorem opinionem quam plurium grauium Doctorum. Ergo neque erit mortale vti materia in extrema vnctione absque circumstantia extensionis vnctionis ad alterum organum.

5 Dices. Omitteretur ritus Ecclesiæ-

clesiæ constituens specialem modum vngendi infirmum, quod cum sit quid graue, omissio quoque esset graue peccatum. Resp. Omitti ritum accidentalem pertinentem ad modum accidentalem vngendi, sicut etiam est ritus vnctionis in modum crucis, & ideo talis omissio non esset rei grauis, sicut non est omissio crucis. Quare hæc considerãda relinquo: neque enim volo circa hoc aliquid resoluere.

An inter vnctiones sit necessarius aliquis ordo. Quæst. 347.

S V M M A:

1 *Ordo vngendi sensus &c. in extrema vnctione.*
2 *An necessario seruandus.*
3 *Vnctiones in extrema vnctione vna non dependet ab alia vt priori.*
4 *Ordo vnctionum in extrema vnctione ex causa potest inuerti.*
5 *Seclusa necessitate an mortale non seruare ordinem vnctionum.*
5 *Dictio, Aliquid, refertur ad modicum.*
6 *Ordo vnctionum est ex sola consuetudine, & an obliget.*

1 TAm in Concil. Florentino *in Decreto Eugenii pro Armenis.* §. *Quintum sacramentum.* Quàm in Rituali Romano *in rubrica de extr. vn.* partes vngendę ponuntur cum ordine, nempe primo loco oculi, deinde aures, nares, os & manus, postea pedes, & vltimo loco renes, & hic idem ordo seruatur etiam in eodem Rituali, quando ponit formas pro singulis vnctionibus. Vnde difficultas, an hic ordo sit necessarius.

2 Dicendum est; *Nullum ordinem esse necessarium inter vnctiones necessitate sacramenti, sed validum futurum quocunque ordine fiant ex libito ministri.* Ita communiter Doctores. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 2. *numer.* 9. Sà, *verbo*, Extrema vnctio. *nu.* 12. Pitigian, *in* 4. *dist.* 23. *quæst. vn. ar.* 6. *dub.* 3. Posseuin, *de offic. curati cap.* 9. *num.* 14. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *nu.* 20. Maiol, *lib.* 4. *de irregular. cap.* 36. *num.*4. Rodriquez *par.* 2. *summ. cap.* 88. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 3. *num.*11. Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vnct. difficul.* 6. *in fine.* Basseus *in florib. theol. uerbo.* Extrema vnctio. 1. *num.* 6. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. un. de extr. unc. art.* 8. *dub.* 2. *conclus.* 1. Mærat. *tom.* 3. *sum. trac. de extr. un. disp.*3. ver. *Quod si quæras.* Præposit. 3. *par. quæst. un. de extr. unct. dub.* 8. *numer.* 74. Ledesma *par.* 1. *sum. tract. de extr. unct. cap.*7. *conclus.* 3. Filliuc. *tr.* 3. *cap.* 3. *num.*79. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 3. *de extr. unct. num.* 11. Amicus *tom.* 8. *cur. theol. disp.* 19. *de extr. unct. sect.* 4. *numer.* 56. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 3. *num.* 58. Marchin. *de peste par.* 3. *capit.* 6. *numer.* 12.

3 Ratio autem desumitur, Quia non habetur hic ordo ex institutione Christi, siquidem neque scriptura, neque traditio, neque Concilia, neque Patres id tradunt. Neque ex natura vnctionum, seu partialium formarum requiritur, cum vna vnctio non habeat dependentiam ab alia; neque significatio vnius formæ dependeat à significatione alterius, ita vt illam supponat, sed vna omnino sit independens ab alia. Et quatenus ordinantur ad eumdem effectum gratiæ, qui dependet ab omnibus vnctionibus, cum non possit remitti vnum peccatum sine alio, & singulæ formæ non significent, nisi partialiter remissionem peccatorum in ordine ad certum sensum, vt volunt Doctores, licet una coexigat alteram, non tamen vna exigit esse prior altera, sed si-

sicuti se mutuò coexigunt, ita inter se non exigunt aliquem ordinem. Confir. Mutato ordine vnctionum non mutatur significatio substantialis sacramenti; nam adhuc significat interiorem vnctionem, & remissionem peccatorum commissorum per sensus. Ergo non est substantialis, quia non possunt mutari substantialia sacramenti, nisi mutetur significatio, in qua consistit essentia sacramenti.

4 Ex quo fit, quod stante rationabili causa poterit inuerti ordo ille, cum quo in Rituali describuntur vnctiones, vt etiam communiter docent Doctores *num.* 2. citati, quia ad summum est de iure positiuo, quod cessat obligare, quando in contrarium vrget rationabilis causa. Hoc autem intelligendum est de vnctionibus quinque sensuum; nam vnctio renum, & pedum possit esse prima, aut intermisceri vnctionibus sensuum dicetur infra. Difficultas autem est, an sit peccatum mortale inuertere ordinem absque causa.

5 Quod autem sit peccatum mortale non seruare ordinem inter vnctiones, cum quo traduntur, seclusa necessitate, docent Ludouicus à S. Ioan. *par.* 1. *sum. quæst. un. de extr. unc. ar.* 8. *dub.* 2. *conclus.* 2. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 26. *disp. un. pun.* 3. *num.* 11. qui malè citat Sà, & Bonacinam, qui locis ab ipso citatis nihil de hoc habent; sicut etiam male citat Suarez, vt mox videbimus. Verum Suarez 3. *par. tom.* 4. *disput.* 40. *sect.* 2. *num.* 9. docet, ordinem prædictum vnctionum non posse omitti absque peccato aliquo, quo modo loquendi nõ decernit, quod sit mortale peccatum, imo videtur velle, quod sit veniale tantum, dum vocat aliquod peccatum, siquidem dictio aliquid ad quid modicum refertur. *l. Si seruum.* §. *Prætor ait. ff. de acquiren. hæred.* & notant Doctores Glos. *in Clemen.* 1. *verbo.* Earum parte *de foro compet.* Dec. *in leg. Conditiones num.* 9. *C. de pact.* Crauetta *par.* 4. *de antiquo tempore.* §. *Transeo nunc. n.* 154. Natta *consil.* 125. *num.* 6. *vol.* 1. Surd. *decis.* 283. *num.* 8.

6 Et quidem peccatum mortale non potest conuinci ex præcepto, quia de hoc ordine nullum extat; neque enim ordo enumerationis vnctionum inducit præceptum, vt per se patet; sed ideo seruatur talis ordo in enumeratione, quia enumerantur vnctiones iuxta ordinem principalitatis sensus, oculus enim antecellit coeteros, & sic deinceps. Neque etiam ex consuetudine, quia non est inducta hæc consuetudo tanquam quid necessitatis, sed tanquam quid conuenientiæ, vt notat Suarez citatus, nimirum vt vnctio inciperet à principaliori sensu, & postea succederent alii sensus, prout magis, vel minus principales, quæ est mera quædam conuenientia, ita tamen, vt ex opposito non sequatur aliquid indecens.

Quomodo se habeat vnctio pedum, & renum ad sacramentum extremæ vnctionis. Quæst. 348.

S V M M A.

1 *Vnctio renum, & pedum an partes integrales extremæ vnctionis, & numer. sequent.*

3 *Si essent partes sacramenti, essent essentiales.*

4 *Significarent effectum sacramentalem.*

5 *Non dicunt nouam significationem.*

6 *Expressius modus significandi non constituit partem integralem sacramenti.*

7 *Vnctio renum, & pedum non est ex institutione Christi.*

8 *Effectus extremæ vnctionis non potest suspendi; vt obtineatur per vnctionem renum, aut pedum.*

9 *Minister transferens effectum ad vnctionem renum, aut pedum an peccaret.*

Ef-

10 *Effectus sacramenti prius obtinebitur, etiam si coarctarctur à ministro ad unctionem renum, aut pedum.*

11 *Vnctio renum, & pedem an instituta à Christo, vt liberè adhibenda.*

---

1 EX dictis in superioribus constat, non pertinere ad essentiam sacramenti: vnde difficultas superest, an pertineat ad integritatem tanquam partes integrales. Prima sententia asserit esse partes integrales huius sacramenti. Ita Sotus *in 4. dist. 23. quæst. 2. ar. 3. in fine.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 12. num. 3.* Valent. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 2. pun. 2.* Angles *in florib. quæst. de extr. unc. ar. 4. difficul. 1. conclus. 3.* Qui volunt, quod quando adhibentur, sacramentum sortiatur suum effectum in vltima vnctione, nisi repugnet intentio ministri determinantis perficere sacramentum in vltima vnctione quinque sensuum. Idem etiam sentit Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. quæst. un. de extrem. unct. art. 8. dub. 1. conclus. 3.* Fundamentum est. Quia si non essent saltem partes integrales, non possent ab Ecclesia adhiberi tanquam vnctiones sacramentales.

2 Secunda sententia asserit non esse partes integrales, sed esse tantum vnctiones introductas ex ritu Ecclesiæ. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 2. num. 11.* Præposit. *3. par. quæst. uni de extr. unct. dub. 10. num. 90.* Aversa *3. par. quæst. unica de extr. unc. sect. 4. ver. Aliqui tamen.* Quia inquit ipse, in solo sacramento poenitentiæ sunt partes integrales.

3 Dicendum est. *Vnctionem pedum, & renum non esse partes integrales huius sacramenti, sed solum unctiones rituales introductas ab Ecclesia in quoddam complementum, non sacramenti, sed ritus, cum quo celebratur.* Prob. Si essent partes sacramenti essent partes essentiales. Ergo cum non sint partes essentiales, vt constat ex dictis & ex praxi Ecclesiæ Romanæ, dum vnctio renū omittitur in foeminis, nec etiam erunt partes integrales. Anteced. prob. In his vnctionibus interuenit eadē materia, & forma eiusdem rationis cū ceteris formis, ita vt non fiat alia variatio, nisi illa, secundum quam differūt inter se formæ vnctionum quinque sensuum. Ergo si essent partes sacramentales, haberent eamdem significationem, quam haberent aliæ vnctiones cum suis formis, & proinde essent partes essentiales, nam vbi reperitur significatio propria, & substantialis sacramenti, ibi reperitur etiam substantia, & essentia sacramenti. Quod autem haberent eamdem significationem substantialem patet, quia in modo significandi, & in re significata convenirent omnino cum coeteris.

4 Confir. Per citatos Doctores pro priori opinione causant effectum sacramenti, quando minister eas determinat ad causandum. Ergo cum sacramenta non possint causare, nisi quod significant, significabunt eodem modo effectum sacramenti, quo significant coeteræ vnctiones cum suis formis, atque adeo erunt partes essentiales.

5 Confir. 2. Si essent partes integrales sacramenti essent ratione suæ significationis, siquidem constant ex eadem materia, & formæ, quæ proinde sunt signa sensibilia significatiua. Non possunt autem esse ratione significationis, nam vt essent nouæ partes, deberent importare nouam significationem, quam non important, siquidem tota ipsarum significatio continetur in coeteris vnctionibus; nam lumborum delectatio est delectatio tactus, & ideo remissio peccatorum, quæ committuntur per lumbos cōtinetur in deprecatione remissionis delictorū, quæ committuntur per tactum. Et delicta per gressum commissa continentur in delictis commissis per alios sensus, cum gressus de se fit indifferens, nec in ipso sit actio peccaminosa per delectationem

nem aliquam inordinatam, nisi ratione sensus, cui inseruiunt. Et ideo vnctio harum partium non significat cum suis formis, nisi quod significant cœteræ vnctiones.

6. Dices. Ex eo, quod non habent nouam significationem sequi, quod non sint partes essentiales, quia tamen expressiori modo significant, quod in aliis significatur, ideo esse partes integrales. Contra. Pars integralis ita se habet ad suum totum, vt si ea desit, sit imperfectum in suo esse. At si desint hæ vnctiones, sacramentum non est imperfectum, sed adhuc habet in ratione significationis totum, quod possunt afferre hæ partes, & ideo non habet aliquid minus in ratione significationis, quàm si haberet has partes. Confir. Si sola significatio magis expressa constitueret partem integralem sacramenti, si sacerdos, postquam absoluit poenitentem cum forma consueta diceret, Absoluo te à fornicatione; absoluo te ab homicidio, constitueret partes integrales sacramenti poenitentiæ, quia expressiori modo hæ absolutiones significarent, quod in generali absolutione significatur, quod tamen est absurdum, & falsum.

7. Confir. 3. Christus non instituit has vnctiones. Ergo non sunt partes integrales sacramenti. Anteced. patet: Quia si essent institutæ à Christo, essent de iure diuino: vnde non posset Ecclesia præscribere, quod vnctio renum in foeminis omitteretur ob honestatem, & etiam in uiris, quando commodè adhiberi non potest, nam hoc esset redarguere institutionem Christi. Conseq. prob. Eo ipso, quod institutæ sunt ab Ecclesia, non pertinent ad esse sacramenti, sed tantum ad ritum, siquidem cum Christus instituerit sacramenta, vt est de fide ex Concil. Trident. *sess. 7. can. 1. de sacrame. in genere*, instituit etiam omnes ipsorum partes. Rursus eo ipso, quod institutæ sunt ab Ecclesia, sunt merè de iure Ecclesiastico, atque adeo tantum Rituales. Ex quibus solutum manet fundamentum prioris sententiæ, nam non adhibentur ab Ecclesia tanquam partes sacramentales, sed tanquam vnctiones rituales.

8 Ex his colligitur contra Doctores pro priori sententia citatos. Non posse ministrum extremæ vnctionis suspendere per suam intentionem effectum sacramenti, vt obtineatur per vltimam vnctionem renum, aut per vnctionem pedum. Nam, cum non sint hæ vnctiones institutæ à Christo, non habent vim causandi gratiam, seu effectum sacramenti, cum in tantum sacramenta conferant effectum, in quantum sunt signa sensibilia, quibus Christus alligauit productionem effectus. Rursus cum sacramenta causent gratiam ex opere operato, atque adeo tanquam causæ naturales, si coeteræ vnctiones habent causare ex institutione Christi, eo ipso, quod applicantur, causabunt, nec poterit effectus transferri in subsequentes vnctiones ex intentione ministri.

9 An autem peccaret, qui transferret effectum in subsequentes unctiones. Existimo, quod peccaret mortaliter. Quia non haberet rectam intentionem in ministratione sacramenti, nàm communiter omnes fatentur, has unctiones non esse essentiales, & proinde certum remanet, quod non pertineant ad substantiam sacramenti, & consequenter, quod non sint institutæ à Christo tanquam signa sensibilia productiua gratiæ, aliàs essent substantialiter sacramentum. Quare transferret per suam intentionem effectum sacramenti in partes, quæ non sunt de substantia sacramenti. Sicut peccaret, qui effectum sacramenti poenitentiæ transferret in satisfactionem tanquam in partem integralem sacramenti.

10 Colligitur 2. Quod etiam si minister intenderet conficere sacramentum tantum cum his duabus vnctionibus, ita ut determinaret, quod ultima unctio causaret effectum, adhuc ef-

effectus sacramenti causaretur, quando aliàs deberet causari non adhibitis his duabus unctionibus. Ratio est. Quia intentio ministri non potest variare naturam sacramenti, & ideo semper causabit suum effectum iuxta institutionem Christi, seu quando debet causare ex Chisti institutione. Nec minister potest ipsum impedire ratione intentionis; nam cum habeat intentionem conficiendi sacramentum, ipsum causat gratiam, non iuxta intentionem ministri, sed iuxta sui naturam. Imo etiam si intenderet non conficere sacramentum, nisi effectus ponatur per unam ex his duabus unctionibus, adhuc conficeret sacramentum cum suo effectu, quia hæc intentio esset priuata intentio ordinata ad regulandum effectum sacramenti, nec destrueret illam intentionem, qua intendit illum exteriorem actum iuxta ritum Ecclesiæ, quæ est intentio saltem implicita faciendi, quod facit Ecclesia, quæ sufficit ad ualiditatem sacramenti, iuxta ea, quæ cum D. Tho. & aliis dixi *in theol. moral. disp. 72. sect. 4. num. 46. & sequent.*

11 Colligitur 3. Non posse dici, quod Christus instituerit has duas vnctiones tanquam libere adhibendas, ita vt si adhibeantur, pertineant ad esse sacramenti, & possint causare effectum ipsius. Siquidem nullum adest fundamentum ita asserendi. Deinde vel sunt institutæ tanquam partes essentiales, vel tanquam partes integrales. Non tanquam essentiales, quia implicat, quod sint essentiales, & sint liberæ, nam eo ipso, quod sacramentum sine ipsis subsistere potest, se habent ad ipsum accidentaliter, & Christus tradidisset Ecclesiæ potestatem variandi substantiam sacramenti, nam posset ipsum præscribere, vel cum minoribus partibus substantialibus, quod est contra id, quod habet Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2.* Non tanquam integrales, nam eo ipso, quod essent integrales, non possent causare effectum sacramenti, nam ponitur in esse ex vi significationis substantialis eiusdem sacramenti, quæ non subsistit nisi in partibus substantialibus. Rursus eo ipso quod reliquisset libertati eas adhibere, reliquisset sacramentum imperfectum in suo esse integrali; imo eo ipso, quod pertinerent ad integritatem, præcepisset adhiberi, non autem reliquisset libertati, ad quid enim relinquere in libertate, quas instituit vt integrales sacramenti?

An ad valorem sacramenti sufficiat vnico ductu vngere omnes sensus sub vnica forma eos omnes exprimente. Quæst. 349.

SVMMA.

1 *Modus ministrandi extremam vnctionem sub vnica forma.*
2 *Extrema vnctio ministrari potest sub vnica forma.*
3 *Quomodo in hoc modo saluentur omnia substantialia sacramenti.*
4 *Vnica forma, & consueta forma extremæ vnctionis non differunt substantialiter.*
5 *In casu necessitatis extrema vnctio an ministrari possit sub vnica forma.*
6 *Quæ mutatio rituum prohibeatur à Concil. Trident.*
7 *Rituale Romanum non obstat, quin extrema vnctio possit ministrari sub vnica forma.*
8 *Cur vnica forma correspondere possit pluribus vnctionibus.*

---

1 Sacramentum extremæ vnctionis ministrari potest vnica vnctione, quæ tamen se extendat ad omnes quinque sensus, & cum vnica forma exprimente omnes sensus, nempe. *Per has sacras vnctiones, & suã piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid per visum, auditum, odo-*

doratum, gustum & tactum deliquisti. Dubitatur modo an talis vnctio sub vnica forma sufficiat ad validitatem sacramenti.

2 Dicendum est, *Sacramentum extremæ vnctionis posse validè ministrari vngendo omnes sensus breui tractu sub vnica forma modo explicato.* Hunc modum ministrandi non videntur approbare, qui absolutè requirunt quinque vnctiones distinctas sub distinctis formis, nempe singulas ad singulos sensus. Approbant tamen Suarez *3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 3. nu. 7.* Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 8. cap. 4. num. 3.* Posseuin *de offic. curati. cap. 9. num. 19.* Baiseus *in florib. theol. verbo.* Extrema vnctio. *num. 9.* Filliuccius *tr. 3. cap. 5. num. 129.* ver. *Dico 2.* Coninch. *disp. 19. de extr. unct. dub. 3. num. 12. in fine.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæstion. un. pun. 3. num. 5.* Marchin. *de peste par. 3. cap. 7. numer. 2.* Tanner. *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 19.* Auersa *quæst. un. de extr. unct. sect. 4.* ver. *Videtur.* Victorel. *de extr. un.* Tit. *An ad singulas &c.* ver. *Quid si.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 128.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 4. num. 63.* Capeauil, *de adminisi. sacrament. quæst. 31. de extr. unct.*

3 Ratio autem est, quia in hoc modo ministrandi extremam vnctionem saluantur omnia substantialia sacramenti, tàm ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, atque adeo etiam validitas; nam hęc dependet solum à substantialibus, quibus saluis, valet sacramentum, & ponit suum effectum. Quod saluentur substantialia materiæ, patet, quia interuenit vnctio quinque sensuum, quæ ad summum est necessaria ad sacramentum: vnde quoad materiam; eodem pacto se habet sacramentum, ac si ministraretur consueto modo. Saluatur etiam substantia formæ; nam in hac forma exprimitur totum id, quod exprimitur in singulis formis pro singulis vnctionibus prolatis, nam in his formis multiplicatis solum exprimitur deprecatio, qua oratur Deus, vt remittat quicquid peccatum est per talem, & talem sensum, quod totum exprimitur etiam in illa vnica forma; vnde cum forma sortiatur suum effectum, quatenus deprecatio quædam est remissionis peccatorum, cum eadem fit deprecatio quò ad substantiam tàm in vno, quàm in alio modo, erit etiam eadem vis in ordine ad effectum.

4 Confir. Formæ replicatæ ad singulas vnctiones, & illa vnica forma, de qua dictum est, communis omnibus vnctionibus non differunt inter se, nisi quia in illis singulis replicantur, quæ pronunciata sunt in prima, atque adeo differentia est tantum secundum esse materiale verborum, non secundum significationem; siquidem communis omnibus vnctionibus significat totum, quod significant formæ replicatæ, & generat in audientibus eumdem conceptum. Ergo non differunt secundum esse formale sacramentale, cum hoc consistat in sola significatione; & ideo vtroque modo sacramentum erit validum.

5 An autem in casu necessitatis, vt quando putatur, quod infirmus non sit superuicturus, quandiu vnctiones omnes compleantur cum suis formis, aut tempore pestilentiæ, aut in alia simili necessitate liceat tali pacto ministrare extremam vnctionem, affirmatiuè resoluendum est, vt tradunt Laiman, Marchinus, Diana, Dicastil. Suarez, Bonacina, Victorel. supra *num. 2.* citati Amicus *tom. 8. cursus theol. disput. 19. de extrem. unct. sect. 4. numer. 75.* Ratio est. Quia quod ministretur cum quinque distinctis formis correspondentibus singulis vnctionibus, est tantum de consuetudine Ecclesiæ, & ideo, præualet necessitas. Imo licet sit de iure diuino, quod singula peccata in specie, atque in indiuiduo exprimantur, ratione tamen necessitatis possunt non omnia exprimi; unde à fortiori poterunt omnes formæ reduci in unam æquipollentem in extrema unctione urgente necessitate. Seclusa

tamen necessitate esset peccatum mortale, quia variaretur ritus Ecclesiæ circa substantialia sacramenti in re notabili. Et ita docent communiter Doctores, vel loquentes de hoc sacramento, vel de coeteris.

6 Dices. Omitteretur consuetus ritus Ecclesiæ in ministratione huius sacramenti, & in alium verteretur, quod est contra Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 13. *de sacram.* vbi damnat asserentes; Ritus consuetos Ecclesiæ in administratione sacramentorum posse omitti, vel in alios verti. Respond. Hanc mutationem non esse contra Concil. quia ibi solum damnat hæreticos dicentes; ritus Ecclesiæ in sacramentorum administratione posse contemni, aut sine peccato pro libito omitti, aut in nouos per quoscunque Pastores mutari posse, quorum nullum in hoc casu contingit, nam non contemnitur ritus repetendi formam pro qualibet vnctione, sed dicitur non esse necessarius necessitate sacramenti; nec pro libito omittitur, sed ex rationabili causa; nec dicitur mutari posse per quoscunque pastores, sed quod vrgente necessitate mutari possit durante illa causa. Concilium autem damnat tribuentes auctoritatem quibuslibet pastorib. illos mutandi, & proinde intelligit de mutatione permansura, & stabili, non autem de illa, quæ fit ex aliqua occasione accidentali.

7 Instabis. Rituale Romanum *in rubr. de extrem. vnct.* docet, quod vrgente necessitate omittantur præces, quas præscribit præmittendas ministrationi sacramenti; non autem dicit, quod hoc modo ministrari possit. Ergo signum est, quod non possit ministrari. Resp. Ex auctoritate negatiua nihil concludi; si enim non dicit, quod possit ministrari, neque etiam id negat; neque enim debuit tradere omnes modos, quibus necessitati occurri possit, sed tradidit illum tanquam magis obuium. Imo sicut tradit, quod preces omitti possunt, quia non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent ad ritum; ita inferri potest, quod possit hoc modo ministrari, quia quod repetatur forma pro singulis vnctionibus non est de necessitate sacramenti.

8 Dices 2. Vnctiones sunt plures, & sunt materia proxima sacramenti; Ergo etiam formæ debent esse plures numero, vt singulis materiis correspondeat propria forma, nam sacramenta constant ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma, & ideo, quando res sunt plures, etiam forma debet esse multiplex, vt possit cum iis omnibus componere sacramentum. Resp. Requiri plures formas, vel vnam, quæ pluribus æquiualeat; nam eo ipso, quod pluribus æquiualet, præstat, quod præstarent plures, & potest vniri cum singulis vnctionibus, & iis correspondere ad conficiendum sacramentum, nam vniri debet tantum morali modo, & ideo sufficit, quod morali modo coexistat vnctionibus: coexistit autem, si pronuncietur, dum fiunt vnctiones, atque hæc etiam sola coexistentia moralis interuenit, quando cum singulis vnctionibus singulæ formæ proferuntur, nam semper aut prius incipit vnctio, quàm forma, aut e contra, & ita etiam aut vna, aut altera prius desinit.

An vnctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti, an verò sufficiat vnica vnctio.

Quæst. 350.

S V M M A.

1 *Vnctionem quinque sensuum cur non colligatur ex Concil. Florentino, quod sit de essentia.*

2 *Vnctio quinque sensuum an de essentia extremæ vnctionis, & num. seq.*

Qui

4 *Qui tradant, num eſſe de eſſentia, & num. ſeq.*

7 *Vnctio quinque ſenſuum non colligitur ex Iacobo Apoſtolo.*

8 *Vnica vnctio verificat verba Apoſtoli Iacobi.*

9 *Pontifices non permittunt ſerpere, quæ ſunt contra ſubſtantialia ſacramentorum.*

10 *Græci in extrema vnctione, quas partes vngant.*

11 *Si vnctio ſenſuum eſſet eſſentialis non poſſet vna pars ſubſtitui pro alia.*

12 *Vnica vnctio habet totam ſignificationem ſacramentalem.*

13 *Cur tota ratio ſacramenti in qualibet ſpecie Euchariſtica.*

14 *Vnica vnctio ſignificat integram ſanitatem.*

15 *Vnctiones ſenſuum ſolum differunt in modo ſignificandi.*

16 *Effectus primarius extremæ vnctionis vnicus, & independens à ſenſibus.*

17 *Extrema vnctio non habet ſignificare remiſſionem peccatorum, vt ortum habent à ſenſibus.*

18 *Neque quatenus per ipſos conſumata fuerunt.*

19 *Carenti aliquo ſenſu non poſſunt remitti peccata commiſſa per illum ſenſum.*

20 *Conſtans ritus non arguit id, quod ſeruatur, eſſe de eſſentia ſacramenti.*

21 *Peccata an habeant radicem in ſenſibus, & vbi habeant.*

22 *Quænam vnctio ſit de eſſentia ſacramenti.*

23 *Totus effectus ſacramenti in vnica vnctione ſignificatur.*

24 *Materia ſacramenti quomodo debeat proportionari formæ.*

25 *Effectus ſacramenti cuinam determinatæ parti materiæ correſpondeat.*

26 *Cur deficiente miniſtro debeat alter ſupplere vnctiones, quæ deſunt in extrema vnctione.*

---

1 LIcet Concilium Florentinum *in Decreto pro Armenis*, explicans modum adminiſtrandi extremam vnctionem recenſeat vnctionem quinque ſenſuum, non tamen ex hoc colligi poteſt, vt notant communiter Doctores, præſertim infracitandi, quod pertineant ad ſubſtantiam ſacramenti, nam recenſet etiam vnctionem pedum & renum, quæ non pertinet ad ſubſtantiam ſacramenti, vt communiter docent, vt ſupra viſum eſt. Quare recenſet ſeptem vnctiones non tanquam neceſſarias pro ſacramento, ſed vetradat ritum, cum quo à Romana Eccleſia ſolet miniſtrari.

2 Prima ergo ſententia aſſerit, vnctionem quinque ſenſnum eſſe de neceſſitate ſacramenti, ita vt quacunque prætermiſſa, ſacramentum ſit nullum. Ita Duran. *in 4. diſt.* 23. *quæſt.* 4. Sot. *quæſt.* 2. *artic.* 3. Petrus Sotus *lect.* 1. *de extr. vnct.* Rodriquez *par.* 2. *ſum. cap.* 88. Summa Corona *par.* 4. *cap.* 7. *numer.* 9. Viguer. *cap.* 16. *theol. inſtit.* §. 5. *ver.* 7. Valent. *tom.* 4. *ſum. diſp.* 8. *quæſt.* 2. *pun.* 2. Bellarmin. *de extr. vn. cap.* 10. Felician. *in Mannali Parochor. tit. de extr. vnct.* Graf. *conſil.* 2. *de extr. vnct. lib.* 1. Zechius *de ſacram. cap.* 3. *de extr. vnct.* Chamerota *de ſacramen. tract.* 16. *de extr. vnct. capit.* 5. *dub.* 7. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 5. Coninch. *de ſacram. diſput.* 19. *de extrem. vnct. dub.* 3. *numer.* 12. Zambran. *in ſuis deciſ. cap.* 5. *de extr. vnct. num.* 3. Viual. *in Candelab.* Tit. *de extr. vnct. num.* 30. Victoria *in ſum. num.* 23. Angles *in florib. quæſt. de extrem. vnct. ar.* 4. *difficul.* 1. *concluſ.* 1. Mercer. 3. *par. de ſacramen. quæſt.* 32. *ſupplem. art.* 7. Nugnus *art.* 6. *in dub.* ver. *in hoc dubio.* Puteanus *quæſt. vn. de exter. vnct. dub.* 2. *concluſ. vlt.* Præpoſit. *quæſt. item vn. de extr. vnct. dub.* 9. *num.* 85. qui tamen in qualibet vnctione cum ſua forma agnoſcit partialem, & incompletam rationem ſacramenti. Henriquez *lib.* 3. *ſum. cap.* 12. *num.* 1. Suarez 3. *par. tom* 4. *diſp.* 42. *ſect.* 3. *num.* 2. Mærat. *tom.* 3. *ſum. diſp.* 3. *de extr. vnct.* Bartholom. ab Angelo *dial.* 3. § 110. Poſſeuin. *de offic. curati cap.* 9. *num.* 15. Filliuc. *tract.* 3. *num.* 112. Bonac. *diſp.* 7. *de ſacram. pun.* 5. *num.* 16. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. tract. de extr. vnct. difficul.* 6. ver. *Sotus verò.* Caſpens. *par.* 2. *curſ. theol. tra.* 17. *diſput.* 4. *ſect.* 1. *num.* 8. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *diſp. vn. pun.* 3.

nu-

num. 6. Capeauil. *de minist. sacram. quæstion.* 30. *de extr. vnct.* ver. *Propter tantorum.* Ianner. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 1. *num.* 17. Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 3. *numer.* 6. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *quæst. vn. de extr. vnct. ar.* 8. *dub.* 1. *conclus.* 1. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tr. vn. disp.* 7. *num.* 6. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 1. *num.* 8. Tribarnes *in* 4. *dist.* 23. *disp.* 22. *quæst. vn. sect.* 5. *conclus.* 1. Palat. *in* 4. *dist.* 23. *disp.* 1. §. *An autem omnes.* Marchin. *de peste par.* 3. *capit.* 6. *num.* 16. Auersa *quæst. vn. de extrem. vnct. sect.* 4. ver. *Debet autem.* Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disput.* 1. *dub.* 3. *num.* 49. citant D. Th. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *ar.* 3. sed ibi tantum habet. *Quia primum principium est cognoscitiua, ideo illa vnctio ab omnibus obseruatur, quæ fit ad quinque sensus quasi de necessitate sacramenti.* Exquibus patet, quod non dicit quinque sensuum vnctionem esse de essentia, sed solum, quod talis vnctio ab omnibus seruatur, quasi sit de essentia, quod est quid diuersum, siquidem refert solum consuetudinem vngendi quinque sensus adeo stabilem, ac vniuersalem, tanquam si esset talis vnctio de essentia. Vnde dictio *quasi* stat assimilatiuè, & facit sensum, quod ista vnctio seruetur eo modo, ac seruaretur, si esset de necessitate sacramenti. Citant etiam 3. *par. quæst.* 32. *supplem. ar.* 6. sed quod ibi habet, est desumptum ex cit. loco *lib.* 4. *sentent.*

3 Prob. Ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ vnguntur organa quinque sensuum, & semper constanti ritu præscribit vngi. Quod non faceret, nisi talis vnctio esset de essentia. Secundò. Hoc sacramentum abstergit reliquias peccatorum. ergo debet ministrari in quinque sensibus, tanquam in illis, à quibus incipit cognitio, atque adeo peccatum, cum ortum ducat à cognitione. Tertiò. Si sufficeret vnica vnctio ad essentiam, quænam esset illa ex illis quinque, aut quomodo ceteræ se haberent ad ipsam. Quartò. Licet materia significet indeterminatè effectum sacramenti, debet tamen significare totum. Vt aut significetur totus requiritur vnctio quinque sensuum, nam effectus est integra sanitas hominis, qua tolluntur reliquiæ peccatorum, quæ non significatur, nisi per vnctionem omnium sensuum, cùm ab omnibus originem ducant peccata. Quintò: In sacramentis, materia debet esse proportionata formæ. Ergo cum in forma extremæ vnctionis explicentur sensus, & significet remissionem delictorum ex sensibus, materia non potest esse proportionata, nisi sit vnctio sensuum, nam debet forma cadere supra materiã, & materia debet esse applicata illis partibus, supra quas cadit forma. Sextò. Effectus sacramenti debet determinatè correspondere certæ parti materiæ, qua posita infallibiliter sequatur, non corresponderet autem determinatè, nisi omnes vnctiones essent de essentia, nam si vna sufficeret, non magis deberet sequi ad hanc, quàm ad illam.

4 Secunda sententia asserit, vnicam tantum vnctionem esse de substantia sacramenti, siue in hac, siue in illa parte fiat. Ita sentiunt, qui nolunt sacramentum extremæ vnctionis non esse vnum indiuisibiliter coalescens ex omnibus vnctionibus, sed tantum vnum vnitate integritatis, ita vt in qualibet vnctione sortiatur suum partialem effectum. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 23. *quæst. vnica. ad* 2. Medina C. *de confess. quæst.* 11 §. *Secundo idem.* & alii. Et in specie, quod sufficiat vnica vnctio seorsim ab aliis, tradunt Pastorale Mechliniense & Archiepiscopus Mechliniensis, Facultas Louaniensis, vt constat ex suo decreto *anno* 1588. *die* 23. *Septembris.* inserta eidem Pastorali. Supplemen. Gabr. *in* 4. *dist.* 23. *dub.* 6. *ad ult.* dum ait, in casu necessitatis sufficere vnctionem vnius membri. Serrarius *opusc. de extr. vnct. cap.* 9. Arcudius *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 7. præsertim circa finem. Becan. *de sacram. cap.* 27. *de extr. vn. quæst.* 7. *conclus.* 1. Mo-

Molan *in theol. pract. tract.* 4. Syluius 3. *par. quæst.* 32. *supplem. ar.* 6. *quæst.* 2. Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 15. *ver. Secundo quæritur*. Hambert. 3. *par. disp.* 2. *de extr. vnct. ar.* 5. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 4. *numer.* 73. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 168. Et probabile putant Caspens, Tanner, Auersa, Palaus, Laiman, Coninch. *num.* 3. citati Putean. 3. *par. quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 2. *conclus.* 2. Gammacheus autem *capit.* 7. *de extr. vnct. ver. Communior sententia*, habet oppositam sententiam non esse ita certam, vt omni dubitatione careat. Chelliſon. verò *quæst.* 29. *supplem. artic.* 6. *in fine*, habet, hanc opinionem in necessitate esse sequendam.

5 Hanc etiam opinionem tradunt Bartholomeus ab Aula *in suo Pastorali approbato à Theologis Louaniensibus anno* 1573. vbi hæc habet, *Si videat extremum periculum ita vt difficulter consuetas posset inungere partes, in pectore, vel in fronte eum inungat dicens, In nomine patris, & filii, & spiritus sancti accipe sanitatem. Amen. Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per quinque sensus tuos, & cogitationes. Per Christum Dominum nostrum. Et nota quod hic modus communiter etiam obseruatur apud pestiferos propter periculum.*

6 Idem etiam tradit Octauius Tricaricensis Episcop. Nuncius Apostolicus apud Belgas *in Directorio Ecclesiastica disciplina* vbi hæc habet. *Et si ordinariè inungenda sint singula singulorum sensuum loca, nec vnquam, nisi grauissima necessitas cogat, aliter faciendum sit; constabit tamen sacræ vnctionis sacramentum, & in inungendo contagioso morbo, aut peste laborantes ad euitandum contagionis periculum suffecerit, si inungatur sensus organum ad unctionem magis expositum, & detectum dicendo, Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Et quod ita in praxi seruetur apud Belgas tempore pestilentiæ, testantur plures ex Doctoribus citatis; & quod seruetur etiam in Austria, testatur Amicus *num.* 4. citatus.

7 Dicendum est, *Quinque sensuum unctionem non esse de substantia sacramenti, sed sufficere unicam unctionem, per quam dicatur infirmus ungi.* Desumitur ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *de extrema unctione*, vbi ita habet. *Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium mater, & magistra aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ huius sacramenti substantiam perficiunt, obseruat, quam quod B. Iacobus præscripsit.* Quibus verbis Concilium coarctat substantialia huius sacramenti ad ea, quæ præscripsit Apostolus. Certum est enim, quod plura obseruat, quæ non præscripsit Apostolus, & ideo hæc non pertinent ad substantiam, quia quoàd substantialia non obseruat aliud ab eo, quod præscripsit Apostolus. Cum ergo Apostolus non præscripserit quinque vnctiones pro quinque sensibus, nam solum dixit, *Vngentes eum oleo, orent super eum*: non autem vngentes sensus ipsius, aut quid simile, non pertinebunt hæ vnctiones ad substantiam.

8 Confir. Ad verificanda verba Apostoli sufficit vnica vnctio, nam per vnicam vnctionem dicitur infirmus vngi; Sicut ad verificanda verba Christi de baptismo. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* sufficit vnica ablutio, vt constat ex praxi Ecclesiæ. Ergo cum per Concilium Ecclesia non seruet aliud quoàd substantiam sacramenti, quàm quod præscripsit Apostolus, non seruabit quinque vnctiones tanquam necessarias ad substantiam, cum nec sint præscriptæ ad Apostolo, nec necessariæ ad eius verba verificanda.

9 Accedit etiam, quod cum multis ab hinc annis introducta sit hæc opinio, & etiam praxis illius, si non subsisteret, Summi Pontifices, quibus incum-

cumbit vigilare, ne circa sacramenta, præsertim quòad substantialia abusus introducantur, declarassent, esse falsam, nec practicandam esse, sicut declararunt opinionem de confessione facta absenti.

10 Prob. Apud Ecclesiam Græcam non vnguntur organa sensus, sed vnguntur frons, mentum, & genæ ambæ ad modum crucis, vt ex Simeone Thessalonicense *lib. de sacram. ubi de extr. unct.* refert Arcud, *lib. 5. de sacram. cap. 7. vers. Simeon.* & etiam manus, vt *ibid.* habet dictus Simeon, seu etiam pectus, & pedes, vt nunc esse in praxi testatur idem Arcud. Et hic ritus non est reprobatus ad Ecclesia Romana, siquidem cum Clemens VIII. correxerit Ritus Græcorum circa sacramenta, vt in *Instructione pro Ritib. Græcor. apud Quarantam in Bullario.* verbo, *Ritus Græcorum*, non correxit hunc ritum, quod signum est, quod non censuerit dignum correctione. Ergo non est de necessitate sacramenti vnctio sensuum; nam si esset de necessitate, deberet ab vnoquoque vsurpari, alias sacramentum esset nullum. Ergo neque sunt necessariæ plures vnctiones, siquidem ex iis, quibus vtuntur Græci, nulla secundum se est de substantia sacramenti, siquidem ea, quæ fit in manibus, pertinet ad sensum tactus, qui cum sit in toto corpore, posset etiam exerceri in aliqua alia parte; & ideo vnica sufficiet in quacunque parte corporis, cum sufficiat, vt infirmus dicatur vnctus.

11 Confir. Si ex vi sacramenti essent vngenda organa sensuum, applicatio materiæ sacramenti esset essentialis quòad illam partem, cum illud sit essentiale, quod est de necessitate sacramenti, & ideo si non applicaretur illi parti, sed alteri, sacramentum esset nullum, quia deficeret aliquid essentiale, nec Ecclesia posset loco vnius partis substituere aliam, nam non potest aliquid circa substantialia sacramentorum, vt habet Concilium Tridentin. *sess. 21. cap. 2.* Ergo cum aliquando contingat, eas vnctiones non posse fieri, quia deest organum vngendum, vt si desint manus, aures, oculus, & Ecclesia substituat alias partes nempe propinquiores, vt constat ex Rituali Romano, quæ reuera sunt partes corporis integrantes diuersæ, vnctio organorum sensuum non erit de essentia.

12 Confir. 2. Tunc materia sacramenti est sufficiens, quando in genere materiæ habet illam significationem, quæ est propria sacramenti, atque adeo in ordine ad effectum eiusdem sacramenti, ita vt primò, & per se ipsum significet. Sed vnica vnctio habet hanc significationem, ita vt significet effectum proprium huius sacramenti. Ergo erit sufficiens materia. Min. prob. Vnctio ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 1. de extr. unct.* aptissime spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis innungitur, repræsentat. vbi dicit, *Vnctio*, non autem vnctio talis organi, & ideo hæc significatio ei conuenit, qua vnctio est, atque adeo saluatur in quacunque vnctione; sicut in ipsa saluatur ratio vnctionis. Rursus *mediante vnctione* interiori significat effectus sacramenti, siquidem causantur ab ipsa vnctione interiori, quod explicat Concil. *ead. sess. cap. 2. de extrem. unct.* inquiens. *Cuius unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando &c.* Si ergo vnica vnctio sufficienter significat interiorem vnctionem, sufficienter etiam significabit effectus sacramenti, qui proueniunt ratione interioris vnctionis.

13 Confir. 3. Ideo in qualibet specie Eucharistica saluatur tota substantia sacramenti, quia in ipsa saluatur tota significatio sacramentalis, licet non totus modus significandi; siquidem hoc sacramentum habet significare mediante gratia cibatiua refectionem spiritualem, quæ à qualibet spe-

specie significatur, licet non eodem modo, nam vna significat per modum cibi, & altera per modum potus. Sed etiam vnica vnctio habet totam significationem sacramentalem, licet non secundum omnem modum, nam sufficienter significat vnctionem interiorem per gratiam allieuatiuam animæ, cum totum quod est in significato sit etiam proportionaliter in significatiuo, licet non significet, secundum illos expressos modos, qui insunt vnctionibus singulorum sensuum. Ergo vnica vnctio continebit totam substantiam sacramenti.

14 Confir. 4. Vnica vnctio sufficit pro significanda integra hominis sanitate spirituali. Ergo etiam pro integra sacramentali significatione, quia hoc sacramentum habet significare tantum integram sanitatem, & ideo per Auctores oppositæ sententiæ requiritur vnctio quinque sensuum pro ea significanda. Anteced. prob. Tum quia vnica vnctio significat interiorem vnctionem, vt *num.* 11. dictum est ex Concil. Trident. quæ est integra hominis sanitas, siquidem sacramentum ministratum etiam in vnctione quinque sensuum causat vnicam tantũ interiorem vnctionem. Tum quia in baptismo vnica ablurio sufficienter significat integram ablutionem interiorem animæ tàm ab originali, quàm ab actualibus in adultis. Tum quia vnica sacramentalis absolutio à peccatis in genere significat integram absolutionem à quocunque peccato in specie, & in indiuiduo. Non est autem maior ratio, cur hæc possint integrè significare, & non ipsa vnctio.

15 Dices. Ex institutione Christi, Vnicam vnctionem non significare integram sanitatem, sed requiri vnctiones quinque sensuum. Reiicitur responsio, quia hoc est, quod quæritur, an ex institutione Christi requiratur ad sacramentum, & proinde ad significationem quoque multiplex vnctio, & quod non requiratur, sed vnica sufficiat ex eo deducitur, quod tota significatio, quæ est propria huius sacramenti ex institutione Christi, subsistat in vnica vnctione, cum illæ plures vnctiones non differant in significatione, sed in modo significandi, nam vna non habet significare quid diuersum formaliter, sed tantum magis expressè in ordine ad hunc vel illum sensum: quælibet enim significat interiorem vnctionem in ordine ad alleuiandam animam, vt constat ex dictis.

16 Confir. 6. Effectus primarius extremæ vnctionis est tantum unus, nempe, Alleuiatio animæ, iuxta illud D. Iacobi in sua Epist. *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Remissio autem peccatorum est effectus sub conditione, quod sit in peccatis, & secundarius consequens ex primario. Rursus hic effectus est à sensibus independens, ut per se patat. Ergo unctio erit sufficiens ad ipsum significandum, siquidem est alleuiatio per spiritualem unctionem unicam, & unica spiritualis unctio sufficenter significatur per unicam materialem, cum tantum sit in signo in ratione significatiui, quantum est in signato in ratione significati. Ergo sufficienter significabit etiam effectus secundarios, qui sicut connectuntur cum primario, & ratione ipsius causantur à sacramento, ita etiam ab eodem significantur eo ipso, quod significat primarium.

17 Cõfir. 6. Ideo esset necessaria necessitate sacramenti vnctio sensuũ, quia deberet significare remissionem peccatorum, quæ originem traxerunt ex sensibus. Sed non debet sacramentum ex ui suæ substantialis significationis hoc significare. Ergo neque requirere unctionem sensuum. Min. prob. Sacramenta ex ui substantialis significationis debent tantum significare id, quod causant. Ergo, cum sacramentum extremæ unctionis habeat tantum causare remissionem peccatorum in ratione remissionis, & ex ui allieuationis animæ non causabit in ordine ad spe-

speciales sensus; imo nec in ordine ad sensus in communi. Quia sicut, quod peccatū orrum duxerit à tali sensu nō est aliquid in ratione peccati, seu quod pertineat ad esse peccati, sed quid omnino materialiter se habens, cum sensus solum ministrent obiectum circa quod peccari potest, uel non peccari, ita remissio non dicit ordinem ad sensum, cum non ægrediatur suum obiectum, & consequenter nec significatio remissionis.

18 Dices. Non significare remissionem in ordine ad sensus, vt origines peccatorum, sed in ordine ad ipsos, quatenus in eorumdem actibus fuerunt consumata peccata. Contra. Significatio remissionis non potest extendi plusquam extendatur ipsa remissio, cum hæc sit eius adæquatus terminus. Rursus remissio non extenditur ad sensus, quia licet ad ipsos extendatur peccatum actuale, non tamen extenditur habituale. Ergo cum obiectum remissionis sit peccatum habituale, quod non est in sensibus, remissio non potest se extendere ad sensus. Confir. Si significaret in ordine ad sensus, quatenus ad ipsos se extendit peccatum, forma sacramenti, etiam accepta in sensu conditionali, nempe, *Siquid deliquisti per talem sensum*, non subsisteret quòad eos, qui à natiuitate caruerunt tali sensu; siquidem etiam in sensu conditionali supponit sensum, per quem potuerit delinquere, vnde proferretur supra subiectum incapax, non secus ac, si ablueretur lapis, & proferretur forma baptismi in sensu conditionali. Præsertim quia conditio præsupponit potentiam in subiecto.

19 Dices 2. Intelligi de peccatis concupiscentiæ in ordine ad sensum, quæ possunt subsistere etiam absque sensu. Contra. Hæc concupiscentia non est peccatum sensus nec potest esse, si desit sensus. Ergo non est sufficiens, vt verificetur forma, *Quicquid per uisum peccasti aut peccare potuisti*. Confir. De eo, qui caret aliquo sensu, verificatur, quod non possit peccare per illum sensum siue originatiuè, siue exequutiuè in ordine ad actus externos, nam posse peccare per aliquem sensum supponit adesse illum sensum. Ergo verificatur etiam, quod non possint remitti peccata in ordine ad illum sensum, nam potentia passiua remissionis, etiam conditionatæ, supponit tanquam fundamentum potentiam actiuam peccandi. Ergo quòad ipsum non potest verificari quòad substantialem significationem forma extremæ vnctionis cadens supra illum sensum, atque àdeo nec significatio vnctionis, & proinde erit tantum ritualis.

20 Ad 1. resp. Vnctionem quinque sensuum non esse de consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, siquidem non est de consuetudine Ecclesiæ Græcæ, vt dictum est. Sed solum de consuetudine Ecclesiæ latinæ; vnde non sequitur ex hoc, quod sit de substantia. Sic etiam est de consuetudine, quod consecratio fiat in azimo, & tamen hoc non est de essentia. Quod autem constanti ritu præcipiat vnctionem sensuum, ideo facit, vt significatio sacramenti sit magis expressa: *non hinc tamen* fit, quod sit de substantia; nam etiam constanti ritu præcipit confici in azimo, proferri plura verba in consecratione calicis, quæ non sunt de essentia. Accedit etiam quod Concil. Florent. *in Decreto Eugenii pro Armenis. §. Quintum sacramentū* Aequaliter enumerantur septem vnctiones, tanquam eodem modo se habentes ad sacramentum, & ideo inferri videtur, quod si duæ posteriores non sunt de essentia, neque etiam coeteræ in specie sint de essentia.

21 Ad 2. negatur conseq. Nam peccata non habent propriè radicem in sensibus, quia sensus exhibent solum obiecta, quibus voluntas vti potest tàm ad bonum, quam ad malum, nec in ipsorum cognitione est aliquod initium deordinationis, & consequenter nec peccati; sed radix omnium peccatorum, à qua primò proueniunt, est

est concupiscentia, iuxta illud Apostoli Ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* ab ipsa namque primò incipit deordinatio a recta ratione, cum contra ipsam insurgat. Quare vnctio sensuum est tantum ad exprimenda specialiori modo genera peccatorum diuersa, quæ solent per sensus committi.

22 Ad 3. respondetur, solutionem primæ partis dependere ex resolutione illius dubii, à quanam vnctione producatur effectus sacramenti; quæ enim producit effectum, illa est, quæ importat essentiam, & substantiam sacramenti: quæ potest dici, quod sit prima vnctio, siue fiat in vno, siue in alio sensu: siquidem cum vnctiones non differant in ratione significationis substantialis, sed tantum in modo significandi, cum prima vnctio dicat substantialem significationem sacramenti, dicet etiam substantiam sacramenti, & ipsius effectum causabit. Cœteræ autem vnctiones subsequētes se habebunt vt partes dicentes eamdem substantiam sacramenti in esse signi sensibilis cum nouo partiali modo significandi eo modo proportionaliter, quo species Eucharistiæ dicunt idem sacramentum cum eadem significatione sacramentali, sed cum diuerso modo significandi. Aut erunt tantum vnctiones rituales.

23 Ad 4. Vnicam vnctionem significare totum effectum sacramenti, quantum debet significare materia; nam vt dictum est supra *num.* 14. significat interiorem vnctionem, in qua consistit integra sanitas spiritualis, quæ licet deberet considerari in ordine ad sensus, adhuc in ordine ad ipsos illam significaret, siquidem tota sanitas, siue causata per vnā, siue per plures vnctiones sensibiles consistit tantum in interiori vnctione, & ideo ipsa dicit ordinem ad sensus, si in ordine ad ipsos debet significari.

24 Ad 5. Materiam sacramenti debere in eo esse proportionatam formæ, quod consignificet eidem formæ in ordine ad eumdem effectum; nam hoc sufficit, vt possit constituere simul cum ipso vnicum signum causatiuum effectus sacramenti: non autem requitur aliqua alia proportio, nec quod applicetur omnibus illis partibus, quæ in forma explicentur. Sic etiam in forma Baptismi dicitur. *Ego te abluo*, per quod significatur non lauatio vnius partis corporis, sed totius subiecti, & tamen sufficit, quod ablutio applicetur uni parti. Cum ergo unctio exterior significet interiorem sufficiēter, etiam si sit unica, consignificat formæ in ordine ad effectum sacramenti.

25 Ad 6. negat. min. Nam effectus determinate correspondet primæ unctioni coniunctæ cum forma sufficienti pro sacramento, quæcumque illa sit. Cum enim unica unctio sufficiat pro materia sacramenti, statim ac perficitur forma secundum esse substantiale, ponitur effectus, quia habetur sacramentum completum secundum substantiam, quod cū causet ex opere operato, & per modum causæ naturalis, consurgit effectus statim, ac applicatur subiecto secundum propriam substantiam, à qua sola dependet causatio. Sic prima species Eucharistiæ, quæ sumitur, est illa, quæ causat gratiam.

26 Dices. Si minister extremæ unctionis non possit complere omnes quinque unctiones, debent compleri per alium. Ergo omnes sunt de essentia, quia non alia ratione debent compleri, nisi, quia omnes sunt de essentia. Resp. neg. conseq. Quia etiam si celebrans non possit consecrata utraque specie prosequi, & consumere sacrificium, debet alius sacerdos supplere, & consumere sacrificium, quamuis consumptio sacrificii non sit de essentia, sed tantum de integritate. Sic etiam, quando ratione necessitatis quis priuatè baptizatur, solemnitas baptismi est postea supplenda, & tamen non pertinet, nisi ad ritum baptismi. Est enim hoc generale in

omnibus ſacramentis, vt ſuppleantur, quæ vel ex errore, vel ex neceſſitate omittuntur, etiam ſi pertinerent ſolum ad ritum, vt deſumitur ex cap. *Paſtoralis*, & cap. *Presbiter. de ſacramentis non iterand.* Et ideo in Rituali Romano *in rubr. de extr. vnct.* præſcribitur, quod quando non poſſunt præmitti extremæ vnctioni preces conſuetæ, poſtea ſuppleantur.

Quomodo omnes ſenſuum vnctiones conſtituant vnicum ſacramentum. Quæſt. 351.

SVMMA:

1 *Vnctiones ſenſuum in extrema vnctione in quo conueniant, & in quo differant.*
4 *Quomodo vniantur in vnum ſacramentum. & num. ſeq.*
4 *Non conſtituunt vnum ſacramentum vnitate indiuiſibilitatis.*
4 *Non differunt in ratione ſignificationis ſacramentalis.*
5 *Non eſt in omnibus vnica indiuiſibilis ſignificatio.*
6 *An, & quomodo omnes vnctiones conſtituant vnum ſacramentum vnitate integritatis.*
7 *Per quid vniantur ad integrandum vnicum ſacramentum.*
8 *Vnctio pedum, & renum cur non concurrant ad integrandum ſacramentum.*
9 *Vnctiones ſenſuum ſecundum quid integrent ſacramentum extremæ vnctionis.*

1 Conueniunt omnes vnctiones in eo, quod ſint vnctio, ſeu ſignum ſenſibile ſignificans interiorem vnctionem ſpiritus ſancti. Differunt autem dupliciter; primò in ratione ſubiecti, nam vna fit in organo vnius ſenſus, & alia in alio. Secundò, quia ſubſunt ſingulæ ſingulis ſpecialibus formis determinatis ad illum ſenſum, in quo fit vnctio, & ideo dicunt ſingulæ ſpecialem ordinem ad ſuam formam, cui conſignificant, vel ſaltem ad vnicam formam pluribus æquiualentem, & complectentem omnes ſenſus. Difficultas autem eſt, quomodo quatenus inter ſe differunt vniantur ad conſtituendum vnicum ſacramentum.

2 Prima ſententia aſſerit, vniri vnitate indiuiſibilitatis, quatenus ex omnibus conſurgit vnica perfecta ſignificatio ſacramentalis, ex vi cuius habetur effectus ſacramenti. Ita ij, qui volunt, effectum huius ſacramenti produci tantum in vltima vnctione. Ita D. Th. *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiun. 1. ad 3.* Sotus: *quæſt. 1. ar. 1.* Palud. *diſt. 17. quæſt. 5. ar. 1. num. 11.* Ledeſma *2. par. 4. quæſt. 31. ar. 2.* ver. *Sed eſt dubium*. Suarez *3. par. tom. 4. diſp. 41. ſect. 2. numer. 7.* Valent. *tom. 4. ſumm. diſput. 8. quæſt. 2. pun. 2.* Coninch *de ſacram. diſp. 19. de extr. vn. dub. 6. num...* Nugn. *3. par. quæſtion. 32. ſupplem. artic. 6. dub. vn.* Mercer. *quæſtion. 29. ar. 3. propoſ. 2.* Puteanus *quæſt. vn. de extr. vnct. dub. 4. poſt. 2. concluſ.* ver. *Rogabis*. Filliuc. *tract. 3. cap. vlt. num. 126.* Gaſpar Hurtad. *de ſacram. tract. de extr. vnct. difficul. 9.* Tanner. *tom. 4. diſp. 7. dub. 2. numer. 39.* Auerſa *de ſacram. quæſt. vn. de extr. vnct. ſect. 5.* ver. *Hoc ergo*. Fundamentum huius ſententiæ ex eo deſumitur, quod eſſentia ſacramenti requirit omnes quinque vnctiones, & ideo cum eſſentia ſit indiuiſibilis faciunt vnicum ſacramentum vnitate indiuiſibilitatis, ſicut anima, & corpus faciunt vnum hominem indiuiſibilitet.

3 Secunda ſententia aſſerit, eſſe vnum non vnitate indiuiſibilitalis, ſed vnitate integritatis, & proinde quinque vnctiones eſſe partes veluti integrales huius ſacramenti. Ita ij, qui volunt, effectum huius ſacramenti haberi ſaltem partialiter ex prima vnctione, & ii, qui volunt, eſſentiam ſacra-

cramenti saluari in vnica, atque adeo in prima vnctione, quos citaui *quæst. præced. num.* 4. *& sequen.* Item Scot. *in* 4. *dist.* 23. *quæst. vn. ad* 2. Medina *C. de confess. tr.* 2. *quæst.* 11. *de integr. absol.* ver. *Secundo.* Bauuius *par. 1. theol. mor. tract. vlt. de extr. vnct. quæst.* 10. ver. *Secundò.*

4 Dicendum 1. *Has vnctiones non constituere vnum sacramentum vnitate indiuisibilitatis, etiam si considerentur cum determinatione, quam habent ex forma.* Prob. Vt constituerent vnicum sacramentum vnitate indiuisibilitatis, deberent constituere vnum per se in ratione significationis, siquidem sola vnitas per se est indiuisibilis. Non possunt autem constituere, nam quando plures partes conueniunt ad constituendum vnum per se, ita se debent habere, vt quod affert vna, non afferat altera, sed dicat quid diuersum, cum se debeant habere vt actus, & potentia, seu vt terminus, & terminabile. Istæ autem vnctiones sunt eiusdem rationis, & solum differunt ratione subiecti, quæ non est differentia in ratione significationis, secundum quam componunt sacramentum. Rursus etiam determinatio ex forma est eiusdem rationis formaliter, nam formæ solum differunt secundum expressionem diuersorum sensuum, quæ non est differentia in ratione significationis practicæ sacramentalis, atque adeo nec in ordine ad effectum sacramenti; siquidem cum effectus sacramenti sit vnctio interna, quæ est vna significata per omnes vnctiones, sufficiens ad remittenda omnia peccata, solum formæ differunt secundum materialem significationem, quatenus vna exprimit vnum sensum, & altera alterum.

5 Dices. Constituere vnum sacramentum indiuisibiliter in ordine ad effectum, quatenus idem effectus dependet indiuisibiliter ab omnibus. Contra. Vt idem effectus dependeret indiuisibiliter ab omnibus, deberent, omnes habere simul vnam indiuisibilem significationem sacramentalem, cum dependeat ratione talis significationis, & non possit indiuisibiter dependere, nisi concurrant ad ipsum causandum vnica indiuisibili significatione. Non habent autem hanc indiuisibilem significationem, nam tota significatio sacramentalis in ordine ad effectum, quæ est in vna, est etiam in altera, cum solum differant in significatione materiali huius vel illius sensus; vt autem haberent indiuisibilem significationem, oporteret, quod non esset in una, quod est in alia, vt contingit in verbis, quæ componunt orationem indiuisibiliter significantem.

6 Dicendum 2. *Has vnctiones ratione determinationis, quam habent à forma constituere vnum sacramentum vnitate integritatis, quatenus in ratione modi significandi integrant vnum modum significationis adæquatæ.* Pro quo notandum est, quod cum bonum concupiscibile sit obiectum sensuum, dum voluntas peccat prosequendo bonum concupiscibile, peccat in ordine ad sensus. Ad significandam ergo explicite, & in specie remissionem vniuersitatis peccatorum, explicatur per ordinem ad sensus eum vnctione eorumdem sensuum, & ideo vnctio adhibita singulis sensibus cum sua forma inseruit tantum modo significandi explicito remissionis peccatorum quoad sua genera.

7 Prob. Non possunt istæ vnctiones vt determinatæ per suas formas concurrere ad constituendum vnicum sacramentum, nisi secundum id, quod habent proprium, quia debent singulæ afferre aliquid diuersum à coeteris. Ergo concurrunt tantum vt partes integrantes eumdem modum significationis expressæ. Conseq. prob. Non habent aliquid proprium, nisi expressum modum significandi remissionem certorum generum peccatorum, nam conueniunt in eo, quod singulæ significent vnctionem interiorem, & remissionem peccatorum. ergo solum possunt vniri ad integrandum vnicum sacramentum secundum hunc proprium mo-

modum expressium significandi. Vnde sicut peccata non vniuntur, nisi vt varia genera, & tamquam partes integrales ad integrandam vnicam vniuersitatem peccatorum, ita neque isti modi possunt vniri, nisi vt partes integrales ad integrandum vnicum modū significandi integritatem remissionis totius vniuersitatis peccatorum.

8 Dices. Sequeretur, quod eadem esset ratio de vnctione pedum, & renum, nam cum ipsa quoque habeant specialem modum significandi, pertinebit ad esse sacramenti non secus, ac coeteræ vnctiones, & non erunt solum vnctiones rituales, vt dictum est supra. Respon. neg. sequel. quia vt dictum est supra, modus significandi harum vnctionum continetur in modo significandi aliarum quinque, & ideo non sunt necessariæ ad illam integritatem modi significandi, quem important quinque vnctiones. Vnde etiam Rituale Romanum *in rubr. de extrema vnct.* ver. *Quinque ver ò.* monet quinque partes præcipuæ, nempe instrumenta quinque sensuum esse vngendas, designans has quinque vnctiones vt principales, & coeteras vt minus principales, & ut proprias, & peculiares sacramenti iuxta significationem dictionis præcipuè. *l. Pomponius. ff. famil. herscum.* & ostendit, esse maiorem rationem de ipsis, ut notat Tiraquel. *de priuileg. piæ causæ. priuil.* 34.

9 Ex dictis colligitur has unctiones concurrere ad integrandum sacramentum non ratione significationis substantialis, quia hæc est tota in prima unctione: sed solum ratione modi significandi, quatenus expressiori modo singulæ significant. Vnde neque concurrunt tanquam necessariæ ex institutione Christi; sed tanquam de ritu Ecclesiæ, quatenus uoluit, quod materia, quæ est unctio expressiori modo significaret per applicationem ad certas, & determinatas partes corporis. Quod potuit superaddere materiæ, quia Christus reliquit ipsi potestatem statuendi, quæ expedirent circa sacramenta, salua eorumdem substantia. Sic etiam statuit, quod in ordinatione sacerdotum traderetur calix, & patena cum materia consecranda; ut materia magis expressè significaret traditionem potestatis, cum antiquitus adhiberetur sola manuum impositio, sicut modo adhibetur in partiali ordinatione, quando traditur potestas remittendi peccata. Vnde non fit, quod ex eo quod integrent unum sacramentum, sint partes essentiales, quia non integrant ratione significationis, nec ex institutione Christi, sed ex instutione Ecclesiæ, & ratione expressioris modi significandi.

An in necessitate liceat ministrare sacramentum extremæ vnctionis cum vnica vnctione.

Quæst. 352.

S V M M A.

1 *Necessitas ministrandi extremam vnctionem cum vnica vnctione.*
2 *Stante necessitate, an ministrari possit extrema vnctio cum vnica vnctione. & numer. sequent.*
4 *Vnica vnctio pro extrema vnctione tantè approbata.*
5 *Extrema vnctio cum vnctione vnius sensus approbata.*
6 *Vnica vnctio, & vnctio quinque sensuum differunt accidentaliter.*
7 *Contritio quòad vnum mortale est virtualiter detestatio omnium.*
8 *Vnctiones in extrema vnctione ratione subiecti differunt solum materialiter.*
8 *Vnctio in quacunque parte consignificat formæ.*
9 *Vnica vnctio non est signum electum priuata auctoritate.*
10 *Electio vnctionum quinque sensuum quo-*

Ma-

modo determinet signum sacramentale.
11 *Matrimonum clandestinum cur nullum.*

---

1 NEcessitas contingere potest, vel quando timetur, ne infirmus moriatur priusquam perficiantur omnes vnctiones, vel præsertim tempore pestilentiæ, quia cum vnctio quinque sensuum requirat aliquod tempus, & vt plurimum, partes vngendæ non sint obuiæ imminet graue periculum infectionis, & ideo ad ipsum vitandum, & vt facilius reperriantur, qui hoc sacramentum ministrent, dubitatur an liceat vti vnica vnctione. Et ratio debitandi est, quia non videtur necessarium vti vnica vnctione, cum periculum vitari possit vngendo breuissimè vnico cōtextu quinque partes sensuum sub vnica forma communi omnibus sensibus, vt supra dictum est. Verum hoc non sufficit ad vitandum periculum, quia vt plurimum omnes sensus non erunt obuii, sed opus erit vertere infirmum, aut manus detegere cum grauissimo periculo infectionis ob illam euaporationem, quæ crescit ex motu infirmi, & detectione: vnde non uitaretur, sed augeretur periculum.

2 Prima ergo sentent. tenet, quod nunquam stante quacunque necessitate sit licitus talis modus ministrandi extremam vnctionem. Ita Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 1. *n.* 18. Putean. 3. *par. quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 2. *ad* 4. Præposit. *dub.* 9. *nu.* 80. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 3. *nu.* 7. Fundamentum huius sententiæ est. Quia nunquam licet ministrare sacramentum stante quacunque necessitate absq. suis partibus essentialibus. Omnes autem quinque vnctiones sunt partes essentiales; aut licet non sint secundum aliquorum opinionem, hoc tamen non sufficit, vt possit in praxi admitti talis opinio, cum sit contra communem sensum, & hoc sacramentum non sit de necessitate salutis.

3 Secunda sententia tenet, quod in casu necessitatis ministrari possit cum vnica vnctione. Ita Isambert. 3. *par. disp.* 2. *de extr. vnct. ar.* 7. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *de extr. vnct. sect.* 4. *numer.* 73. in fine. qui addit nec etiam necesse esse ministrare sub conditione, & ii omnes, qui puteant substantiam sacramenti saluari in vnica vnctione supra relati *quæstion... num.* 4. *& sequent.* Et ex iis, qui tenent non saluari in vnica vnctione Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 3. *in fine.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect.* 4. ver. *Iam inter ipsos. in fine.* Coninch. *de sacram. tom.* 2. *disp.* 19. *dub.* 3. *numer.* 12. *in fine.* Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 7. *numer.* 15. Marchin. *de peste. par.* 3. *cap.* 6. *num.* 26.

4 Dicendum est. *Tempore necessitatis ministrari posse sacramentum extremæ vnctionis cum vnica sola vnctione in quauis parte corporis magis obuia.* Hæc conclusio habet fundamentum in Praxi Belgii, de qua Doctores dicta *q. & num.* relati, & in praxi Austriæ, de qua Amicus *num. præced.* citat. Et ratio est, quia Græci non conueniunt cum Latinis, nisi in vnctione vnius partis ex iis, quas in ordine ad sensus vngant Latini, nempe manuum, quæ proinde est vnctio sensus tactus, & tamen Clemens Octauus non correxit hunc ritum, sicut correxit alios circa sacramentorum administrationem, in sua. *Instructione circa Ritus Græcorum.* Ergo signum est, quod censuit, ministrari posse secundum talem ritum, & consequenter absque vnctione quinque sensuum. Ergo censuit etiam ministrari posse cum vnica unctione, nam optimè sciebat, quod unctio pedum, pectoris &c. non est de substantia sacramenti.

5 Confir. In tantum ministrari non posset cum unica unctione, in quantum unctio quinque sensuum esset de substantia sacramenti. Hoc enim

enim est præcipuum, & totum fundamentum oppositæ sententiæ; nam censet non futurum verum sacramentum, nisi vngantur organa sensuum. Sed Pontifex Clemens VIII. hoc non obstante censuit posse ministrari in praxi absque vnctione quinque sensuum, imo cum vnctione vnius. Ergo implicitè etiam censuit, quod plures vnctiones non essent necessariæ, sed vnica sufficeret.

6 Confir. 2. Variatio accidentalis in materia non impedit, quin possit ministrari sacramentum stante necessitate cum illa materia, præsertim quando talis variatio non immutat moraliter, & quòad communem æstimationem materiam. Sed quinque vnctiones, & vnica vnctio in ratione materiæ sacramentalis differunt tantum materialiter, & accidentaliter. Ergo ratione necessitatis poterit adhiberi vnica vnctio. Min. prob. Forma sacramenti extremæ vnctionis, quæ æquipollet omnibus, quia in ipsa exprimatur quod in coeteris omnibus significatur, vt *Per istas sanctas vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid per oculos, auditum &c. peccasti*, licet sit vnica differt tantum materialiter, & accidentaliter ab omnibus quinque formis. Sed etiam vnica vnctio æquipollet in sua sacramentali significatione omnibus quinque vnctionibus, quia quinque vnctiones, vt materia sacramenti non habent significare, nisi vniuersalem interiorem vnctionẽ Spiritus Sancti, quæ significatur etiam per vnicam vnctionem, quæ sicut sufficit, vt homo dicatur vnctus in corpore, ita etiam sufficienter significat, quod interius vngatur in anima, atque adeo vniuersali vnctione, quia non potest esse nisi vniuersalis, & vnctio vnius partis corporis quòad significationem sacramẽtalem est virtualiter vnctio omnium partium sicut in baptismo ablutio vnius partis est virtualiter ablutio omnium quòad significationem sacramentalem. Et non minus sufficit vnica immersio pro significanda interiori ablutione quàm significet trina immersio.

7 Quod amplius declaratur. Contritio, licet sit expresè detestatio vnius tantum peccati mortalis, est tamen virtualis detestatio omnium, quia sunt connexa inseparabiliter in motiuo detestationis, & quia singula sunt grauis offensa Dei; & sufficit, vt sit materia sacramenti poenitentiæ. Sed etiam omnes unctiones connectuntur inseparabiliter in termino significationis, qui est interior unctio, quæ indiuisibiliter se habet in ordine ad remissionem peccatorum, ita ut non possit significari remitti unum mortale, nisi etiam signficetur, omnia remitti. Ergo unica unctio vnius partis erit uirtualiter unctio coeterarum partium quòad significationem sacramentalem remissionis omnium peccatorum.

8 Dices. Esse diuersam rationem de forma, & materia, nam unica forma exprimit omnes sensus in specie, & ideo potest æquiualere quinque formis; at unctio unius partis non habet in ratione materiæ illam determinationem, quam habet ex eo, quod applicatur tali, & tali organo *sensuum*. Contra. Talis determinatio tota se tenet ex parte subiecti, & est solum in ratione subiecti, non autem in ratione unctionis, nec est in ordine sacramentali utpote extrinseca materiæ sacramenti: nec est in ordine ad interiorem unctionem, cum interior unctio significetur per quamlibet vnctionem exteriorem. Ergo est tantum materialis, & accidentalis. Confir. Vnctio in quacumque parte fiat, consignificat formæ adæquatè in ordine ad effectum sacramenti; quia forma significat tantum effectum unctionis interioris, siquidem uerba illa, *Per visum, auditum &c.* non determinat unctionem ad aliquam partem, ut subiectum, sed ad genera peccatorum. Ergo unctio ratione subiecti non habet aliquam determinationem in ratione significationis sacramentalis.

9 Obiicies Priuata auctoritate eli-

ligeretur signum. Ergo non haberet uim significandi ex ui suæ impositionis. Resp. Eligeretur signum, in quo saluaretur substantia signi sacramentalis instituti à Christo: non autem quodcunque signum ad libitum. Et ideo haberet uim significandi sacramentaliter ex institutione Christi.

10 Instabis ex doctrina Dicastil. *de sacram. tr. 1. disp. 1. dub. 21. n. 38.* Christus instituit pro materia huius sacramenti unctionem, & Ecclesia elegit unctionem quinque sensuum pro signo sufficienti significatiuo remissionis peccatorum. Ergo si non adhibeatur tale signum, non conficitur sacramentum, quia non adhibetur signum sufficienter significatiuum. Resp. neg. conseq. Quia electio signi facta ab Ecclesia, seu electio quinque unctionum non determinat signum in ratione signi sacramentalis, sed tantum materialiter, quia si Christus instituit unctionem pro materia, iam unctio, quatenus unctio, est signum sufficiens sacramentale in ratione materiæ, & consequenter quælibet unctio, cum in ipsa saluetur ratio unctionis; siquidem Ecclesia magis determinando signum, non dat determinationem aliquam in ratione significationis sacramentalis, cum non possit addere, immutare, aut minuere substantialia sacramentorum, ut habet Concilium Trident. *sess. 21. cap. 2.* & ideo talis determinatio supponit adæquatam substantiam materiæ, alioquin efficacia sacramenti dependeret ab eo, quod circa materiam determinauit Ecclesia.

11 Instabis. 2. Quia Christus instituit pro sacramento matrimonii contractum, & Ecclesia elegit contractum publicum in facie Ecclesiæ, si contractus sit clandestinus, matrimonium est nullum. Ergo cum elegerit quinque unctiones, nisi adhibeantur, sacramentum erit nullum. Respo. Matrimonium ratione contractus clandestini non esse nullum ratione sacramenti, quasi non interueniat contractus institutus à Christo, Sed est nullus, quia ille contractus irritatur ab Ecclesia, ut constat ex Concil. Trident. *sess. 24. capit. 1 de Reformat. matrim.* & ideo stante irritatione contractus, cum non sit amplius uerus contractus, nec etiam potest eleuari, ut fiat sacramentali modo. Hinc ubi Concil. Trident. non uiget, contractus quoque clandestinus, quia non irritatur, est sufficiens pro matrimonio. Hoc autem non contingit in materia extremæ unctionis; quia Ecclesia eligendo quinque unctiones non irritauit unicam unctionem, ita ut non esset uera unctio.

An in quouis casu necessitatis liceat ministrare extremam unctionem cum unica unctione.

Quæst. 353.

SVMMA.

1 *Necessitas publica, & priuata.*
2 *Vrgente necessitate tam publica, quam priuata an liceat ministrare extremam unctionem cum unica unctione. & numer. sequent.*
4 *Quinque unctiones pertinent ad ritum publicum extremæ unctionis.*
5 *Non licet celebrare in azimo, aut absque uestibus sacris pro conficiendo viatico.*
6 *Cur ratione priuata necessitatis liceat non integrè confiteri.*
7 *Cur ratione publica necessitatis liceat ministrare extremam unctionem cum unica unctione.*
8 *Si in longa nauigatione nauigantes corriperentur pestilentia, an posset ministrari extrema unctio cum unica unctione.*

1 Necessitas exigens ministrari extremā unctionē cū unica unctione potest esse duplex. Priuata, & publica. Priuata tunc est

quando originem ducit ex aliqua priuata persona, & ex priuata causa, vt cum timetur moriturus infirmus, antequam absoluantur quinque vnctiones. Publica est, quæ originem trahit ab ipsa communitate, & publica causa, ita vt illa necessitas nō sit quoad vnā personam, sed quoad plures, vt contingit tempore pestilentiæ, tum necessitas exigit, extremam vnctionem ministrari vniuersaliter cum vnica vnctione.

2 Quam plures Doctores volunt, quod liceat ministrare cum vnica vnctione vrgente necessitate tàm publica, quàm priuata. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 3. in fine.* Coninch. *de sacram. tom. 2. disp. 19. dub. 3.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect. 4. ver. Iam inter ipsos, in fine.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. de extr. vn. sect. 4. num. 73.* Molanus *in theol. prac. tract. 4.* Marchinus *de peste. par. 3. cap. 6. num. 26.* Chellison. *3. par. quæst. 29 supplem. ar. 6. in fine.*

3 Alii verò coarctant tantum ad publicam necessitatem, qualis vrget tempore pestilentiæ. Ita Isambert. *3. par. disp. 2. de extr. vnct. ar. 7.* Pastorale Mechlinien. *approbatum ab Vniuersitate Louaniensi die 23. Septemb. anno* 1588. Octauius Tricaricensis Episcopus Nuncius Apostolicus apud Belgas *in Director. Ecclesiast. discipl.*

4 Dicendum 1. *Extremam vnctionem non posse ministrari cum vnica tantum vnctione stante priuata sola necessitate, sed tantum ratione necessitatis publicæ.* Prob. Quando ministratur cum vnica tantum vnctione, relinquitur ritus institutus ab Ecclesia pro administratione huius sacramenti, siquidem instituit, vt ministretur cum vnctione singulorum organorum sensuum. Ergo non potest ministrari cum vnica vnctione occurrente sola priuata necessitate; quia publicus, & solemnis ritus non potest omitti ratione priuatæ necessitatis, cum publica priuatis præferenda sint.

5 Confir. Non licet celebrare in fermentato pro conficiendo viatico, etiam si aliàs vrgeat præceptum diuinum viatici, & infirmus sine ipso moriturus sit, non alia ratione, nisi quia publicus ritus Ecclesiæ exigit, quod celebretur in azimo. Rursus nec etiam licet celebrare absque vestibus sacris, vt conficiatur viaticum, quia debet priuatæ necessitati præualere publicus ritus. Ergo nec etiam ob priuatam necessitatem licebit relinquere ritum Ecclesiæ de quinque vnctionibus.

6 Dices. Ratione priuatæ necessitatis licet omittere, quæ sunt de iure diuino in sacramentis, qualis est integritas confessionis. Ergo multo magis licebit omittere, quæ sunt de iure Ecclesiastico. Resp. Esse peculiare in sacramento confessionis, quod possit omitti integritas materialis, licet sit de præcepto diuino, quia stante necessitate sacramenti præceptum non obligat, nisi quando obseruantia est moraliter possibilis; & ideo ex hoc non licet inferre, quod liceat omittere in aliis sacramentis, quæ pertinent ad solemnem ritum ministrandi ratione priuatæ necessitatis.

7 Quod autem liceat ratione publicæ necessitatis, ex eo patet, quia cum tàm ritus, quàm necessitas sint in eodem ordine publicitatis, debet lex de tali ritu cedere necessitati publicæ. Præsertim quia Ecclesia debet sic disponere sacramentorum dispensationem, vt consulat suscipientium vtilitati, vt habet Concilio Trident. *sess. 21. cap. 2. de commun.* & ideo cum non sit æquum exponere totam aliquam communitatem periculo carendi extrema vnctione, debet Ecclesia ratum habere, quod stante publica necessitate communitatis cum vnica vnctione ministretur, qualis esset necessitas oriens ex pestilentia grassante.

8 Ex his colligitur, quod si in longa aliqua nauigatione excitaretur inter nauigantes pestilentia, cēsenda esset publica necessitas ad effectū, vt posset extrema vnctio ministrari cum vnica vnctione, præsertim quia necessitas

val-

valde exigeret, quod, quantum fieri potest, consecuarentur sacerdotes, cum alii non possent aliunde haberi. Omnes enim nauigantes pro tempore nauigationis constituunt vnicam paruam communitatem, & quoad sacramenta subsunt sacerdoti, qui in spiritualibus curam gerit nauis, & ideo communis ipsorum necessitas censetur publica necessitas in ordine ad hunc effectum.

An requiratur publica auctoritas, vt extrema vnctio ministrari possit cum vnica vnctione.

Quæst. 354.

S V M M A.

1 *Extrema vnctio non potest ministrari cum vnica vnctione absque publica auctoritate.*
2 *Episcopi auctoritas an sufficiat.*
2 *Determinatio ritus sacramentorum spectat ad vniuersalem Ecclesiam.*
2 *Necessitas non subiacet legi.*
3 *Episcopus potest vrgente necessitat prouidere circa modum ministrandi extremam vnctionem.*
4 *Pluris refert non ministrari extremam vnctionem tempore interdicti, quam ministrari cum quinque vnctionibus.*
5 *Extrema vnctio an possit ministrari vnico contextu sub vnica forma in priuata necessitate.*

1 Dicendum est, *Sacramentum extremæ vnctionis non posse ministrari cum vnica vnctione, nisi interponatur publica auctoritas Episcopi.* Ita etiam Isambert. *par. 3. disp. 2. de extr. vnct. artic.* 7. Ratio est. Quia ministratio huius sacramenti cum quinque vnctionibus pertinet ad ritum publicum, cum quo sacramentum præcipitur ministrari. Ergo stante quacunque necessitate, cum non sit sacramentum necessarium necessitate medii, non potest talis ritus priuata auctoritate immutari, quia publica non subsunt priuatæ dispositioni. Confir. Publica non subsunt priuatorum iudicio. Ergo non potest persona priuata iudicare de necessitate, an sit sufficiens ad immutandum ritum.

2 Dices. Ex hoc sequeretur quod non sufficeret auctoritas Episcopi, sed requireretur auctoritas summi Pontificis. Quia ad Ecclesiam vniuersalem spectat disponere circa ritus administrationis sacramentorum. Resp. Spectare ad Ecclesiam vniuersalem, quando agitur de ordinaria, & regulari dispositione. Secus autem, quando agitur de dispositione ob necessitatem emergentem; & quæ non debet esse stabilis; nam tunc Episcopus ex interpretatiua voluntate Summi Pontificis prouidere potest, & præscribere quid seruandum sit habita ratione necessitatis. Cum enim necessitas non subiaceat legi. *l. Vt gradatim. §. 1. ff. de muner. & honorib.* & cap. *Exiit. de verbor. significat. in 6.* quod aliàs esset Episcopis prohibitum, ratione necessitatis intelligitur concessum: sic in iure conceditur facultas absoluendi à reseruatis Summo Pontifici ratione necessitatis, quando absoluendi non possunt adire Romanam Sedem, vt passim vtroque *Tit. de sentent. excommunicat.*

3 Quod autem possit Episcopus ratione sui muneris hoc præstare ex eo colligitur, quia ratione muneris tenetur pascere oues sibi commissas, quod præcipue consistit in administratione sacramentorum; & ideo curare debet, vt omnibus ministrentur, & prouidere, ne administratio fiat moraliter impossibilis, & occurrere necessitatibus immutando pro illa exigentia necessitatis ritus, qui tunc obstare possent administrationi; siquidem mens Ecclesiæ est, quod ritus concilienr maiestatem sacramenti, & excitent deuotionem suscipientium, & augeant cul-

tum Deo; non verò, quod impediant ministrationem, vnde quando per accidens impediunt, ex eius voluntate interpretatiua relaxari possunt.

4 Dices, Ecclesia tempore interdicti denegat extremam vnctionem. Ergo non tanti facit ministrationem huius sacramenti, vt velit relaxari consuetum ritum, cum quo ministratur, ne moraliter ministratio fiat impossibilis. Siquidem pluris refert seruare ritum quinque vnctionum, quàm non ministrari tempore interdicti. Resp. neg. conseq. Et ad prob. resp. Pluris referre non ministrari tempore interdicti, quàm seruari ritum quinque vnctionum, siquidem denegatio extremæ vnctionis tempore interdicti est poena ordinata ad medicinam, & ideo multum refert, quod non remittatur, sicut multum refert sanitas spiritualis. At ritus quinque vnctionum pertinet solum ad esse accidentale sacramenti, & ideo ita ab Ecclesia temperari debet, ut non reddat sacramentum impossibile moraliter toti alicui communitatis, alioquin non esset ritus consentaneus, & iuxta mentem Christi, & Ecclesiæ, nisi acciperetur cum tali moderatione.

5 Ex his colligitur, Quod licet sacerdos non possit uti unica unctione ex sua priuata auctoritate stante quacunque necessitate, poterit tamen etiam in priuata necessitate unico contextu vngere quambreuissimè omnes sensus, & proferre simul vnicam communem formam pro omnibus sensibus, nempe *Per has vnctiones indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, &c. deliquisti*; nam hoc modo seruatur nedum tota substantia sacramenti, sed etiam tota substantia ritus quinque vnctionum. Et quamuis quinque formæ in vnam coalescant, hoc non refert, quia hæc vnica crescit, & continet totam significationem illarum quinque.

An quinque vnctiones sint necessariæ, quando quis caret organo, quod esset vngendum. Quæst. 355.

S V M M A.

1 *Probabilitas sententiæ negatiuæ.*
2 *Sententia affirmatiua ratione ritus, & præcepti Ecclesiæ.*
3 *Sacramentum extremæ vnctionis quomodo à Christo institutum.*
4 *Probatur, & confirmatur sententia. & nu. 5. & 7.*
6 *Soluuntur obiecta. & num. 8. ac seq.*
11 *Significatio propria sacramentalis, & substantialis huius sacramenti.*

1 Valde probabile putat Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 3. num. 56.* quod ex institutione Christi non sit necessaria vnctio illius organi, quo infirmus caret. Quia sacramentum est ita institutum, vt possit perfici pluribus, aut paucioribus vnctionibus iuxta capacitatem subiecti, & proinde ex institutione sua inseruire pro homine, qualis est vngendus, ita vt habens omnia organa in omnibus sit vngendus, & quando caret aliquo, non sit necessaria illius vnctio. Quod videtur sentire etiam Marchin. *de peste par. 3. capit. 6. num. 24.* Fundari potest in eo, quod etiam in sacramento pœnitentiæ explicanda sunt omnia peccata ex institutione Christi, & de necessitate sacramenti, & tamen id habet locum solum, quando explicari possunt: non autem quando ex aliqua necessitate explicari non possunt. Vnde idem dici potest etiam de quinque vnctionibus. Confir. Qui caret à natiuitate aliquo sensu, aut ante vsū rationis nō est capax vnctionis

in

in illo sensu, nec forma de ipso verificari potest, quia non potuit peccare per illum sensum. Nec sufficit, quod potuerit peccare per concupiscentiam in ordine ad illum sensum, quia peccatum concupiscentiæ non est peccatum sensus; nec forma verificari potest, nisi ratione actus exterioris peccati in sensu.

2 In hac difficultate est certum, vnctiones quinque sensuum esse adhibendas de ritu, & præcepto Ecclesiæ etiam quòad eos, qui carent organo alicuius sensus: nam in Rituali Romano Tit. de extrema vnctione in Rubrica circa finem, præcipitur, quod carentes aliquo membro alias vngendo, vngantur in parte proxima tali membro ita enim habet: Siquis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma. Vnde cum non distinguat, an potuerit, vel non potuerit peccare per tale membrum, sequitur, vt semper pars proxima illi membro vngenda sit, siue potuerit, siue non potuerit peccare; & proinde nunquam liceat ex hoc capite omittere aliquam ex quinque vnctionibus.

3 Dicendum est. Christum non ita instituisse sacramentum extremæ vnctionis, vt possit perfici eo numero vnctionum, quarum infirmus est capax ex eo, quod habeat organa vngenda. Conclusio procedit ex suppositione, quod Christus instituisset omnes quinque vnctiones, & non vnicam, vt supra dictum est. Desumitur autem ex eadem præscriptione Ritualis; nam si Christus instituisset sacramentum tali modo Ecclesia pro supplendis vnctionibus organorum, quæ desunt, non præciperet vngi partes proximiores locorum organorum.

4 Prob. Si Christus instituisset vnctiones organorum sensuum, essent omnes essentiales, & de substantia sacramenti, ita vt sacramentum non perficeretur substantialiter, nisi per omnem vnctionem; itaut deficiente aliqua vnctione, non adesset materia adæquata. Rursus deficiente aliqua forma, deficeret pars substantialis formæ, & coeteræ non continerent adæquatam significationem sacramentalem. Ergo hoc sacramentum non fuit ita institutum, vt non sint necessariæ illæ vnctiones, quibus non correspondent in infirmo organa vrgenda. Conseq. prob. Essentia, & substantia sacramenti quòad materiam, & formam est eadem quòad omnes, siquidem Christus non instituit vnam ex remam vnctionem pro vnis, & aliam diuersam substantialiter pro aliis. Ergo si semel quinque vnctiones sunt necessariæ tanquam de substantia sacramenti, erunt semper necessariæ quòad omnes, cum sacramenta omnia semper sint eadem quòad sua substantialia, sicut etiam semper est idem sacramentum pœnitentiæ, siue explicentur omnia, siue tantum quædam peccata.

5 Confir. Deficiente aliqua vnctione, deficeret aliqua significatio sacramentalis, siquidem deficeret signum sensibile tàm quòad materiam, quàm quòad formam ordinatum ad aliquem sensum. Et hæc significatio, quæ deficeret, esset substantialis sacramento, nam fundaretur in parte substantiali ipsius. Ergo significatio sacramenti esset incompleta substantialiter, & non posset significare totum effectum adæquatum sacramenti. Ergo non esset verum sacramentum, quia non haberet sufficientem significationem sacramentalem.

6 Dices. Esse completum sacramentum respectu subiecti, cui applicatur, quia ex institutione Christi non requiruntur in ipso plures vnctiones, quam sint in ipso organa sensuum. Contra. Effectus sacramenti est idem in omnibus, siue habeant omnia organa sensuum siue non, præsertim quòad remissionem peccatorum. Ergo debet etiã esse eadem significatio sacramẽtalis, cum ex vi significationis sacramenta causent suos effectus. Ergo si non saluatur adæquata significatio sacramentalis substantialis, nec etiam sal-

ſaluatur ſacramentum.

7 Confir. 2. Eodem modo dici poſſet, quod Chriſtus ita inſtituerit ſacrificium miſſæ, vt poſſit confici in ſola ſpecie panis, quando non poteſt haberi uinum; & e contra; aut quod poſſit confici in pane non triticeo, quando non poteſt haberi triticeus, aut in alio liquore potabili, quando non poteſt haberi vinum, & aperiretur via ad fingendas plures inſtitutiones circa ſubſtantialia ſacramentorum.

8 Nec ſubſiſtit fundamentum in oppoſitum. Nam eſt diuerſa ratio de peccatis, ac de vnctionibus. Peccata namque non ſunt materia *ex qua* ſacramenti, ſed *Circa quam*; & ideo ſubſiſtit ſacramentum, etiam ſi ratione neceſſitatis non explicentur omnia, quia non deficit aliquid ſubſtantiale ſacramento, nam ſaluatur dolor extrinſecus manifeſtatus, vt materia, & forma abſolutionis. Quod enim aliqua peccata non explicentur, nihil facit deficere, niſi maior expreſſio materiæ *Circa quam*. Siquidem cum dolor ſit de omnibus, adhuc mediante dolore ſacramentum, vt iudicium verſatur circa omnia peccata, licet in confuſo: At vnctiones ſunt materia proxima, *ex qua* conficitur ſacramentum, & ideo aliqua deficiente, deficit aliquid ſubſtantiale ſacramento.

9 Ad confir. Ad verificationem formæ non requiri, quod verificetur quòad expreſſiorem modum ſignificandi, ſed ſufficere, quod verificetur quòad ſubſtantiam ſignificationis. Sic etiam Euchariſtia quòad expreſſum modum ſignificandi ſignificat completam refectionem per modum potus, & cibi, & tamen, quamuis cauſet eundem effectum non habet hunc modum ſignificandi, quando miniſtratur ſub ſola ſpecie panis. Subſtantialis ergo ſignificatio extremæ vnctiones eſt reſpectu remiſſionis peccatorum, & ideo ſufficit, ſi hæc ſaluetur, quamuis non cum modo expreſſo ſignificante cum ordine ad ſenſum.

10 Dices: Poſſe quidem ſacramentum ſaluari ſine aliquo modo expreſſio ſignificandi; at non poſſe ſaluari, ſi talis modus ſignificandi ſit falſus. Eſſet autem falſus modus ſignificandi, quicquid per viſum deliquiſti in eo, qui nunquam potuit delinquere ex eo, quod non habuit talem ſenſum, quando fuit in ſtatu delinquendi. Reſpo. Hanc difficultatem eſſe ſoluendam in omnium ſententia, & etiam iuxta praxim Eccleſiæ, quæ præſcribit vnctionem in proximiori parte, quando quis caret organo ſenſus ſiue à natiuitate, ſiue antequam potuerit peccare. Reſp. igitur, formas omnes harum vnctionum æquiualere vni formæ, quia enim omnia organa ſenſuum non poſſunt ſimul inungi, ideo forma repetitur iuxta numerum vnctionum, vt vnicuique vnctioni correſpondeat propria forma. Sicut autem vnica forma, in qua omnes ſenſus exprimerentur, haberet ſenſum diuiſiuum, ita vt ſenſus eſſet indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti ſiue per viſum, ſiue per auditum &c. ita etiam illæ formæ replicatæ, cum non diſtinguantur niſi in expreſſione diuerſi ſenſus, retinent ſignificationem diuiſiuam. Ad veritatem autem eorum, quæ diuiſiuè, ſeu alternatiuè concipiuntur, ſufficit vnum eorum verificari *cap. In alternatiuis. de regul. iur. in 6. & l. Si is, qui ducenta. §. Verum. ff. de reb. dub.* Vnde in præſenti ſufficit, ſi quòad aliquem ſenſum verificetur.

11 Quare ſignificatio propria ſacramentalis ſubſtantialiter accepta, & quæ debet verificari, vt ſacramentum validum ſit, & obtineat ſuum effectum, eſt de remiſſione peccatorum, quæcunque illa ſint. Quod autem in forma exprimantur commiſſa per hunc, vel illum ſenſum non pertinet ad ſubſtantiam ſignificationis, ſed ad demonſtrationem inſtrumentorum, quibus commiſſa ſunt; & ideo talis expreſſio non eſt de ſubſtantia ſignificationis, ſed conſtituit modum ſignificationis exprimentem nedum ipſa peccata, ſed etiam modum, quo commiſſa ſunt; qui cum non ſit obiectum remiſſionis, quæ

eſt

est effectus significatus, sed in obliquo se habeat ad ipsum obiectum, seu materiam, non pertinet ad substantiam ipsius, atque adeo nec debet à sacramento substantialiter significari.

An minister debeat digitis suis immediatè vngere infirmum.

Quæst. 456.

S V M M A.

1 *Vnctio infirmi peragenda pollice manus.*
2 *Infirmus an de longe aliqua virga vngi possit.*
3 *Instrumentum non tollit, quin minister verè vngat infirmum.*
4 *Præceptum an adsit de vngendo infirmo absq. instrumento.*
5 *Ex qua materia debeat esse instrumentum.*
6 *Vngens infirmum extra casum necessitatis cum instrumento, an peccet.*
7 *Vnctio infirmi cum instrumento an ratione periculi non admittenda.*

1 VNctionem infirmi esse peragendam regulariter pollice ministri, constat non solum ex praxi, sed etiam ex Rituali Romano *Tit. de extr. vnct. in rubrica*. ibi. *Deinde intincto pollice in oleo sancto in modum crucis vngit infirmum*. Vnde difficultas est, an aliquando possit vngere medio aliquo instrumento, qualis esset virga argentea, aut quid simile, præsertim tempore pestilentiæ ad vitandum periculum infectionis.

2 Communiter docent, vngi posse infirmum à longe virga aliqua argentea, aut ex alia materia ad vitandum periculum infectionis. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disp. 44. sect. 3. nu. 10.* circa finem. Possevin. *de offic. cur. cap. 9. num. 22.* Capeauil. *de administ. sacram. quæst. 34. de extr. vnct.* Sylvius *3. par. quæst. 32. ar. 3.* Diana *par. 4. tract. 4. resol. 167.* Victorel. *de exter. vnct. tit. An vnctiones instrum. aliquo, &c.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 8. num. 1.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 8. num. 15.* Amic. *tom. 8. curs. theol. disp. 19. de extr. vnct. sect. 4. num. 58.* Præposit. *3. par. quæst. vn. de extr. vn. dub. 6. numer. 48.* Mancin. *in pract. visitandi infir. pract. 8. dub. 18.* Barbosa *de offic. Parochi cap. 22. num. 16.* Auersa *de sacrament. quæst. de extr. vnct. sect. 4. ver. Rursus nec est.* Marchin. *de peste. par. 3. cap. 5. num. 1.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extr. vnct. num. 13.* Baunius. *tom. 5. theol. moral. tract. vlt. de extr. vnct. quæst. 7. in fine.*

3 Dicendum est. *Extremam vnctionem ministrari posse mediante aliquo instrumento ex causa rationabili; qualis esset ad vitandum periculum infectionis tempore pestilentiæ.* Ratio autem est: Quia etiam si minister vtatur instrumento aliquo, adhuc tamen verè, & in communi æstimatione dicitur vngere, siquidem frequenter vnctio solet fieri mediante aliquo instrumento, & ideo saluatur, quod minister sit causa effectiua vnctionis ex generali ratione, quod actio, quæ fit mediante aliquo instrumento, dicitur esse immediate ab agente principali, cum instrumentum non agat, nisi vt motum ab ipso. Ergo ex hoc capite nihil fit, quod repugnet substantiæ sacramenti.

4 Rursus. Neque adest aliquod præceptum, sed tantum consuetudo, & præscriptio Romani Ritualis, de quibus non est certum, an hæc consuetudo, & præscriptio obligent sub mortali. Ergo erit etiam licitum concurrente graui causa, qualis est vitare periculum infectionis, siquidem talis causa esset sufficiens, vt faceret cessare obligationem, si adesset, etiam sub mortali: quia generaliter cessat obligatio, quando impleri non potest sine graui incommodo.

5 Sed difficultas remanet, ex qua ma-

materia debeat esse virgula, seu aliud instrumentum, quod adhiberi potest. Resp. cum Doctoribus citatis *num.* 2. posse esse ex quacunque materia etiã lignea, dummodo tamen non contineat aliquam indecentiam, quia parum refert, quod sit ex hac, vel illa materia, dummodo sit aptum instrumentum, cum neque ex natura rei, neque ex aliqua præscriptione requiratur, quod sit huius, vel illius materiæ. Est tamen aduertendum, quod si sit lignea, postquam inseruiuit, debet comburi, & cineres reponi in sacrario, quod tamen est ita accipiendum, vt non debeat comburi, quando semel adhibita est, sed solum postquam desijt inseruire. Si verò sit ex alia materia, non erit conueniens, quod inseruiat alteri vsui, nisi per nouum artificium in aliam formam mutetur.

6 An autem peccaret mortaliter, qui extra casum necessitatis vngeret infirmum medio instrumento, & non immediatè propriis digitis, affirmat Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect.* 4. ver. *Rursus.* Quia res est satis grauis. Verum non video, quomodo ita facilè censeri debeat peccatum mortale, nam neque est contra reuerentiam debitam sacramento, quod per instrumentum peragatur vnctio, cum etiam in baptismo ablutio non fiat immediatè manu baptizantis, sed per instrumentum, etiam si aqua sit consecrata. Neque contra consuetum modum vngeudi, siquidem vt plurimum vnctiones fiunt mediis instrumentis. Sed solum est contra consuetudinem, quæ etiam præscribitur in Rituali Romano. Quod autem hæc consuetudo, & præscriptio obliget ad mortale, non est ita facilè asserendum. sed cõsideranda grauitas materiæ iuxta ea, quæ tradunt communiter in materia de legibus. Materia autem non videtur adeo grauis, vt sit sufficiens pro peccato mortali; sicut non esset materia grauis, si baptizans manu infunderet aquam, & non vasculo, aut vrceolo, sicut præscribitur in Rituali, & seruatur ex consuetudine. Nec hoc videtur magis graue, quàm sit omissio crucis in vnctione, & tamen hæc non est peccatum mortale, vt dictum est suo loco.

7 Dices. Si infirmus vngatur virgula, aut alio instrumento, adest periculum, quod oleum sacrum decidat in terram, aut super lectum infirmi. Ergo talis modus non est probandus. Resp. Hoc idem periculum adesse, quando minister vngit pollice, nam potest ex ipso aliqua guttula defluere. Quare ad vitandum periculum erit adhibenda diligentia, ne aliquid olei ab instrumẽto defluat, & si forte defluxerit, idem præstandum erit, quod fieret, si fortè è pollice deflueret.

An sacerdotibus manus vngendæ sint. *Quæst.* 357.

S V M M A.

1 *In extrema vnctione an manus sacerdotibus vngendæ.*
2 *Quomodo vngendæ, & num. seq.*
4 *Cur extrinsecus vngendæ.*
5 *Vngere interius an peccatum mortale.*

1 Videtur sacerdotibus non esse manus vngendas, si quidem in ordinatione consecratæ fuerunt. Verum cum illa vnctio consecratiua adhibita fuerit ad alium effectum, non prohibet, quin rursus vngantur in ordine ad sacramentum extremæ vnctionis, atque ita declarat communis praxis Ecclesiæ. Et ideo pro sensu tactus non est necesse quod vngatur alia pars.

2 Difficultas autem est, quomodo sint vngendæ. Archangelus Rubeus *in* 4. *sentent.* . . . . . docet, vngen-

guntur. Tum quia hæc vnctio non est pro consecrandis manibus sacerdotis, sed est diuersæ rationis, & ad alium finem ordinata. Tum quia vnguntur manus propter tactum, & ideo debent etiam sacerdotibus vngi interius, cum ibi sensus tactus magis vigeat.

3 Verum communiter tenent, quod exterius vngendæ sint. Ita Posseuin. *de offic. Parochi cap. 9. num. 5.* Naldus *verb.* Extrema vnctio. *num. 2.* Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *An sacerd. man. inter. &c.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 5. num. 19.* Præposit. *3. par. quæstion. vn. de extr. vnct. dub. 8. numer. 7.* Granad. *controuer. 8. tr. vn. disp. 7. num. 8. in fine.* Tolet. *lib. 7. cap. 3. nu. 7.* Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 3. numer. 9.* Basseus *in florib. theol. moral. verbo.* Extremæ vnction. sacram. *1. num. 5. in fine.* Baun. *tom. 1. theol. moral. tract. vlt. de extr. vnct. quæst. 7. in fine.*

4 Dicendum est, *Sacerdotibus manus exterius vngendas esse.* Ita etiam præscribit Rituale Roman. *Tit. de extr. vnct. in rub.* ver. *Manus verò.* Hoc tamen non est de necessitate sacramenti, sed solum de ritu Ecclesiæ. Et ratio est, quia cum manus sacerdotum interius vngantur in consecratione, per quam vnctionem veluti disponuntur, & sanctificantur ad tangendum corpus Christi, ideo ob quamdam decentiam in honorem illius vnctionis non amplius interius vnguntur.

5 An autem peccaret, qui interius vngeret. Resp. quod saltem peccaret venialiter, nisi interueniret rationabilis causa. De mortali autem peccato non facile eum damnarem; nam iste ritus non videtur esse tanti momenti, vt eius obseruantia obliget sub mortali; siquidem est meræ conuenientiæ, & cum exorbitet à consueto ritu, facilè est tolleranda non obseruantia ipsius, cum per ipsam fiat regressus ad consuetum ritum. Quare si ex inaduertentia etiam crassa quis vngeret interius manus sacerdotis, excusaretur à peccato.

Pasqualig.

Quomodo vngendi sint, qui carent organo alicuius sensus.

Quæst. 358.

S V M M A:

1 *Vngendi sunt in parte proximiori, & probatur, nu. 2.*
3 *Argumenti solutio.*
4 *Carens manibus, & brachijs quomodo vngendus.*

1 Dicendum est. Carentes organo alicuius sensus, vngendos esse in parte proximiori talis sensus. Ita communiter Doctores. Suarez *3. par. disp. 42. sect. 3. nu. 5.* Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 8. cap. 2. in fine.* Sà *uerbo.* Extrema vnctio. *n. 13.* Syluester *ibid. num. 6.* Angelus *n. 5.* Tabiena. *num. 8.* Mercer. *de sacrament. quæst. 32. supplem. artic. 7.* ver. *Obiicitur quartò.* Nugn. eodem *ar.* Syluius, & Chellison. *ibid.* Præposit. *quæstion. vn. de extr. vnct. dub. 8. num. 73.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 3. de extr. vn.* ver. *Nec opponas deinde.* Ledesma *part. 1. sum. de extrema vnct. cap. 7. conclus. 4.* Ludouic. à Cruce *par. 2. direct. dub. 4. de extr. vnct. conclus. 4.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 3. num. 10.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 5. num. 16.* Gaspar Hurtad. *de sacramen. tract. de extr. vnct. difficul. 6. in fine.* Isambert. *3. par. disput. 6. de extr. vnct. ar. 4. proposit. 3.* Granad. *controuer. 8. tract. vn. disp. 7. num. 15.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 2. dub. 1. num. 19. in fine.* Basseus *in florib. theol. verbo.* Extremæ un. sacram. *1. num. 5.* Ludouic. à S. Ioa. *par. 1. sum. quæst. vn. de extr. vnct. ar. 8. dub. 3.* Auersa *de sacram. quæst. de*

extr. vnct. sect. 4. ver. *Debet autem*. Bizozer. *de sacramen. par. 6. cap. vlt. num.* 3. Et ita etiam præscribitur in Rituali Roma. Tit. *de extrem. vnct. in rubr.* ver. *Siquis autem*.

2 Ratio autem est. Quia, vt dictum est supra, omnes istæ vnctiones integrant vnicum expressum modum significatiuum remissionis omnium peccatorum, quo determinatur significatio substantialis sacramenti. Ergo quando non adsunt organa, quæ consueruntinungi, debet vnctio fieri in parte proximiori organo; vt modus significandi sit completus.

3 Dices. Dum vnctio fit in alia parte corporis, non potest in modo significandi consignificare formæ, nam forma cadit supra sensum, atque adeò supra organum ipsius; ergo si vnctio non fit supra organum, non consignificat formæ. Resp. Vnctionem non posse consignificare formæ, si nullo modo caderet supra organum sensus, posse autem consignificare, si cadat saltem moraliter. Dum autem fit in parte propinquiori, moraliter cadit supra organum, quia hæc substituitur loco organi tanquam concernens ad ipsum nunquam enim ita deficit organum alicuius sensus, quin supersit aliqua pars, quæ cum ipso communicet aut ad ipsum pertineat. Quod autem significat, quod moraliter vnctio censeatur fieri in organo sensus, ex eo deducitur, quod de facto non semper vngitur proprium organum sensus, sed pars propinqua, vt in vnctione gustus, non enim vngitur palatum, sed labia; in vnctione oculorum, nam solum vnguntur palpebræ, quæ non sunt organum visus.

4 Ex his colligitur cum Doctoribus *num.* 1. citatis, eum qui caret manibus, vngendum esse in vltima parte brachiorum, & qui caret brachiis in vltima parte humerorum, quæ coniungitur brachiis. Et hæc vnctio sufficit ad saluandum modum significandi, quia adhuc fit in parte corporis, vbi est sensus tactus, siquidem diffunditur per totum corpus; imo cum ibi resideant nerui, qui communicant cum sensorio tactus, quod est in manibus, quamuis ibi non sit manus, est tamen pars organi, quod in manu exercet virtutem sensitiuam tactus.

De forma sacramenti extremæ vnctionis.

Quæ nam sit forma sacramenti extremæ vnctionis. Quæst. 359.

SVMMA.

1 FOrmam sacramenti extremæ vnctionis assignat Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis*, ver. *Quintum sacramentum*, inquiens. *Forma huius sacramenti est hæc. Per istam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum deliquisti*, & postea subdit idem, faciendum in aliis membris, nempe, exprimendo cætera membra loco visus. Eamdem formam assignat etiam Rituale Romanum vbi de extrema vnctione, & solum vnctioni tribuit epitetum Sanctæ, nam dicitur *Per istam sanctam vnctionem*. Quam indicat etiam Concil. Trident.

seß. 14. capo 1. de extr. vnct. dum inquit, *Formam deinde esse illa verba: Per istam vnctionem, &c.*

2 Græci autem vtuntur diuersa forma, quæ est hæc; *Pater sancte medice animorum, & corporum, qui misisti vnigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, omnem morbum sanantem, & à morte liberantem, sana quoque hunc seruum tuum à corporali, spiritualique infirmitate, qua continetur, & viuifica eum per gratiam Christi tui, potentia pretiosæ, & viuificæ Crucis, precibus sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ Mariæ semper Virginis; patrocinijs venerabilium incorporearum cœlestium diuinarum virtutum, honorandi gloriosi Prophetæ Præcursoris, & Baptistæ Ioannis, sanctorum clarorum, ac celebratissimorum Apostolorum, sanctorum gloriosorum, ac egregiorum victorum martyrum, sanctorum, ac Deiferorum patrum nostrorum, sanctorum sanandi vim habentium, ac mercedem pro sanitate collata non accipientium Cosmæ, & Damiani, Cyri, atque Ioannis, Pantaleonis, ac Hermolai, Sampsonis, ac Diomedis, Photij, & Aniceti, Sanctorum, atque iustorum Deigenitorum Ioachimi, & Annæ, omniumque sanctorum. Quoniam tu Deus noster es fons curationum, tibique gloriam offerimus Patri, Filio, & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

3 In hac autem forma plura continentur, quæ non sunt de essentia, & præcipuè inuocatio Sanctorum, quorum aliqui non potuerunt inuocari in primitiua Ecclesia, cum nondum extarent, vt notat etiam Arcudius *lib. 5. de sacram. cap. 5.* Vnde refert ibid. ex vetustissimo manuscripto aliam formam, quæ quoad substantiam eadem est, nempe; *Pater sancte medice animorum, & corporum, qui misisti vnigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum omnem morbum sanantem, & à morte liberantem, sana quoque hunc seruum tuum à morbo corporis, & animi, quo detinetur, per gratiam Christi tui, & secundum beneplacitum tuum viuifica eum, qui studio bonorum operum debitas gratias tibi referat Quoniam tuum est imperium. &c.*

4 Verum in hac quoque forma continentur, quæ non sunt substantialia, vt per se patet, vt notat idem Arcud. *loco citato.* & ideo ver. *In hac oratione.* existimat hæc tantum verba esse essentialia. *Pater sancte, Medice animorum, & corporum sana hunc seruum tuum à morbo corporis, & animæ quo detinetur.* Attamen adhuc aliqua in his verbis contineri, quæ non sint essentialia, mihi videtur certum; nam verba illa *seruum tuum* nequaquam sunt essentialia, sicut nec essentialia sunt in forma baptismi Græcorum *seruus Christi*, vt constat ex forma Latinorum. Nec etiam necessaria sunt verba illa, *Quo detinetur*, quia insunt implicitè verbis *Sana hunc à morbo.* Rursus illa quoque *Medice animarum, & corporum*, non videntur essentialia, quin dum dicitur *Pater sancte*, satis intelligitur de Deo ratione subsequentium verborum, *Sana à morbo animæ*, siquidem solus Deus sanare potest à morbo animæ.

5 Alia quoque adest forma, quæ dicitur Ambrosiana, quia introducta fuit apud Ecclesiam Ambrosianam Mediolanensem, quam refert D. Bonauen. *in 4. dist. 23. quæst. 4.* quæ est huiusmodi *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis vncti preparatus ad certamen aereas possis superare potestates.* Quam vsu receptam fuisse in Ecclesia Mediolanensi testantur Paludan. Richar. Gabriel eadem dist. & alij. Hoc tamen tempore vtuntur forma Ritualis Romani.

6 Altera similiter forma circumfertur deprompta à Sacerdotali Veneto approbato à Leone X. quam refert Paludanus *in 4. dist. 23. disput. 2.* & ipsius alij quoque meminerunt, quam subijciam per extensum desumptam ex eodem Sacerdotali, quod Venetijs conseruatur apud Parochialem Ecclesiam sanctæ Margaritæ. Titulus libri est.

Sacerdotale Romanum ad consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum ex Apostolica Sedis scriptis collectum, ac Summorum Pontificum auctoritate multoties approbatum, summaque nuper cura iuxta sacri Tridentini Concilii sanctiones emendatum, & auctum. Pag. autem 110. huius Sacerdotalis ponitur forma extremæ vnctionis quoad omnes vnctiones, quæ talis est. *Deinde sacerdos intingens pollicem oleo sancto infirmorum vngat caput infirmi in modum crucis dicens*.

Vngo caput tuum oleo sanctificato in nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti † vt more militis vnctus praeparatus ad luctamen possis aereas superare cateruas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad oculos. *Vngo oculos tuos oleo sanctificato in nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti † vt quicquid de illicito visu deliquisti huius olei vnctione expietur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad aures. *Vngo has aures sacrati olei liquore in nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti †, vt quicquid delectationum nociui auditus admissum est, medicina spirituali euacuetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad nares. *Vngo has nares oleo sacrato in nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti, vt quicquid noxio nardore contractum est ab odore superfluo, ista emendet vnctio, vel medicatio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad labia. *Vngo labia ista consecrati olei medicamento in nomine Patris † & Filii † et Spiritus sancti †, vt quicquid gustu superfluo, et inordinato, vel otiosa, vel criminosa peccasti locutione, diuina clementia hac vnctione expurgetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad pectus. *Vngo pectus tuum oleo sancto, vt hac vnctione protectus fortiter stare valeat aduersus aereas cateruas in nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti †. Sit hac vnctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis.*

Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad manus. *Vngo has manus oleo sanctificato in nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti † vt quicquid illicito, vel noxio tactu, vel opere peregerunt, per hanc vnctionem euacuetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad pedes. *Vngo hos pedes oleo benedicto in nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti † vt quicquid superfluo, vel noxio incessu commiserunt, ista aboleat vnctio, vel medicatio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ad scapulas. *Vngo has scapulas oleo sacro in nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti † ut ex omni parte spirituali protectione munitus valeat diabolicos impetus viriliter contemnere, ac procul possis eos robore superni luminis repellere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

7 Inter has autem quatuor formas hoc notabile est discrimen, quod duæ priores sunt deprecatiuæ, & exprimitur vnctio tanquam medium, cuius intuitu debeat Deus conferre effectus sacramenti. In duabus verò posterioribus vnctio exprimitur modo indicatiuo, & enunciatur effectus sacramenti tanquam finis vnctionis, vnde hæ formæ non se habent deprecatiuo modo, sicut se habent priores.

8 Rursus etiam differunt, nam in duobus prioribus omnis effectus sacramenti enunciatur ut proueniens à Deo atque adeo, vt ponendus ad positionem illius signi sensibilis, & impetratiuo modo, virtute formæ deprecatiuæ. At in posterioribus formis, enunciatur effectus, vt proueniens ab ipsa vnctione, vt constat ex illis verbis, *Vt more militis vnctus possis aereas, &c. Vt quicquid visu deliquisti huius olei vnctione expietur. Medicina spirituali euacuetur. Ista emendet vnctio. Hac vnctione expurgetur. Sit hæc vnctio ad purificationem mentis. Per hanc vnctionem euacuetur. Ista aboleat vnctio.* Quare in omnibus formis exprimitur vnctio tanquam causa effectus sacramen-

menta, sicut reuera est, nam sacramenta nouæ legis causant gratiam ex opere operato, vt definit Concil. Trident. *sess. 7. can. 8. de sacrament. in genere*, & proinde sunt verè causa ipsius, & continent gratiam, quam significant, vt *ibid.* definit Concil. *can. 6.* Et ideo expressio effectus sacramenti in his formis est conformis significationi, & causationi eiusdem sacramenti.

An pro sacramento extremæ unctionis sufficiat forma deprecatiua.

Quæst. 360.

SVMMA.

1 *Durandus reuocat in dubium formam sacramenti extremæ unctionis; sed non rectè.*
2 *Oratio deprecatiua, neque verum, neque falsum significat.*
3 *Sola oratio enunciatiua vera, vel falsa.*
2 *Forma sacramenti debet significare effectum sacramenti.*
3 *Forma deprecatiua sufficiens est pro sacramento extremæ unctionis.*
4 *Duplex significatio in forma extremæ unctionis, & quænam sit.*
5 *Significatio sacramentalis formæ extremæ unctionis qualis sit.*
6 *Forma extremæ unctionis quatenus significet deprecatiuo modo.*
7 *Deprecatio formæ extremæ unctionis quomodo vera.*
8 *Forma extremæ unctionis simul cum materia significat effectum extremæ unctionis.*
9 *Quomodo constituat signum sensibile &c.*
10 *Completa significatio sacramentalis quomodo ex unctione, & forma in extrema unctione.*
11 *Forma extremæ unctionis est etiam enunciatiua.*
13 *In forma extremæ unctionis deprecatio non excludit instrumentum, nec ministerium ministri.*
13 *Verba debent accipi secundum subiectam materiam.*
13 *Forma extremæ unctionis cur etiam in sensu enunciatiuo accipienda.*

1 ID in dubium reuocat Durand. *in 4. dist. 23. quæst. 3. numer. 7.* circa finem, dum inquit. *Si verò aliæ Ecclesiæ sic utantur forma indicatiua, quod non addant deprecatiuam, tunc est magnum dubium, quæ sit forma sacramenti. Et siquis vellet tenere, quod sit forma indicatiua, qua dicitur usus fuisse B. Ambrosius, qui fuit de primitiuis Doctoribus, posset responderi ad rationes alterius partis. Beatus enim Iacobus loquens de oratione, forte non intendit de forma sacramenti, sed de supplicatione, quæ fit per orationem præcedentem, aut sequentem, per quam apud Deum subleuatur infirmus, et ei recommendatur.* Verum hoc vltimum non cohæret cum Concilio Trident. *sess. 14. cap. 1. de extrema unct.* Nam ibi habet, quod Iacobus Apostolus, vt ex traditione habetur, illis verbis. Infirmatur quis in vobis, &c. docet Materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius sacramenti, verba autem, quibus Apostolus docet formam, non possunt esse alia, quàm illa, *orent super eum*, & rursus, *Oratio fidei*, & proinde per orationem non potest intelligere de ea, quæ præcedit, aut consequitur sacramentum.

2 Ratio vero dubitandi est. Quia oratio deprecatiua, vt docet Aris. *lib. 1. Periherm. capit. 4.* & cum eo communiter, neque est vera, neque falsa, quia vt *ibid.* ait D. Th. exprimit tantum desiderium animi, & affectus: soli namque enunciatiuæ orationi conuenit esse vera, vel falsa, vt communiter cum Arist. *ibid.* tradunt. Hoc autem est contra rationem formæ sacramentalis; quia cum sacramenta significent gratiam, & illam contineant, vt decernit Concil. Trident. *sess. 7. can. 6. de sacram. in genere*, & illam causent ex opere operato, vt definit *can. 8.* debet forma ipsorum esse vera, & significare cum veritate practico mo-

modo effectum sacramenti, vt constat in omnibus aliis sacramentis. Confir. Oratio deprecatiua respicit effectum futurum, cum importet tantum desiderium rei absentis; forma autem sacramenti debet respicere effectum præsentem, siquidem simul cum materia illum causat, & proinde non videtur sufficere forma deprecatiua, cum in ipsa non saluetur, quod requiritur ex vi formæ sacramentalis vt sic.

3 Dicendum tamen est, *Formam deprecatiuam eo modo, quo adhibetur ab Ecclesia, esse sufficientissimam pro sacramento extremæ unctionis.* Est omnino certum tum ex Concil. Florent. *in Decreto Eugenii pro Armenis.* ver. *Quintum sacramentum*, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extrem. unct.* nam consuetam formam deprecatiuam assignant; tum etiam ex prax. Ecclesiæ, quæ in Rituali præscribit huiusmodi formam.

4 Est autem aduertendum, quod in hac forma potest considerari duplex significatio; nempe sacramentalis, & illa, quam habet in ordine ad ministrum proferentem. Prima est ex institutione Christi, & est illa, quæ determinat materiam sacramenti eum qua efficit vnicum completum signum sensibile, & respicit effectum sacramenti, ad quem concurrit. Altera verò non constituit formam sacramentalem in suo esse, sed solum illam applicat, & proinde significat modum, quo minister applicat sacramentum. Cum enim minister conficiat sacramentum, & conficiendo applicet subiecto, forma tam in hoc, quàm in ceteris sacramentis debet in esse exercito vtrumque significare. Differt autē hoc sacramentum à coeteris, quod hæc applicantur auctoritatiuo modo, vt cum dicit, *Ego te baptizo*; *Confirmo te*, *Ego te absoluo etc.* Sacramentum verò extremæ vnctionis non applicatur auctoritatiuo modo, sed modo deprecatiuo.

5 Forma ergo extremæ vnctionis, nempe, *Per hanc unctionem indulgeat tibi Deus &c.* habet suam significationem sacramentalem; qua consignificat ipsi vnctioni, vnctio enim ponitur demonstratiuo modo ratione pronominis, *Hanc*, seu *Istam*, & subintelligitur, *Qua ungo te*. nam pronomen demonstrat vnctionem vt prouenientem à ministro, & ideo, vt ab ipso exercitam; & forma consignificat huic vnctioni ratione suæ sacramentalis significationis. Cum autem vnctio externa significet interiorem vnctionem, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extr. unct.* consignificabit in ordine ad interiorem vnctionem, quam respicit vt effectum, & sensus erit, *Per istam unctionem, qua ungo te imperiendo interiorem unctionem gratia, indulgeat tibi Deus.* Quare cum exprimatur signum sensibile practico modo nō solum vt prouenit à ministro, sed etiam in ordine ad effectum sacramenti, nam pronomen significat demonstratiuo modo, & exprimit vnctionem vt exercitam per ministrum, & dictio *Per* importat causam efficientem, vt notant Doctores præsertim Romanus *in* ... *nu.* 13. ... *Et ex dictione per* ... *littera L. conclus.* 324. *num.* 3. significatur enunciatiuo modo, & sacramentum confici à ministro, & esse signum sensibile, quod sit causa effectus sacramenti. Hæc autem significatio, quæ est sacramentalis, est enunciatiua, & vera juxta institutionem Christi.

6 Quia autem in eadem forma adhibetur modus subiunctiuus, nempe *Indulgeat.* seu parcat, & profertur respectu Dei, atque à Deo exprimitur vt principalis causa effectus sacramentalis; ita tamen vt non excludatur instrumentalis, quæ est ipsum sacramentum, nec etiam ministerialis, nempe minister applicans sacramentum, nam dicitur, *Per istam unctionem*, & proinde significatur vt causa instrumentalis, & vnctio demonstratiuè expressa includit etiam ministerium ministri; ideò miscetur deprecatio, & forma, quatenus applicatur à ministro, significat deprecatiuo modo, exprimendo affectum, & desiderium ministri de effectu

tiu sacramenti obtinendo per ipsum sacramentum.

7 Neque ex hoc capite forma fit falsa, quasi significet rem absentem, & cum incertitudine tanquam ponendam ex voluntate alterius intuitu deprecationis, & præiudicans veritati significationis sacramentalis. Nam non exprimit quomodocunque desiderium ministri, sed desiderium effectus sacramenti ponendi à Deo per illam vnctionem, seu per sacramentum vt instrumentum. Vnde cum per sacramentum secluso obice sit infallibiliter ponendus, oratio est petitio rei infallibiliter consequendæ.

8 Sic autem explicata conclusio prob. Tunc forma est sufficiens pro sacramento, quando simul cum materia constituit signum sensibile significatiuum practico modo effectus sacramenti, nam tunc habetur causa eiusdem effectus, siquidem sacramenta causant, quod significant. Sed talis est præsens forma; nam coniuncta cum actuali vnctione resultat signum completum sensibile, quod significat interiorem vnctionē Spiritus Sancti per gratiam, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1. de extr. vnct.* & consequenter alios effectus inde resultantes nempe alleuiationem, & remissionem peccatorum. Siquidem per verba illa, *Per hanc vnctionem*, demonstratur vnctio exercita à ministro, atque adeo significatur vt causa interioris vnctionis ab ipso applicata, & determinata ad talem effectum, quod sufficit, vt sacramentum se habeat vt signum practicum interioris vnctionis.

9 Confir. Forma huius sacramenti est signum sensibile consignificans materiæ, & significat applicationem sacramenti in ordine ad ipsius effectum. Ergo est sufficiens tanquam ratio talis signi sensibilis in ordine ad talem effectum. Antecedens prob. Forma significatiuo modo ostendit vnctionem exercitam à ministro, nam dum dicit: *Per istam sanctam vnctionem*, demonstrat vnctionem, vt à se exercitam, atque adeo illam explicat vt propriam actionem, & ideo in esse exercito explicat applicationem signi sensibilis in ordine ad interiorem vnctionem.

10 Confir. 2. Forma coniungitur cum actuali, & præsentialiter exercita vnctione ministri, & ex vi formæ vnctio significatur vt causa applicata pro interiori vnctione: nam dictio, *Per*, importat causam, & ideo, dum dicitur, *Per istam vnctionem*, cum sit vnctio exercita exprimitur vt causa actu applicata, in ordine ad interiorem vnctionem. Ergo ex vtraque consurgit vna completa significatio sacramentalis gratiæ, seu interioris vnctionis, & proinde forma est sufficiens ad consignificandum sacramentaliter cum materia in ordine ad effectum sacramenti.

11 Ad rationem dubitandi respo. Formam sacramenti extremæ vnctionis non esse purè deprecatiuam, sed etiam enunciatiuam; nempe quoad significationem sacramentalem. Quia licet deprecatiuo modo se habeat, quatenus in actu exercito est applicatiua, *vt quo*, sacramenti, enunciat tamen, quod significat, vt dictum est, nempe effectum sacramenti; enunciat enim, quod per illam vnctionem, quæ fit à ministro tamquam per causam instrumentalem ponatur effectus sacramenti concurrente Deo vt causa principali, in qua enunciatione consistit sacramentalis significatio, quæ est vera, quia ipsi correspondet effectus sacramentalis.

12 Pro quo est aduertendum, quod licet sacerdos oret Deum, vt indulgeat, ipse tamen assumit signum sensibile institutum à Christo causaturum gratiam ex opere operato, & applicat subiecto, & proinde sicut signum sensibile est causa instrumentalis, ita ipse est causa ministerialis. Et ideo formæ sensus est, quod concurrente vnctione vt instrumento, & sacerdote vt ministro fiat vnctio interior, per quam Deus indulgeat, &c. Et hoc significant

cant

cant uerba formæ in esse exercito, siquidem uerba, *Per istam unctionem*, ratione propositionis, *Per*, exprimunt vnctionem vt causam instrumentalem, & ratione pronominis, *Istam*, exprimitur cum ordine in esse exercito ad ministrum vt causam efficientem, vnde æquiualent hæc verba verbis, *Ego te ungo, ut indulgeat tibi Deus.* Ex quo fit, quod in virtute formæ minister solum deprecetur Deum, vt tanquam causa principalis assistat sacramento,& effectui ipsius. Hinc soluta manet etiam confirmatio. Nam tunc oratio deprecatiua respicit effectum absentem, & ostendit solum desiderium, quando est purè deprecatiua. Secus autem, quando est simul deprecatiua, & enunciatiua: nam tunc vt deprecatiua ostendit affectum, & desiderium implendum in re enunciata: vt siquis edens diceret, oro Deum, vt hic panis sit mihi in cibum: in hac enim oratione enunciatur sumptio cibi, & oratur Deus, vt assistat huic cibationi.

13 Quod autem forma huius sacramenti hoc pacto sumenda sit, deducitur etiam ex regula iuris, nimirum quod verba debeant intelligi secundum subiectam materiam. *l. Cum pater. §. Donatum. ff. de leg.* 2. & *l. Sed et si possessor. §. Item si iurauero. ff. de iureiur.* & *l. Fluminum. §. Hac stipulatio. ff. de damno infec.* & *leg. Si olei. C. locati.* & cap. *Solitæ. de maiorit. et obedient.* & cap. *Constitutus. de religios. domib.* & notant communiter Doctores præsertim Euerard. *in Topica. Loco* 46. Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 104. *numer.* 28. Brunor. à Sole *in locis commun. uerbo.* Verba. *num.* 19. Tusch. *littera V. conclus.* 95. Rota *decis.* 398. *num.* 4. *par. 3. Recent.* Cum ergo materia, supra quam proferuntur verba formæ, sit signum sensibile practicum significatiuum interioris vnctionis, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 1. *de extrema un.* & forma debeat ipsi consignificare, necessariò debent accipi cum significatione etiam enunciatiua, vt concordent cum ipsa vnctione in significatione sacramentali practica, quæ debet esse vera ratione causationis effectus.

An forma sacramenti extremæ unctionis sit sufficiens ratione significationis sacramentalis. *Quæst.* 361.

S V M M A.

1 *Quid sit sacramentum,*
2 *In sacramentis forma determinat significationem materiæ.*
2 *Forma sacramenti extremæ unctionis est sufficiens in ratione significationis sacramentalis.*
3 *Exprimit internam unctionem.*
3 *Quomodo exprimat primarium effectum sacramenti.*
4 *Verba Per istam unctionem &c. quibus æquiualeant.*

1 RAtio dubitandi est. Quia sacramentum, vt communiter docent cum D. Th. 3. *par. quæstion.* 60. *art.* 2. *et* 3. & definitur à Concilio Trident. *sess.* 7. *can.* 6. *de sacram. in genere*; est signum interioris sanctificationis, seu gratiæ sanctificantis, & ideo debet ipsam practico modo significare, nempe tanquam effectum. Et hoc præcipuè debet ipsi conuenire ratione formæ, quia ipsa determinat significationem materiæ, seu rei sensibilis, vt tradunt communiter cum D. Th. *eadem quæst. artic.* 7. Hoc autem non videtur saluari in forma sacramenti extremæ vnctionis, nam dum dicitur, *Per hanc unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, etc. non significatur effectus principalis sacramenti, nempe sanctificatio cum auxiliis in ordine ad finem sacramenti, sed tantum effectus secundarius, & con-

conditionatus, nam inquit Iacob. Apost. in sua Epist. cap. 5. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*, & proinde ponit hunc effectum, vt conditionatum, & secundarium.

2 Dicendum est. *Formam sacramenti extremæ unctionis esse sufficientem etiam ratione significationis sacramentalis*. Hoc supponitur communiter ab omnibus, & certum est ex praxi Ecclesiæ, quia cum non possit errare in præscribenda administratione sacramentorum, dum talem formam præscribit, habenda est tanquam sufficiens. Prob. Hæc forma exprimit externam vnctionem vt exercitam à ministro. Ergo significat sacramentaliter interiorem vnctionem Spiritus Sãcti, atque adeo effectum primarium, & principalem sacramenti. Ergo erit sufficiens, quia in tantum non esset sufficiens, in quantum non significaret talem effectum. Anteced. prob. Dum minister actu vngit, & profert verba *Per istam sanctam unctionem*, loquitur de illa vnctione, quam exercet, & illam exprimit, vt à se exercitam; siquidem illam demonstrat, vt à se prouenientem. Ergo forma sacramenti ita cadit supra materiam, nempe vnctionem, vt illam exprimat tanquam actionem proferentis formam. Consequen. autem patet, nam externa vnctio significat interiorem, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1. de extr. unct.* & ideo forma tanquam consignificans materiæ, illam similiter significat.

3 Confir. In forma minister orat Deum, vt indulgeat, quicquid infirmus deliquit, per illam vnctionem, qua vngit. Ergo forma significat primarium effectum sacramentalem, nempe gratiam interiorem, quæ est vnctio Spiritus Sancti, dum simul constituit cum externa vnctione vnicum signum completum; siquidem dum ita orat, declarat, se adhibere illam vnctionem ad donandam interiorem vnctionem, per quam sequatur effectus remissionis peccatorum. Neque enim orat, vt quomodocumque remittantur à Deo, sed vt remittantur, *Per istam unctionem*, quam ipse applicat iuxta Christi institutionem ad hunc effectum; & ideo forma sicut exprimit applicationem vnctionis in ordine ad remissionem peccatorum mediante eadem vnctione, ita etiam significat principalem effectum sacramenti, cum ex vi ipsius, vt significati per vnctionem, sint remittenda peccata.

4 Confir. 2. Si forma ita se haberet, *Ego ungo te*, vt remittat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, significaret principalem effectum sacramenti, & esset sufficiens ex parte significationis sacramentalis. Forma autem *Per istam sanctam unctionem etc.* æquiualet huic formæ, *Ego te ungo, etc.* Ergo erit sufficiens. Maior de se constat, nam sicut dum baptizans dicit, *Ego te baptizo*, his verbis significatur interna ablutio, & dum sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, significatur interna remissio peccatorum, ita etiam dum minister diceret, *Ego te ungo*, significaretur interior vnctio, nam forma exprimendo exteriorem vnctionem compleret signum significatiuum interioris. Min. etiam prob. Verba *Per istam unctionem*, cum sint demonstratiua ratione pronominis, exprimunt unctionem eo modo, quo in re se habet. Ergo cum in re fiat à ministro, & applicetur subiecto, exprimitur ut applicata subiecto, & vt effectus ministri. Ergo ista verba æquiualent uerbis, *Ego unge te*, siquidem hæc nil aliud exprimunt, quam unctionem prouenientem à ministro, & applicatam subiecto.

An forma de necessitate sacramenti debeat se habere deprecatiuo modo, Quæst. 362.

S V M M A.

1 *Forma extremæ vnctionis an necessariò deprecatiua necessitate sacramenti, & numer. sequent.*
2 *Forma extremæ vnctionis Ambrosiana, & Veneta an deprecatiua. & num. 9.*
3 *Communis sententia.*
4 *Iacobus Apostolus tradidit formam deprecatiuam pro extrema vnctione.*
5 *Formæ sacramentorum quomodo dicantur oratio.*
6 *Extrema vnctionis sacramentum ex sui institutione quomodo conficiendum.*
7 *Forma extremæ vnctionis ex institutione applicanda deprecatiuo modo.*
8 *Modus, quo est applicanda forma sacramenti, pertinet ad substantiam.*
8 *Modus deprecatiuus dat specialem modum significationis formæ extremæ vnctionis.*
9 *Dictio, Vt, cum verbo subiunctiuo dicit deprecationem.*
10 *Cur ex Iacobo Apostolo colligatur forma deprecatiua pro extrema vnctione.*
11 *Specialis modus causandi effectum sacramenti extremæ vnctionis.*

1 PRima sententia asserit, sufficere etiam formam indicatiuam absque deprecatione, Ità Albert. *in 4. dist. 23. ar. 4* Richar. *ar. 1. quæst. 4. ad 2.* Palud, *quæst. 1. artic. 2.* Durand, *quæst. 3. num. 7.* qui, vt dictum est, videtur dubitare, an sufficiat deprecatiua. Becan. *de sacramen. cap. 27. quæst. 7. num. 3.* Estius *in 4. dist. 23. §. 10. ver. Si quaras.* Victoria *in sum. num. 218.* Sà, *verbo*, Extrema vnctio. *num. 7.* Nauar. *in Manuali cap. 22. num. 15.* Dicastil. *de sacram. trac. 7. disp. 1. dub. 4. num. 63.* dum concludit, debere esse deprecatiuam de præcepto. Et hanc sententiam probabilem putat Tanner. *tom. 4. disp. 7. qu. 3. dub. 1. num. 22.* & etiam quatenus oppositam probabiliorem vocant Suarez *3. par. tom. 4. disput. 40. sect. 3. numer. 7.* Filliuc. *tract. 3. capit. 40. num. 80.*

2 Prob. Forma Ambrosiana, & Veneta, de quibus supra, sunt indicatiuæ, & fuerũt vsitatæ per plura sæcula, & Veneta à pluribus Summis Pontificibus approbata, vt dictum est, & proinde non possunt dici insufficientes. Ergo non est de necessitate sacramenti, quod forma sit deprecatiua. Secundo. Ex eo, quod Christus dixit, *Baptizantes eos, &c.* colligitur, quod sufficiat pro baptismo forma indicatiua. Et ex eo quod dixit, *Quorum remiseritis peccata &c.* quod sufficiat forma, *Ego te absoluo &c.* Ergo ex eo, quod Iacob. Apostol. dixerit, *Vngentes eum oleo*, debet inferri, quod sufficiat forma indicatiua. Tertiò. In sacramento confirmationis sufficit forma indicatiua, *Confirmo te.* imo etiam in aliis sacramentis. Ergo etiam in extrema vnctione.

3 Secunda sententia asserit, esse de necessitate sacramenti, quod sit deprecatiua. Ita D. Th. *in 4. dist. 23. q. 1. ar. 4. quæstion. 2.* D. Bonau. *quæst. 1. artic. 4.* Capr. . . . . Sotus *quæstion. 1. art. 3. §. Propter quartum.* Palat. *disp. 1. §. Porro autem existimo.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 31. artic. 8.* Ledesma *alter par. 1. sum. tract. de extrem. vnct. capit. 3. dub. 1. post. 2. conclus.* Suarez *3. par. tom. 4. disput. 40. sect. 3. num. 7.* Coninch, *tom. 2. de sacram. disp. 19. dub. 4. num. 14.* Valent. *tom. 4. summ. disp. 8. quæst. 2. pun. 2.* Nugn. *3. par. quæst. 33. supplem. art. 6.* Syluius *quæst. 29. ar. 7.* Chellison. *ar. 8. dub. vn.* Putean. *quæstion. vn. de extr. vnct. dub. 3. ver. Aduerte secundò.* Præposit. *dub. 4. num. 27.* Isambert. *disp. 3. de extr. vnct. art. 1.* Caspens. *par. 2. curs. theol. tract. 27. disp. 4. sect. 1. num. 10.* Gaspar Hurtad. *de sacrament. tract. de extr. vn. difficul. 7. ver.* So-

Sotus verò. Mercer. *de sacramen. quæst.* 19. *supplem. artic.* 9. ver. *Respond.* 4. qui tamen putat probabilem oppositam sententiam, dum hanc probabiliorem vocat. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 1. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 4. *de extr. vnct. sect.* 12. *init.* Angles *in florib. quæst. de extrem. vnct. difficul.* 5. ver. *Præcisa forma est.* Fernandez *par.* 3. *examin. theol. mor. cap.* 10. *num.* 5. Baunius *par.* 1. *summ. tract. vlt. quæst.* 4. Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 4. *quæst.* 10. *num.* 81. Bartholom. ab Angelo *Dialogo* 3. §. 108. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 3. *num.* 3. ver. *Ex quo*. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 82. Ochagauia. *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 3. *numer.* 4. qui solum hanc sententiam putat probabiliorem. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 8. *num.* 3. *littera* O. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. un. disput.* 3. *num.* 3. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. vn. de extr. vnct. art.* 3. *dub.* 1. *difficul.* 1. Reginal. *lib.* 28. *praxis fori poenit. cap.* 9. *num.* 55. Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect.* 3. ver. *Secundo dubitari*. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 1. *de extr. vnct. num.* 17. Bizozer. *de sacramen. par.* 6. *cap.* 3. Petrus Sotus *lect.* 1. Bellarmin. *de extr. vnct. cap.* 7. Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *forma*.

4 Dicendum est. *Formam sacramenti extremæ unctionis debere de necessitate sacramenti inuoluere deprecationem aliquam*. Dixi, quod debeat inuoluere deprecationem aliquam, quia vt dictũ est supra debet significatio sacramẽtalis se habere indicatiuo modo, & solũ applicatio debet esse deprecatiua, vt in consueta forma Ecclesiæ desumitur autem ex Epist. Iacobi Apost. *cap.* 5. nam agens de hoc sacramento administrando inquit *Orent super eum ungentes eum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum*. In his enim verbis Apostolus tradidit formam huius sacramenti, quam vocat orationem, & quia forma proferenda est simul cum vnctione, ideo quia deprecatiuo modo se debet habere, inquit, *Orent super eum ungentes eum oleo*; orare enim est deprecari. Hinc Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extrem. unct.* doucit, quod ibi Apostolus tradidit materiam, formam, ministrum, & effectus huius sacramenti, vt per traditionem Ecclesia didicit, subdit, quod Ecclesia intellexit, materiam esse oleum, quia vnctio repræsentat gratiam Spiritus Sancti, & formam esse illa verba *Per istam unctionem &c.* Quare Concil. vult, quod ex illis verbis Apostoli Ecclesia deduxerit formam deprecatiuam.

5 Dices. Non sequi ex hoc, quod forma debeat esse deprecatiua, nam Patres vocant orationem etiam formam indicatiuam sacramentorum, vt Chrysost. *lib.* 3. *de sacerdot.* Hieronim. in illa verba Psal. 28. *Vox domini intercidentis*. Leo Papa relatus in capit. *Multiplex. de poenit. dist.* 1. Contra. Quia Patres vocant impropriè tales formas orationem, quatenus coniunguntur cum oratione, quæ solet præmitti ex institutione Ecclesiæ ministrationi sacramentorum, & quatenus originaliter habent vim causandi gratiam ex oratione, nempe ex petitione Christi, & eiusdem meritis. Verba autem Apostoli debent intelligi de oratione propriè dicta; tum quia ita accipit, & intelligit Ecclesia, dum ratione horum verborum præscripsit formam deprecatiuam. Tum quia Apostolus non solum vocat orationem ipsam formam, sed etiam, quia inquit, *Orent super eum*; orare autem super aliquem est præcari Deum in fauorem ipsius, quia est orare, vt super ipsum descendat, quod à Deo petitur.

6 Prob. Forma deprecatiua, seu mixta cum deprecatione est sufficiens pro sacramento extremæ vnctionis. Ergo est etiam necessaria. Anteced: est certum, tum quia præscribitur, & adhibetur ab Ecclesia, quæ in hoc non potest errare, cum agatur de validitate sacramenti. Tum quia Con-

cilia Florentin. *in Decreto fidei pro Armenis*, & Trident. *sess.* 14. *capit.* 1. *de extr. unct.* assignant formam deprecatiuam. Conseq. prob. Forma deprecatiua dicit specialem modum, & proprium, quo hoc sacramentum conficitur à ministro, ita vt talis modus sit imbibitus in ipsa substantia sacramenti, siquidem in parte substantiali principaliori imbibitur, nempe in forma, & variat modum substantialem significationis. Ergo hoc sacramentum ex vi suæ institutionis habet, quod tali modo conficiatur, siquidem ex vi institutionis habent sacramenta omnia, quæ pertinent ad ipsorum substantiam. Ergo est necessarius talis modus, atque adeo forma deprecatiua, alioquin secundum sua substantialia aliter conficeretur, ac esset institutum.

7 Dices, Quod forma applicetur deprecatiuo modo, non esse de substantia ipsius, & ideo, si applicetur indicatiuo modo, non variari substantialiter, quia cum applicatio se teneat ex parte ministri, quod fiat hoc, vel illo modo, non pertinet ad substantiam. Contra, Quod applicetur forma ad constituendum sacramentum deprecatiuo modo, habetur ex institutione Christi, quia Apostolus Iacobus illam expressit secundum institutionē Christi, dum dixit, *Orent super eum*. Ergo cum in sacramentis sint substantialia, quæ sunt ex institutione Christi, erit quoque substantiale, quod forma in hoc sacramento applicetur deprecatiuo modo.

8 Confir. Quod verba in consecratione Eucharistica proferantur in persona Christi, pertinet ad substantiam, ita vt si aliter proferrentur, nihil efficerent, & tamen hoc pertinet solum ad modum applicandi formam, quo minister applicat, nam quoad rem significatam idem est, si sacerdos dicat, *Hoc est corpus meum*, ac si dicat, *Hoc est corpus Christi*. Ergo modus, quo minister debet applicare formam ad conficiendum sacramentum, pertinet ad substantiam sacramenti. Confir. 2. Ex eo quod forma sacramenti applicetur deprecatiuo modo, variatur significatio in ordine ad effectū sacramenti, siquidem non solum significat gratiam alleuiatricem, quæ causetur à sacramento, sed etiam illam significat, vt specialem effectum misericordiæ diuinæ, ratione cuius complet significationem materiæ, quatenus oleum est symbolum diuinæ misericordiæ. Ergo cum hic modus applicandi formam variet significationem sacramenti in ordine ad eius effectum, variabit etiam significationem substantialem.

9 Ad primum in oppositum respo, Formas Ambrosianam, & Venetam non esse purè indicatiuas, sed mixtas cum deprecatione, nam Ambrosiana *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris etc. ut more militis uncti etc. aereas possis superare potestates*, & Veneta similiter habet, *Vngo caput tuum oleo sanctificato etc. ut possis aereas superare caternas*, & in coeteris formis pro aliis unctionibus additur *dictio*, *Vt*, cum subiunctiuo. Dictio autem, *Vt*, cum uerbo subiunctiuo, cum sit in ordine ad effectum obtinendum à Deo per illud sacramentum, importat deprecationem pro illo effectu, & operatur, ut subintelligatur dictio, *Orant Deum*. Præsertim quia hæ formæ censentur fluxisse ex uerbis Iacobi Apostoli, *Orent super eum*, atque adeo continere illam deprecationem, de qua Apostolus.

10 Ad 2, neg. consq. Quia Iacobus Apostolus non solum dixit, *Vngentes eum oleo*, sed etiam, *Orent super eum*, & ideo non est eadem ratio. Dum enim dixit, *Orent super eum*, declarauit, quod hoc sacramentum debeat confici cum deprecatione, quod nullibi est expressum pro coeteris sacramentis,

11 Ad 3. neg. conseq. Quia hoc sacramentum ratione suæ institutionis habet peculiarem modum causandi suum effectum; & ideo cum causet ratione significationis, forma quoque in

in significatione debet correspondere causationi. Est enim institutum cum proportione ad statum, in quo repe ritur suscipiens: unde cum sit in statu, in quo maximè indiget diuina misericordia, est institutum ad producendos effectus diuinæ misericordiæ, seu ad communicandam infirmo diuinam misericordiam, & quia diuina misericordia debet implorari, ut super nos descendat, ideo est institutum ut imploratiuum illius; seu ut causatiuum imploratiuo modo effectuum diuinæ misericordiæ.

An sit sufficiens forma, Vngo te, vt Deus tibi indulgeat &c.

Quæst. 363.

SVMMA.

1 *Qui negent.*
2 *Qui affirment.*
3 *Forma mixta ex indicatiuo, & deprecatiuo modo est sufficiens.*
3 *Probatur.*
5 *Confirmatur.*
4 *Soluitur obiectio.*
6 *Fundamenta opposita sententia resoluuntur, num. 7.*
8 *An sit licita hac forma.*

1 DE hac forma, *Vngo te, ut Deus tibi indulgeat quicquid peccasti &c.* dubitatur, an sit sufficiens pro conficiendo sacramento. Partem negatiuam tradunt Nugnus. 3. *par. quæst.* 29. *supplem artic.* 7. Bonac. *disp.* 7. *de sacramen. quæst. vn. pun.* 3. *num.* 3. Gaspar Hurtad *de sacrament. tract. de extr. vnct. difficul.* 7. uer. *Addimus* Caspens. *par.* 2. *curs. theol. trac.* 27. *disp.* 4. *sect.* 1. *numer.* 10. Primò quia hic modus non est propriè deprecatiuus, nec qui loquitur, cum Deo loquitur. Secundò, quia uariatur principalis copula totius propositionis.

2 At esse formam sufficientem tradunt Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 8. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *capit.* 3. *num.* 1. Reginald. *lib.* 28. *praxis fori poenit. cap.* 9. *num.* 55. Auersa *de sacramen. quæst. un. de extr. unct. sect.* 3. uer. *Tertia.* Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 89. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 26. *disp. un. pun.* 4. *nu.* 3. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 1. *num.* 22. *in fine.* Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract. ult. quæst.* 4. uer. *Quod si est.* Angles *in florib. quæst. de extr. unct. ar.* 1. *in fine.* Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disput.* 1. *dub.* 4. *num.* 65. Ochagauia *de sacram. tract. de extr. unct. quæst.* 4. *num.* 5.

3 Dicendum est, Formam mixtam ex indicatiuo, & deprecatiuo modo, nempe *Vngo te, ut indulgeat tibi Deus*, esse sufficientem. Prob. Forma, de qua agitur, continet sufficientem deprecationem. Ergo est sufficiens, quia in tantum non esset sufficiens, in quantum non esset deprecatiua. Anteced. prob. Deprecatio, quæ continetur in forma consueta Ecclesiæ, est tota in ordine ad indulgentiam delictorum, & explicatur per modum subiunctiui, ut constat illis verbis, Indulgeat tibi Deus &c. Sed etiam in præsenti forma deprecatio explicatur per modum subiunctiui, dum dicitur, *Vngo te, ut indulgeat tibi Deus*, & deprecatio est in ordine ad indulgentiam delictorum. Ergo continebit sufficientem deprecationem.

4 Dices. Dum minister dicit, *Vngo te, ut indulgeat tibi Deus*, explicari causam finalem vnctionis, non autem fundi preces. Contra. Causa finalis vnctionis est effectus obtinendus à Deo mediante sacramento tanquam causa effectiua illius. Ergo verba prolata in ordine ad hunc finem obtinendum se habent deprecatiuo modo, quia cum proferantur ad ipsum obtinendum per sacramentum, proferuntur ad obtinendum eo modo, quo debet conferri per

fa-

sacramentum, debet autem conferri dependenter à diuina misericordia, atque adeo media imploratione, seu deprecatione: & proinde cum verba possint significare deprecatiuo modo, sicut etiam significant in forma consueta Ecclesiæ, tali modo significabunt.

5 Confir. Hæc forma non habet significationem diuersam substantialiter à consueta forma Ecclesiæ. Ergo est sufficiens, cum diuersitas accidentalis non tollat sufficientiam formæ sacramentalis. Anteced. prob. Hæ formæ in eo solum differunt, quod in vna dicitur Per istam vnctionem, & in alia *Vngo te ut etc.* Hæc autem verba habent eamdem significationem substantialem, nam vtraque significant vnctionem tanquam causam, per quam Deus indulgeat. Cum enim dicitur, Per istam vnctionem explicatur vnctio tanquam causa, per quam Deus exerceat indulgentiam: & quia ratione pronominis *Istam* explicatur demonstratiuo modo, explicatur etiam vt exercita, quia exercetur, & ideo ex vi huius significationis vnctionis exercitæ subintelligitur, *Qua ungo te*, & tacitè inest. Rursus cum dicitur. *Ego ungo te ut etc.* explicatur vnctio vt exercita à ministro, & vt causa, per quam Deus exerceat indulgentiam, nam dictio, *Vt*, stat causatiuè, & attribuit causationem ipsi vnctioni, cum enim significet indulgentiam vt finem vnctionis, significat etiam vnctionem, vt medium ordinatum ad causandum finem vnctionis, seu effectum sacramenti. Et proinde hæc dictio, *Vt*, facit, vt tacitè insint verba, per hanc vnctionem, Ergo significatio substantialis est eadem in vtrisque, cum solum differant in eo, quod verba, quæ tacitè insunt vni, exprimuntur in altera; & e contra, quæ in hac exprimuntur, illi tacitè insunt.

6 Ad 1. respo. falsum esse, quod hic modus non sit propriè deprecatiuus, cum sit idem cum eo, qui continetur in forma consueta Ecclesiæ, vt constat ex dictis. Nam non est nouum, quod modus subiunctiuus adhibeatur in deprecatione, & vulgo dicitur Per vitam tuam, ne hoc facias, ne hoc dicas, Dignetur dominatio vestra, & similia. Quinimo adhibetur in oratione Dominica, dum dicitur, Adueniat regnum tuum; fiat voluntas tua, & passim in præcationibus Ecclesiæ, vt in Oratione Pateant aures misericordiæ tuæ Deus, Intercessio nos protegat. Subueniat nobis Domine misericordia tua. Proficiat quæsumus Domine, & alia similia frequenter in orationibus Ecclesiæ obuia sunt. Nec obstat, quod minister non loquatur directè cum Deo; nam nec etiam in consueta forma Ecclesiæ cum Deo loquitur, cum similiter dicat, Indulgeat tibi Deus: sufficit enim indirecta loquutio, cum in eo consistat, quod præcetur, vt Deus indulgeat.

7 Ad 2. negat. assumptum, nam non variatur copula, qua effectus sacramenti tribuitur vnctioni, & ministro tamquam causæ ministeriali; Siue enim dicatur Per hanc vnctionem indulgeat Deus &c. Siue, *Vngo te, ut indulgeat tibi Deus*, semper indulgentia refunditur in vnctionem, vt in medium applicatum ad ipsam obtinendam, vt constat ex dictis *num.* 5.

8 Est tamen aduertendum, quod licet forma, de qua agitur valida sit, non est tamen licita, vt docent Doctores citati *num.* 2. Neque enim licet priuatæ personæ mutare formas sacramentorum, sed tenetur quisque sub mortali adhibere præscriptas ab Ecclesia. Et ideo qui talem formam adhiberet, conficeret quidem sacramentum, sed tamen grauiter peccaret.

An

An sit de necessitate sacramenti, quod in forma explicentur sensus. Quæst. 364.

S V M M A.

1 *Sensus explicandi in forma extremæ vnctionis de necessitate præcepti.*
2 *De necessitate sacramenti an explicandi, &c. num. seq.*
4 *Quæ verba in formis non sint de necessitate sacramenti.*
5 *Expressio sensuum in extrema vnctione non est necessaria ad significandum effectum sacramenti.*
6 *Nec ad exprimendum modum, quo ponitur.*
7 *Extrema vnctio remittit peccata independenter ab eo, quod sint commissa per hunc, vel illum sensum.*
8 *Extrema vnctio non significat suum effectum per partes.*
9 *Formæ partiales extremæ vnctionis quando significarent effectum per partes.*
10 *In forma extremæ vnctionis Græcorum non exprimuntur sensus.*
10 *Ex verbis Iacobi Apostoli non colligitur, quod sint in forma extremæ vnctionis exprimendi sensus.*
11 *Forma sacramenti non debet exprimere necessariò applicationem materiæ tali parti subiecti.*
12 *Extrema vnctio, vt curatina animæ non debet necessario applicari sensibus.*
12 *Sensus an radix peccatorum.*

1 NEmo, quem viderim, uertit in dubium, quin de necessitate præcepti sint explicandi in forma singuli sensus, & proinde grauiter peccaturum, qui omitteret explicare, ita enim præscribit Ecclesia: & ideo qui hoc non seruaret, faceret in re graui contra præceptum. Vnde solum vertitur in dubium, an sit de necessitate sacramenti, quod exprimantur.

2 Et quamuis, qui tenent, esse de necessitate sacramenti vnctionem quinque sensuum, videantur vt plurimum supponere, quod etiam explicatio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti, hoc tamen ex illo non sequitur, cum aliud sit vnctio sensuum, & aliud explicatio eiusdem sensus in forma cadente super ipsam vnctionem. Hinc, quamuis in Confirmatione, vt communiter tradunt, sit de necessitate sacramenti, quod frons vngatur; non tamen in forma explicatur. Quod autem explicatio sensuum in forma sit de necessitate, expressè tradunt Præposit. 3. *par. quæst. vn. de extrema vn. dub. 4. num. 24. in fine.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect.* 4. ver. *Iam circa*. Nauar. *cap. 22. Manual. n.* 13. Angles *in florib. quæst. de extrema vnct. artic. 1. difficul.* 5. Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extr. vnct. num.* 18. Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disput. vn. pun. 4. numer.* 4.

3 At non esse de necessitate sacramenti, quod sensus exprimantur in forma, tradunt Syluius. 3. *par. quæstion.* 29. *supplem. ar.* 9. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst. 1. dub. 1. num.* 23. Reginal. *lib.* 28. *praxis fori poenit. capit.* 9. *num.* 56. Isambert. 3. *par. disp.* 3. *de extr. vnct. ar.* 2. *inis.* vbi recenset particulas essentiales, & non ponit expressionem sensuum, & *proposit.* 2. subdit illas solas recensitas esse essentiales. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. un. pun.* 3. *num.* 4. Petrus à S. Ioseph. *de sacram. cap.* 34. *resol.* 3. ver. *Tertiò*. Et ita etiam tenere debent, qui volunt, quod illa verba, *Quicquid peccasti*, non sint de necessitate sacramenti, siquidem, si hæc non ingrediuntur formam, nec etiam verba *Visum, Auditum &c.* ingredi possunt.

4 Dicendum est. *Non esse de necessitate sacramenti, quod in forma explicentur sensus.* Prob. Illa verba non sunt in forma de necessitate sacramenti, quæ non sunt de substantia significationis sacramentalis; & illa non sunt

de

de substantia significationis sacramentalis, quæ non sunt necessaria ad significandum effectum sacramenti, siquidem cum significatio sacramentalis sit practica, & effectiua effectus sacramenti, est tota in ordine ad ipsum significandum, & ideo verba, quæ non sunt necessaria ad ipsum significandum, nec etiam sunt de substantia significationis sacramentalis. Sed ista verba *Visum*, *Auditum &c.* non sunt necessaria ad significandum effectum sacramenti. Ergo neque erunt de necessitate sacramenti.

5 Quod autem non sint necessaria ad significandum effectum sacramenti, ex eo constat, quod effectus sacramenti, vt habet Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 2. de extr. vnct.* significatur illis verbis Iacobi Apostoli, *Oratio fidei saluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus; et si in peccatis sit dimittentur ei*. Constat autem, quod dicta verba non possunt concernere, nec vllo modo significare saluationem, & alleuiationem infirmi; sed solum concernunt remissionem peccatorum. Non sunt autem necessaria ad significandam hanc remissionem, nam neque significant remissionem peccatorum in genere, siquidem significatur per verbum, *Indulgeat*, nec modum specialem, quo per hoc sacramentum remittuntur, nam remittuntur tanquam per medicinalem sanationem, vt communiter docent cum D. Th. *quæst. 30. supplementi. artic. 1.* & habetur ex illis verbis formæ huius sacramenti apud Ecclesiam Græcam, *Pater sancte medice animorum sana etc.* qui modus non exprimitur, dum exprimuntur sensus. Imo nullo pacto possunt significare talem effectum, cum significent subiectum, aut radicem peccatorum.

6 Confir. In sacramento pœnitentiæ forma significat remissionem peccatorum, & modum specialem, quo per hoc sacramentum remittuntur, nempe per modum iudicialis sententiæ, & tamen non exprimitur subiectum peccatorum, aut radix, & origo. Ergo neque in sacramento extremæ vnctionis necessarium erit exprimere sensus ad significandam remissionem peccatorum, nam modus, quo remittuntur per hoc sacramentum, nihil concernit sensus; siquidem talis modus est effectiuè à sacramento, & fundatur in gratia sacramentali: nec sensus exprimunt aliquid, quod hunc modum concernat.

7 Confir. 2. In forma sacramenti sensus exprimuntur tanquam causa efficiens peccatorum, quatenus suo modo, vel originatiuè, vel alio modo concurrunt ad peccata, vt declarant verba illa, *Per visum deliquisti*, dictio enim, *Per*, importat causam efficientem. Ergo talis expressio non pertinet ad substantiam formæ. Conseq. prob. Sacramentum causat indulgentiam peccatorum independenter ab eo, quod sint commissa per hunc, vel illum sensum, cum ex hoc capite nullam habeant specialem rationem remissibilitatis, & per accidens se habeat quoad remissionem, quod sint commissa per hunc, vel illum sensum; præsertim, quia sacramentum causat integram sanitatem animæ, atque adeo non magis in ordine ad vnum, quàm ad alium sensum. Ergo cum sacramentum significet tantum indulgentiam peccatorum, ex ui suæ significationis substantialis non se extendet ad significandum, quod sint commissa per hunc, vel illum sensum, cum hoc materialiter se habeat.

8 Confir. 3. Effectus sacramenti etiam quoad indulgentiam ponitur totus simul, & indiuisibili modo, nempe in eo momento, in quo perficitur sacramentum. Ergo sacramentum, quantum est ex vi suæ significationis substantialis, non potest ipsum significare per partes, sed debet significare totum simul, & indiuisibiliter, quia cum significare sacramenti sit causare, si significaret per partes, causaret etiã per partes. Si autem verba, *Per visum, auditum etc.* essent de substantia formæ, significarẽt indulgentiam pecca-

catorum per partes; nam ex vi formæ peccata diuiderentur in quinque genera iuxta quinque sensus, & indulgentia ipsorum significaretur diuisim à sacramento iuxta hæc quinque genera: atque adeo etiam causaretur, quod implicat.

9 Dices. Non significare diuisim, quia significatio sacramenti non completur, nisi in vltima vnctione, & prolatione vltimæ formæ. Contra. Quicquid de hoc sit, adhuc sunt plures formæ saltem partiales, & seorsim proferuntur, & in qualibet exprimitur tantum indulgentia vnius generis peccatorum in ordine ad vnum sensum. Ergo si talis modus exprimendi nempe in ordine ad determinatum sensum est de substantia sacramenti, iam sacramentum in sua significatione substantiali significabit per partes indulgentiam, atque adeo effectum sacramenti. Confir. Significatio cuiuslibet formæ partialis non remanet in suspenso, sed perficitur, ita vt adæquatè significet, quod intenditur significari. Ergo si expressio sensus, qui exprimitur, est de substantia significationis sacramentalis, sacramentum quoad significationem substantialem diuidetur in partes completas in suo genere, sicut est significatio naturalis verborum cuiuslibet formæ. Et proinde, quantum est ex vi suæ significationis sacramentalis, deberet ponere effectum per partes, cum debeat ponere ex vi significationis, atque adeo eo modo, quo significat, vt significatio vera sit.

10 Denique hoc ipsum probatur ex forma, qua vtuntur Græci antiquissima, in ipsa enim non exprimunt aliquem sensum, nam solum precantur Deum, vt sanet à morbo animi, & corporis: neque hæc forma correcta fuit à Clemente VIII. *In instructione pro ritibus Græcorum apud* Quarantam *in Bullario*. verbo. *Ritus Græcorum*. & proinde censenda est sufficiens, & valida, alioquin Pontifex illam non permisisset, sed correxisset, sicut alia correxit. Præsertim quia fundatur in eo, quod tradidit D. Iacob. *Apost.* qui solum dixit, *Orent super eum*, ex quibus verbis solum consequitur, quod forma debeat esse deprecatoria ordinata ad obtinendos effectus sacramenti ei, qui vngitur. Vnde cum Ecclesia in ministratione huius sacramenti nihil obseruet quantum ad ea, quæ pertinent ab substantiam, quàm quod præscripsit Iacob. Apost. vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3. de extrema vnct.* & proinde supponat omnia substantialia esse explicata à D. Iacobo, fit, quod cum ab ipso non sit explicatum neque expressè, neq. implicite, quòd in forma exprimantur sẽsus, hoc nõ pertineat ad substnatiã sacramenti. Neque enim ex eo, quod dixit, *Orent super eum*, habetur implicitè, sensus esse exprimendos.

11 Dices. Forma debet correspondere materiæ. Ergo cum materia huius sacramenti sit vnctio talis, & talis sensus, necesse erit exprimere in forma talem, & talem sensum. Resp. Argumentum supponere, quod sit de necessitate sacramenti vngere omnes sensus, quod supra negatum est, cum sufficiat vnica vnctio pro validitate. Deinde quicquid de hoc sit. Forma debet correspondere materiæ, non quia debeat exprimere applicationem materiæ tali, vel tali parti subiecti, nam neque in confirmatione, neque in Baptismo exprimitur, sed solum in ordine ad significandum effectum sacramenti, quatenus debet consignificare materiæ determinando eius materialem significationem.

12 Dices 2. Hoc sacramentum est institutum per modum curationis spiritualis ad sanandam animam, Ergo ex sui institutione debet applicari iis partibus, in quibus est radix morbi; est autem in sensibus. Resp. neg. conseq. Quia tunc curatio est applicanda illi parti, in qua est radix morbi, quando debet ibi sortiri suum effectum destruendo radicem morbi. Hoc autem sacramentum non debet producere suum effectum in sensibus, sed in anima,

ma, nec debet destruere radicem, cum non destruat sensus. Vnde ex institutione sua habet solum, quod applicetur vt curatiuum animæ, pro quo sufficit, quod applicetur cuicunque parti corporis, sicut sufficit in baptismo, quamuis ordinetur ad abluendum totum hominem spiritualiter. Addo etiam, quod sensus non sunt radices peccatorum, quia tantum deferunt obiecta ad intellectum, quæ quidem delatio de se est omnino indifferens ad bonum, & malum, nec in ipsa incipit aliqua determinatio ad malum, quæ requiritur pro radice, sed tantum in concupiscentia, quæ incipit inclinare ad malum.

An verba, suam pijssimam misericordiam, sint essentialia formæ. Quæst. 365.

S V M M A.

1 *Verba in forma extremæ vnctionis, suam pijssimam misericordiam, sunt de præcepto.*

2 *An sint de necessitate sacramenti. & num. seq.*

3 *Expressio diuinæ misericordiæ non est necessaria ad significandum effectum sacramenti.*

4 *In forma extremæ vnctionis diuina misericordia exprimitur per verbum*, Indulgeat.

5 *Causa principalis an explicanda in formis sacramentorum.*

6 *Expressio diuinæ misericordiæ in forma extremæ vnctionis non pertinet ad significationem sacramentalem.*

7 *Omittens data opera verba*, suam pijssimam, *in forma extremæ vnctionis, peccaret mortaliter.*

1 HEc verba proferenda esse in forma ex præcepto Ecclesiæ, & proinde grauiter peccaturum, qui illa omitteret, non vertitur in dubium. Solum dubitatur, an sint de essentia formæ, ita vt, si omittantur, sacramentum non teneat. Prima autem sententia asserit, esse de essentia formæ, quod in ipsa inuocetur diuina misericordia. Ita Nugn. 3. *part. quæst. 29. supplem. artic. 9. conclus.* 5. Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect. 3.* ver. *Sexto*. Fundamentum est, Quia sacramentum esset nullum, si non explicaretur causa instrumentalis, nempe vnctio; ergo etiam non explicata causa principali, quia hæc magis pertinet ad sacramentum. Secundo. Hoc sacramentum est institutum pro illo statu, in quo homo maximè indiget diuina pietate, & ad ipsum subleuandum ab illa miseria mediante communicatione diuinæ misericordiæ. Ergo erit de necessitate sacramenti inuocatio diuinæ misericordiæ.

2 Secunda sententia docet, inuocationem diuinæ misericordiæ non esse de necessitate Sacramenti. *Ita* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 3. numer.* 13. Couinch *tom. 2. de sacramen. disp. 19. dub. 4. num.* 15. Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract.* 8 *cap. 3. num.* 3. Filliuc. *tract. 3. cap. 4. num.* 85. Reginal. *lib. 28. praxis fori poenit. cap. 9. num.* 56. Pitigian. *in 4. dist. 23. quæst. vn. ar. 4. dub.* 2. Mercer. *de sacram. quæst. 29. supplemen. artic.* 9. ver. *Vbi notandum.* Syluius. 3. *par. quæstion. 29. supplem. ar.* 9. Putean. *quæst. vn. de extrem. vnct. dub. 3.* ver. *Aduerte*. Præposit. *dub. 4. num.* 24. ver. *Aduerte*. 1. Isambert. *disp. 3. de extr. vnct. art. 2.* ver. *Confirmatur*. Gaspar Hurtad. *de sacramen. tract. de extr. vnct. difficul. 7.* ver. *Addimus*. Caspens. *tom. 2. curs. theol. tract. 27. dist. 4. sect. 1. in fine.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. q. 1. dub. 1. n.* 23. Baunius *par. 1. theol. mor. trac. vlt. quæstion.* 5. ver. *An autem.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 5. numer.* 87. Mærat. *tom. 3. summ. disp. 4. de extr. vnct. sect. 2.* ver. *Certum deinde*. Palaus. *par. 4. oper. mor. tract. 26.* di-

disput. vn. pun. 4. num 4. Dicastil. *de sacrament. tract. 7. disp. 1. dub. 4. numer. 69.*

3 Dicendum est. *Inuocationem diuinæ misericordiæ non esse necessariam in forma necessitate sacramenti, & proinde illa verba* Per suam pijssimam misericordiam, *non esse de essentia*. Prob. Expressio diuinæ misericordiæ non est necessaria ad significandum effectum sacramẽti, nec ad deprecandum Deum in ordine ad ipsum. Ergo non est de substantia formæ; siquidem substantia formæ saluatur in significatione sacramentali effectus sacramenti, & in deprecatione. Anteced. prob. Effectus sacramenti sufficienter significatur per vnctionem, quæ iuxta Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1. de extr. vnct.* significat interiorem vnctionem Spiritus Sancti, & per verbum *Indulgeat.* nam per hoc significatur gratia indulgentiæ. Rursus non est necessaria ad deprecandum Deum pro effectu sacramenti; nam passim deprecamur Deum pro obtinendis effectibus etiam diuinæ misericordiæ absque inuocatione eiusdem misericordiæ.

4 Confir. Quando Deus exercet nobiscum indulgentiam, exercet etiam misericordiam, cum indulgentia sit effectus misericordiæ. Ergo dum dicitur, *Indulgeat tibi Deus*, exprimitur sufficienter diuina misericordia in esse exercito, nam Deus indulgens est Deus miserens.

5 Ad 1. neg. conseq. Nam causa principalis non solet explicari in formis sacramentorum, vt patet in forma baptismi, confirmationis, poenitentiæ &c. sufficit enim applicatio materiæ, & formæ per ministrum. Quia tamen hoc sacramentum ita institutum est, vt debeat forma deprecatiuo modo applicari, ideo debet exprimi ille, cui fit supplicatio, & à quo medio sacramento tanquam instrumento expectatur effectus. Sufficienter autem explicatur, dum dicitur *Indulgeat tibi Deus.*

6 Ad 2. neg. similiter consequen. Nam licet effectus sacramenti sit effectus diuinæ misericordiæ: non tamen ipsa misericordia est significanda sacramentaliter, & ideo, cum forma quòad suam substan iam dicat solum significationem sacramentalem, consequenter ea tantum sunt de ipsius substantia, quæ sunt de substantia significationis sacramentalis. De substantia autem significationis sacramentalis nõ est expressio diuinæ misericordiæ, cum hæc non significetur sacramentaliter.

7 Ex dictis colligitur contra Martin. à S. Ioseph, *tom. 1. moral. lib. 1. tr. 1. de extr. vnct. num. 16.* Quod si quis dedita opera relinqueret in forma huius sacramenti illa duo verba, *suam piissimam*; peccaret mortaliter. Quia quicquid sit, an sit grauis mutatio quòad significationem, certum est, quod priuata persona sibi vsurpat ius supra publicos ritus constitutos ab Ecclesia publica auctoritate, per quod grauiter læditur auctoritas Ecclesiæ: & cum mittat falcem in messem alienam, contrectat iura aliena inuito domino: & refugit directionem Ecclesiæ in ministratione sacramenti.

An inuocatio Trinitatis in forma huius sacramenti sit necessaira. Quæst. 366.

S V M M A.

1 *Inuocatio Trinitatis non est necessaria necessitate sacramenti.*
2 *Qui affirmant esse necessariam necessitate præcepti.*
3 *Qui negent.*
4 *Sententia negatiua probatur.*
5 *Quid si in aliqua Ecclesia esset consuetudo inuocandi Trinitatem.*
6 *Quid sentiat circa hoc Suarez.*

---

1 Conueniunt omnes non esse necessariam necessitate sacramẽti,

ti, quia neque ex verbis Iacobi Apostoli colligitur, cum non sit necessaria pro saluanda oratione, & tamen omnia essentialia sacramenti explicauit, vt habet Concilium Tridenr. *sess. 14. cap. 3. de extr. vn.* Neque Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis. §. Quintum sacramentum*, vbi tradit formam huius sacramenti, illam ponit. Neque est in praxi apud omnes Ecclesias. Vnde solum difficultas est, an sit necessaria necessitate præcepti.

2 Prima sententia asserit, esse necessariam ex præcepto, ita Palud. *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 2.* Putean. *3. par. quæst. de extr. vnct. dub. 3.* ver. *Aduerte*. Baunius *par. 1. theol. moral. tr. vlt. quæst. 5. init.* Quia inquit nusquam omittitur, nec in aliqua Ecclesia relinquitur; in quo tamen fallitur, vt constabit ex dicendis.

3 Communis sententia tenet, quod neque ex præcepto sit necessaria. Ita Ledesma *par. 1. sum. tract. de extr. vnc. cap. 3. conclus. 3* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 40. sect. 3. in fine*. Coninch. *tom. 2. de sacram. disp. 19. dub. 4. num. 15.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 3. in fine*, Sà verbo, *Extrema vnctio. n. 7.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 3. num. 2.* Filliuc. *tract. 3. cap. 4. num. 86.* Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst. 4. num. 7.* ver. *Quæres*. Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26 disp. vni. pun. 4. num. 5.* Pitigian. *in 4. dist. 23. quæst. un. ar. 3.* Bartholom. ab Angelo *Dialogo 6. §. 106.* Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 23.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 1. de extr. vnct. num. 15.*

4 Dicendum est, Inuocationem Trinitatis in forma sacramenti extremæ vnctionis non esse de necessitate præcepti. Prob. In Rituali Romano non præscribitur inuocatio Trinitatis, dum traduntur formæ pro singulis vnctionibus. Ergo non est de præcepto in quacunque Ecclesia. Conseq. prob. Tum quia in dicto Rituali traduntur ritus seruandi in ministratione sacramentorum vbique locorum à quacunque Ecclesia. Tum quia cum non sit de præcepto ex præscriptione Romanæ Ecclesiæ, neque etiam potest esse de præcepto ex præscriptione inferioris Ecclesiæ; nam Ecclesiæ inferiores non habent facultatem disponendi circa sacramenta Ecclesiæ, & præcipuè circa formam, & materiam, quia facultas illa, quæ à Christo data est Ecclesiæ statuendi, & mutandi in sacramentorum dispensatione, quæ expedirent, salua ipsorum substantia, vt habet Concil. Trident *sess. 21. capit. 2.* non est communicata inferioribus Ecclesiis, Et ideo non possunt obligare ad aliquos ritus, aut ad aliquid addendum formæ, cum talis obligatio excedat spheram facultatis ipsarum.

5 Ex his colligitur contra Mercerum *de sacrament. quæst. 29. supplem. ar. 9.* ver. *Vbi notandum*. Gaspar. Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vnct. difficul. 7.* ver. *Circa inuocationem*. Quod quamuis in aliqua Ecclesia adsit consuetudo ministrandi extremam vnctionem cum inuocatione Trinitatis, non tamen obligare, & ideo, siquis illam omitteret, non peccaret. Et ratio est. Quia hæc consuetudo est de materia, ad quam non se extendit iurisdictio Ecclesiæ particularis, & ideo non potest esse obligatoria, vt enim cõsuetudo obliget, induci debet ab iis, qui habeant facultatem se obligandi, & proinde debet esse de materia, quæ sit sub ipsorum dispositione, alioquin tanquã destituta suo fundamento non habebit vim aliquam.

6 Colligitur 2. cum Suarez, & Tannero *numer. 3.* citatis, Inuocationem Trinitatis rectius omitti in forma huius sacramenti, quia, cum sit deprecatoria, ipsi non congruit Trinitatis inuocatio. Nam aut in significatione non coniungeretur cum coeteris verbis, sed veluti disparatè se haberet, & tunc non pertineret ad formam, & forma de per se staret absque tali inuocatione. Aut si coniungeretur, faceret sensum, quod Deus indulgeret in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; qui sen-

sensus ad minus esset ineptus. Et proinde Ecclesia Romana non adhibet hanc inuocationem.

An illa verba, quicquid deliquisti, *sint de essentia formæ*. *Quæst.* 367.

SVMMA.

1 *Possunt mutari in æquiualentia.*
2 *Esse de essentia qui doceant.*
3 *Oppositum docentes.*
3 *Non esse de essentia probatur.*
4 *Confirmatur.*
5 *Diluuntur obiecta.*

1 CErtum est iuxta ea, quæ traduntur de sacramentis in genere, dicta verba mutari posse in æquiualentia, qualia essent, quod peccasti, siue peccata, aut alia similia: vnde solum dubitatur, an possint omnino omitti. Quod autem sint de essentia formæ, & proinde non possint omitti, tradunt Præpositus 3. *par. qu. vn. de extr. vnct. dub.* 4. *num.* 24. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 4. *numer.* 4. & plures alii Doctores id videntur supponere, dum excludentes alia verba ab essentia formæ, hæc non excludunt.

2 At non esse de essentia formæ, & proinde omitti posse sine præiudicio validitatis sacramenti tradunt Syluius 3. *par. quæst.* 29. *supplem. art.* 6. Isamberr. *disp.* 3. *de extr. vnct. art.* 2. ver. *Confirmatur discurrendo*.

3 Dicendum est. Verba quicquid deliquisti, aut alia similia non esse de essentia formæ, & ideo ipsorum omissionem non officere validitati sacramenti. Prob. Illa verba non sunt de essentia formæ sacramentorum, quæ auferri possunt salua substantiali significatione. Hæc autem sunt huiusmodi, nam solum significant materiam, circa quam versatur indulgentia. Hæc autem materia significatur etiam per verba *Indulgeat tibi Deus*, nam indulgentia exercenda à Deo cum hominibus, est solum de peccatis cum Deus non habeat, quod indulgeat homini, nisi peccata, & ideo adhuc salua manet significatio substantialis formæ absque illis verbis.

4 Confir. Ideo deberent poni ista verba, *Quicquid peccasti*, vt exprimeretur effectus sacramenti. Sed ex hoc capite non sunt necessaria. Ergo neque sunt de substantia. Minor. prob. Effectus sacramenti est alleuiatio spiritualis infirmi, & remissio peccatorum iuxta verba Iacobi Apostoli *Alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei*, qui quidem effectus posterior est conditionatus, & ex suppositione, quod adsint peccata remittenda; & ideo consistit in gratia alleuiante, & dimittente consequenter peccata. Hoc autem totum sufficienter explicatur in verbis, *Indulgeat tibi Deus*, nam explicant gratiam alleuiatricem, & indulgentem.

5 Dices. In sacramento pœnitentiæ non sufficiunt verba *Te absoluo*, sed debent addi uerba à peccatis, vt explicetur materia, circa quam versatur absolutio. Ergo etiam in sacramento extremæ vnctionis sunt necessaria verba, *quicquid deliquisti*, vt explicetur materia, circa quam versatur indulgentia. Resp. neg. conseq. Nam in sacramento poenitentiæ debent explicari peccata, quia verbum *absoluo* est indifferens, etiam prolatum à sacerdote, vt intelligatur de peccatis, vel de censuris, vel de aliquo alio. At verbum *Indulgeat*, dum tribuitur Deo erga hominem, sufficienter determinatur ad significandum effectum spiritualem, atque adeo specialem fauorem Dei erga hominem, qui consistat in aliquo effectu gratiæ.

An

An verba Per istam sanctam vnctionem *sint de essentia formæ. Quæst.* 368.

SVMMA:

1 *Lij* Sanctam *certum est non esse de essentia.*
2 *Cetera verba quoad aliquos sunt de essentia.*
3 *Qui teneant oppositum.*
2 *Sententia tenens non esse necessaria necessitate Sacramenti.*
5 *Græcos habere veram formam probatur.*
6 *Confirmatur sententia. num.* 7. 8. & 9.
10 *Fundamentum opposita sententia refellitur.*
11 *Forma Græcorum non redarguenda.*
12 *In forma latina quæ verba essentialia.*
13 *Obiectiones solutæ. num.* 14.

1 Conueniunt omnes, quod verbum, *Sanctam*, non sit essentiale; quia exprimitur tantum qualitas vnctionis, & proinde non pertinet ad substantiam significationis, quæ est eadem siue exprimatur qualitas vnctionis, siue non exprimatur, & ideo Concilium Florentinum *in Decreto fidei pro Armenis.* §. *Quintum sacramentum* tradens formam huius sacramenti, non posuit hoc verbum *Sanctam*. Quare difficultas est de cœteris verbis, siue aliis æquipollentibus in significatione.

2 Prima autem sententia asserit esse de essentia; & proinde Græcos non habere veram formam huius sacramenti, quia in ipsa non explicant vnctionem, seu actionem ministri. Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 12. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 4. *num.* 4. Isambert. 3. *par. disp.* 3. *de extr. q. vn. ar.* 2. *proposit.* 1. Syluius *quæst.* 29. *supplem. artic.* 9. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 4. *de extr. vn. sect.* 2. ver. *Certum deinde*. & alii id potius videntur supponere, quam disputare. Fundamentum est. Quia in sacramentis, quæ consistunt in actione, debet exprimi ipsa actio ministri, aliàs non esset sacramentum. Sacramentum autem extremæ vnctionis consistit in actione transeunte, nam facta vnctione, & prolatis verbis nihil remanet de sacramento, sed solum relinquitur effectus. Ergo debet, vt validum sit, in forma explicari materia proxima, quæ est vnctio, seu actio ministri.

3 At non esse necessariam exprimere vnctionem, & actionem ministri, & proinde dicta verba non esse de essentia, tradunt Arcud. *lib.* 5. *de sacramen. cap.* 5. ver. *Hæc ferè.* Iacob. Goar *ad Euch____. Græcor. in Notis in officium sancti olei, num.* 29. defendentes formam, quam adhibent Græci, in qua non exprimunt vnctionem, atque adeo nec actionem ministri.

4 Dicendum est. Non esse necessarium necessitate sacramenti, quod in forma exprimatur vnctio, seu actio ministri, & proinde illa verba, *Per istam vnctionem*, non esse essentialia. Prob. In forma, quam adhibent Græci, non exprimitur vnctio, seu actio ministri, vt constat eam consideranti, quam retuli *quæst. super. numer.* 2. *& sequent.* Ergo non est essentiale sacramento, quod exprimatur; nam si semel conficitur sacramentum absque hac expressione; non erit requisita ex institutione Christi, nam quæ requiruntur ex institutione Christi, semper sunt necessaria, ita vt, si desint, non conficiatur sacramentum.

5 Dices. Græcos non habere veram formam huius sacramenti. Contra. Clemens VIII. *In instructione pro ritibus Græcorum edita die* 31. *Augusti* 1595. *et Romæ excusa anno* 1597. corrigit Ritus Græcorum circa sacramenta præcipuè, & non corrigit formam huius sacramenti. Rursus Innocentius VIII. *in Bulla ad Episcopum Tusculanum*

num Legatum Sedis Apostolicæ in Regno Cypri. Nonis Mart. anno 11. sui Pontificat. super ritibus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari possunt, non corrigit formam huius sacramenti. Ergo signum est, quod hi Pontifices illam habuerunt pro legitima, & sufficienti, alioquin illam correxissent, sicut correxerunt coetera. Confir. Neophytus Rhodinus *in sua Synopsi Romæ edita, & approbata de mandato S. Congregationis de Propaganda fide* tradens materiam, & formam huius sacramenti, refert illam orationem, qua Græci vtuntur, & in qua non exprimitur vnctio, seu actio ministri. Ergo ex hoc quoque capite talis forma remanet approbata tanquam sufficiens, & legitima.

6 Confir. Antiquitus in Ecclesia Romana in forma confirmationis non explicabatur vnctio, seu actio ministri: sed nec etiam materia proxima, sicuti modo explicatur; sed solum Episcopus dicebat, *Confirmo te in nomine Patris &c.* vt habet ordo Romanus *in officio Sabbati sancti post benedictionem Fontis, & orationem, Omnipotens*, vbi his verbis traditur modus confirmandi: *Pontifex tincto pollice in Chrismate faciat Crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Resp. *Amen*. Ex quo patet, eos, qui respondent, non poni integram formam, non vidisse textum, siquidem tanquam Rituale ponit omnia, quæ dicenda sunt in ministrando tali sacramento, & etiam quod respondendum est completa forma; quod seruat etiam in omnibus aliis sacramentis, & ritibus, quorum modum tradit. Ergo non est de necessitate sacramenti, quod consistit in actione transeunte, quod in forma explicetur actio, seu materia proxima.

7 Confir. 2. Illa sola significatio est substantialis sacramentis, quæ necessaria est, vt tanquam signa sensibilia significent effectum sacramenti: nam hac posita habetur constitutiuum adæquatum sacramenti, cum non sit aliud, quàm signum rei sacræ, & tale sacramentum tale signum talis rei sacræ, hoc est gratiæ specialis sacramentalis, quæ ipsi correspondet. Sed in sacramento extremæ vnctionis, non est necesse exprimere actionem ministri, seu materiam, vt tanquam signum sensibile significet effectum sacramenti. Ergo talis significatio non est substantialis. Min. prob. Epressio actionis ministri, seu materiæ explicat solum applicationem sacramenti, seu signi sensibilis, atque adeo non constituit, sed supponit signum sensibile, quod applicatur, nam hoc est obiectum, circa quod versatur expressio. Ergo cum supponat, quod exprimit, non constituit signum sensibile, atque adeo non ingreditur significationem substantialem sacramenti. Rursus dum explicat actionem ministri, seu materiam, non significat effectum sacramenti. Ergo talis expressio, seu significatio non est substantialis, cum sola significatio effectus sit substantialis.

8 Confir. 3. Forma ratione suæ significationis coniungitur cum materia, vt determinet significationem eiusdem materiæ, quæ de se indeterminata est, vt communiter docent cum D. Th. 3. *par. quæst. 60. ar. 6. in fine corporis*. ibi. *Propter hoc per verba magis distinctè possumus exprimere, quod mente concipimus, & ideo ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur*. Ergo illa significatio verborum non est necessaria, & substantialis, quæ non dat materiæ aliquam nouam determinationem supra illam, quam habet. In sacramento autem extremæ vnctionis, verba quæ explicant materiam, seu actionem ministri, nempe vnctionem, non dant aliquam nouam determinationem materiæ, nam ex se est sufficienter determinata, vt sit vnctio ordinata ad vngendum.

9 Confir. 4. Determinatio, quam forma debet tribuere materiæ, debet esse in ordine ad effectum sacramenti, nam tanquam indeterminata ad ipsum si-

gnificandum, debet à forma determinari. Sed expressio actionis ministri, seu materiæ proximæ non tribuit hanc determinationem. Ergo neque talis significatio, quæ habetur ex hac expressione, erit significatio propria, & substantialis formæ. Min. prob. Quia talis expressio solum significat oleum sacrum applicari ad vngendum tanquam signum sensibile significatiuum gratiæ. Hoc autem totum habet vnctio ex se, & proinde Concil. Trident. *sess. 14. capit, 1. de extrem. vnct.* ait, *quod vnctio significat Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur.*

10 Ad fundamentum in oppositum resp. Tunc in forma sacramenti, quæ consistit in actione transeunte, exprimendam esse actionem ministri, seu materiam proximam, quando de se est indifferens ad significandum effectum sacramenti, vel aliquid aliud, vt contingit in Baptismo, in quo ablutio, vt ait D. Th. *3. par. quæst. 60. art. 6. in corpore in fine* est indifferens ad effectum mundandi, & refrigerandi, & ideo quia significat ablutionem internam, quæ est effectus sacramenti, vt ablutiua, debet à forma determinari, vt applicetur tanquam ablutiua, quod fit, dum explicando actionem ministri dicitur, *Ego te baptizo*, hoc est abluo. In sacramento autē extremæ vnctionis materia non indiget hac determinatione; siquidem vnctio, vt vnctio est, significat interiorem vnctionem, vt dictum est *num. præced.*

11 Ex his colligitur; non esse redarguendam formam Græcorum ex eo, quod in ipsa non explicent actionem vnctionis, nec proximam materiam: siquidem, vt constat ex dictis, hoc non est de necessitate sacramenti. Et ideo habent sufficientem formam pro hoc sacramento, dum in ipsa præcantur Deum, vt tanquam medicus animorum sanet à morbo corporis, & animæ; nam sanare animam, est indulgere peccata: & ideo ipsorum forma æquiualet latinæ quoad essentialem significationem.

12 Colligitur 2. In forma latina verba essentialia esse tantum illa *Indulgeat tibi Deus*. Cœtera namque, quæ adhibentur non sunt essentialia, vt constat ex hucusque dictis. Et hæc simul cum vnctione sufficienter significant effectum sacramenti; nam vnctio significat interiorem *vnctionem*, vt dictum est *num. 9.* atque adeo totum id, quod significaretur per verba, *Per istam vnctionem*: & verba *indulgeat tibi Deus*, significant, quod significatur in consueta forma, cum sint eadem.

13 Dices, Si non ponerentur verba *Per, istam vnctionem* non subintelligeretur, *Qua unge te*, & proinde non haberet significationem enunciatiuam cum habeat ratione illorum verborum, vt dictum est supra *quæst. . n. 4.* Resp. neg. conseq. Nam significatio enunciatiua saluatur etiam cum solis verbis *Indulgeat tibi Deus*; significatio enim enunciatiua sacramentalis non est solius formæ, sed totius coniuncti ex materia, & forma, quod est vnicum signum sensibile sacramentale. Significatio namque enunciatiua est significatio effectus sacramēti, atque adeo sacramentalis, quæ in toto signo sensibili fundatur. Cum ergo vnctio exterior, vt dictum est, significet interiorem vnctionem, & verbum *Indulgeat tibi Deus* significat effectum interioris vnctionis, consurgit vnicum signum sensibile, quod significat sacramentaliter effectum sacramenti. Et quia vnctio est actio exercita ministri absoluta, nondependens ab aliena voluntate, tanquam signum indicatiuo modo ostendit, & enunciat per modum signi effectum sacramenti, & operatur, quod in forma subintelligantur verba, *Vngo te*, siquidem talia verba traduntur ab ipsa actione ministri, & proinde implicitè insunt formæ. Vnde in hoc sacramento subintrat regula, quod facta fortius significent, quàm verba *l. Certum. ff. si cert. per.* & cap. *Existimant. 12. quæst. 2.* & cap. *Dilecti. de appellat.* Siquidem ipsa actio ministri significat interiorem vn-

vnctionem, vt dictum est *numer. 9. ex Concil. Tident.*

14 Instabis: Actio ministri debet significari, vt exercita ab ipso, ita vt sit demonstratiuè, vt habeat significationem indicatiuam, vt dictum est supra *quæst. . . num. 5.* & proinde ponitur pronomen, *Istam*, vt ibi dictum est: Ergo hæc verba sunt necessaria. Resp. Pronomen, *Istam*, esse necessarium, si adhibeantur verba, *Per vnctionem*, quia tunc nomen *vnctio* debet significare vnctionem, vt exercitam à ministro. At si non explicetur actio ministri, neque etiam est necessarium pronomen; nam tunc actio ipsa vnctionis de se stat demonstratiuo modo, tum in ordine ad ministrum, tum etiam in ordine ad effectum sacramenti, siquidem est de ratione signi, vt demonstret signatum.

An sit de necessitate sacramenti repetitio formæ ad singulas vnctiones. Quæst. 369.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Sententia negatiua.*
3 *Stabilitur, & probatur, num. 4.*
5 *Soluuntur argumenta, num. 6. 7. 8.*
9 *An in hoc casu adhibendum verbum vnctionem, vel verbum vnctiones.*
10 *An in hoc casu exprimendi sensus de necessitate sacramenti.*

---

1 QVamuis plures ex iis, qui tenent esse necessarias necessitate sacramenti vnctiones quinque sensuum, teneant etiam, quod sit necessaria repetitio formæ ad singulas vnctiones variato nomine sensus; plures tamen etiam tenent, quod talis repetitio non sit necessaria necessitate sacramenti, sed sufficiat vnica forma communis omnibus vnctionibus. Quod autem repetitio sit necessaria necessitate sacramenti, tradunt in specie *Granad. 3. par. controuer. 8. trac. vn. disp. 7. num. 9.* Ludouic. à S. Ioa. *par. 1. summ. quæst. vn. de extr. vnct. ar. 3. dub. 2. difficul. 2. conclus. 2.* Baunius *par. 1. theol. moral. tract. vlt. de extr. vnct. quæst. 5. ver. Quartò ne quid.* Et fundamentum est. Quia sunt quinque vnctiones, quarum singulæ significant diuersimodè partialem effectum. Ergo debent esse etiam totidem formæ partiales cōsignificantes in ordine ad eumdem effectum. Confir. Vnctiones diuisiuè fiunt, ergo etiam formæ debent diuisiuè proferri, & non confundi in vnum, vt correspondeant materiæ.

2 Secunda sententia asserit, sufficere vnicam formā communem omnibus vnctionibus, nec esse necesse necessitate sacramenti, quod repetatur ad singulas vnctiones. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 3. num. 7.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 19.* Coninch. *tom. 2. de sacramen. disp. 19. dub. 3. num. 12. in fine.* Filliuc. *tract. 3. cap. 5. num. 129. ver. Dico 2.* Victorel. *de extr. vn. Tit. An ad singulas &c. ver. Quid sit.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 4. num. 3.* Marchin. *de peste par. 3. cap. 7. nu. 2.* Bosseuin. *de officio curati. cap. 9. numer. 19.* Bonac. *disp. 7. de sacrament. quæst. vn. pun. 3. numer. 5.* Basseu. *in florib.* verbo. *Extrema vnctio. 1. num. 9.* Auersa *de sacram. quæst. vn. de extr vnct. sect. 4. ver. Videtur.* Capeauil. *de administr. sacram. quæst. 31. de extr. vnct.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disput. 1. dub. 4. numer. 69.* Præposit. *3. par. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 9. n. 79. ver. Confir. 3.* Illambert. *disp. 3. de extr. vnct. artic. 4. ver. His tamen non obstantibus* Gaspar. Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vnct. difficul. 7. in fine.* Petrus Fuliens. *de sacram. cap. 24. de extr. vnctione. resol. 3. ver. Consurmatur.*

tur. Et à fortiori ij, qui tenent sufficere vnicam vnctionem ad validitatem sacramenti.

3 Dicendum est, Non esse de necessitate sacramenti, quod ad singulas vnctiones repetatur forma; sed sufficere vnicam formam communem omnibus vnctionibus. Prob. Significatio sacramentalis est eadem quantum est ex parte formæ, siue repetatur ad singulas vnctiones, siue proferatur vna communis. Ergo non est de necessitate sacramenti, quod repetatur ad singulas vnctiones, siquidem validitas saluatur, quando saluantur essentialia; & tunc essentialia saluantur, quando saluatur significatio sacramentalis, siquidem essentia, & substantia sacramenti consistit in ratione signi practici significatiui interioris sanctificationis. Anteced. prob. Significatio sacramentalis huius sacramenti habet de speciali tanquam propriam differentiam, quod significet interiorem gratiam vt alleuiatricem, & sanatricem animæ, & consequenter vt remissiuam peccatorum; nec aliquid amplius significatur, si forma ad singulas vnctiones repetatur. Hoc autem totum, quantum est ex parte formæ significatur, si adhibeatur vnica forma communis omnibus vnctionibus, nam adhuc significat gratiam alleuiatricem & sanatiuam animæ, atque adeo remissiuam peccatorum.

4 Confir. De quo partialiter oratur Deus cum ad singulas vnctiones repetitur forma, oratur simul totaliter per vnicam formam communem omnibus vnctionibus. Siquidem, dum adhibentur plures formæ, in vna oratur, vt indulgeat peccata commissa per visum, in alia peccata commissa per auditum, & sic deinceps. Quando vero adhibetur vnica communis forma, simul oratur Deus, vt indulgeat omnia peccata siue per auditum, siue per visum &c. commissa. Ergo significatio sacramentalis est eadem, siue repetatur forma, siue sit vna tantum communis, quia significatio sacramentalis est de eo tantum, de quo oratur Deus, nempe de effectu sacramenti.

5 Dices, Significationem sacramentalem esse eamdem; sed non eòdem modo se habere, & proinde non sufficere, sed variare essentiam formæ. Sicut Eucharistia tàm sub specie panis, quàm sub specie vini habet eamdem significationem, sed non eodem modo; nam sub vna specie significat nutritionem spiritualem per modum cibi, & sub alia per modum potus. Contra. Quamuis modus significandi sit diuersus in vna, & altera specie Eucharistica, adhuc qui sumit sub vna tantum specie, sumit verum sacramentum, vt definit Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 3. atque adeo vnica species tanquam verum sacramentum habet significationem sacramentalem essentialem sacramento, licet non habeat illum modum significandi, quem habet alia species; & hoc non alia ratione, nisi quia vt habet Concil. tàm sub vna, quàm sub alia species est totus Christus. Ergo cùm tàm *sub vnica* forma communi, *quàm in omnibus* repetitis contineatur significatiuè idem effectus, erit etiam eadem significatio sacramentalis, & idem verum sacramentum, quamuis adsit diuersus modus significandi. Deinde diuersitas modi significandi inter formas repetitas, & formam communem in eo tantum consistit, quod in ipsis remissio peccatorum significatur per *partes*; in communi autem significatur tota simul, hæc autem diuersitas non est formalis sacramentalis, sed tantum materialis, nam non est in ordine ad gratiam remissiuam peccatorum, quia hæc sicut datur tota simul, ita etiam indiuisibiliter significatur, sed solum in ordine ad materiam, circa quam versatur remissio.

8 Dices. Quia in consecratione duæ interueniunt formæ altera pro pane, & altera pro calice, non potest adhiberi vnica tantum communis vtrique, & si adhiberetur nihil conficeretur. Ergo neque in sacramento ex-

tremæ vnctionis. Resp. neg. conseq. Nam quod duæ formæ partiales sint adhibendæ in consecratione, habetur ex institutione Christi: vnde fieret contra ipsius institutionem, si vnica tantum, licet communis, adhiberetur. At non habetur ex institutione Christi, quod plures formæ partiales sint adhibendæ in extrema vnctione; imo ex D. Iacobo, ex quo tota institutio huius sacramenti habetur, non colligitur plusquam vnica forma; nam solum dicit, *Orent super eum*, quod saluatur in vnica forma. Deinde in consecratione res consecrandæ sunt diuersæ, & ordinantur ad repræsentandum sacrificium cruentum, atque adeo sanguinem separatum à corpore, & ideo debuerunt seorsim consecrari. At in extrema vnctione omnes vnctiones sunt eiusdem rationis, & ordinantur ad eumdem effectum, & ideo rectè potest ipsis vnica communis forma accommodari.

7 Ad fundamentum in oppositum neg. conseq. Quia vnctiones licet diuisæ materialiter, sunt tamen vnum in ratione signi sensibilis; nam vnctio significat interiorem vnctionem, non qua vnctio talis sensus est, sed qua vnctio, in quo sunt idem licet distinctæ materialiter, & proinde vnica forma communis potest optime ipsis consignificare. Sic etiam pluribus ablutionibus, seu aspersionibus, quibus plures simul baptizantur, potest optime consignificari vnica forma communis, vt si minister dicat. *Ego vos baptizo*. Quando autem subditur, quod significant diuersimodè effectum partialem; resp. Significare diuersimodè, non ex parte effectus sacramentalis, qui totus simul ponitur; sed tantum diuersimodè materialiter, nempe ex parte termini, seu materiæ, circa quam versatur effectus sacramenti. Hæc autem diuersitas, vt pote materialis relinqui potest absque præiudicio sacramenti.

8 Ad confir. neg. conseq. Nam quamuis vnctiones separatim fiant, adhuc tamen conficiunt vnicam vnctionem integralem, & ideo aptari potest vnica forma communis, quæ ipsis correspondeat, non vt pluribus vnctionibus sed prout sunt vnica integralis vnctio.

9 Ex dictis colligitur. In hac vnica communi forma adhiberi posse, non solum verbum *vnctiones*, sed etiam verbum, *Vnctionem*, ita vt dicatur *Per istam vnctionem*: nam vtroque modo explicabitur actio ministri. Primo enim modo explicabitur pluralitas vnctionum habita ratione numeri ipsarum, quam habet ratione subiecti partialis. Secundo modo explicabitur vnitas integritatis, quam habent ratione subiecti totalis, & se habebunt tanquam partes vnius vnctionis totalis, & ideo vno modo attendetur pluralitas partium, & alio modo vnitas integritatis.

10 Colligitur 2. In hac communi forma non esse necessariò necessitate sacramenti explicandos sensus, qui vnguntur, sed sufficere, si dicatur *Per istam unctionem, seu istas unctiones, indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti*. Nam cum expressio sensuum in formis repetitis non sit de necessitate sacramenti, vt supra *quæst.* ... *num. 3. & sequent.* neque etiam erit de necessitate sacramenti, quod explicentur in forma communi. Præsertim quia quod nominentur, non pertinet ad significationam ~~sacramentalem, & solum~~ exprimit per partes materiam, circa quam versatur effectus sacramenti, nempe remissio, seu indulgentia.

De subiecto sacramenti extremæ vnctionis.

1 Cum sacramenta sint instituta à Christo propter nos homines, nomine subiecti intelligitur illa persona, pro qua hoc sacramentum est institutum. Quia autem in subiecto duo considerari possunt, nempe

capacitas, & dispositio, ideo agemus prius de capacitate, deinde de dispositione.

An omnis christianus sit capax sacramenti extremæ vnctionis.

Quæst. 370.

S V M M A.

1 *Solus baptizatus est capax extremæ vnctionis.*
2 *Omnes baptizati an capaces extremæ vnctionis.*
3 *Iacobus Apostolus quomodo requirat in suscipiente hoc sacramentum vsum rationis.*
4 *Qui non habuit vsum rationis non est capax effectus extremæ vnctionis.*
5 *Sacramentum extremæ vnctionis supponit christianam vitam.*
6 *Qui non habuit vsum rationis non est capax gratiæ sacramentalis extremæ vnctionis.*
7 *Gratia sacramentalis confirmationis habet locum pro tota vita, & ideo infantes sunt capaces illius.*
8 *Effectus sacramentalis Eucharistiæ cur habeat locum ante vsum rationis.*
9 *Sanitas corporalis quomodo effectus extremæ vnctionis.*
01 *Extrema vnctio quomodo instituta contra reliquias peccati originalis.*

1 SVpponendum tanquam certũ. Solum hominem baptizatum esse capacem huius sacramenti, vt constat ex Epist. D. Iacobi *cap. 5.* dum inquit, *Infirmatur quis in vobis*, hoc est ex vobis. Non dicit autem absolutè, *Infirmatur quis*, sed *ex vobis*, vnde cum scriberet ad baptizatos, intelligit de iis, qui ex baptizatis infirmantur, & hoc supponit etiam Concil. Trident. *sess. 14. init. de extrem. vnct.* dum inquit, hoc sacramentum existimatum fuisse à Patribus consummatiuũ, non solum poenitentiæ, sed etiam totius christianæ vitæ. Et sequitur ex generali regula, quod Baptismus sit ianua omnium sacramentorum: quatenus imprimendo characterem, & incorporando Ecclesiæ tribuit potentiam ad participandum in sacramentis & aliis bonis Ecclesiæ. Bona enim communitatis non sunt de iure, nisi illorum, qui communitati incorporati sunt. Difficultas autem modo est, an omnes baptizati sint capaces huius sacramenti.

2 Communiter docent. Non omnes baptizatos esse capaces huius sacramenti, sed eos tantum, qui habent, aut aliquando habuerunt vsum rationis sufficientem ad peccandum. Ita communiter Doctores. contra Maior *in 4. dist. 23. quæst. 2.* qui oppositum sentit. Ita autem specialiter tradunt D. Th. *in 4. dist. 23. quæstion. 2. artic. 2.* Sotus *ibid.* D. Antonin. *3. par. tit. 14. cap. 15. §. 6.* Syluester. *verbo.* Extrema vnctio. *num. 5.* Bellarmin. *de extrem. vnct. cap. 9.* Bartholom. ab Angelo. *Dialogo 3. §. 129.* Possedin. *de offic. curati cap. 9. numer. 4.* Suarez *3. par. tom. 4. sect. 1. num. 3.* Zerola *de poeniten. cap. 15. quæsito 7.* Molfesius. *par. 1. sum. tract. 4. cap. 3. numer. 35.* Fillinc. *tract. 3. cap. 5. quæsito. 6. num. 101.* Coninch. *tom. 2. de sacram. disp. 19. dub. 7. num. 23.* Pitigian. *in 4. dist. 23. quæst. vn. ar. 5.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 5. num. 1.* Nauar. *cap. 22. manual. num. 13.* Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst. 7. num. 2.* Dicastil. *de sacramen. tract. 7. disp. 1. dub. 10. numer. 136.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 49.* Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. quæst. vn. de extr. vnct. art. 3. dub. 3. difficult. 3.* Basseus *in florib. verbo.* Extrema vnctio. *2. numer. 4.* Sà *verbo.* Extrema vnctio. *num. 2.* Graf. *par. 2. decis. lib. 4. capit. 8. numer. 16.* Angles *in florib. quæst. de extr. vn. ar. 4. conclus. 4.* Zambran. *in suis decis. cap. 5. de exter. vnct. dub. 1. numer. 2.* Laiman *lib. 5. theol. mor. tract. 8. cap. 4. num. 1. ver. Secundò requiritur.* Mercor. *de sacram. quæst. 32. supplemen.*

ar.

ar. 4. ver. *Resp. secundò*. Isambert. 3. *par. disp.* 6. *de extr. vnct. ar.* 1. *proposit.* 2. Nugn. 3. *par. quæst.* 32. *supplemen. ar.* 3. Syluius *ibid*. Præposit. *quæstion. vn. de extr. vnct. dub.* 7. *numer.* 58. ver. *Dixi*. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 9. *sect.* 1. ver. *Certum tertiò est*. Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 6. *conclus.* 6. Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 13. ver. *Porro*. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 4. *num.* 3. Triburnes *in* 4. *dist.* 23. *disput.* 22. *sect.* 3. ver. *Tertia pars*. Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vnct. difficult.* 10. ver. *Conueniunt secundò*. Cispens. *par.* 2. *curs. theol. tr.* 27. *disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 12. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 8. *quæst.* 2. *pun. vlt.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. disput. vn. pun.* 6. *num.* 3. Auersa *de sacram. quæst. de extr. unct. sect.* 8. ver. *Sed omnino*. Bizozer. *par.* 6. *de extr. vnct. capit.* 6. *numer.* 3. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 3. *de extrem. vnct. num.* 1.

3 Dicendum est. *Non omnes baptizatos, sed eos tantum, qui habent, aut aliquando habuerunt vsum rationis sufficientem ad peccandum, esse capaces extremæ vnctionis*. Desumitur hoc ex Iacobo Apostolo *cap.* 5. *suæ Epist.* dum inquit, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiæ &c.* illud enim verbum *inducat*, refertur ad infirmum, nec de ipso verificari potest, nisi ratione vsus rationis, ratione cuius cognoscere possit sacramentum, & illud petere. Verum hoc seclusa praxi Ecclesiæ non haberet multum roboris ad probandum, quod pro his solis sit institutum sacramentum: nam posset responderi, quod hoc non potest referri semper ad infirmum, vt quando ita infirmatur, vt amittat vsum rationis, aut quando ante infirmitatem incidit in amentiam: & proinde ita loquutus sit Apostolus, vt vel ipse inducat, vel alius pro ipso. Addita tamen praxi Ecclesiæ, & rationibus, deducitur in tali sensu Apostolum loquutum fuisse.

4 Prob. Qui non habuit saltem aliquando vsum rationis, non est capax effectus sacramenti. Ergo neque etiam ipsius sacramenti; quia sacramenta sunt instituta à Christo solum pro iis, qui ratione sui status sunt capaces effectus ipsorum. Antecedens prob. Effectus sacramenti est alleuiare infirmum, & remittere peccata iuxta illud Iacobi *Allevabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Qui autem non habet, nec vnquam habuit vsum rationis; non est capax remissionis peccatorum, quia nunquam peccauit, nec potuit peccare: & proinde ratione status est incapax huius effectus. Rursus nec etiam est capax alleuiationis, quia hæc consistit in quodam robore spirituali, quo erigitur animus infirmi ad concipiendum magnam fiduciam diuinæ misericordiæ, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de extr. vnct.* hic autem effectus inuoluit vsum rationis; atque adeo in eo, qui ratione sui status nunquam fuit capax talis effectus, nec etiam est capacitas sacramenti.

5 Confir. Sacramentum extremæ vnctionis est consumatiuum christianæ vitæ, vt ex Patribus habet Concil. Trid. *sess.* 14. *de extrema vnct. init.* & ideo ex sua institutione habet, quod perficiat, & compleat vitam christianam: Ergo vbi non est, nec fuit Christiana vita, non habet locum sacramentum; vbi enim non est id, quod compleri debet, nec etiam complementum locum habet, cum hæc relatiua sint, nec vnum stare possit sine alio. In iis autem, in quibus non fuit vnquam vsus rationis, nec est, nec fuit christiana vita; quia hæc vita consistit in operationibus ordinatis ad Deum, vt vltimum finem, & proinde supponit vsum rationis, & illum inuoluit.

6 Dices. Qui nunquam habuerunt vsum rationis, & sunt baptizati, sunt capaces augmenti gratiæ, atque adeo illius gratiæ habitualis, quam confert extrema vnctio. Ergo cum hæc sit effectus huius sacramenti, erunt capaces, atque adeo etiam sacramenti. Resp. Esse capaces augmenti

ti gratiæ secundū se quidem, non autem vt est gratia sacramentalis huius sacramenti. Quodlibet enim sacramentum causat gratiam non quocunque modo, sed vt effectum sacramentalem sibi proprium: sit autem proprius effectus sacramenti, quatenus habet annexa auxilia in ordine ad finem sacramenti: Vt ergo quis sit capax sacramenti, debet esse capax effectus sacramentalis ipsius, hæc autem capacitas non est in iis, qui nunquam habuerunt vsum rationis.

7 Instabis. Gratia sacramentalis Confirmationis est ius ad habenda auxilia contra tentationes circa fidem, & ad illam profitendam, quando opus fuerit, & tamen infantes sunt capaces ipsius ante vsum rationis, quamuis tunc non habeat locum in ipsis hic effectus. Ergo erunt etiam capaces sacramenti extremæ vnctionis. Respon. Esse disparem rationem. Quia gratia sacramentalis confirmationis, quæ est ius ad auxilia diuina in ordine ad protestandam fidem, habet locum, non solum pro illo tempore, pro quo suscipitur sacramentum, sed etiam pro tota vita, quia cum sacramentum non sit iterabile, prouidet pro tota vita, pro qua semper occurrere possunt tentationes contra fidem, & occasiones protestationis; & ideo licet, quando ministratur hoc sacramentum, non adsit capacitas auxiliorum, adest tamen capacitas iuris ad obtinenda auxilia pro tempore debito, quod sufficit, vt subiectum sit capax sacramenti. At extrema vnctio dat ius ad auxilia diuina in ordine ad alleuiationem tantum pro tempore, quo durat infirmitas, & ideo, si tunc non adest capacitas, nec antea adfuit, nec etiam adest capacitas sacramenti; vt contingit in iis, qui nunquam vsi sunt ratione.

8 Instabis 2. Qui nunquam vsi sunt ratione, sunt capaces Eucharistiæ, nam antiquitus ministrabatur infantibus, & proinde etiam effectus sacramentalis ipsius; qui consistit in actualibus auxiliis. Ergo etiam erunt capaces extremæ vnctionis. Resp. neg. consequen. Quia effectus sacramentalis Eucharistiæ, quamuis habeat annexa actualia auxilia, potest tamen stare sine ipsis tanquam proprius Eucharistiæ; cum enim sit instituta per modum cibi, & potus, ordinatur ad nutriendum, augendam vitam spiritualem, & ad maiorem vnionem cum Christo, cuius augmenti infantes capaces sunt. Effectus proprius extremæ *vnctionis* est totus in ordine ad operationē: & *ideo* in subiecto requirit capacitatem operationis.

9 Dices 2. Qui nunquam habuerunt vsum rationis, sunt capaces sanitatis corporalis, quæ est effectus huius sacramenti; ergo etiam sacramenti. Resp. neg. consequentiam. Quia sanitas non est effectus, nisi secundarius, & ideo neque est effectus proprius sacramenti, propter quem est institutum. Vt autem quis sit capax sacramenti, debet esse capax effectus spiritualis primarii. Imo neque est capax sanitatis quatenus est effectus *sacramenti*; quia cum sit effectus *secundarius*, non causatur ab ipso, nisi mediante effectu primario, & ideo vbi non adest capacitas primarii effectus, neque etiam adest secundarii, quatenus ab eadem causa prouenire potest.

10 Dices 3. Hoc sacramentum datur contra reliquias peccatorum, etiam originalis. Ergo cum reliquiæ peccati originalis *sint* etiam in *iis*, *qui* nunquam habuerunt vsum rationis, erunt capaces huius sacramenti. Resp. Esse institutum contra reliquias peccati originalis quatenus confortatas per peccata actualia, vt notat D. Th. *in 4. dist. 23. quæst. 1. ar. 2. quæstiun. 4. ad. 1.* In iis autem, qui nunquam habuerunt vsum rationis, non possunt esse confortatæ per actualia peccata.

An

An actualiter furiosi, & phrenetici sint capaces extremæ unctionis? Quæst. 371.

SVMMA.

1 *Carentes vsu actuali rationis an capaces gratiæ sacramentalis extremæ vnctionis.*
2 *Phrenetici, & amentes, qui aliquando habuerunt vsum rationis, sunt capaces extremæ vnctionis.*
3 *Vsus rationis licet amissus dat capacitatem pro extrema vnctione.*
4 *Carentes actuali vsu rationis, si habuerunt, sunt per se capaces effectus extremæ vnctionis.*
5 *Incapacitas per accidens effectus sacramenti non reddit incapacem sacramenti.*
6 *Extrema vnctio ministrari potest iis, qui longe ante infirmitatem amiserunt vsum rationis; aut illo breui tempore vsi sunt.*

1 Ratio dubitandi est. Quia, quamuis in ipsis præcesserit vsus rationis, dum tamen de præsenti illo carent, non sunt capaces gratiæ sacramentalis, seu effectus sacramenti; siquidem nec sunt capaces spiritualis alleuiationis, nec in ipsis excitari potest fiducia diuinæ misericordiæ &c. Ergo nec effectus sacramenti, vti dicebatur *quæst. præcedent.* Confir. Gratia sacramentalis huius sacramenti est in ordine ad operationem. Ergo vbi non est capacitas operationum, nec etiam erit capacitas gratiæ sacramentalis, atque adeo nec sacramenti.

2 Dicendum tamen est, *Qui aliquando habuerunt vsum rationis, quamuis actu illa careant ratione phrænesis, aut stultitia, esse capaces extremæ vnctionis.* Ita communiter Doctores *in 4. dist. 23.* vbi Paludan. *quæst. 3. num. 14.* Sotus *quæst. 2. art. 2.* Nauar. *cap.* 22. *Manual. num.* 13. Syluester *verbo.* Vnctio, *quæst.* 5. Tabiena *num.* 7. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 42. *quæst.* 1. *num.* 5. Armilla *verbo.* Extrema vnctio. *numer* 7. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 15. §. 6. *in fine.* Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 10. *num.* 1. & *cap.* 13. *num.* 1. *supplem.* Gabr. *dist.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 3. *dub.* 1. *ad* 2. Ledesma *par.* 1. *sum. tr. de extrem. vnct. cap.* 6. *conclus.* 5. & 6. Alcozer. *capit.* 11. *sum. casu* 1. Petrus Sotus *lect.* 3. *de extrem. vnct.* §. *Siquis verò*, Zambran. *in suis decis. cap.* 6. *de extr. vnct. dub.* 2. *numer.* 1. Sà *verbo.* Extrema vnctio. *num.* 1. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 4. *numer.* 3. Bonac. *disp.* 7. *de sacramen. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 2. Ochagauia *de sacram. quæst.* 7. *de extr. vnct. conclus.* 2. Angles *in florib. quæst. de extr. vnct. art.* 4. *conclus.* 4. Fernandez *par.* 3. *exam. theol. moral. cap.* 10. §. 1. *num.* 9. Io. à Cruce *par.* 2. *direct. conscien. dub.* 4. *de extr. vnct. conclus.* 3. Mercer. *de sacram. quæst.* 32. *supplem. artic.* 4. ver. *Quæritur secundò.* Chellison. *artic.* 3. ver. *Dicendum.* Syluius. ver. *Amentibus.* Præposit. *quæst. un. de extr. vnct. dub.* 7. *num.* 59. ver. *Dixi.* Marat. *tom.* 3. *summ. disp.* 9. *de extr. vnct. sect.* 2. ver. *Secundum est.* Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract. vlt. quæst.* 9. ver. *Dico.* 3. Villalob. *par.* 1. *sum. tract* 10. *difficul.* 4. *num.* 4. Coninch. *tom.* 2. *de sacram. disp.* 19. *dub.* 7. *conclus.* 2. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. un. pun.* 6. *num.* 3. ver. *Notantes.* Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *num.* 174. Isambert. 3. *par. disp.* 6. *de extr. vnct. ar.* 1. *in fine.* Dicastil. *de sacramen. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *num.* 143. Auersa *de sacrament. quæst. de extr. vnct. sect.* 6. ver. *Septimò.* Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. un. disp.* 6. *num.* 4. Barbosa *de offic. parochi. cap.* 22. *num.* 31. Filiuc. *tr.* 3. *cap.* 5. *num.* 101. Vega *in specula curati tom.* 2. *cap.* 13. §. 3. *numer.* 15. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæstion. de extr. vnct. ar.* 6. *difficul.* 2. *conclus.* 2. & 3. Diana *par.* 3. *tract.* 3. *resol.* 84.

Ma-

Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 3. de extr. unct. num. 2.*

3 Ratio est. Quia iam fuerunt in statu vitæ christianæ, & proinde sortiti sunt capacitatem huius sacramenti, quæ accedente infirmitate tanquam conditione, fit completa capacitas. Ergo quod actu non vtantur ratione, non impedit susceptionem sacramenti, quia non tollit capacitatem. Confir. Hoc sacramentum potest sortiri aliquem effectum in ipsis conferendo gratiam alleuiatricem in actu primo, quæ proinde sit annexa cum iure ad actum secundum, qui adesset, nisi impediretur, & remittere peccata, si quæ sint. Ergo cum adsit capacitas effectus, aderit etiam capacitas sacramenti.

4 Ad rationem dubitandi neg. assumptum, si procedat de totali effectu sacramenti, nam, vt modo dicebatur, sunt capaces gratiæ habitualis cum iure ad illa auxilia, quæ dant actualem alleuiationem, quæ est effectus sacramentalis extremæ vnctionis, & alleniatio in actu primo, & remissionis peccatorum. Quod autem non adsit actualis alleuiatio, est per accidens; quia impeditur à defectu vsus rationis. Vnde per se sunt capaces absolutè effectus sacramenti. Et proinde sacramentum consumat in ipsis vitam christianam, & eos disponit ad salutem, & ingressum regni coelestis.

5 Ad confir. Distinguendum est consequens. Vbi non est capacitas per se operationis, & ratione status, vt in iis, qui nunquam habuerunt vsum rationis, nec etiam est capacitas sacramenti. Vbi autem tantum per accidens non est capacitas operationis, ibi adhuc manet capacitas sacramenti, quia solum operatio impeditur per accidens; quod autem est per accidens, non tollit id, quod est per se.

6 Ex his colligitur. Extremam vnctionem posse ministrari, quantum est ex parte capacitatis, non solum iis, qui ratione infirmitatis amittunt vsum rationis, sed etiam coeteris, qui longè ante infirmitatem amiserunt. Imo etiam si breui tempore illo vsi sint. Cum enim in ipsis sit iam inchoata christiana vita, habet locum etiam consumatiuum ipsius. Et si sunt in gratia, aut saltem capaces ipsius per tale sacramentum, habetur effectus ipsius, qui est gratia habitualis perfectiua christianæ vitæ, seu cum iure ad illa auxilia, quibus perficitur homo in suis operationibus in ordine ad salutem: vnde habent vitam radicalem perfectam ratione talis sacramenti.

An extrema vnctio sit ministranda carentibus vsu rationis? Quæst. 372.

SVMMA.

1 *Extrema vnctio quando ministranda carentibus vsu rationis.*
2 *Subitò obmutescentibus quando ministranda sacramenta.*
3 *Amentibus, quacunque pietatis sunt conferenda.*
4 *Quid senserit D. Th. circa ministrationem extremæ vnctionis carentibus vsu rationis.*

1 Dicendum est: *Extremam vnctionem ministrandam esse carentibus vsu rationis, si concurrant duæ conditiones, nempe quod christianè vixerint, & quod non constet fuisse in peccato mortali, quando amiserunt vsum rationis.* Ita communiter Doctores præsertim citati *quæst. praced. num. 2.* in iisdem locis. Et constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ administrat hoc sacramentum carentibus vsu rationis, vel ex phrenesi, vel ex alio capite.

2 Desumitur autem ex Innocent. III. in cap. *Maiores. de baptis.* Leone Papa *Epist. 79. ad Episcop. Foroiulien.*

Con-

Concil. Cartaginensi 3. *can.* 34. Arausicano 2. *can* 12. Vbi subito obmutescenti conferenda sunt sacramenta, *Si voluntatis præterita testimonium habeat in aliorum verbis, aut in sua nutu.* Est autem eadem ratio de obmutescente, seu amittente vsum sensuum, ac de amittentibus vsum rationis quoad sacramenta, quæ non requirunt operationem suscipientis, qualis est extrema vnctio. Rursus vt plurimum amissio sensuum coniungitur cum amissione vsus rationis. Rursus qui christianè vixit habet testimonium in sua vita christiana suæ voluntatis, nam in christiana vita est tacita, & interpretatiua voluntas suscipiendi sacramenta, & adhibendi omnia media, quæ conducunt ad salutem; siquidem est via ad ipsam consequendam; qui autem est in via habet intentionem perueniendi ad terminum, & consequenter voluntatem adhibendi media conducentia ad ipsum.

3 Confir. Ex eodem Concil. relato in cap. *Qui recedunt.* 26. *quæstion.* 6. Amentibus, quæcunque pietatis sunt, conferenda sunt. Ergo etiam extrema vnctio, cum sit quid pietatis, & possit esse causa, quod consequantur salutem. Fieri enim potest, quod quando inciderunt in amentiam, essent in statu peccati, sed tamen essent attriti, & consequenter sufficienter dispositi pro hoc sacramento, quod si ipsis ministretur, constituantur in gratia, & acquirant vitam æternam. Si verò non ministretur, damnentur.

4 Solum obstare videtur D. Tho. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiun.* 3. *&* 3. *par. quæst.* 32. *supplem. artic.* 3. vbi habet, quod hoc sacramentum non est dandum furiosis, & amentibus, quia non habent deuotionem, & possent inferre aliquam irreuerentiam sacramento; quòd si habeant lucida interualla, posse conferri in eo tempore, in quo vtuntur ratione. Resp. Syluester *verbo.* Vnctio, *quæst.* 5. Syluius 3. *par. quæst.* 32. *supplementi*, *art.* 3. D. Tho. loqui de deuotione actuali, vel habituali, quæ est in amentibus, qui aliquando habuerunt vsum rationis. Nam 3. *par. quæst.* 80. *art.* 9. docet, Amentibus ministrandam Eucharistiam, quia quando erant compotes mentis, habuerunt deuotionem erga ipsam, vnde per ipsum quoque extrema vnctio poterit ministrari in virtute deuotionis, quam habuerunt, dum erant compotes. Vnde dicendum est, quod loquatur de amentibus, & furiosis, qui semper tales fuerunt, aut qui nunquam christianam vitam exercuerunt. Quod si hi habeant lucida interualla, erit ministrandum, quando potiuntur ratione. Nec censendum est, quod doctrina D. Th. discordet a praxi Ecclesiæ.

An quando timetur irreuerentia, possit extrema vnctio ministrari furiosis, phreneticis &c. Quæst. 373.

S V M M A.

1 *Furiosis an ministranda extrema vnctio quando timetur irreuerentia.*
2 *Extrema vnctio non subest periculo irreuerentiæ in furiosis.*
3 *Furiosi ligandi, vt possit ministrari extrema vnctio.*
4 *An in tali casu laici sint excludendi.*
5 *Ministrans extremam vnctionem furiosis an se exponat alicui periculo.*
6. *Quid faciendum, si sit ignota præterita vita amentis, nec adsit, qui testificetur.*

1 D. Th. 3. *par. quæst.* 32. *supplementi art.* 3. *in corpore.* Syluius *ibid.* ver. *Amentibus in fine.* Nugn. ver. *Pro explicatione.* Angelus *verbo.* Extrema vnctio, *numer.* 4. Tabiena. *numer.* 7. Fernandez *par.* 3. *examin. theol. moral. capit.* 10. *de extr. vnct.* §. 1. *num.* 9. Palaus *par.* 4. *tract.*

 mo-

moral. trac. 26. *disp. vn. pun.* 6. *num.* 4. & alii plures negant ministrandum.

2 Et quidem certum est, quod sacramenta non sunt exponenda irreuerentiæ, præsertim quando non sunt necessaria ad salutem suscipientis. Verum quæ irreuerentia inferri possit extremæ vnctioni à furioso, non facilè apparet, ut notant etiam, Ledesma *par.* 1. *sum. tract. de extr. vnct. cap.* 6. *conclus.* 4. Zambran. *in suis decis. capit.* 5. *de extr. vnct. dub.* 2. *num.* 4. Quia non est sicuti Eucharistia, quæ expui potest, proiici in terram &c. Solum potest resistere, quæ quidem resistentia ex parte ipsius non est irreuerentia, cum nesciat quid faciat; nec ex parte sacramẽti, quia cum consistat in actione transeunte, in ipsa actione nihil recipitur, quod inferat irreuerentiam.

3 Itaque *adhuc ministrandam esse, & obuiandum huic resistentiæ ligando furiosum, aut fortiter tenendo*, tradunt Paludan. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 3. *art.* 2. *conclus.* 11. D. Antonin. 2. *par. tit.* 14. *cap.* 15. §. 6. *in fine*. Ledesma *par.* 1. *summ tract. de extr. vnct. cap.* 6. *conclus.* 6. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 13. *num.* 1. Graf. *var.* 1. *decis. lib.* 1. *capit.* 86. *num.* 28. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 2. *numer.* 3. asserens id esse necessarium, quando non posset recipere aliud sacramentum. Barbosa *de offic. Parochi cap.* 22. *num.* . . . Auersa *de sacramen. quæst. de extr. vnct.* ver. *Septimò. in fine*. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 78. *& par.* 5. *tr.* 3. *resol.* 84. Et quidem, si vt applicentur medicamenta corporalia, ligātur furiosi, non video cur à fortiori non debeant ligari, vt recipiant medicamenta spiritualia, qualis est extrema vnctio, cum anima sit præferenda corpori; neque enim dedecet, aut est contra reuerentiam debitam sacramento, quod furiosus ligatus illud suscipiat; imo hoc pacto excluditur resistentia, cui videri potest inesse irreuerentia aliqua.

4 Quod autem ait Zambranus *cit.* In tali casu excludendos laicos ad tollendum scandalum, non puto esse necessarium. Quia non video, quodnam scandalum suboriri possit: totum enim scandalum in eo consisteret, quod furioso ministraretur extrema vnctio; quod quidem non potest esse scandalo alicui; quia si putaret, quod non posset ministrari, eo ipso, quod videret ministrari, corrigeret suam opinionem persuadendo sibi, quod sacerdos rectè agat, nec quid iniquum faciat. Imo si laici excluderentur, nasceretur magna admiratio, & suspicio, quod aliquid illicitum committeretur, & proinde fugerentur testes.

5 Dices. Si ministraretur furiosis extrema vnctio, minister se exponeret periculo peccandi mortaliter, quia fieri posset, quod essent in peccato mortali, quando inciderunt in amentiam, aut phrænesim, nec aliquam habuerint tunc attritionem. Rursus se exponeret etiam periculo irritandi sacramentum. Resp. neg. sequel. Quia cum non constet de indispositione, præsumitur dispositus: & hæc præsumptio habet fundamentum in eo, quod christianè vixerit, stante autem hac præsumptione ministrans prudenter operatur, & secundum praxim Ecclesiæ, & ideo nec se exponit periculo peccandi; nec periculo irritandi sacramentum, quia dato quod sacramentum irritaretur, periculum esset incognitum, quando autem est incognitum non obligat ad fugam.

6 Sed dubium est, quid faciendum si amens, vel phræneticus sit ignotus, ita vt non constet de eius præterita christiana vita, nec adsit, qui testificetur. Resp. Inspiciendum esse, an secum deferat aliqua signa christianæ vitæ, quæ si desint, considerandus est locus, in quo reperitur, nam si sit inter eos, qui christianè viuunt, præsumendum est. quod etiam ipse christiane vixerit, & poterit extrema vnctio sub conditione ministrari, nam etiam aliunde fieri posset, quod non esset capax; vt quia fuerit perpetuo amens.

An pueris sit ministranda extrema vnctio statim post vsum rationis. Quæst. 374.

S V M M A.

1 *Pueris an statim post vsum rationis ministranda extrema vnctio, & num. seq.*
3 *Pueri statim post vsum rationis sunt capaces extremæ vnctionis.*
4 *Maior vsus rationis requiritur pro sacramento pœnitentiæ, quàm pro extrema vnctione.*
5 *Extrema vnctio ministranda iis, qui à pueritia post vsum rationis inciderunt in amentiam perpetuam.*
6 *Extrema vnctio vt consumatiua pœnitentiæ ministranda, quibus ministratur sacramentum pœnitentiæ.*
7 *Quid dicendum de consuetudine non ministrandi extremam vnctionem, nisi iis, quibus ministratur Eucharistia.*

1 NOn esse ministrandā extremā vnctionem statim post usum rationis, sed expectandam illam ætatem, quæ est apta Eucharistiæ, tradunt Sotus *in 4. dist. 23. quæst. 2. ar. 2.* Viuald. *in candel. Tit. de extr. vnct. num. 7. de suscipient.* Fundamentum est. Quia extrema unctio succedit pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & ideo quibus non ministratur Viaticum, nec etiam est ministranda extrema unctio.

2 Communis tamen sententia asserit, esse ministrandam iis omnibus, qui sunt capaces sacramenti pœnitentiæ, quamuis nondum sint apti Eucharistiæ. Ita Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 4. num. 2.* Zambran. *in suis decis. cap. 5. de extr. vnct. dub. 1. num. 2.* Nauar. *cap. 22. Manual. n. 13. in Hisp.* Ledesma *par. 1. sum. tract. de extr. vnct. cap. 6. conclus. 5.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 11. in fine.* Graff. *par. 2. decis. lib. 1. cap. 8. numer. 16.* Suarez *3. par. tom. 3. disp. 70. sect. 1. in fine.* Sà *verbo.* Extrema unctio. *numer. 2.* Palaus *par. 4. oper. moral. trac. 26. disp. vn. pun. 6. num. 6.* Nugn. *3. par. q. 32. supplem. ar. 4.* uer. *Contra. in fine.* Præposit. *quæst. vnic. de extr. vnct. dub. 7. num. 57.* Tanner. *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. nu. 53.* Gaspar Hurtad *de sacram. tract. de extr. vnct. difficul. 10.* uer. *Potest autem.* Ludouic. à S. Io. *par. 1. sum. quæst. vn. de extr. vnct. art. 6. dub. 3. conclus. 2. & 3.* Auersa *de sacramen. quæst. de extr. vnct. sect. 8* ver. *Addunt.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 9. num. 162.* Baunius *par. 1. theol. mor. tract. vlt. quæst. 8.* uer. *Vngendum esse.* qui addit excusari parochos ratione consuetudinis, si non ministrent, nisi capacibus Eucharistiæ. Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 3.* Angles *in florib. quæst. de extr. vnct. art. 4. conclus. 2.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 3. num. 2.* Marcant. *de sacram. lib. 5. de extr. vnct. cap. 1. quæsito 1.*

3 Dicendum est. *Pueris, qui habent vsum rationis, & sunt capaces sacramenti pœnitentiæ, ministrandam esse extremam vnctionem.* Prob. Sunt capaces sacramenti. Ergo est ipsis ministrandum. Anteced. constat ex eo, quia eo ipso, quod sunt capaces sacramenti pœnitentiæ, sunt etiam capaces effectus huius sacramenti, nempe remissionis peccatorum, aut reliquiarum eorumdem. Rursus dum peccare possunt, sunt obnoxij tentationibus, & animo decumbere possunt, vnde etiam possunt virtute sacramenti alleuiari, & corroborari contra tentationes, & augeri in fiducia diuinæ misericordiæ. Conseq. prob. Eo ipso, quod quis est capax sacramenti, habet ius ad ipsum, quia Christus ea instituit pro omnibus, & pastores, cum suscipiant onus pascendi suos subditos, atque adeo ministrandi sacramenta, tenentur ex onere assumpto omnibus ministrare, qui habent ius ad ipsa, alioquin eos defraudant iure proprio.

4 Confir. Maior vſus rationis requiritur pro ſacramento poenitentiæ, quàm pro ſacramento extremæ vnctionis. Ergo ſi miniſtratur poenitentia, debet etiam miniſtrari extrema vnctio, quia non alia ratione non eſſet miniſtranda, niſi quia non haberent ſufficientem vſum rationis. Anteced. conſtat, quia pro ſacramento poenitentiæ requiritur, quod poenitens diſcernat inter peccata, & quod eliciat actum ſaltem attritionis, & quod concipiat propoſitum emendationis; quæ omnia requirunt, quod vſus rationis ſatis vigeat. Pro extrema autem vnctione non requiritur tanta diſcretio, cum ſufficiat expiatio conſcientiæ per poenitentiam, vt ſit diſpoſitus.

5 Confir. 2. Si puer poſtquam habuit vſum rationis, & ſuſcepit ſacramentum poenitentiæ, incidat in amentiam perpetuam, licet habuerit breuem vſum rationis, miniſtranda eſt ipſi extrema vnctio, vt docent etiam Doctores oppoſitæ ſententiæ. Ergo erit miniſtranda etiam ſtatim poſt vſum rationis, quia non miniſtratur ſtante amentia, niſi in virtute illius breuis vſus rationis, quem habuit ante amentiam.

6 Confir. 3. Sacramentum extremæ vnctionis eſt conſumatiuum poenitentiæ, & totius vitæ chriſtianæ, vt habet Concil. Trident. *ſeſſ. 14. de ſacram. extr. vn. init.* Ergo, ſi ſuſcipiunt poenitentiam, & inchoauerunt chriſtianam vitã, debet etiam ipſis exhiberi hoc ſacramentum, vt perficiatur eorumdem vita chriſtiana, & poenitentia.

7 Quid autem dicendum ſit de conſuetudine non miniſtrandi extremam vnctionem, niſi iis, quibus miniſtratur Euchariſtia Baunius *num. 2.* citat. putat ſufficere ad excuſandos Parochos. Palaus autem Laiman, & alii *ibid.* citati damnant conſuetudinem, quamuis excuſent Parochos, ſi conſuetudo ab Epiſcopis toleretur. Et quidẽ, vbi eſt, deberent Prælati curare totis viribus, vt tolleretur. Quia ſtatim ac, quis eſt capax ſacramenti poenitentiæ, habet ius etiam ad extremam vnctionem, & Paſtores tenentur iis miniſtrare ratione muneris: vnde conſuetudo non videtur eſſe rationabilis, ita vt poſſit legitimè præſcribi, cum ſit contra ius infirmi, quod ei competit ex vi diuinæ inſtitutionis, & contra proprium munus Paſtorum. Neque enim paſtores præſcribere poſſunt, quod non paſcant oues proprias, quãdo habent ius, vt paſcantur, & quoad miniſtranda ſacramenta.

An in dubio, quod puer habeat vſum rationis, poſſit ipſi miniſtrari extrema vnctio. Quæſt. 375.

SVMMA.

1 *In dubio de vſu rationis, an pueris miniſtranda extrema vnctio.*
2 *Eadem eſt capacitas ſacramenti poenitentiæ, ac extremæ vnctionis.*
3 *Extrema vnctio miniſtranda, cum poteſt miniſtrari, licet non ſit ſacramentum neceſſarium.*
4 *In dubio de vſu rationis an Paſtores teneantur miniſtrare extremam vnctionem.*
5 *Parochi tenentur miniſtrare ſacramenta eo modo, quo poſſunt.*
6 *In dubio de vſu rationis parochi tenentur miniſtrare extremam vnctionem, quando non poteſt miniſtrari aliud ſacramentum.*
7 *In dubio de vſu rationis Parentes, & ad quos cura puerorum ſpectat, tenentur aduocare Parochos pro ſacramentis.*

1 QVi tenent, pueris non eſſe miniſtrandam extremam vnctionem, quos *q. preced. n. 1.* citaui, à fortiori ſentient, quod non ſit miniſtranda, quando dubitatur, an habeant uſum rationis. Communiter autem docent miniſtrandam eſſe ſub conditione Angles *in florib. quaeſt. de extr.*

extr. vnct. ar. 4. conclus. 2. Suarez *disput. 70. de sacramen sect. 1. in fine*. Zambran. *in suis decis. cap. 5. de extr. unct. dub. 1. numer.* 7. Io. Sanchez *in select. de sacrament. disp. 27. num.* 17. Martin. à S. Io. *tom. 1. moral. lib. 1. tr. 3. de extr. unct. num.* 2. Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 9. num.* 162. Dicastil. *de sacram. tract. 7. disput. 1. dub. 2. num.* 142. Diana *par. 3. tract. 4. resol.* 169. Baunius *par. 1. theol. moral. tract. ult. quæst.* 8 uer. *Quid si anceps*. & alii citati *quæst. præced. num.* 2. nam dum uolunt dandam esse pueris, qui sunt capaces sacramēti pœnitentiæ, consequentur uolunt etiam, quod sit eadem ratio de extrema unctione, ac de sacramento poenitentiæ.

2 Dicendum ergo est. *Quando dubitatur, an puer habeat usum rationis, ministranda est extrema unctio sub conditione*. Prob. Eadem est capacitas sacramenti poenitentiæ, ac extremæ vnctionis, ita vt qui est capax vnius, sit etiam capax alterius, cum vtrumque sacramentum ordinetur ad delenda peccata, & vnum sit consumatiuum alterius. Nec maior dispositio requiritur pro vno, quàm requiratur pro alio. Ergo si quando dubitatur de vsu rationis, adest capacitas sacramenti pœnitentiæ sub conditione, aderit etiam capacitas extremæ vnctionis sub conditione; & erit ministranda, sicut ministratur sacramentum poenitentiæ.

3 Dices. Esse diuersam rationem, quia sacramentum poenitentiæ est necessarium ad salutem, extrema verò vnctio non est necessaria. Contra. Quòd vnum sacramentum non sit necessarium, & aliud sit necessarium, non variat capacitatem, sed solum facit, quod adsit, vel non adsit necessitas ministrandi, Ergo non tollit, quin tunc possit ministrari sub conditione. Ergo nec tollit, quin ministrandum sit, alioquin si non esset ministrandum, quia non est necessarium, nec etiam vnquam esset ministrandum, quia nunquam est sacramentum necessarium. Confirm. Quod capacitas subiecti sit dubia, non tollit, quin, si sit capax, recepturus sit effectum sacramenti, atque adeo quin ei valde profuturum sit, & in ordine ad corroborationem spiritualem, & ad augmentum gloriæ. Ergo nec tollit, quin debeat ministrari.

4 Sed difficultas est, an Parochi teneantur ministrare extremam vnctionem, quando dubitatur, an puer habeat vsum rationis. Et videtur negatiuè responden. Quia in tantum Parochi tenentur ministrare sacramenta, in quantum subditi habent ius ad ipsa. Cum autem ius ad sacramenta sequatur capacitatem ad ipsa percipienda, sicuti tunc puer habet tantum capacitatem dubiam; ita etiam habet solum ius dubium, stante autem iure dubio, non videtur adesse obligatio in Parochis, quia ius dubium non parit, nisi effectum dubium.

5 Verum tenendum est. *Quod teneantur ministrare*: quia ratione muneris tenentur pascere oues eo modo, quo pascere possunt. Vnde, cum possint sub conditione ministrare sacramenta, debent tali pacto ministrare: alioquin si ratio allata ualeret, neque tenerentur baptizare sub conditione, quando baptismus alio modo ministrari non potest, aut ministrare sacramentum poenitentiæ, sub conditione, nam eodem modo ratione muneris tenentur ministrare omnia sacramenta siue sint necessaria, siue non sint. Neque uerum est, quod capacitas sit dubia, atque adeo etiam ius dubium sit: siquidem capacitas ad sacramentum sub conditione est certa, atque adeo etiam ius ad ipsum sub conditione suscipiendum: & solum capacitas; & ius est dubium quoad sacramentum absolutè ministratum.

6 Ex dictis colligitur. Parochos à fortiori teneri ministrare extremam unctionem pueris, quamuis dubium sit, an habeant usum rationis, quando non possunt recipere aliud sacramentum, uel quia amiterent loquelam, uel alia de causa. Sunt enim de grege suarum ouium, & ideo debent proui-

dc-

dere de mediis ad salutem æternam, iuxta eorumdem capacitatem; unde cum non sint capaces nisi huius sacramenti, tenentur illud ministrare; nam fieri potest, quod per ipsum acquirant salutem, quam aliàs non acquirerent, ut si essent in peccato mortali, & essent tantum attriti: unde secluso sacramento damnarentur.

7 Secundò colligitur, Parentes, aut eos, ad quos puerorum cura pertinet, teneri sub peccato mortali aduocare parochos ad extremā unctionem, & alia sacramenta administranda, etiam si non sit certum, an habeant usum rationis; alioquin illos sinerent in periculo æternæ damnationis, cum fieri possit, quod habeant usum rationis, & peccauerint mortaliter, & per sacramenta possint saluari. Si enim negligerent salutem corporalem ipsorum negligentia notabili, non excusarentur à peccato mortali: unde nec à fortiori excusabuntur, si neglexerint totaliter salutem spiritualem, nullum applicando remedium.

An, ut quis sit capax sacramenti extremæ unctionis, sit necessarium, quod actualiter peccauerit?

Quæst. 376.

SVMMA.

1 *Extrema unctio non est instituta contra originale, nec eius reliquias.*
2 *Extrema unctio, ut si valida, an requirat, ut homo actualiter peccauerit. & num. seq.*
4 *Subiectum peccasse non est conditio substantialis pro extrema unctione.*
5 *Verba Iacobi Apostoli & si in peccatis sit, quid tradant.*
6 *Iacobus Apostolus non supposuit conditionem peccati actualis pro extrema unctione.*
7 *Ex forma extremæ unctionis non colligitur conditio peccati actualis.*
8 *Sacramenta viuorum, & mortuorum in quo differant.*
9 *Extrema unctio non requirit per se peccatum, aut reliquias peccatorum.*
10 *Baptismus est validus, licet non præcesserit peccatum originale.*
11 *Qui nunquam peccasset, est capax effectus extremæ unctionis.*
12 *Forma extremæ unctionis facit sensum conditionalem, quatenus explicat remissionem peccatorum.*
13 *Pro extrema unctione in quo casu posset institui forma explicans solam alleuiationem spiritualem.*
14 *Remissio peccatorum per extremam unctionem quocunque modo accepta, est conditionata.*
15 *Oratio conditionata quando possit efferri de eo, quod caret conditione.*
16 *Forma extremæ unctionis cur conditionata quoad remissionem peccatorum.*
17 *Extrema unctio quomodo consumatiua pœnitentiæ.*
18 *Extrema unctio quomodo instituta contra reliquias peccatorum.*
19 *Gratia remissiua peccatorum est duplex.*
19 *Extrema unctio alleuiat à torpore spirituali non à pressura peccatorum.*

1 Difficultas procedit de peccato actuali siue mortali, siue veniali; nam hoc sacramentum non est institutum contra originale, nec contra reliquias ipsius, nisi quatenus confortatis per actualē peccatum, ut notat D. Th. *in 4. dist. 23. quæstion. 2. artic. 2. quæstiun. 4. ad 1.* Prima autem sententia asserit, non esse capacem huius sacramenti, nisi qui actualiter peccauit, & proinde irritum esse sacramentum in subiecto, in quo nullum fuit actuale peccatum. Ita Vasquez *3. par. disp.* 119. *cap.* 8. Nugn. *quæst.* 32. *supplemen. art.* 2. Palud. *in 3. dist.* 23. *quæst.* 3. *artic.* 2. *supplemen.* Gabr. *quæst.* 1. *ar.* 3. Victoria *in sum. num.* 222. Syluius 3. *par. quæstion.* 32. *supplem. artic.* 4. *ver. Ex his.* Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract. ult. quæst.* 8. *conclus.* 3. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. un. disp.* 6. *num.* 7. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *asser.* 1. Tribarnes *in* 4. *dist.* 23. *disp.* 22. *sect.* 3. *num.* 8. *vers. Sed contra.* Auersa *de sacra-*

tramen. quaſt. vn. de extr. vnct. ſect. 8. ver. Ex oppoſito. Io. Sanchez in ſelect. de ſacram. diſput. 27. num. 17. Amicus tom. 8. curſ. theol. diſp. 19. ſect. 9. num. 170.

2 Prob. Vt ſacramentum ſit validum, debet forma verificari; alioquin, ſi non verificetur, non ſortitur effectum, atque adeo nullum eſt, ſiquidem ratio ſacramenti conſiſtit in ſignificatione practica, qua cauſat, quod ſignificat, atque adeo ex vi cauſationis verificantur verba formæ. Forma autem extremæ vnctionis non poteſt verificari de eo, qui nunquam peccauit, cum non poſſit de ipſo dici, *Indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti*. Confir. Sacramentum extremæ vnctionis eſt conſumatiuum poenitentiæ, vt habet Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *in fine. de extr. vnct.* Ergo non habet locum, vbi non eſt locus poenitentiæ, atque adeo vbi non fuit peccatum. Confir. 2. Extrema vnctio eſt inſtituta per modum medicinæ ſpiritualis. Ergo non habet locum, vbi non fuit infirmitas ſpiritualis. Confir. 3. Eſt inſtitutum hoc ſacramētum contra reliquias peccatorum, vt habet Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de extr. vnct.* Confir. 4. Primarius effectus huius ſacramenti eſt remiſſio peccatorum, ſeu reliquiarum, quando autem non habet locum primarius effectus, nec etiam locum habet ſacramentum. Confir. 5. Non eſt quis capax gratiæ remiſſiuæ peccati, niſi in eo ſit, vel fuerit peccatum aliquod. Confir. 6. Quia Apoſtolus Iacob. inquit. *Alleuiabit eum Dominus*. Hoc eſt à preſſura peccatorum.

3 Secunda ſententia aſſerit. Eum, qui nunquam peccauit actualiter, eſſe capacem huius ſacramenti. Ita D. Bonauen. *in* 4. *diſt.* 23. *par.* 2. *ar.* 1. *quaſt.* 3. Albert. Magn. *in Mariali. cap.* 72. & 74. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 8. §. 15. Viguer. *capit.* 16. *inſtit. theol.* §. 4. *ar.* 1. Richar. *in* 4. *diſt.* 23. *ar.* 3. *quaſt.* 4. Maior. *quaſtion.* 1. *ad* 2. Rubio. *quaſt.* 1. *dub.* 3. Aſtens. *lib.* 5. *ſum. tit.* 41. *ar.* 5. *quaſt.* 1. & *artic.* 7. *quaſt.* 3. & 4. Carthus. *lib.* 5. *ſum. fidei. cap.* 149. *in fine*. Suarez 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 42. *ſect.* 2. *num.* 8. Henriquez *lib.* 3. *ſum. cap.* 8. *num.* 4. Coninch. *de ſacramen. tom.* 2. *diſp.* 19. *dub.* 7. *num.* 23. Pitigianus *in* 4. *diſt.* 13. *quaſt. vn. art.* 5. Villalob. *par.* 1. *ſum. trac.* 10. *difficul.* 4. *num.* 7. Palaus *par.* 4. *oper. moral. trac.* 26. *diſp. vn. pun.* 6. *numer.* 7. Gaſpar Hurtad. *de ſacram. tract. de extr. vn. difficul.* 10. ver. *Bonauen. verò*. Bonac. *diſp.* 7. *de ſacramen. quaſt. un. pun.* 5. *num.*.. Iſambert. 3. *par. diſput.* 6. *de extr. unct. art.* 3. Ochagauia *de ſacramen. tract. de extr. unct. quaſt.* 7. *num.* 6. Mercer. 3. *par. quaſt.* 32 *ſupplem. ar.* 4. ver. *Reſp. tertiò*. Præpoſit. *quaſt. un. de extr. unct. dub.* 7. *num.* 61. Mærat. *tom.* 3. *ſum. diſp.* 9. *de extr. unct. ſect.* 2. ver. *Tertium eſt*. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *ſum. quaſt. un. de extr. unct. artic.* 6. *dub.* 3. *difficul.* 3. Dicaſtil. *de ſacramen. tract.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 3. *numer.* 156.

4 Dicendum eſt. *Sacramentum extremæ unctionis non requirere in ſubiecto, quod aliquando peccauerit, & proinde, qui nunquam peccauit, eſſe capacem huius ſacramenti*. Prob. Quod ſubiectum aliquando peccauerit, non eſt requiſitum ſubſtantiale pro hoc ſacramento. Ergo qui nunquam peccauit, adhuc eſt capax huius ſacramenti, nam in tantum non eſſet capax, in quantum deficeret ipſi ſubſtantiale requiſitum. Anteced. Prob. Iacob. Apoſtol. *in cap.* 5. *ſuæ Epiſtolæ*, explicat omnia ſubſtantialia huius ſacramenti, nam, vt habet Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *de extrema unct.* Eccleſia in miniſtratione huius ſacramenti nihil obſeruat quoàd ſubſtantialia, quod ibi non ſit traditum ab Apoſtolo: vnde cum obſeruet omnia ſubſtantialia, alioquin ſi aliquod ex ipſis prætermitteret, non conficeretur ſacramentum, oportet, quod Apoſtolus tradiderit omnia ſubſtantialia, quia ſi aliquod prætermiſiſſet, prætermitteretur etiam ab Eccleſia, quia quoàd ſubſtantialia nihil obſeruat, quod non ſit tra-

di-

ditum ab Apostolo. Non tradidit autem Apostolus hanc conditionem, quod opus sit, vt suscipiens aliquando peccauerit, sicut tradidit conditionem infirmitatis, dum inquit, *Infirmatur quis in nobis*.

5 Dices, Tradidisse hanc conditionem, dum dixit, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*, Contra. Per hæc verba non explicat qualitatem aliquam subiecti, quæ sit necessaria, sed solum promittit effectum sacramenti, non absolutè, sed sub conditione, quod nimirum sacramentum remittit peccata, si ea inueniat. Confir. Quando aliquid requiritur ad substantiam sacramenti, semper requiritur, ita vt sine ipso non subsistat; quod autem suscipiens sit in peccatis, non requiritur absolutè, sed solum conditionatè, seu ad effectum conditionatum sacramenti, & ideo non est quid requisitum, vt subsistat sacramentum, sed solum, vt sortiatur specialem effectum. Rursus, si remittuntur peccata, quando suscipiens est in ipsis, quando non est, non remittuntur, & tamen tunc alleuiatur, quia hoc absolutè promittitur, & proinde sacramentum subsistit.

6 Dices 2. Apostolum Iacobum non explicasse hanc conditionem, quia illam supponebat, cum quilibet saltem fuerit in aliquo peccato veniali; nam solius B. Virginis fuit speciale priuilegium, fuisse immunem ab omni peccato. Contra. Apostolus iuxta Concil. Tridentinum explicauit omnia substantialia, vt dictum est *num.* 4. Ergo, si esset substantialis, hanc quoque conditionem explicasset: & dum non est explicata, dicendum est, quod non sit substantialis. Confir. Eodem modo dici posset, quod, vt quis sit capax baptismi, requiritur, quod peccauerit saltem originaliter, quia in omnibus, pro quibus est institutus, reperitur peccatum originale, cum fuerit priuilegium solius B. Virginis illo carere; vnde dicendum esset, quod B. Virgo non fuerit capax baptismi. Confir. 2. Dici etiam posset, quod pro suscipienda Eucharistia requiratur, quod suscipiens peccauerit, quia est instituta tanquam medicina pro reparando, quod peccata consumunt de vita spirituali, nam talem conditionem supponit sacramentum in omnibus excepta B. Virgine ex speciali priuilegio.

7 Dices 3. Hanc conditionem colligi ex forma sacramenti, dum sacerdos orat Deum, vt remittat peccata. Contra. Forma sacramenti extremæ vnctionis refertur ad ea, quæ tradidit Iacob. Apostolus de hoc sacramento, Ergo cum ipse non tradiderit hanc conditionem, sed solum explicauerit, quod tollit hoc sacramentum peccata, si inueniat, forma non potest indicare ablationem peccatorum, nisi eo modo, quo indicauit Apostolus. Ergo si ex verbis Apostoli non habetur, quod sit necessaria hæc conditio, quod suscipiens peccauerit, neque etiam potest colligi ex forma.

8 Confir. Extrema vnctio est sacramentum viuorum, *ita vt supponat gratiam in suscipiente, & solum per accidens illam causat*. Ergo non supponit per se tanquam quid necessarium ad validitatem, quod in suscipiente præcessit peccatum. Quia in hoc differunt sacramenta viuorum, & mortuorum; quod illa non supponunt per se peccatum: hæc verò supponunt, quamuis aliquando reperiant iam deletum.

9 Dices. Extremam vnctionem non præsupponere quidem per se immediatè peccatum, præsupponere tamen mediatè, quatenus ordinatur ad tollendas reliquias peccatorum, quæ necessariò supponunt peccatum. Contra, Non ordinatur per se primò ad tollendas reliquias peccatorum, sed tantum secundario, & conditionato modo, si eas inueniat iuxta illud Apostoli; *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. Ergo non requirit per se reliquias peccati ad sui validitatem, & consequenter nec quod præcesserit peccatum. Deinde fieri potest, quod quis,

quam-

quamuis peccauerit, nullas habeat reliquias peccatorum, vt pote iam deletas per pœnitentiam, sanctitatem vitæ, exercitia virtutum, confirmationem in gratia, aut aliquo alio speciali priuilegio; & tamen iste esset capax extremæ vnctionis, quamuis nullæ essent reliquiæ peccatorum abstergandæ. Ergo sacramentum non debet necessariò abstergere reliquias peccatorum, atque adeo nec supponere peccatum.

10 Confir. 2. Baptismus est institutus addelendum per se originale peccatum; & proinde est sacramentum mortuorum: & tamen non ita per se requirit subiectum qualificatum tali peccato, vt non sit validum, si non reperiat præcessisse originale peccatum, siquidem in B. Virgine non præcessit; & tamen baptismus ipsius fuit validus, & sortitus est suum effectum. Ergo quamuis extrema vnctio ordinaretur ad tollendum per se reliquias peccatorum, aut etiam peccata, non tamen ex hoc præsupponeret necessariò præcessisse peccata.

11 Confir. 3. Qui nunquam peccauit, est capax effectus principalis huius sacramenti. Ergo etiam sacramenti. Conseq. est certa, nam valet arguere ad effectus principalis capacitatem ad capacitatem sacramenti, nam vbi est talis capacitas, potest circa subiectum verificari significatio sacramenti, & consequenter dum sacramentum ponit effectum, est validum, quia cum consistat in actione, validitas ipsius consistit in productione effectus. Anteced. prob. Effectus sacramenti significatur ab Apostolo Iacobo, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de extr. unct.* in illis uerbis. *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Et vt explicat *ibid.* Concil. res *seu* effectus sacramenti consistit in gratia Spiritus Sancti, quæ alleuiat animam, & confirmat, magnam diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & expiat peccata, si quæ supersint. Ex quibus effectibus aliqui sunt absoluti, quos semper confert sacramentum, nisi reperiat obicem, alter verò est ex suppositione, & non semper illi conuenit, sed solum, quando reperit peccata, aut ipsorum reliquias: & proinde non potest esse effectus principalis, nam hic semper est connexus cum sacramento, nisi impediatur. Qui autem nunquam peccauit, est capax effectuũ, qui absolutè, & absque aliqua suppositione conueniunt sacramento, atque adeo principalis effectus, nempe gratiæ alleuiantis, & confortantis pro illo vltimo tempore vitæ, propter quod principaliter sacramentum est institutum.

12 Ad 1. resp. Eamdem difficultatem habere locum etiam quòad formam baptismi respectu B. Virginis, respectu cuius verificata fuit, nam produxit in ipsa baptismus suum effectum, quamuis non contraxerit originale peccatum: vnde eodem pacto proportionaliter, quo soluitur difficultas in baptismo B. Virginis, posset solui etiam in præsenti casu. Verum etiam alio modo solui potest; nempe, quod quatenus explicat remissionem peccatorum, faciat sensum conditionalem, qui profertur cum proportione ad effectum, quem significat, qui est conditionalis iuxta verba Iacobi Apostoli. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Vnde in forma subintelligitur conditio. *Si deliquisti.* non exprimitur autem conditio ab Ecclesia, quia omnes deliquerunt, & ideo expressio esset frustratoria. Quare est conditio, quæ inest ex natura sacramenti.

13 Deinde cum non sit necessariũ in forma sacramentorum explicare omnes eorumdem effectus, vt constat in coeteris sacramentis, sed sufficiat explicare principalem, si adessent, qui nunquam peccassent, Ecclesia posset instituere formam, quæ solum significaret effectum alleuiationis; nam iux-

ta D. Iacob. Apostolum requiritur tantum oratio fidei in ordine ad effectum sacramenti, quæ saluari potest absque significatione remissionis peccatorum.

14 Dices. Iacobum Apostolum loquutum fuisse conditionatè, nō quia remissio peccatorum sit effectus secundarius; sed quia non est remissio quorumcunque, sed eorum, quæ nō fuerunt ab aliis sacramentis remissa, & quæ inculpabiliter ignorantur. Contra. Eo ipso, quod effectus extremæ vnctionis non est remissio quorumcunque peccatorum, sed eorum, quæ non sunt remissa per alia sacramenta, aut quæ inculpabiter ingorantur, fieri potest, quod aliquando non reperiat talia peccata: & ideo producat hunc effectum solum ex suppositione, quod reperiat, atque adeo sub conditione, quod ea reperiat. Ergo adhuc est effectus conditionatus, & secundarius. Confir. Dictio, *Si*, significat conditionem, & verba, *Si in peccatis sit*, non dicunt absolutè habere peccata, sed habere sub conditione, seu supposita conditione, quod habeat. Ergo effectus remissionis dependebit a conditione existentæ peccatorum.

15 Instabis. Conditionem non posse apponi, quando certum est, non adesse: vnde non rectè diceretur de aere lucido. Auferat ab eo Deus tenebras, si habet. Vnde quando subiectum nec habet, nec habuit peccatum non potest ipsi forma extremæ vnctioni aptari conditionato modo. Contra. Si valeret hæc ratio, sicut de aere, qui fuit tenebrosus, & modo est lucidus, non rectè diceretur, Illuminet ipsum Deus, si est tenebrosus, ita neque de eo, qui peccauit, & modo nullum habet peccatum, nec vllas reliquias, posset dici, *Indulgeat tibi Deus*. Rursus sicut de aere, qui fuit tenebrosus & modo est lucidus non posset absolute dici. Auferat ab eo Deus tenebras. Ita nec absolutè posset dici, Indulgeat tibi Deus, de eo qui de præsenti nullum haberet peccatum, nec reliquias peccatorum. Deinde tunc oratio conditionata non potest efferri de eo, quod certum est carere conditione, quando explicat conceptum loquentis; quia, cum ipsi notum sit, non adesse conditionem, nec etiam habet conceptum de conditione: vnde oratio non accommodaretur conceptui ipsius. At quando oratio ex natura sua est conditionata, ita vt non formetur à loquente ad suum conceptum explicandum; sed sit *instituta* ab alio, vt tali pacto significet, & *assumitur* ad significandum, sicuti instituta est, ita vt aliter non possit assumi, tunc potest proferri supra subiectum, quamuis careat conditione, quam ipsa inuoluit, quia tunc non accommodatur conceptui loquentis, sed retinet suam significationem, quam habet ex institutione. Forma autem sacramenti extremæ vnctionis non debet sequi in significatione conceptum proferentis, quem habet de subiecto, sed debet retinere significationem, quam habet ex sua institutione, quæ est conditionata, & secundum ipsam *proferri supra* subiectum. Et cum sit *operatiua*, & *practico* modo *significatiua*, *significabit* iuxta capacitatem subiecti producendo illos effectus, quorum est capax.

16 Instabis 2. Si Christus instituisset hoc sacramentum pro iis, qui nunquam habuerunt peccatum, instituisset formam, quæ ipsis congrueret absolutè. Ergo cum non instituerit, nec etiam pro ipsis instituit *sacramentum*. Resp. Imo quia instituit tàm pro iis, qui peccauerunt, quàm pro iis, qui nunquam peccauerunt, instituit formam conditionatam, quæ posset vtrisque congruere, vt nimirum existente conditione fieret absoluta, & produceret effectum, non existente non produceret. Et hoc supposito, quod talem formam in specie institueri t, nam instituisse tantum orationem in genere, colligitur ex verbis D. Iacobi, *Orent super eum*; Ecclesia autem ita determinauit. Quia omnes, qui nascuntur ex Adam, inficiuntur peccatis actualibus, saltem venialibus, nisi ex spe-

speciali priuilegio præseruentur, vt fuit præseruata B. Virgo.

17 Ad 1. Confir. Extremam vnctionem esse consumatiuam poenitentiæ quoad eos, qui indigent poenitentia: vnde causat hunc effectum iuxta subiectam materiam. Et ideo Concil. Triden. loco ibi citato habet, quod non solum est consumatiuum poenitentiæ, sed etiam totius christianæ vitæ, quæ perpetua poenitentia esse debet. Quare de se est consumatiuum christianæ vitæ; si autem christiana vita ratione subiecti debet esse cum poenitentia, ex eo, quod est consumatiuum christianæ vitæ, est etiam consumatiuum poenitentiæ. & ideo hoc illi conuenit, non per se primò, sed ratione subiectæ materiæ. Hinc soluta manet etiam secunda confirmatio; nam extrema vnctio est instituta per modum medicinæ spiritualis iuxta indigentiam subiecti, quia eum conferat vires contra tentationes, & remittat peccata, si reperiat, medetur, vel præseruat iuxta exigentiam subiecti.

18 Ad 3. confir. Hoc sacramentum esse institutum contra reliquias peccatorum ex suppositione, quod reperiat. Quia hic effectus explicatur ab Apostolo illis verbis, *& si in peccatis sit, remittentur ei*, & ideo est conditionatus, & ex suppositione, vt iam dictum est. Vnde ad 4. confir. negandum est, quod primarius effectus huius sacramenti sit remissio peccatorum, cum non conueniat sacramento per se primo, sed solum ex suppositione conditionis, vt magis explicabitur suo loco.

19 Ad 4. confir. Gratiam remissiuam peccati esse duplicem, aliam, quæ per se primò remittit: & alia, quæ solum remittit secundario, sed per se primò ordinatur ad alium effectus: & talis est gratia, quæ est effectus extremæ vnctionis. Is, in quo non est, nec fuit peccatum ad summum non est capax gratiæ remissiuæ per se primò peccati: est tamen capax gratiæ, quæ secundariò remittit. Vnde soluta manet etiam sexta confir. quia verba Apostoli non sunt intelligenda de alleuiatione à pressura peccatorum, sed à torpore spirituali confortando, & excitando fiduciam diuinæ misericordiæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 2. de extr. vnct.* Vnde etiam Iacob. Apostol. ponit hos effectus distinctos, cum ponat alleuiationem absolutè, & conditionatè ablationem præssuræ peccatorum.

An B. Virgini ministratum sit sacramentum extremæ vnctionis. Quæst. 377.

S V M M A.

1 *Sententia asserens B. V. fuisse incapacem huius sacramenti.*
2 *Fundamentum talis sententiæ.*
3 *Beata Virgo suscepit hoc sacramentum, & qui doceant.*
4 *Beata Virgo fuit capax huius sacramenti. num. 5.*
6 *Argumenta opposita resoluuntur. numer. 7. 8. 9. & 10.*

---

1 RESolutio difficultatis pendet ex eo, an B. Virgo fuerit capax talis sacramenti, quia si fuit capax, quamuis non indigeret, ad ostendendam tamen subiectionem respectu legis euangelicæ omnino verisimile est, quod ipsum susceperit. Quod autem fuerit indecens, quod B. Virgo tale sacramentum susciperet, & proinde non susceperit, tradunt Supplem. Gabr. *in 4. dist. 23. quæstion. 1. dub. 3.* Palaud. *quæst. 3. ar. 2.* Victoria *in summa num. 222.* Tanner. *tom. 4. sum. dis. 2. quæst. 1. dub. 2. num. 43. & disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 51.* Vasquez *3. par. disp. 119. cap. 8.* Granad. *contro-*

ner. 8. *tract. vn. disp.* 6. *num.* 7. Tribarn. *in* 4. *dist.* 23. *disp.* 22. *sect.* 3. ver. *Mihi tamen*. Ochagauia *de sacramen. tract. de extr. vnct. quæst.* 7. *numer.* 8. Vega *in speculo curat. tom.* 2. *cap* 13. *num.* 15. Io. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 17. *num.* 20. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 9. *num.* 172. *in fine*. & alii, qui volunt, eos non esse capaces huius sacramenti, qui numquam peccauerunt, quos citaui *sect. praced. num.* 1.

2 Fundamentum est. Quia forma huius sacramenti non poterat verificari de B. Virgine ratione illorum verborum, *Indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti*, & fuisset indecens, quod proferretur super ipsam, cum fuerit speculum sine macula, & ab omni labe purissima. Confir. B. Virgo non indigebat hoc sacramento ad vincendas tentationes dæmonis, quia eas nunquam passa est, nec ipsi ausi sunt, aut permissi ad ipsam tentandam accedere. Confir. 2. Quia neque indigebat ad alleuiandam corporis ægriudinem, aut ad alleuiandam animam, quia potius mortua est ex ardentissimo amore erga Deum, quàm ex morbo.

3 Secunda sententia tenet, quod Beata Virgo susceperit sacramentum extremæ vnctionis. Ita Albert. Magn. *in Mariali cap.* 72. *&* 74. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 8. §. 3. Syluester *in Rosa aurea tract.* 3. *de quæstion. impert. casu* 53. Bernardin. de Busto. *par.* 4. *princip. serm.* 11. *par.* 3. Canis. *lib.* 1. *de B. Virg. cap.* 9. Suarez 3. *par. tom.* 2. *disp.* 18. *sect.* 3. ver. *Alii verò existim ant.* Lamber. *disp.* 6. *de extr. vnct. art.* 3. *in fine*. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 4. *in fine.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 6. *num.* 8. Mercer. 3. *par. quæstion.* 32. *supplemen. art.* 4. ver. *Hinc verisimile est.* Præposit. *quæst. vnic. de extr. vnct. dub.* 7. *num.* 63. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. un. de extr. vnct. art.* 6. *dub.* 3. *difficul.* 4. Dicastil. *tract.* 7. *de de sacram. extr. vnct. disput.* 1. *dub.* 3. *num.* 158.

4 Dicendum est. B. Virginem fuisse capacem sacramenti extremæ vnctionis, atque adeo ipsum suscepisse. Prob. B. Virgo fuit capax effectus huius sacramenti. Ergo etiam sacramenti. Anteced. prob. Effectus sacramenti est gratia habitualis cum auxiliis annexis ad alleuiandam animam, & corroborandam, vt fortiori modo se promoueat in finem supernaturalem per actus supernaturales meritorios, qualis est fiducia diuinæ misericordiæ &c. & ad resistendum tentationibus, si vrgeant. Et quamuis non adsint impedimenta, quæ impediant erectionem animæ in Deum, qualis est torpor spiritualis, & debilitas virium spiritualium, hoc tamē non tollit, quin locum habeat effectus sacramenti, quia adhuc potest erigere animam, & facere, quod vehementius conetur in finem supernaturalem, siquidem causa non cessat à productione sui effectus ex eo, quod non reperiat dispositiones contrarias expellendas; imo facilius producit, et hoc pacto præparare animam ad ingressum beatitudinis. B. autem Virgo fuit capax gratiæ, & auxiliorum annexorum, quia quamuis nullum haberet peccatum, potuit tamen recipere auxilia ad excitandas, & magis confortandas vires spirituales animæ, vt per actus supernaturales vehementius tenderet in Deum vt suum finem, ita vt illa auxilia, quæ coeteris deseruiunt ratione indigentiæ ad tollendum torporem animæ, ipsi inseruirent ad corroborandum vigorem spiritualem, & ad operandum potentiori modo.

5 Confir. B. Virgo fuit capax baptismi, quamuis non contraxerit peccatum originale, quia quamuis effectus ipsius sit gratia ablutiua peccati: non tamen requirit per se abluere, sed tantum abluit, si reperiat abluendum, de se verò habet solum significare, & sacramentali modo constituere filium Dei adoptiuum, quia quamuis antea per contritionem reperiat subiectum iustificatum, & filium Dei adoptiuum,

non

non tamen reperit sacramentali modo adoptatum ab Ecclesia. Sacramentum autem extremæ vnctionis, quamuis cõferat gratiam abstersiuam reliquiarum peccatorum, & alleuiatiuam contra torporem spiritualem, hoc tamen non præstat, nisi iuxta indigentiam subiecti; de se uerò tãtum exhibet gratiam præparatiuam pro exitu vitæ, & ad ingressum gloriæ, ita vt disponat per auxilia annexa ad actus illos, quibus anima sibi sternat viam ad beatitudinem: vnde est quædam sacramentalis dimissio, qua Ecclesia licentiat suos fideles, & tradit Deo tanquam iam via huius vitæ functos recipiendos ad beatitudinem, & incorporandos Ecclesiæ triumphanti. Hoc autem totum potuit habere locum in B. Virgine, quamuis in ipsa nullum esset peccatum, nec fuerit.

6 Dices. Esse diuersam rationem de baptismo. Nam per baptismum adscribitur baptizatus christianæ militiæ, & insignitur charactere christiani, ratione cuius ipsi aperitur ianua ad coetera sacramenta. Vnde quamuis B. Virgini repugnaret baptizari ratione ablutionis, quia tanquam sine peccato non poterat ablui: potuit tamen recipere hos alios effectus. Contra. Ideo potuit B. Virgo recipere baptismum, quia baptismus habet effectus, qui non supponunt necessariò peccatum; sed etiam extrema vnctio habet huiusmodi effectus. Ergo. Min. prob. Corroboratio spiritualis, & præparatio ad exeundum ex hac vita cum speciali conatu ad se uniendum vltimo fini, & sacramentalis consignatio, qua fidelis consignatur Deo in exitu è vita, sunt effectus, qui non supponunt peccatum, vt per se patet, conueniunt extremæ vnctioni, atque significantur per illa verba Iacobi Apostoli *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*. hoc est sacramentum perducet infirmum ad salutẽ, & Deus ipsum alleuiabit corroborando, & promouendo ad salutem æternam. Ista enim alleuiatio, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. capit. 3. de extrem. vnct.* consistit in spirituali confirmatione, & excitatione magnæ fiduciæ diuinæ misericordiæ. Vnde erigitur spes infirmi, & amor erga Deum.

7 Ad fundamentum oppositæ sententiæ resp. Apostolos, cum scirent B. Virginem fuisse immunem ab omni peccato, potuisse adhibere specialem formam, quæ exprimeret effectum sacramenti independenter à peccatis, vt notat etiam Suarez *numer. 3. citat.* Quia sicuti effectus subsistere potest absque præuio peccato, nec per se illud supponat, potest etiam independenter ab ipso explicari. Cum enim ex verbis Iacobi Apostoli colligantur omnia substantialia sacramenti, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3. de extr. vnct.* non colligitur ex ipso, nisi quod forma debeat esse aliqua oratio: non autem quod debeat esse deprecatiua remissionis delictorum præsertim, quia Apostolus ponit cõditionali modo effectum remissionis delictorum: nimirum si contingat, quod subiectum sit infectum peccatis; qui modus loquendi supponit, quod sacramentum habeat alios effectus explicandos in forma.

8 Deinde. Quamuis in forma baptismi non nominentur explicitè peccata; nominantur tamen tacitè, & absolutè; nam quando minister dicit, *Ego te baptizo, seu abluo* intelligit de ablutione sacramentali, atque adeo de illa, quæ ex natura sua est instituta ad abluendum à peccato. Vnde applicare alicui talem ablutionem est facto ipso applicare peccatis. Sicut ergo non repugnat, quod B. Virgini sit applicata ablutio, quæ ex natura sua ordinatur ad tollendum peccatum, ita nec repungnauit, quod applicaretur forma sacramenti, in qua fieret mentio peccati in sensu conditionali, cum hoc nihil deroget puritati ipsius. Imo sicut Christo, quamuis impeccabili, non repugnauit, quod fieret in similitudinem carnis peccati, vt ait Apostolus, ita nec repugnauit B. Virgini

ni, quod miniſtraretur ipſi ſacramentum cum forma, in qua in ſenſu conditionali peteretur remiſſio peccatorũ, quia ſufficit, quod forma quoad alios effectus poſſet in ipſa verificari.

9 Ad 1. confir. Quicquid ſit, an dæmon tentauerit B. Virginem, licet non indiguerit hoc ſacramento in ordine ad tentationes, fuit tamen ipſi proficuum ad augmentum gratiæ, & ad obtinenda auxilia in ordine ad actus ſupernaturales congruos pro illo tempore, quibus indigebat ad operandum ſupernaturali modo: & hoc ſacramentum ſpecialia auxilia confert, quæ aliàs non conferrentur.

10 Ad 2. confir. Vt B. Virgo reciperet hoc ſacramentum, non erat neceſſarium, quod ipſo indigeret, ſed ſatis erat, quod vtile futurum eſſet. Et ideo, quamuis aliàs poſſet exercere actus feruentiſſimos charitatis erga Deum, adhuc tamen ſacramentum excitabat ad illos actus, qui congruunt illi tempori in ordine ad perficiendum chriſtianam vitam, & viam, & ad conſignandam propriam animam Deo in exitu è vita; & ad auctorizandum per Eccleſiam tranſitum ab Eccleſia militante ad Tryumphantem. Neque B. Virgo mortua eſt abſque infirmitate, ſiquidem phyſica ſeparatio animæ à corpore facta eſt deficiente natura, & diſpoſitionibus, quibus mediantibus conſeruatur vnio, vnde fuit in ipſo ſtatus infirmitatis, qui requiritur pro hoc ſacramento. Quod ſi amor fuit cauſa diſſolutionis, non fuit niſi alterando temperamentum corporis, vnde procederet diſſolutio, ſiquidem mortua eſt naturali modo.

An ſtatim poſt baptiſmum miniſtrari poſſit extrema vnctio conſtituto in periculo mortis.

Quæſt. 378.

S V M M A.

1 *Status difficultatis.*
1 *Sententia negatiua.*
2 *Sententia affirmatiua explicatur & probatur. num. 3. & 4.*
5 *Fundamento oppoſitæ ſententiæ ſatisfit.*
6 *Parochi in hoc caſu tenentur miniſtrare hoc ſacramentum.*

1 Difficultas procedit quoad eũ, qui in periculo mortis baptizatur, an nimirum poſſit ſtatim miniſtrari extrema vnctio. Et partem negatiuam tradunt Nugn. *par. 3. quæſt. 32. ſupplem. art. 4. concluſ. 2.* Vaſquez *diſp. 19. capit. 8.* qui tamen ratione opinionis contrariæ addit, poſſe miniſtrari ſub conditione. Io. Sanchez *in ſelect. de ſacram. diſp. 27. nu. 18. ver. Sed huiuſmodi.* Fundamentum eſt, quia non poteſt quis eſſe incapax poenitentiæ, & eſſe capax extremæ vnctionis, cum vtrumque ſacramentum verſetur circa peccatum; baptizatus autem ſtatim poſt baptiſmum non eſt capax poenitentiæ.

2 Secunda ſententia aſſerit poſſe miniſtrari, ita non ſolum ii, qui volunt poſſe miniſtrari iis, qui nunquam peccauerunt, ſed etiam illi, qui volunt ſufficere, quod peccauerint ante baptiſmum. Richard. *in 4. diſt. 23. ar. 2. quæſt. 4.* Palud. *quæſtion. 3.* Syluester verbo. *Extrema vnctio. num. 3.* Henriquez *lib. 3. ſumm. cap. 11. numer. 3.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 3. num. 3.* Ledeſma *par. 1. ſum. cap. 6. de extr. vn. concluſ. 7.* Ledeſma *2. par. 4. quæ-*

quæstion. 34. *ar.* 2. §. *Sed hæsitabis.* ver. *Tertiò*. Vega *in speculo curat. par.* 1. *cap.* 13. *numer.* 20. Zambran. *in decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 3. *numer.* 3. Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 108. Possevin. *de offic. curati cap.* 9. *num*... Naldus verbo. *Extrema vnctio. numer.* 9. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 9. Lopez *par.* 2. *instruct. cap.* 23. Moltes. *par.* 1. *summ. tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 42. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. vn. de extr. vnct. art.* 6. *dub.* 3. *difficul.* 5. Mercer. 3. *par. quæstion.* 32. *supplem. ar.* 4. ver. *Prob. secundò.* Præposit. *quæst. unic. de extr. vnct. dub.* 7. *num.* 61. Diana *par.* 3. *trac.* 4. *resol.* 172. Marat. *tom.* 3. *sum. disp.* 9. *de extr. vn. sect.* 2. ver. *Sunt qui* Bonac. *disp.* 7. *de sacrament. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 14. Castropalaus *par.* 4. *oper. mor. tr.* 26. *disp. vnica pun.* 6. *num.* 9. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 9. *num.* 166. & 172. Bartholom. ab Angelo. *dial.* 3. §. 139. Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect.* 8. ver. *Secunda quoque* Dicastil. *de sacramen. tract* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *num.* 128. & *sequentib.*

3 Dicendum est. Extremam vnctionem statim ministrandam post baptismum ei, qui aliàs ratione infirmitatis est capax. Prob. Quamuis nullum adesset peccatum, aut reliquiæ peccatorum tollendæ, poterit sacramentum sortiri suum effectum nempe alleuiationem spiritualem. Ergo erit ministrandum, cum in tantum non esset ministrandum, in quantum ex incapacitate subiecti non posset sortiri effectum. Anteced. prob. Baptizatus statim post baptismum potest impeti tentationibus, habere torporem spiritualem, indigere auxiliis ad se præparandum per speciales actus ad ingressum beatitudinis. Ergo est capax illorum auxiliorum, quæ cum gratia conferuntur per hoc sacramentum, atque adeo alleuiationis spiritualis.

4 Confir. Quamuis baptismus remittat peccata, & poenam iis debitam, fieri tamen potest, quod non tollat aliqua venialia defectu dispositionis in suscipiente, quia nimirum attritio, aut contritio non se extendat ad ipsa, sed adhuc duret affectus erga ipsa, vel actualis, vel habitualis. Imo fieri potest, quod venialiter peccet in ipsa susceptione, baptismi: aut statim post ipsum, dum præmittitur præparatio pro extrema vnctione, cum nihil sit tam facile, quam venialiter peccare. Denique, & si baptismus tollat omnia peccata, non tamen tollit omnes reliquias peccatorum, vt sunt debilitas spiritualis, & ineptitudo, qua anima spiritualiter infirmatur, quę relinquuntur ex peccato, de quibus D. Th. 3. *par. quæst.* 30. *supplem. ar.* 1. Ergo etiam ratione effectus huiusmodi baptizatus statim post baptismum est capax extremæ vnctionis, & proinde poterit ministrari, etiam si requireretur, quod detur in medicinam peccatorum.

5 Ad fundamentum oppositæ sententia resp. Falsum esse, quod qui non est capax poenitentiæ, neque etiam sit capax huius sacramenti, vt constat ex dictis duabus *præcedentib. quæst.* Deinde hoc dato, adhuc baptizatus statim post baptismum est capax effectus istius, nempe remissionis peccatorum, quia sufficit, quod adsint reliquiæ peccatorum ex peccatis commissis ante baptismum, quæ, vt dictum est, non tolluntur per baptismum. Denique cum sit effectus conditionatus remissio peccatorum, aut abstersio reliquiarum, vt constat ex verbis Apostoli, dato quod nec adessent peccata, nec vllæ reliquię adhuc adesset capacitas huius sacramenti.

6 Ex his colligitur, Parochos, & coeteros, ad quos spectat cura animarum, teneri ministrare hoc sacramentũ nõ minus recenter baptizatis, quàm teneantur coeteris. Nam stante capacitate consurgit in ipsis ius ad sacramentum, & propterea eadem obligatio in parochis, quam ratione officij habent respectu coeterorum; & ideo si renuerent ministrare, facerent contra proprium munus, & eodem modo pec-

ca-

carent, sicut peccant, quando renuunt coeteris ministrare.

An Parochus debeat ministrare extremam vnctionem puero, quem cognouit in confessione nunquam actualiter peccasse. Quæst. 379.

SVMMA.

1 *Negatiuam sententiam tenentes.*
2 *Affirmitiua sententia tenenda, & probatur. num. 3. & 4.*
5 *An peccaret, si non ministraret.*
6 *Quid si sacerdos teneret opinionem negatiuam.*
7 *Quid agendum cum rudibus.*

1 EX dictis in præcedentibus qu. constat, talem puerum esse capacem talis sacramenti. Vnde solum dubitatur, an debeat ipsi ministrari à Parocho, quando cognouit in confessione, nunquam actualiter peccasse. E. negatiuam partem tenebunt ii, qui volunt non esse capacem talis sacramenti, qui nunquam actualiter peccauit, & in specie id tradit Io. Sanchez *in select. de sacrament. disp.* 27. *num.* 18. ex eodem argumento iam resoluto in præced. quod de tali non possit forma sacramenti verificari.

2 Tenendum tamen est, Quod debeat ministrari etiam si parochus reperiat in confessione, nunquam actualiter peccasse. Et ratio est. Quia data etiam hypothesi, adhuc est capax sacramenti, & cum sit subiectus tentationibus, & insultibus dæmonis, indiget etiam ipso ad uincendum, & est capax alleuiationis spiritualis, & confirmationis, per quam excitetur in ipso specialis fiducia diuinæ misericordiæ. et per tale sacramentum debet præparari ad ingressum gloriæ, & sacramentali modo ab Ecclesia licentiari ex hac vita.

3 Deinde fieri potest, & probabilissimum est, quod habeat aliqua peccata venialia, ex iis præsertim, quæ contingunt ex obreptione, quæ non cognoscantur à poenitente. Quia cum *Septies in die cadat iustus*, non est verisimile, quod careat omni peccato veniali, dum habet vsum *rationis*, nec adest specialis priuilegiatiua præseruatio. Et si sit persona rudis, verisimile est quod habeat venialia grauia in suo genere, quæ non agnoscat, & forte eiam mortalia ex ignorantia commissa, stante præsertim imperfecto vsu rationis. Vnde etiam in ordine ad peccata habebit locum ministratio sacramenti.

4 Denique. Ministratio huius sacramenti pertinet ad forum externum. Ergo debet regulari secundum scientiam, quæ pertinet ad idem forum, & secundum quam regulari debet externum regimen; non autem *secundum* notitiam, quam *habet in foro* sacramentali poenitentiæ, quia hæc non potest adhiberi in ordine ad externum regimen. Secundum autem scientiam fori externi, & inseruientem pro externo regimine, debet præsumi, quod saltem venialiter peccauerit. Confir. Si sacerdos cognosceret in confessione aliquem indignum sacramentis, *non* posset publicè petenti denegare, *quia* solum denegare potest publicis peccatoribus; ergo neque potest non ministrare extremam vnctionem illi, quem in confessione cognosceret nunquam peccasse; quia debet cum ipso agere, sicut apparet in facie Ecclesiæ, cum eo ipso, quod est in extremo vitæ, censeatur publicè petere.

5 An autem peccaret, si non ministraret. Resp. Eodem modo peccare, ac si non ministraret iis, qui actualiter peccauerunt. Ratio autem est. Quia ratione sui muneris non minus tenetur ipsi ministrare, quàm teneatur coeteris, nam dum munus suscipit,

con-

contrahit cum omnibus eamdem obligationem. Hæc autem obligatio non dissoluitur per notitiam, quam acquirit ex confessione; quia talis notitia, ut pote coarctata ad forum conscientiæ non operatur aliquem effectum pro foro externo, qualis esset dissolutio huius obligationis.

6 Ex his colligitur, Quod etiam si sacerdos teneret opinionem, quod ille, qui nunquam actualiter peccauit, non sit capax extremæ vnctionis, adhuc quando in confessione cognosceret aliquem nunquam actualiter peccasse, teneretur ministrare extremam vnctionem, & pro hoc casu deberet sequi oppositam opinionem. Quia, cum ministratio huius sacramenti pertineat ad externum regimen spirituale, non potest iudicare de capacitate, vel incapacitate, nisi secundum notitiam externam, & secundum ipsam regulari debet: non autem secundum notitiam acquisitam ex confessione; quæ cum non dissoluat obligationem, quam habet ex munere, adhuc tenetur illam implere.

7 Colligitur. 2. Quod si sacerdos inueniret aliquem ita rudem, vt, quia careret peccatis grauibus, nesciret subministrare materiam absolutionis in peccatis venialibus, & proinde non posset, saltem absolute absolui: etiam si tunc primo confiteretur, deberet potiori ratione ipsi ministrari extrema vnctio; nam stante ruditate præsumendum esset, quod ex ignorantia nesciret subministrare materiam absolutionis; non autem, quod non habeat aliqua peccata saltem leuia. Et ideo ad ea detergenda deberet ministrari extrema vnctio.

An energumenis sit ministranda extrema vnctio. Quæst. 380.

S V M M A.

1 *Esse capaces certum est.*
1 *Esse ministrandam, & probatur, numer.* 1.
2 *Energumeni non amittunt ius ad sacramenta, imo habet eorum indigentiam.*
3 *Esse ministrandā etiam, si torqueantur in pœnam peccatorum.*

1 De ipsorum capacitate quoad hoc sacramentum, quantum est ex hoc capite, non est dubitandum, sed solum de ministratione. Dicendum autem est, Energumenis esse ministrandam extremam vnctionem. Ita in specie Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. unct. dub.* 2. *nu.* 9. Et à fortiori qui tenent ministrandam esse Eucharistiam D. Th. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 9. *ad* 2. *& in* 4. *dist.* 9. *artic.* 5. *quæst.* 3. *ad* 2. Syluester verbo, *Eucharistia* 3. *quæst.* 5. *dicto* 10. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 12. §. 3. Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 13. *de Euchar. in fine.* Palud *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 4. *ar.* 2. *conclus.* 4. Suarez 3. *par. tom.* 3. *disp.* 69. *sect.* 2. *in fine*, & alii citati vbi de viatico. Nam minus requiritur in suscipiente in ordine ad Eucharistiam, quàm in ordine ad extremam vnctionem.

2 Ratio autem est. Quia per id, quod obsideantur, aut vexentur à dæmone, non amittunt ius, quod habent ad sacramenta: imo crescit in ipsis indigentia ad substinendos impetus inimici. Ergo cum pastores ratione muneris teneantur ministrare sacramenta habentibus ius, & præsertim indigentibus; tenebuntur ministrare extremam vnctionem energumenis: cum nulla ra-

ratione debeant priuari tali sacramento, ne noua afflictio addatur afflictis.

3 Ex his colligitur. Quod licet constaret, quod vexarentur à dæmone ob commissa peccata, adhuc tamen essent eis ministranda extrema vnctio, dummodo tamen non permanerent in actuali complacentia peccatorum, sed pœniterent, cum per poenitentiam disponantur ad receptionem. Et ideo, si amisissent vsum rationis, & perseuerassent in peccatis vsque ad illud tempus, dummodo tamen prius dedissent signa pœnitentiæ, esset ministranda extrema vnctio.

An extrema vnctio sit ministranda descendentibus ex infidelibus, & habentibus debilem vsum rationis. Quæst. 381.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua, & probatur num. 2.*
3 *Quid si incidant in amentiam, vel amittant ex infirmitate vsum rationis, & antea non dederint signum petendi hoc sacramentum.*

1 CVm ratione characteris baptismalis acquirat vnusquisque ius ad sacramenta sibi proportionata, dubium non est, quin descendentes ex Mauris, seu aliis infidelibus, habeant ius ad extremam vnctionem pro tempore opportuno, statim ac sunt baptizati. Vnde solum dubitatur, an stante debilitate vsus rationis, & exigua cognitione rerum fidei sit ipsis ministranda. Dicendum autem est. Extremam vnctionem ministrandam esse descendētibus ex quibuscunque infidelibus non obstante debili vsu rationis, & exigua cognitione rerū fidei. Ita specialiter A. osta *de procuran. Inaor. salute lib. 6. capit. 18. in fine.* Zambran. *in suis decis. cap. 5. de exter. vnct. dub. 1. num. 10.* Et à fortiori, qui docent ministrandam tunc Eucharistiam, quos citaui vbi de viatico.

2 Ratio est. Quia sunt capaces sacramenti poenitentiæ, & proinde ipsis ministratur. Ergo etiam sunt capaces extremæ vnctionis, nam plus requiritur ad sacramentum pœnitentiæ, quàm ad extremam vnctionem suscipiēdam, siquidem pro extrema vnctione sufficit sola dispositio: pro sacramento verò poenitentiæ præter dispositionem requiritur etiam examen conscientiæ, quod requirit maius iudicium, quàm requiratur pro dispositione. Ergo stante capacitate, & iure, quod habent ad sacramenta, non potest eis denegari extrema vnctio. Præsertim quia cùm per proprios actus parum se possint adiuuare stantibus auxiliis ordinariis diuinæ gratiæ sacramentis adiuuandi sunt.

3 Ex dictis colligitur, *quod si quis* ex prædictis incidat in amentiam, aut in infirmitate amittat vsum rationis, quamuis non petierit sacramenta expresse, est tamen ipsi ministranda extrema vnctio, non secus, ac ministratur coeteris in similibus casibus. Quia cum per baptismū inchoauerint christianam vitam, quamuis defectu perfecti iudicii eam imperfectè exercuerint, adhuc tamen habent voluntatem interpretatiuam suscipiendi sacramenta, quia eo ipso, quod suscipiunt baptismum, intendunt acquisitionem finis supernaturalis, ad quem sunt ordinati, & proinde virtualiter volunt media, quibus iuuantur ad ipsum consequendum. Qua virtuali voluntate stante continuatur in ipsis voluntas interpretatiua de sacramentis, & coeteris mediis conducentibus ad salutem.

An

An solus infirmus corpore sit capax extremæ vnctionis.
Quæst. 382.

SVMMA.

1 *Extrema vnctio solis infirmis corpore ministranda.*
2 *Sacramentum extremæ vnctionis est nullum, si sano ministretur.*
3 *Soli infirmi capaces extremæ vnctionis.*
4 *Sacramenta non tenent, si ministrentur iis, pro quibus non sunt instituta.*
5 *Extrema vnctio pro quibus instituta.*
6 *Sani an capaces effectus extremæ vnctionis.*
6 *Ex infirmitate organorum infirmatur vis operatiua animæ.*
6 *Quid requiratur, vt anima sit capax effectus sacramentalis extremæ vnctionis.*

1 SAcramentum extremæ vnctionis esse ministrandum solum laborantibus aliqua infirmitate corporali, colligitur ex verbis Iacobi Apostoli cap. 5. suæ Epist. *Infirmatur quis in vobis? Inducat præsbiteros Ecclesiæ.* Omnes enim tàm Patres, quàm Scholastici intelligunt de infirmitate corporali. Et ita tradunt Concil. Florent. *in Decreto Eugenii IV. pro Armenis.* §. *Quintum sacramentum*: vbi ita habet. *Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cuius morbo timetur, dari debet.* Et Concil. Trident. sess. 14. De extrema vnct. init. *Extremæ vnctionis sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio muniuit.* & cap. 3. *Declarat etiam esse hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui ita periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur.* Difficultas autem est, an conditio infirmitatis sit ita necessaria, vt ea seclusa sacramentum sit nullum.

2 Dicendum est. *Ad validitatem sacramenti requiri infirmitatem in suscipiente: ita vt sano ministratum esset nullum.* Ita communiter Doctores. D. Th. *3. part. quæst. 32. supplem. art. 1. ad 2.* Syluius *ibid.* Chellison. *artic. 2.* Nugn. *difficul. 1. conclus. 1.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 42. sect. 2. numer. 2.* Laiman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 8. cap. 4. num. 1. & 3.* Mercer. *de sacram. quæst. 52. supplem. artic. 2.* Præposit. *3. part. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 7. num. 50. & 51.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 9. sect. 1. ver. certum quartò.* Angles *in Florib. quæst. de extr. vnct. art. 4. conclus. 1.* Ledesma *part. 1. sum. tract. de extr. vnct. capit. 6. conclus. 1.* Ochagauia *de sacramen. tract. de extr. vnct. quæst. 7. num. 5.* Gaspar Hurtad. *eodem tract. difficul. 10. ver. Conueniunt.* 3. Caspens. *part. 2. curs. theol. tract. 27. disp. 4. sect. 2. num. 12.* Arcud. *lib. 5. de sacram. capit. 4.* Isambert. *3. part. disp. 6. de extr. vnct. art. 2. init.* Granad. *controuer. 8. tract. de extr. vnct. disp. 6. numer. 2.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. numer. 52.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vnica pun. 6. numer. 10.* Auersa *de sacramen. quæst. de extr. vnctio. art. 8. init.* Dicastil. *de sacrament. tract. 7. disp. 2. dub. 10. numer. 159.* Amicus *tom. 8. Curs. theol. disp. 19. sect. 9. num. 153.* Baunius *tom. 1. theol. moral. tract. vlt. quæst. 8. conclus. 2.*

3 Desumitur autem ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3. de extrema vnct.* vbi ex verbis Apostolis deducit, qui nam sit minister, & cui nam tanquam subiecto capaci ministrandum sit hoc sacramentum inquit enim, *Quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere, & ministrare hoc sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum*; hoc est in verbis Iacobi Apostoli. Et proinde loquitur de traditione iuxta institutionem Christi, & exigentiam sacramenti, atque adeo iuxta necessitatem sacramenti, quia in sacramentis, quæ sunt de institutione Christi, sunt etiam de necessitate sacramenti.

Assignat ergo ministrum huius sacramenti iuxta institutionem Christi, & postea de subiecto capaci subdit. *Declaratur etiam, esse hanc vnctionem infirmis adhibendam*, Infirmi ergo sunt illi, qui sunt capaces huius sacramenti iuxta traditionem Apostoli, & institutionem Christi. Et constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ hoc sacramentum solis infirmis ministrat.

4 Prob. Sacramenta non sunt valida, nisi ministrentur iis, pro quibus sunt instituta à Christo: vnde non sunt valida, si ministrentur non baptizatis; ordo non est validus, si conferatur feminæ; matrimonium non est validum in iis, inter quos est impedimentum dirimens. Et ratio est, quia sacramenta mensurantur ex institutione Christi, ita vt tantum valeant, quantum possunt valere ex vi institutionis: & proinde quando ratione institutionis sunt coarctata ad certum genus personarum, non valent quò ad alias personas, quia intentio Christi ad ipsas non respexit, atque adeo nec ipsis alligauit productionem gratiæ tanquam signis sensibilibus quòad cœteras personas.

5 Extrema autem vnctio est instituta à Christo, non pro quocunque genere personarum, sed pro solis infirmis: & ideo solum in ordine ad ipsos alligauit productionem gratiæ, atque adeo respectu aliorum non constituit signum sensibilie productiuum gratiæ, & consequenter cum non sortiatur effectum, est nullum. Quod autem sit institutum pro solis infirmis, desumitur ex verbis Iacobi Apostoli, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiæ*. cum enim proponat hoc sacramentum pro tempore infirmitatis, & non absolutè, fit, quod pro tali tempore sit institutum; ita vt requiratur infirmitas, vt adhiberi possit. Rursus ex Concil. Trident. *sess.* 14. *De extrem. vnct. in proem.* Christus instituit reliqua sacramenta pro tuendis, & conseruandis hominibus contra hostes. Verum *Extremæ vnctionis sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio muniuit*. Ergo ex mente Concilii non est institutum hoc sacramentum, nisi pro infirmis, qui sunt constituti in fine vitæ. Et cap. 3. habet, per Iacobi Apostoli verba declarari. *Esse hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tàm periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; unde & sacramentum exeuntium nuncupatur*. Si ergo per Apostolum hoc sacramentum est ministrandum infirmis, præsertim constitutis in periculo vitæ, seu in exitu, vt declarat Concil. erit à Christo institutum pro ipsis, atque adeo cœteri ex institutione Christi non erunt capaces.

6 Dices, Sani sunt capaces effectus sacramenti extremæ vnctionis. Ergo etiam sacramenti. Anteced. patet; quia non solum sunt capaces gratiæ sanctificantis, sed etiam gratiæ sacramentalis, nempe auxiliorum contra tentationes, & insultus dæmonis. Resp. neg. anteced, & ad probationem, neg. esse capaces gratiæ sacramentalis, quia gratia sacramentalis est gratia alleuiatiua, per quam alleuiatur anima in ordine ad operationes supernaturales, & corroboratur ad sibi operandum salutem resistendo tentationibus dæmonis; & ideo illam supponit in statu, in quo indigeat alleuiatione, atque adeo supponit hominem morbo oppressum. Cum enim anima in suis operationibus spiritualibus coexigat organa corporea tanquam sibi cooperantia, ita vt ex ipsorum proportionato robore, etiam anima possit validè operari, & ex ipsorum ineptitudine non possit operari, vt constat in pueris, amentibus, &c. in quibus non adest vsus rationis, quia temperamentum organorum sensuum non est aptum, vt inseruiat operationibus spiritualibus, ideo ex infirmatione organorum infirmatur etiam vis operatiua animæ in ordine ad operationes merè spirituales, vt patet in infirmis. Vt ergo anima sit in statu, vt

vt indigeat alleuiatione, debet in ordine ad suas operationes veluti decumbere, & infirmari, quod cum non contingat, nisi decumbente corpore, & infirmatis ex morbo organis, ideo non est capax alleuiationis, atque adeo gratiæ sacramentalis extremæ vnctionis, nisi corpus quoque infirmetur, & per consensum passio ipsius redundet in animam, & infirmam reddat in ordine ad suas operationes.

An Græci conferant sanis sacramentum extremæ vnctionis.
Quæst. 383.

S. V M M A.

1 *Græci oleo, infirmorum vngunt etiam sanos.*
2 *Fundamentum huius ritus.*
3 *Plures Sancti id habuerunt in vsum.*
4 *Mos iste viget, apud* Græcos *Venetiis.*
5 *Innocentius VIII. quid videatur sensisse quoad hoc.*
6 *Eadē materia potest seruire pro materia sacramenti, & pro sacramentali.*
7 *Græci non conferunt sanis* Sacramentum *extremæ vnctionis.*
8 *Quid si adhiberent easdem orationes, ac in extrema vnctione.*

1 Contra prædicta difficultas vrget desumpta ex Græcorum ritu;nā oleo infirmorū vngūt etiam sanos; & præsertim post susceptum sacramentum pœnitentiæ, vt desumitur ex Simeone Thessalonicensi, *li. de septem sacram.* vbi habet. *Sanctum oleum traditum est, veluti sacrum mysterium, diuinæque misericordiæ typus, quod in redemptionem, & sanctificationem præbetur his, qui se à peccatis conuertunt.* Idem habet Iob Monachus *apud Arcud. lib. 5. de sacram. capit. 4. ver. Iob. Monacus.* cuius verba refert, quæ sunt. *Tempus autem, quo oporteat suscipere Euchaleon, tota est mortalium vita, post peccatum ad extremum vsque spiritum. Cumque opus sit statim post errata illud sumere; plerumque tamen ob humanam obliuionem, & ignorantiam, verecundiam item, & negligentiam; atque omnino propter quascunque alias humanas passiones, etiam post vltimas horas exhibetur.* Hierem. item Patriarcha Constantinopol. *capit. 7. suæ censuræ* hæc habet. *Illis verò, qui post baptisma peccauerunt, pœnitentia, consecratique olei vnctio conducunt, quæ sacramenta, aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.*

2 Et hic ritus habet fundamentum in auctoritate. Innocentii I. *Epist. 1. ad Decent. cap.* 8. vbi ita habet. *Oleo sancto ab Episcopo benedicto posse vti non solum sacerdotes, sed etiam omnes christianos in suis, ac suorum necessitatibus.* Nec valet expositio Iansenii *in capit. 6. Marci*, quod Pontifex intelligat de vsu passiuo, quia constat, quod oleum benedictum soleret distribui etiam in medicinam corporalem, quod cum in abusum tenderet, fuit prohibitum in Concilio Maguntino sub Carolo Magno *Can.* 24 vbi ita habetur. *Præsbiteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii donare inde præsument. Quod si fecerint honore priuentur.*

3 Immo plures Sancti ipsum adhibuerunt, ad sanandos infirmos, quorum plura exempla recenset Arcud. *lib. 5. de sacram. cap. 4. ver. In vita S. Genouefæ*, & celebre est illud S. Gotardi Episcopi apud Surium *tom. 7. die 4. Maii*, vbi ita habet, *Iussit etiam præsbitero, vt sacro oleo, quod infirmorum dicitur, eius vngeret oculos, quæ quidem vnctio, & sancti viri praces ab illo dolore vsque ad vitæ finem, eam immunem conseruarunt.*

4 Atque hic mos vngendi oleo in-

infirmorum sanos seruatur etiam hodie Venetiis apud Græcos ibi commorantes, nam in ipsorum Ecclesia S. Georgii in maiori hebdomada, quando consecratur oleum, Episcopus consecrans vngitur septies à sacerdotibus adstantibus, & Sacerdotes ab Episcopo: & etiam totus populus assistens nempe septies in fronte, & quinquies in sensibus.

5 Et quod magis vrget Innocentius VIII. *in Bulla ad Episcopum Tusculanum Sedis Apostolicæ legatum in Regno Cypri*. circa ritus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari possunt, tacitè approbat ritum vngendi poenitentes post susceptum sacramentum poenitentiæ, nam *num. 6.* habet. *Nullis autem per sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione poenitentiæ vnctio aliqua solummodo iniungatur*: vbi notanda est dictio, *Solummodo*, nam operatur, quod Pontifex non prohibeat iniunctionem vnctionis, sed solum quod prohibeat, ne sola iniungatur, & proinde iniungi poterit, simul cum aliis operibus satisfactoriis.

6 Pro resolutione autem difficultatis est aduertendum, quod eadem materia inseruire potest, & pro materia alicuius sacramenti, & etiam pro sacramentali. Constat hoc in chrismate etiam apud Latinos, nam inseruit pro materia confirmationis sacramentalis, & etiam pro diuersis sacramentalibus, nam inseruit ad vngendum verticem baptizati; pro consecratione altaris, Ecclesiæ, calicis, &c. Antiquitus etiam inseruiebat pro reconciliandis hæreticis, vt desumitur ex Concil. Arausicano 1. *can. 2.* & secunda Synodo Oecumenica *can. 7.* Eodem ergo modo poterit oleum infirmorum inseruire pro materia in extrema vnctione, & pro sacramentali in aliis occasionibus.

7 Dicendum est igitur Græcos non conferre sanis sacramentum extremæ vnctionis: sed tunc adhibere oleum infirmorum tanquam sacramentale in ordine ad diuersos fines iuxta subiectam materiam. Ita Arcud. *lib. 5. de sacram. cap. 4.* Et colligitur ex eo, quod imponunt sacerdotes vnctionem pro satisfactione sacramentali, vt constat ex Bulla Innocentii VIII. de qua *num. 5.* Dum autem imponitur in ordine ad satisfactionem, oportet, vt habeat rationem sacramentalis, quia sacramenta non ordinantur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, sed ad sanctificandos homines. Secundo. Quia Innocentius VIII. non tolerasset talem vnctionem, nisi cognouisset adhiberi tanquam sacramentale, nam apud Ecclesiam Latinam certum est, quod non potest sacramentum extremæ vnctionis ministrari sano.

8 Maior difficultas esset, si in his vnctionibus abhiberent orationem, quam adhibent in extrema vnctione, aut aliam similem; nam tunc non videretur posse saluari, quomodo illa vnctio adhibeatur solum tanquam quoddam sacrameniale, & non etiam tamquam sacramentum. Verum adhuc dicendum esset, adhiberi tanquã sacramentale, & *non tanquam sacramentum*. Ratio est, quia cum forma sacramenti extremæ vnctionis deprecatiuo modo proferatur: & proinde, quantum est de se, possit esse nuda deprecatio ordinata ad orandum Deum, & possit etiam esse deprecatiuo modo significatiua effectus sacramenti ex institutione Christi, vtroque etiam modo adhiberi potest, & ideo dependet ab intentione, & institutione Ecclesiæ, vt hoc, vel illo modo se habeat, atque adeo vt sit pars sacramenti, vel pars sacramentalis. Vnde cum sacerdotes conforment suam intentionem intentioni Ecclesiæ, poterunt vtroque modo illam adhibere, & modo conficere sacramentum, & modo aliquod sacramentale. Vt autem hoc vel illo modo adhibeant, non est necesse, quod explicitè determinent suam intentionem ad sacramentum, vel sacramentale, sed sufficit, quod operentur iuxta institutionem Ecclesiæ, & iuxta capacitatem subiecti; nam tunc determi-

minatur operatio, vt sit vel sacramentum, vel sacramentale, & consequenter intentio quoque ministri est virtualiter determinata.

Qualis infirmitas requiratur, vt quis sit capax extremæ vnctionis. Quæst. 384.

S V M M A.

1 *Vt extrema vnctio ministrari possit, requiritur periculosa infirmitas.*
2 *Si infirmitas non sit periculosa, an validè ministretur extrema vnctio. & numer. sequent.*
5 *Christus instituit extremam vnctionem pro periculo mortis.*
6 *Talis institutio vnde colligatur.*
7 *Finis sacramenti extremæ vnctionis requirit periculosam infirmitatem.*
8 *Iacobus Apostolus loquitur de periculose infirmo, quando tradit sacramentum extremæ vnctionis.*
9 *Concil. Trident. cur dicat extremam vnctionem ministrandam præsertim constitutis in exitu vitæ.*
10 *Periculum mortis in infirmis quando incipiat.*

---

1 QVantum est ex præcepto requiri grauem, & periculosam infirmitatem, tradunt omnes Doctores, & constat etiam ex praxi Ecclesiæ, nam non solet ministrari, nisi in periculo mortis constitutis, & desumitur etiam ex Concil. Florent. *in Decreto Eugenii pro Armenis. §. Quintum sacramentum*. nam ibi habet. *Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari debet*. Quæ verba negatiua ostendunt prohibitionem Ecclesiæ, quod hoc sacramentum non ministretur, nisi iis, qui sunt constituti in periculo mortis. Difficultas autem est, an requiratur talis status pro validitate sacramenti.

2 Hæretici nostri temporis, vt Caluinistæ, Lutherani, & alii dicunt, Catholicos discedere à Doctrina D. Iacobi, & non requiri, quod infirmus periculosè ægrotet, vt possit ipsi conferri extrema vnctio: sed sufficere quamcunque infirmitatem. Quia Iacobus Apostolus solum dicit. *Infirmatur quis in vobis*; quæ verba, vt verificentur, sufficit quæcunque infirmitas siue grauis, siue leui.

3 Coninch autem *de sacram. tom. 2. disp. 19. dub. 7. num. 25.* Mercer. *quæst. 32. supplem. artic. 2.* ver. *Dices*. Ledesma *par. 1. summ. tract. de extr. vnct. cap. 6. in dub. post. 3. conclus.* docent, sufficere grauem infirmitatem, vt ministrari possit validè hoc sacramentum: non autem requiri periculum mortis. Fundamentum est, quia si requireretur ad validitatem sacramenti verum periculum mortis, non posset conferri, nisi agenti omnino animam, alioquin valor sacramenti esset dubius, cum dubium sit, an subsit verum periculum mortis.

4 Dicendum est. *Ad validitatem sacramenti extremæ vnctionis requiri, quod infirmus sit in periculo mortis*. Ita communiter Doctores. D. Th. *3. par. quæst. 32. supplem. art. 2.* Nugn. *ibid. difficul. 1. conclus. 2.* Syluius *eodem. artic.* Chellison. *dicto 1.* Præposi. *quæst. vn. de extrema vnct. dub. 7. numer. 53.* Angles *in florib. quæst. de extrem. un. ar. 4. conlus. 2.* Sotus *in 4. dist. 23. quæst. 2. artic. 2.* Martin. Ledesma *2. par. 4. quæst. 34. artic. 2.* Syluester *verbo.* Vnctio. *num. 5.* Angel. *ibid. n. 4.* Tabiena *numer. 7.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 4. numer. 4.* Tribarn. *in 4. dist. 23. disp. 22. sect. 3.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 10. difficul. 4. num. 6.* Marat. *tom. 3. sum. disp. 9. de extr. vnct. sect. 2.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 42. sect. 2. numer. 4.* Gaspar Hurtad. *de sacramen. tract. de extr. vnct. difficul. 10.* ver. *Conueniunt tertiò.* Caspens. *par. 2. curs. theol. tr. 27.* di-

disput. 4. sect. 2. num. 12. Isambert. 3. *par. disp* 6. *de extr. vnct. art.* 2. Granad. *controuer.* 8. *tract. de extrema vn. disp.* 6. *numer.* 6. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *nu.* 52. Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 7. *conclus.* 3 Auersa *quæstion. de extr. vnct. sect.* 8. ver. *Secundò*. Valent. *tom.* 4. *disput* 8. *quæst.* 2. *pun.* 2. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *numer.* 5. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 6. *num.* 11. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæstion. de extr. vnct. art.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 2. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 3. *de extr. vn. numer.* 1. Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 9. *num.* 153. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *num.* 156.

5 Ratio autem non potest aliunde desumi, nisi ex institutione Christi, quia nimirum instituerit hoc sacramentum pro iis tantum, qui sunt in periculo mortis: & proinde infirmitas periculosa sit qualitas necessaria in subiecto ad validitatem sacramenti, & ideo seclusa hac qualitate sacramentum non erit validum, vt pote ministratum iis, pro quibus non est institutum, atque adeo pro quibus non habet alligatum ex intentione Christi effectum gratiæ.

6 Quod autem talis sit institutio Christi colligitur primò ex praxi Ecclesiæ, quæ non ministrat vnquam hoc sacramentum, nisi constitutis in periculo mortis, hæc autem praxis declarat institutionem Christi. Secundò ex Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis*. §. *Quintum sacramentum*, dum habet hoc sacramentum non esse ministrandum, nisi illi de cuius morte timetur. Tertiò, ex Concil. Trident. *sess.* 14. *in Proœmio*, *de extr. vnct.* dum habet, Christum extremæ vnctionis sacramento finem vitæ tanquam firmissimo præsidio munisse. & *cap.* 3. dum dicit vocari sacramentum exeuntium, quia pro exeuntibus ex hac vita est institutum.

6 Desumitur etiam ex fine sacramenti, nam est institutum ad alleuiandum spiritualiter infirmum in ordine ad se præparandum ad exeundum è vita, & ad ingressum gloriæ: & proinde supponit indigentem alleuiatione; atque adeo quoad animam ita spiritualiter decumbentem, & consopitam, vt ægrè operari valeat. Et quia in tali statu consequenter ad statum corporis constituitur anima, supponit etiam in corpore talem languorem, vt redundet in animam in ordine ad operationes, quatenus coexigunt organa corporea, atque adeo periculoso morbo decumbentem.

8 Denique ex verbis Iacobi Apostoli eadem institutio colligitur, nam vbi nostra editio legit, *Infirmatur*, Græcus codex habet ἀσθενεῖ quod verbum proprie significat esse sine viribus, & deficere, atque adeo infirmitatem mortalem. Rursus vbi nostra legit *Infirmum*, græcus codex legit κάμνοντα hoc est deficientem ex morbo. Et ideo constat, quod loquatur de infirmo periculosè decumbente & ita accipiunt textum Apostoli Patres, Concilia, & Ecclesia, atque etiam traditio coniuncta cum praxi, & ideo non licet adhibere interpretationem de quacunque infirmitate, cum sit contraria interpretationi prædictæ. Et ideo non subsistit, quod dicunt hæretici, quod sufficiat quæcunque infirmitas.

9 Dices. Concil. Trident. *sess.* 14 *capit.* 3. *de extr. vnct.* habet. *Declaratur etiam, esse hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur*. Ergo poterit etiam adhiberi illis, qui non periculosè decumbunt, nam dictio *præsertim* importat solum specialitatem quoad periculosè decumbentes, non autem excludit alios infirmos. Resp. neg. conseq. & ad prob. Concil. non distinguere periculosè decumbentes à decumbentibus non periculosè; sed ita periculosè decumbentes, atque adeo cum tali grauitate periculi, vt cen-

censentur esse proximi ad exeundum ex hac vita, ab iis, qui periculosè quidem decumbunt, at non adeo proximi morti: vnde dictio, *præsertim*, importat aliquam specialitatem periculi in genere decumbentium periculosè, non autem specialitatem generis.

10 Ad rationem in contrarium *num. 3.* allatam neg. sequel. Quia periculum mortis longè ante solet incipere, quàm quis agat spiritum extremum. Nam tunc dicitur quis esse in periculo mortis, quando morbus incipit tendere ad destructionem hominis, vt proinde timeri possit, quod eo vsque procedat, vt ipsam inferat, quod in morbis, qui repentinè non inferũt mortem, solet plutibus diebus ante contingere.

An, vt quis sit capax extremæ vnctionis, requiratur verum periculum mortis, an verò sufficiat præsumptum. Quæst. 385.

S V M M A.

1 *Sacramenta non dependent quòad validitatatem ab hominum opinione.*

2 *Extrema vnctio, vt sit valida, sufficit periculum mortis præsumptum.*

3 *Timor mortis conceptus sufficit, vt possit ministrari extrema vnctio.*

4 *Apparens periculum mortis sufficit pro validitate extremæ vnctionis.*

5 *Periculum mortis vt sensibile requiritur pro extrema vnctione.*

6 *Qualis status periculosus infirmi ponat capacitatem pro extrema vnctione.*

7 *In dubio, an morbus sit periculosus, an possit ministrari extrema vnctio.*

8 *Extrema vnctio an valida, si nullum appareat periculum mortis, sed sacerdos putet adesse.*

9 *Quid si adsit periculum sed extrinsecus non appareat.*

10 *Morbus periculosus semper exhibet aliquod signum, licet aliquando non soleat percipi.*

11 *Quomodo morbus periculosus subiectus humano iudicio requiratur pro extrema vnctione.*

Pasqualig.

1 RAtio dubitandi est. Quia sacramentum quòad sui validitatem non dependet ab hominum opinione, sed solum à rei substantia: vnde si quis cum aliquo liquore, quem putaret aquam naturalem, baptizaret, non conficeret sacramentum, si reuera non esset aqua naturalis. Si ergo requiritur in infirmo periculum mortis, vt sacramentum sit validum, non sufficiet periculum præsumptum, quia periculum præsumptum est periculum tantum in opinione; non autem in re ipsa. Et ideo Coninch. *tom. 2. de sacram. disp. 19. dub. 7. num. 26.* putat, non sufficere periculum mortis præsumptum, sed sufficere grauem infirmitatem, vt dictum est *quæst. praced. nu. 3.* quod etiam tradunt *ibid.* citati.

2 Dicendum est. *Vt validum sit sacramentum extremæ vnctionis, sufficere periculum mortis præsumptum; ita vt adsit infirmitas secundum prudens iudicium periculosa: & proinde infirmitas probabiliter iudicata periculosa sit qualitas requisita in subiecto.* Ita Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 4. num. 4.* Chellison. *3. par. quæst. 32. supplem. ar. 2. ver. Hinc sequitur primò.* Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. dub. 7. numer. 54.* Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vnct. difficul. 10. ver. Conueniunt tertiò.* Ochagauia *eod. tract. quæst. 7. num. 5.* Isambert. *3. par. quæst. 7. de extr. vnct. artic. 2. ver. Ad secundum.* Caspens. *part. 2. curs. theol. tract. 27. disp. 4. sect. 2. numer. 12.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disput. 19. sect. 9. num. 160.* Palaus *par. 4. oper moral. tract. 26. disp. vn. pun. 6. num. 16. ad 4.*

3 Desumitur ex Concil. Florent. *in Decreto Eugenii pro Armenis. §.*

Quintum sacramentum, dum statuit, quod non debet dari, nisi infirmo, de cuius morte timetur; & proinde potest dati, quotiescunque adest timor de morte, atque adeo, quando putatur imminere periculum mortis, siue morbus in se periculosus sit, siue tantum in opinione, nàm timor non oritur ex periculo in se considerato; sed ex periculo, vt est in opinione: & ideo sicut sufficit timor, ita etiam sufficit periculum in opinione.

4 Similiter etiam ex Concil: Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *de extrema vnctione*, dum habet, quod extrema vnctio est ministranda tàm periculose decumbentibus, vt in exitu vitæ constituti videantur. Vbi est aduertendum, quod non dicit, *sint*, sed, *Videantur*, quia nimirum respiciendum est ad apparentiam periculi mortis, non autem ad realitatem, & iudicandum de statu capacitatis sacramenti, iuxta opinionem, quæ de morbo formatur.

5 Ratio autem est. Quia agitur de capacitate sacramenti, quod requirit certum statum vt qualitatem in subiecto, quæ non est permanens, sed contingens, & ideo debet subesse iudicio humano, an insit talis qualitas, seu status, an verò non insit. Ergo non potest requiri ex institutione sacramenti, nisi quatenus sensibilis subest humano iudicio, atque adeo secundum mensuram ipsius; alioquin si requireretur, vt in se est, Christus reddidisset ministrationem sacramenti impossibilem: nam periculum vitæ ex morbo secundum se non est cognoscibile, sed solum ex sensibilibus signis, ratione quorum subest humano iudicio: vnde Christus voluisset, quod ministraretur sacramentum stante illo statu infirmi, qui non potest cognosci. Ergo periculum mortis, quod requiritur, sufficit, si sit præsumptum, seu in prudenti opinione; nam quatenus subest humano iudicio, dicit sensibilem apparentiam periculi in signis mensuratis per prudentem opinionem, seu prudentem opinionem apprehendentem periculum in his signis. Cum autem hæc signa sint communia tàm vero periculo, quàm præsumpto, si quidem sunt signa fallacia, non minus verum, quàm præsumptum periculum sufficiet.

6 Ad rationem dubitandi resp. Nequaquam sacramentum dependere à statu reali infirmi, non secundum se considerato, sed vt per sensibilia signa ostenditur, quæ præbent probabile motiuum ad apprehendendum periculum. Vnde quando dicitur, quod sufficit periculum præsumptum, seu probabile, non intelligitur de præsumptione, & probabilitate formali, quæ se teneat ex parte intellectus; sed de obiectiua, quæ dicat motiua, seu signa probabilia periculi. Et ideo non est eadem ratio de liquore probabiliter putato, quod si aqua, quia Christus non instituit pro materia baptismi, quod probabiliter putatur aqua, *sed ipsam veram* aquam naturalem. Nec similiter est eadem ratio, quod non valet ordo collatus fœminæ, si putetur esse vir; nam subiectum ordinis non est vir putatiuus, sed realiter vir. Hoc autem inde prouenit, quia in his casibus materia, & subiectum noscuntur in se ipsis, & ideo prout sunt in seipsis, Christus instituit; at *morbus*, & periculum mortis non *noscitur* in seipso, sed in signis, & ideo Christus instituit hanc qualitatem in subiecto extremæ vnctionis, prout manifestatur in signis.

7 Ex his colligitur contra Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 4. Palaum *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. punc.* 6. *num.* 13. In dubio, an morbus periculosus sit, posse ministrari sacramentum extremæ vnctionis sub conditione, vt notat Capeauil. *de administr. sacram. temp. pest. cap.* 5. *quæst.* 11. quod tamen ita accipi debet, quando morbus est ex illorum genere, in quibus li-

licet non appareat periculum mortis, de repente tamen perducunt ad mortem, vt contingit in peste infectis. Nam quamuis sacramentum non sit necessarium, non tamen debet infirmus exponi periculo, quod careat tali sacramento, cum conferat specialia auxilia ad debitam preparationem pro exitu ex hac vita, quod non præstant alia sacramenta, quæ potest recipere, cum habeant diuersum effectum sacramentalem. Nec est nouum, quod ministrentur sacramenta cum dubio de validitate sub conditione, quando adest rationabilis causa. Immò dubium de periculo mortis non poterit vnquam esse ita negatiuum quin adsit aliqua probabilitas; quia eo ipso, quod infirmitas non censetur positiuè carere periculo, erit talis conditionis, vt subministret motiuum iudicandi, esse periculosam.

8 Colligitur 2. cum Iambert. 3. *par. disp. 9. de extr. vnct. art. 2. ver. Dices, quid.* Quod si conferatur extrema vnctio infirmo, in quo nullum appereat periculum mortis, sacramentum futurum nullum, etiam si sacerdos putaret, infirmum esse in statu, in quo posset ministrari: nam validitas sacramenti dependet, non a probabilitate formali, seu bona fide ministri de habilitate subiecti, sed ab obiectiua, atque adeo à signis realibus periculi mortis; neque etiam opinio ministri facit, quod interueniant, quæ sunt de institutione Christi, si alias non interuenirent. Ratione tamen bonæ fidei excusaretur à peccato.

9 Colligitur 3. Extremam vnctionem ministratam, periculosè decumbenti, licèt periculum extrinsecus non appareat, & proinde morbus non iudicetur periculosus, esse validam, quamuis peccet, qui tunc ministraret, quia ministraret illi, quem cognosceret, non esse capacem. Ita etiam Iambert. 3. *par. disp. 6. de extr. vnct. art. 1. ver. Dices, igitur.* Ratio est, quia subiectum verè afficitur illa qualitate, quæ in ipso requiritur ad validitatem sacramenti; & de ipso verificantur verba Iacobi Apostoli, *Infirmatur quis in vobis?* accipiendo ipsa vt debent accipi, de graui, & periculosa infirmitate.

10. Dices. Status infirmitatis, qui requiritur, debet esse periculosus in signis sensibilibus, ita vt sit talis, vt possit iudicari de ipso, vt dictum est, & ideo si morbus non esset periculosus, dummodo tamen probabiliter appareret talis, sacramentum esset validum. Ergo non sufficiet morbus periculosus in se, nisi etiam vt talis apprehendatur in signis sensibilibus Resp. Neg. consequent. quia licet periculum morbi non apprehendatur in signis sensibilibus, non per hoc tamen fit, quod non sufficiat; quia, si periculum sit præsentaneum, fieri non potest, quin exhibeat aliquod signum periculi, nam cum partes corporis habeant consensum ad inuicem, non potest morbus inducere periculum mortis in vna parte, quin aliqua alia pars ex principalioribus compatiatur, & exhibeat extrinsecus aliquod signum; siquidem non imminet periculum vitæ, nisi læ datur aliqua pars, à qua vitales functiones dependeant. Vt autem morbus sit sufficiens qualitas, vt reddat subiectum capax extremæ vnctionis, sufficit quod appareat in aliquo externo signo, quamuis extrinsecus non apprehendatur, cum sufficiat, quod possit apprehendi.

11 Instabis. Requiritur infirmitas periculosa, quatenus subest humano iudicio. Ergo requiritur, quod periculum apprehendatur. Resp. Requiri infirmitatem periculosam, quatenus subiectam humano iudicio in habitu, non autem in actu: vt autem sit subiecta in habitu, sufficit, si appareat in aliquo signo, quamuis actu non percipiatur, alioquin, si deberet percipi, sacramentum dependeret a fallaci iudicio medicorum, præ-

sertim imperitorum, nec posset ministrari ei, qui reuera esset capax, quia non adesset, qui periculum apprehenderet.

An sani, qui in periculo mortis versantur, sint capaces extremæ Vnctionis. Quæst. 386.

SVMMA.

1 *Sani versantes in periculo mortis non sunt capaces extremæ Vnctionis.*
2 *Desumitur ex Concilio Florentino.*
3 *Declaratio Concilii fundatur in verbis. Apostoli.*
4 *Ratio assignatur tantum ex institutione Christi.*
5 *Desumitur etiam ex fine Sacramenti.*
6 *Argumenta soluuntur, num. 7.*

1 DIfficultas procedit de iis, quibus periculum vitæ imminet ab extrinseco, vt sunt præliaturi, versantes in periculo naufragii, per sententiam iudicis necandi, & alii huiusmodi. Dicendum est autem. Non esse capaces extremæ vnctionis: & ideo non posse ministrari. Conclusio est certa, & eam tradũt communiter Doctores D. Th. 3. *par. quæst.* 32. *supplem. artic.* 1. Syluius *ibid.* Mercer. *art.* 2. Nugnus *difficul.* 1. *conclus.* 1. qui ait oppositum esse hæresim manifestam. Chellison. *art.* 1. *Præposit. quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 7. *num.* 51. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 34. *art.* 2. ver. *Quartò damnati.* Petrus Ledesma. *part.* 1. *sum. tract. de extr. vnct. capit.* 6. *post.* 3. *conclus.* ver. *Per la misma.* Angles in Florib. *quæst. de extr. vnct. artic.* 4. *conclus.* 1. Tabiena verbo. *Vnctio extrema.* *num.* 7. Angelus *num.* 4. Syluester. *numer.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* ... *art.* 2. *conclus.* 1. Nauar. *cap.* 22. *Manual. num.* 13. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 6. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 4. Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 9. *de extr. vnct. sect.* 1. ver. *Hinc colliges.* Isambert. 3. *part. disp.* 6. *de extr. vnc. art.* 2. ver. *Hinc sequitur.* Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *num.* 52. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *numer.* 4. ver. *Ex quo.* Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *Subiectum huius sacramenti.* ver. *Sanus.* Petrus Sotus. *lect.* 2. *de extr. vnct.* Auersa *de sacram. quæst. vn. de extr. vnct. sect.* 8. *init.* Fuliens. in Idea *theol. sacram. cap.* 33. *de extr. vnct. resol.* 8. Amicus *tom.* 8. *cursus theol. disp.* 19. *sect.* 9. *num.* 157. Ludouic. à S. Ioa. *par.* 1. *sum. quæst. de extr. vnct. art.* 6. *dub.* 1. *append.* 1. & 2. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 3. *de extr. vnct. num.* 3. Martinon. *tom.* 5. *de sacram. disp.* 65. *sect.* 5. *numer.* 33. Baunius *tom.* 1. *theol. moral. tract. vlt. quæst.* 8. *conclus.* 2. Dicastil. *De sacram. num.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *num.* 161.

2 Desumitur autem ex Concil. Florent. in Decreto fidei pro Armenis §. Quintum sacramentum, dum habet, Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet. Dictio enim, Nisi, determinat subiectũ extremæ vnctionis, *quod* sit infirmus, de cuius morte timetur, & ponit negatiuam in aliis, iuxta doctrinam, quam tradunt Ruin. *consil.* 127. *num.* 13. ver. *Quandoque lib.* 2. Bartol. *consil.* 46. *numer.* 1. *lib.* 2. Geminian. *consil.* 15. *num.* 18. Rota *decis.* 96. *num.* 1. & *decis.* 197. *num.* 2. *pars.* 1. *Recent.* Et proinde qui non est infirmus, non est capax huius sacramenti.

3 Atque hæc declaratio Concilii fundatur in Verbis Apostoli Iacobi. Nam solis infirmis proponit hoc sacramentum, dum inquit, *Infirmatur quis in vobis.* Vnde Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 3. *de extr. vnct.* habet,

bet, quod præscripsit, nempe ex institutione Christi, qui suscipere debeant, & in verbis ipsius declarari, quod sit infirmis adhibenda. Si ergo, per Apostolum Iacobum hoc sacramentum est infirmis adhibendum; non poterit ministrari sanis, quamuis sint morti proximi.

4 Alia autem ratio assignari non potest, quàm institutio Christi: quia, quantum est ex natura sacramenti nō repugnaret, quod omnibus morti proximis ministraretur, si Christus ita instituisset. Quia tamen sacramenta non habent vim nisi ex institutione Christi, & secundum mensuram ipsius, ideo, si ministrentur præter institutionem, nulla sunt. Quod autem hoc sacramentum instituerit solum pro infirmis, tradit Iacob. Apostol. ita declarantibus citatis, & Concil. Quamuis alias verba Apostoli clara sint.

5 Ex fine autem sacramenti desumitur ratio. Nam Christus per hoc sacramentum voluit consulere depressioni spirituali animæ in ordine ad se præparandum ad exitum vitæ, quæ in ipsam redundat ex depressione corporis causatæ ex morbis: & proinde voluit sacramentum esse alleuiatiuum animæ, ita vt subleuetur ab illa ineptitudine, quam habet in ordine ad supernaturales actus. Cum autem hic finis non habeat locum in sanis, quamuis sint proximi morti, quia sicut in ipsis non infirmantur corporis vires, ita neque vires animæ remanent debilitatæ ex consensu cum debilitatione corporis, ita nec locum habet sacramentum.

6 Dices. Qui sunt proximi morti, præsertim per sententiam iudicis sunt valde expositi tentationibus dęmonis, & indigent confirmatione, vt possint resistere. Ergo sunt capaces effectus extremæ vnctionis, atque adeo etiam sacramenti. Resp. neg. conseq. Quia hoc sacramentum non est institutum vniuersaliter contra tentationes dęmonis, sed solum contra ipsas occasionatas ex debilitate spirituali animæ, quæ, vt dictum est ex debilitate corporis in ipsam redundat: & ideo gratia sacramentalis ipsius tendit ad subleuandam hanc debilitatem, & confirmandam animam ad vincendas tentationes insurgētes intuitu huius debilitationis. Nā contra alias tentationes adest præsidium viatici; quod similiter dat vires spirituales ad resistendum, & est antidotum præseruans à peccatis, vt habet Concil. Trident. *sess. 12. capit. 2. de Euchar ist.*

7 Dices 2. In his personis potest extrema vnctio sortiri suum effectum abstergendi reliquias peccatorum. Ergo erunt capaces sacramenti in ordine ad hunc effectum. Resp. neg. conseq. quia hic effectus est secundarius, & conditionatus iuxta verba Iacobi Apostoli. *Et si in peccatis sit remittentur ei*; vnde consequitur ad primariū: & ideo, quando primarius non habet locū, nec etiam habet locū, secundarius, & conditionatus. Deinde abstergere reliquias peccatorum conuenit etiam aliis sacramentis, cum & ipsa tollant venialia, & afferant auxilia contra graues inclinationes: vnde oportet, vt hoc sacramentum speciali modo tollat. Tollet ergo alleuiando spiritualiter infirmum: & quatenus decumbens etiam spiritu, atque adeo impotens ad se erigendum in Deum per actus congruentes illi statui, & ad tollendas per hos actus reliquias peccatorum, confortatur, supplente sacramento huiusmodi defectum.

An

An ſi damnati ad mortem infirmentur, poſſint ſuſcipere extremam vnctionem. Quæſt. 387.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Poteſt miniſtrari ſi ſit infirmitas ex ſe periculoſa, & num. 3.*
4 *Quid dicendum, ſi infirmitas contracta ſit ex metu mortis.*
5 *Quid de damnatis ad perpetuum carcerem, ſi incidant in periculoſum morbum.*
6 *Obiectis ſatisfit, & num. 7.*

---

1 PRima opinio tenet, quod non poſſit ipſis miniſtrari, etiam ſi infirmentur. Ita Palud. *in 4. diſt. 23. quæſt. 3.* Ledeſma. *2. part. 4. quæſt. 34. art. 2.* ver. *Quartò damnati.* Supplem. Gab. *quæſt. 1. artic. 3. dub. 3. in corollar.* qui tamen loquitur ſolum, quando ex horrore poenarum infirmantur. Prob. Palud. Quia ſunt publici peccatores, & infames in facie Eccleſiæ, & ideo priuantur hoc ſacramento. Secundo. Prob. Ledeſma. Quia non ſunt capaces ſanitatis, quæ eſt effectus ſacramenti.

2 Secunda ſententia tenet, quod poſſit miniſtrari. Ita idem Supplemen. Gabr. *in 4. diſt. 23. quæſt. 1. littera O. dub. 1.* Victorel. *De extr. vnct.* Tit. *ſubiectum huius ſacramenti.* ver. *ſanus in fine.* Mercer. *de ſacrament. quæſt. 32. ſupplem. art. 2.* ver. *Hinc requitur.* Iſambert. *3. par. diſp. 6. de extr. vnct. artic. 2.* ver. *Hinc ſequitur*: ſubdens, quod poterit miniſtrari, ſi conſuetudo loci id ferat.

3 Dicendum eſt. Damnatis ad mortem, ſi ſimul infirmi ſint, poſſe miniſtrari ſacramentum extremæ vnctionis. Debet tamen infirmitas eſſe talis, vt quantum eſt de ſe periculoſa ſit, ita vt poſſet ex ipſa probabiliter mors timeri. Prob. Stante periculoſa infirmitate ſecluſa ſententia mortis eſſent capaces extremæ vnctionis, quia haberent qualitatem requiſitam pro capacitate ſacramenti, nempe grauem infirmitatem. Ergo ſunt capaces, etiam ſi per ſententiam iudicis ſint morte afficiendi. *Quia* ſententia mortis non tollit ab ipſis capacitatem, quam aliàs habent, cum non tollat qualitatem, quæ reddit capacem; nec ab ipſis tollit ius, quod habent ad ſacramenta. Confir. *Si iudex* condonaret pœnam mortis, & perſeueraret eadem infirmitas periculoſa, poſſet ipſis miniſtrari extrema vnctio; ergo poterit miniſtrari etiam ſecluſa condonatione, nam condonatio non mutat intrinſece ſubiectum, nec ponit in ipſo capacitatem: & ideo ſi eſt capax poſita condonatione, erit etiam capax non *poſita.*

4 Ex his colligitur, *quod ſi infirmitas contracta ex horrore mortis ſit talis, vt quantũ eſt de ſe inducat periculum vitæ, poterit tunc miniſtrari extrema vnctio, nam licet habeat cauſam extrinſecam, afficit tamen intrinſece infirmum, & conſtituit in ſtatu periculoſo; & proinde inducit illam qualitatem, ratione cuius ſubiectum ſit capax huius ſacramenti.

5 Colligitur 2. Damnat*is ad perpetuum carcerem eſſe à fortiori extremam vnctionem miniſtrandam, ſi incidant in morbum periculoſum, quia pœna carceris non ponit impedimentum ſacramentis, nec priuat iure, quod carceratus habet ad ipſa; & ideo nulla adeſt ratio, ob quam non debeat miniſtrari extrema vnctio.

6 Ad primum neg. aſſumptum, quia aliud eſt, eſſe publicum peccatorem: & aliud publicum eſſe, quod quis fuerit peccator. Damnati autem ad mortem, licet publicum ſit, quod fuerint peccatores, quia ſententia

mor-

mortis, id facit publicam; si tamen pœniteant, non remanent amplius publici peccatores: quia esse publicum peccatorem dicit publicam perseuerantiam in peccato. Nec obstat, quod sint infames, quia Ecclesia in ordine ad sacramenta non habet rationem infamiæ, sed tantum in ordine ad munera ecclesiastica. Si quidem infamia inducitur de iure humano: & proinde non tollit, quæ de iure diuino conueniunt, quale est ius ad sacramenta.

7 Ad 2. Non esse capacem sanitatis, non obstare capacitati sacramenti, quia sanitas corporalis est effectus secundarius, & non absolutus, sed solum aliquando, si saluti animæ expedierit, vt habet Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 2. *de extrema vnctione*. Incapacitas autem effectus secundarii non trahit incapacitatem sacramenti. Deinde eodem modo sunt capaces ipsi sanitatis, ac sint cœteri infirmi, quia quod sint supplicio afficiendi, solum dicit, quod breui sint vitam completuri, non autem quod non sint capaces sanitatis, quia possent sanitatem recuperare, & cum ipsa vitam finire.

An vulneratis, veneno infectis, & aliis huiusmodi sit ministranda extrema vnctio. Quæst. 388.

S V M M A.

1 *Talibus correptis infirmitate est ministranda extrema vnctio.*
2 *Seclusa infirmitate non esse capaces, qui deceant.*
3 *Esse capaces tenendum est.*
4 *Et probatur.*
5 *Et multo magis à quocumque veneno infectis.*
6 *Statim ac quis est venenatus lethaliter, est capax extremæ vnctionis.*
7 *Idem dicendum de eo, qui ex alto cadit.*

1 SI quis post accepta vulnera corripiatur etiam infirmitate, vt esset febris, non potest verti in dubium, quin sit capax extremæ vnctionis, & proinde ipsi ministrari possit: si quidem seclusis vulneribus habet qualitatem fundamentalem, ratione cuius sit capax sacramenti, nempe infirmitatem: & in hoc conueniunt communiter Doctores. Solum difficultas est, an seclusa infirmitate, ita solum ratione vulnerum tendat ad mortem, vt sit capax extremæ vnctionis.

2 Quod autem non sit capax tradunt Philiarcus in Manuali. Chellison. 3. *par. quæst.* 32. *supplemen. artic.* 2. ver. *Hinc sequitur*. Bartholom. ab Angelo *Dialogo* 3. §. 138. *ver. Teneo tamen*. Quorum fundamentum est, quia hi non sunt verè infirmi, hoc autem sacramentum solis infirmis est adhibendum.

3 Tenendum tamen est, quod etiam vulneratis sit ministrandum, si ratione vulnerum constituantur in periculo mortis. Ita Angles in Florib. *quæst. de extr. vnct. art.* 4. *conclus.* 1. Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de extr. vnct. cap.* 6. *difficul.* 1. *post* 3. *conclus.* ver. *Por la misma*. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 6. Mercer. *de sacram. quæst.* 32. *supplem. artic.* 2. ver. *Hinc sequitur*. Præposit. *quæst. vn. de extr. unct. dub.* 7. *num.* 55. Naldus verbo *Extrema vnctio, numer.* 4. Armill. *num.* 6. Tabiena *num.* 5. Posseuin. *de offic. Curati, cap.* 9. *num.* 4. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 6. Fernandez *par.* 3. *Exam. theol. moral. cap.* 10. §. 1. *num.* 9. Sotus in 4. *dist.* 23. *quæst.* 2 *artic.* 2. Syluester verbo *Vnctio, quæstion.* 5. Philiarc. De *offic. Sacerd lib.* 1. *capit.* 12 Zechius *de sacram. capit.* 3. *de extr. unct.*

unct. Victorel. *De extr. unct.* Tit. *Senio confectis, &c.* ver. *Serpentis*. Isambert. *3. par. disp. 6. de extr. unct. artic.* 2. ver. *Eodem iure*. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num.* 52. Auersa *de sacram. quæst. unic. de extr. unct. sect. 8. init.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 10. num.* 162. Martinon. *de sacram. disp. 65. de extr. unct. sect. 5. num.* 33. Filliuc. *tract. 3. capit. 6. num.* 135. Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 3. de extr. unct. num.* 4.

5 Ratio autem est, quia quamuis vulnus ab extrinseco inferatur, læsio tamen ipsius est intrinseca vulnerato, nec potest esse mortale, nisi quatenus ita vulnerat organa functionum vitalium humani corporis, vt ea impediantur; & inde fit locus morti. Dum autem ita vulnerantur organa humani corporis, inducitur infirmitas, cum infirmitas non sit aliud, quàm alteratio constitutionis naturalis humani corporis. Vnde verificatur, quod vulneratus sit infirmus, atque adeo habeat qualitatem necessariam pro suscipiendo hoc sacramento: vnde solutum remanet fundamentum oppositæ sententiæ.

5 Ex quibus infertur à fortiori, quod ii, qui ratione veneni constituuntur in periculo mortis, siue illud sumpserint, siue ex morsu venenati animalis infecti sint, siue alio quocunque modo, capaces sunt extremæ vnctionis. Nam venenum quocumque modo noceat, non ducit ad periculum mortis, nisi alterando temperamentum, & constitutionem humani corporis, atque adeo inducendo infirmitatem. Et cum alteratio sit talis, & tanta, vt inducat periculum mortis, infirmitas quoque erit periculosa, siquidem correspondet alterationi.

6 Ex dictis colligitur. Quod statim ac aliquis vulneratus est letaliter, est capax extremæ vnctionis, quia iam in vulnere incipit periculum mortis: & simul etiam infirmitas: quia incipit alteratio constitutionis humani corporis. Et ideo poterit ministrari. Quod habet locum etiam quoad eos, qui vulnerati remanent in via publica, quia non est indecens, quod ibi ministretur extrema vnctio, cum regulariter extra Ecclesiam soleat ministrari, & aliquando in loco magis incongruo, vt contingit tempore pestilentiæ. Vnde ministrari etiam poterit, & deberet vulneratis in prælio, qui in loco prælii moriuntur, vt hoc sacramento iuuari possint, sicut etiam iis, qui vulnerantur in aggressione, & defensione vrbium.

7 Colligitur 2. Quod si quis ex alto cadat, vt contingit non raro in cementariis, qui construunt domos, & ex illo casu constituantur in periculo mortis, præsertim si breui timetur superuentura mors, poterit ipsis in illo eodem loco ministrari extrema vnctio, præsertim, quia vt plurimum non potest ministrari viaticum ob difficultatem congregandi personas necessarias pro deferenda Eucharistia, cum facilius deferri possit extrema vnctio; vt nimirum hoc sacramento iuuentur in illo extremo: nam & ipsi sunt re vera infirmi ob notabilem alterationem constitutionis humani corporis, quæ ex illo casu causatur.

An parturientibus ministrari possit extrema vnctio, si periclitentur. *Quæst.* 389.

S V M M A.

1 *Non esse ministrandam qui doceant absolute.*
3 *Esse ministrandam, quando contingit periclitari.*
3 *Et probatur.*
4 *Idem dicendum de patientibus abortum.*
5 *Idem dicendum, si scindendus est vterus.*

1 NOn esse ministrandum parturientibus absolute tradũt Acta Ecclesiæ Mediolanens. *par* 4. Tit. *Quibus ministratur.* Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 4. ver. *Ex quo.* Fundamentum esse potest, quia non sunt realiter infirmæ.

2 Ministrandum esse parturientibus, quando contingit periclitari, tradunt Isambert. *3. par. disp. 6. de extr. vn. ar.* 2. ver. *Eodem iure* Præposit. 3. *par. Quæst. vn. de extr. vnctione. dub.* 7. *nu.* 51. Viuald. *in Candelab. tit. de extr. vnct. num.* 24. Victorel. *de extr. vnct.* Tit. *Quid affirman. de mulier. &c.* Zechius *de sacram. cap.* 3. *de extr. vnct.* Marchant. *in resolut. pastoralib. tract.* 9. *capit.* 2. *quæstio* 2. Amicus *tom.* 8. Curs. *Theol. disp.* 19. *sect.* 9. *numer.* 157. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæstion.* 1. *dub.* 3. *num.* 52. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. Reginald. *lib.* 28. *praxis fori poenit. num.* 68. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 3. *de extr. vnct. num.* 4.

3 Tenendum est igitur, quod mulieribus periclitantibus ex difficultate partus liceat ministrare extremam vnctionem. Ratio est. Quia, dum mulier patitur difficultatem in pariendo, & ratione huius difficultatis adducitur in periculum mortis, debet intrinsecè interuenire magna alteratio constitutionis naturalis, sine qua non potest induci nec mors, nec periculum mortis; nam quamuis aliqua pars corporis grauissimè patiatur, quando non est ex iis, à quibus dependent functiones vitales, non inducitur periculum mortis. Si verò sit ex iis, ex quibus dependent, ex passione ipsius compatiuntur ceteræ partes, quia priuantur influxibus necessariis, & ideo soluitur constitutio naturalis, ex quo fit, quod consurgat infirmitas, quæ consistit in alteratione debitæ naturalis constitutionis. Cum ergo parturientes inducantur in periculum mortis, necesse est, quod interueniat notabilis alteratio constitutionis naturalis, atque adeo infirmitas: & proinde quod sint subiectum capax extremæ vnctionis.

4 Ex his colligitur. Quod extrema vnctio ministrari potest mulieribus, quæ patiuntur abortum, & ex hoc capite inducuntur in periculum vitæ. Nam hoc contingere non potest, nisi intrinsecè male afficiantur; ita vt inde proueniat mortis periculum: & proinde inter infirmas periculosè verè computentur: & ita notat etiam, Victorel. *De extr. vnct.* Tit. *Quid affirman. de mulier.* ver. *Si abortus*. Et idem est etiam dicendum, quando foetus moritur in vtero: & ex hoc mulier adducitur in periculum mortis.

5 Colligitur 2. Quod si mulier talem patiatur difficultatem in partu, vt necesse sit deuenire ad incisionem vteri præparare se poterit ad illam sustinendam, non solum cum cęteris sacramentis, sed etiam cum extrema vnctione. Hoc enim contingere non potest absque magna alteratione intrinseca, nam ex vna parte natura nititur foetum edere; ex alia verò resistunt angustiæ vteri: vnde excitatur grauis alteratio, quæ causat periculum mortis, atque adeo infirmitatem; vt proinde necessarium sit deuenire ad illud extremum remedium incisionis.

An senio confectis ministranda sit extrema vnctio. Quæst. 390.

S V M M A.

1 *Est ministranda extrema vnctio, & quando.*
2 *Probatur, & num. 3.*
4 *Obiectio soluta.*

5 *Debetur talibus ministrari, quando percipitur defectus virium.*

---

1 Dicendum est. Senio confectis esse ministrandam extremam vnctionem. Quod tamen ita debet accipi, vt intelligatur de senio confectis, quando ita deficiunt, vt timeatur breui mors superuentura. Ita communiter. Richar. *in 4. dist. 23. art. 2. quæst. 3.* Nauar. *cap. 22. Manual. num.* 14. Tabiena verbo. *Vnctio. num.* 7. Syluester. *numer.* 5. Zechius *de sacram. cap. 3. de extr. vnct.* Posseuin. *de offic. Curati capit. 6. num.* 4. Nald. verbo *Extrema vnctio num.* 4. Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 6. Barholom. ab Angelo *dialogo 3. §.* 138. *Præposit. 3. par. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 7. num.* 55. Mercat. *tom. 3. sum. disp. 9. de extr. vnct. sect.* 1. ver. *Hinc colliges*. Tanner. *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num.* 52. Basseus *in Florib. theol.* verbo. *Extremæ vnct. sacram. num.* 4. Fernandez *par. 3. exam. theol. moral. cap.* 10. §. 1. *num.* 9. Victorel. *de sacram. extr. unct.* Tit. *Senio confectis*. Suarez 3. *part. tom. 4. sect. 2. num. 11. in fine* Amicus *tom.* 8. *Curs. theol. disp. 19. sect. 9. num.* 157. Martinon. *de sacram. disp. 65. de extr. unction. sect. 5. num.* 33. Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 10. numer.* 162. Henriquez *lib. 3. sum. capit.* 11. *num.* 2. Filliuc. *tract. 3. num.* 166. Reginal. *lib. 28. praxis fori poenit. num.* 70. Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 3. de extr. unct. num.* 7.

2 Ratio autem est. Quia quando quis senio deficit, ideo deficit, quia functiones naturales ita debilitantur, vt non possint subministrare, quæ necessaria sunt pro conseruatione debitæ constitutionis naturalis: & ideo ipsa quoque deficit, præsertim quoad illud temperamentum, quod necessarium est in corpore pro manutenenda vnione inter corpus, & animam. Vnde constitutio naturalis, & temperamentum alterantur in se, non quidem per inductionem extraneæ qualitatis contrariæ, sed per subtractionem naturalium, quæ paulatim deficiunt, deficiente humido radicali; & consurgit ex iis, quod remanet inordinata temperies, ratione cuius inordinationis dissoluitur nexus inter animam, & corpus. Hæc autem deordinatio temperamenti est infirmitas, quæ paulatim deducit ad mortem, & ideo reddit subiectum capax extremæ vnctionis.

3 Confir. Quando quis deficit ex senio, habet causam intrinsecam deducentem ad mortem, & producit eosdem effectus in ordine ad indigentiam effectus sacramentalis extremæ vnctionis, quos producunt cæteræ infirmitates; nam reddit hominem decumbentem, & consopitum sensibus, ita vt ægre possit exercere sensitiuas operationes: & consequenter iidem effectus redundant in animam, non secus ac in aliis morbis: vnde in ordine ad superandum remanet fere consopita, & ideo indiget specialibus auxiliis, quibus confirmetur in ordine ad illas operationes, quibus debet se præparare ad exeundum ex hac vita. Ergo cum senio deficiens sit eodem modo qualificatus; & indigens sacramentalis effectus extremæ vnctionis, ac esset in quauis alia infirmitate; erit etiam eodem modo capax huius sacramenti.

4 Dices senectus, & infirmitas differunt inter se Cap. *Quoniam frequenter*. ver. *Nisi*. *Vt lite non contest. & Capit* 1. §. *fin. declar. ægrotan. in 6. & notant Doctores in dict.* Capit. *Quoniam frequenter* Gomez. *in Regul. de infir. resignant. quæst.* 7. Mandos. *in Reg. 19. quæst. 4. num.* 4. Rebuf. *in praxi benefic.* Tit. *de infir. resignan. glos. 2. numer.* 13. Alciat. *reg. 1. præsumpt. nlt.* Ergo etiam mori ex infirmitate, & mori ex senio, seu esse in periculo mortis, ex infirmitate, &

& ex senio erunt diuersa, & ideo deficiens ex senio, vt pote non vere infirmus non erit capax extremæ vnctionis. Resp. neg. conseq. Quia deficere ex senio dicit aliquid amplius supra senectutem, nempe consumptionem humidi radicalis, & alterationem constitutionis naturalis, & debiti temperamenti, non per superadditionem extraneæ qualitatis, sed per diminutionem connaturalium, & spirarum destructionem, ratione cuius habetur infirmitas, vt dictum est: & ideo licet senectus non sit infirmitas, mori tamen ex senio est mori ex infirmitate.

5 Dubium tamen adhuc remanet. Quando senio deficientibus ministrari possit extrema vnctio. Si quidem cum paulatim deficiant protrahunt in longum vitam. Resp. Tunc posse ministrari, quando percipitur talis defectus virium, & virtutis naturalis, vt timeatur de vita senum, nam tunc censentur esse in periculo vitæ, & habet locum, quod tradit Concil. Florent. *in Decreto pro Armenis §. Quintum sacramentum*; Quod debet ministrari infirmo, de cuius vita timetur. Fieri enim potest, quod senex in tali statu constitutus ex improuiso deficiat.

In quo statu infirmitatis extrema vnctio sit ministranda.
Quæst. 391.

S V M M A.

1 *Non expectanda am̃issio sensuum, & vsus rationis.*
2 *Deuotio suscipientis iuuat pro fructu sacramenti.*
3 *An ille, ad quem spectat ministrare, expectans extremum vitæ peccet mortaliter.*
3 *Status quæstionis.*
4 *Sententia affirmans.*
4 *Posse ministrari extremam vnctionem in principio morbi periculosi.*
5 *Probatur, num. 6, 7. & 8.*
9 *Extrema vnctione non ministrata tempore opportuno, debet ministrari etiam si æger nõ polleat sensibus.*
10 *Sufficit periculum mortis probabile.*
11 *Suspendentibus iudicium salutis, & hæsitantibus valde medicis, infirmus est capax extremæ vnctionis.*

1 Conueniunt communiter Doctores, quod non sit expectãdum extremum vitæ, præsertim quod infirmus amittat sensus, & vsum rationis; præsertim Ledesma *par. 1. sum. tract. de extr. unct. capit. 6. conclus. 3.* ver. *Lo segundo*. Suarez *3. part. tom. 4. disp. 42. sect. 2. num. 5.* Granad. *controuer. 8. tract. de extr. unct. disp. 6. numer. 2.* Pitigian. *in 4. dist. 23. quæst. un. art. 5. quæst. 4.* Siluius *3. part. quæst. 32. supplem. art. 2. in fine.* Io. à Cruce *par. 2. direct. conscient. dub. 4. de ex r. unct. conclus. 2.* Chellison. *3. par. quæst. 32 supplem. artic. 2.* ver. *Notandum est*, & alii infracitandi. Ratio est. Quia pro fructu sacramenti plurimum iuuat deuotio suscipientis: & ideo si expectetur extremum vitæ, priuatur infirmus fructu, quem conferret sacramentum stante deuotione ipsius. Secundò. Quia hoc sacramentum confert vires contra tentationes, quæ insurgunt à principio morbi periculosi, quibus facilius succumbet infirmus nõ munitus hoc sacramento. Tertiò. Quia hoc sacramentum ordinatur ad alleuiandam animam spiritualiter decumbentem ex redundantia decubitus corporalis, quatenus ratione ipsius fit minus expedita ad operandum: & ideo debet ministrari; quando vrget indigentia alleuiationis, ne priuetur infirmus subleuatione pro tempore præcedenti. Quartò. Quia habet pro effectu sanitatem corporalem, quando ita expedierit, non miraculose

conferendam, sed per causas naturales: & ideo non debet expectari, quod salus corporalis sit omnino desperata,

2 Immò addunt nonnulli Doctores præsertim Sylvius citatus, Naldus *uerbo Extrema unctio, num.* 10. Pitigian. *in* 4. *dist.* 23. *artic.* 5. *quæst.* 4. Martin. à S. Ioseph *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 2. *de extr. unct. num.* 10. *in fine*: quod si ille, ad quem spectat ministrare, expectet extremum vitæ, & quod infirmus sensus amiserit, peccat mortaliter, Quod valde probabile puto, quando absque causa, & aduertenter ponit hanc dilationem. Quia non solum fraudat infirmum fructu, quem conferret sacramentum stante deuotione ipsius, sed etiam priuat pro toto tempore antecedenti effectibus sacramenti. Rursus facit etiam contra munus proprium, & contra ius infirmi, nam sicut debitor non soluens tempore debito, facit contra iustitiam, & ius creditoris: ita etiam cum sacerdos teneatur ex officio ministrare subditis sacramenta, quando indigent, & ipsi habeant ius, ad ea exigenda; dum non ministrat extremam vnctionem, quando cognoscit incoepisse indigentiam, deficit in re graui in proprio officio, & facit contra ius infirmi, qui habet ius, vt sibi subueniatur per tale sacramentum. Sic etiam peccaret grauiter, qui teneretur subuenire grauiter indigenti, si vellet expectare extremam necessitatem ipsius.

3 Difficultas autem est, an pro ministranda extrema vnctione expectandum sit, quod salus infirmi sit desperata, an verò possit ministrari in principio morbi periculosi. Prima sententia tenet non esse ministrandam in principio morbi periculosi, sed expectandum esse, quod non adsit spes vitæ. Ita Mercer. *de sacrament. quæstion.* 32. *supplem. art.* 2. ver. *Sequitur secundo* Chellison. 3. *part. quæst.* 32. *supplem. art.* 2. ver. *Hinc sequitur primo, & art.* 3. ver. *Notandum est.* Quia cum sit extremum remedium; non est conferendum, nisi extreme laborantibus,

4 At communiter tenent oppositum, & uolunt, quod ministrari possit in principio cuiuscunque infirmitatis periculosæ. Ita Ledesma *part.* 1. *sum, tract. de extrema unct. cap.* 6. *conclus.* 3. uer. *La razon*, Angles *in Florib. quæst. de extr. unct. art.* 4. *conclus.* 2. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *capit.* 4. *num.* 4. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 11. *num.* 3. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 42. *sect.* 2. *num.* 5. Coninch. *de sacram. disp.* 19. *dub.* 7. *num.* 24. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26 *disp. un. punc.* 6. *num.* 12. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. un. pun.* 5. *num.* 7. Granad. 3. *part. controuer.* 8. *tract. de extrem unct. disp.* 6. *numer.* 2. Præposit. *quæst. un. de extr. unct. dub.* 7. *numer.* 54. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæstion. de extr. unct. artic.* 6. *dub.* 1. *difficul.* 1. *conclus.* 2. Auersa *de sacramentis, quæst. de extr. uncter, sect.* 8. uer. *Tertiò tamen.* Dicastil. *de sacrament. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *num.* 160. Victorel. *de extr. unct.* Tit. *Quem morbum.*

5 Dicendum est, Extremam unctionem ministrari posse in principio morbi periculosi, seu quando incipit esse periculosus. Desumitur ex uerbis Iacobi Apostoli, dum inquit, *Infirmatur quis in vobis.* Non enim dicit laborat quis in extremis: & quãuis verbum Græcum significet infirmari cum deficientia, non tamen significat laborare in extremis; & ideo sufficit, quod infirmitas sit periculosa, licet infirmus non sit in extremo vitæ, vt possit validè, & licitè ministrari extrema vnctio.

6 Desumitur etiam ex Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armen.* §. *Quintum Sacramentum*, nam ibi habet, quod hoc sacramentum non debet ministrari, nisi infirmo de cuius morte timetur, & non dicit infirmo qui in extremis laboret. Quando autem infirmitas incipit esse periculosa,

sa, incipit etiam timor de morte, & ideo infirmus est in illo statu, in quo potest secundum Concil. ministrari.

7 Idem etiam habetur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 3. *de extrema unct.* dum inquit; *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tàm periculose decumbunt, ut in exitu uitæ constituti uideantur.* Vbi cum distinguat duo genera infirmorum; vnum eorum, qui constituti videntur in exitu vitæ, & alterum eorum, qui non videntur constituti in exitu vitæ, & his quoque habeat ministrandam extremam vnctionem, aperte declarat, quod non requiratur extremum vitæ, sed possit ministrari, quando morbus est periculosus.

8 Ratio autem est. Quia hoc sacramentum ex sua institutione requirit infirmitatem mortalem in suscipiente, seu illum statum, in quo ab infirmitate perducatur ad mortem. Quando autem incipit periculum mortis, incipit status huiusmodi: & maius, vel minus periculum non variat statum, sed ponit solum diuersitatem intra eumdem statum. Ergo incipit etiam capacitas sacramenti. Confir. Quando incipit vsus rationis, & discretio inter bonum, & malum, incipit etiam capacitas sacramenti pænitentiæ, quamuis vsus rationis, non sit perfectus. Ergo etiam quando incipit periculum mortis, quamuis non sit perfectum, & extremum, incipiet etiam capacitas extremæ vnctionis.

9 Ex his colligitur, quod quamuis non sit ministrata tempore opportuno, quando adhuc infirmus pollebat sensibus, debet adhuc ministrari, etiam si destitutus sit sensibus, vt notant Auersa *de sacram. quæst. de extrem. unct. sect.* 8. ver. *Tertiò*, & ver. *Sextò*, & alii *num.* 4. *citati*. Quia quamuis infirmus non sit capax roborationis spiritualis in ordine ad operandum, hoc est per accidens, quia nimirum, ita morbo opprimitur, vt non possit operari, de se tamen est capax, & fieri potest, quod quamuis functiones sensuum exteriorum amiserit, adhuc tamen operari possit per intellectum, & voluntatem. Deinde erit capax saltem remissionis peccatorum.

10 Colligitur 2. Vt possit ministrari extrema vnctio, non requiri, vt vult Auersa *num. præced. citat.* quod periculum mortis sit certum, sed sufficere probabile. Ita Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 4. *numer.* 4. Præposit. 3. *par. quæst. de extr. unct. dub.* 7. *num.* 54. & alii, qui volunt, sufficere periculum mortis præsumptum, quos supra *quæst.* ... *num.* 2. *citaui*. Nam aliud est, quod periculum mortis sit certum, & aliud, quod sit certum, adesse periculum: primum, certum est, non esse necessarium, quia alioquin raro posset ministrari extrema vnctio, nisi infirmus ageret animam. Secundum quoque neque est necessarium, quia periculum mortis nobis non innotescit, nisi ex signis, quæ, & fallacia sunt, & aliquando vix à valde peritis percipitur; vnde raro ex ipsis formari potest certum iudicium de periculo. Vnde cum Christus instituerit sacramentum hoc pro periculose decumbentibus iudicandis humano modo secundum prudens iudicium, non requiritur, nisi illud iudicium de periculo mortis, quod regulariter formari potest, quod est tantum probabile.

11 Colligitur. 3. cum Isambert. 3. *par. disp.* 6. *de extr. unct. artic.* 2. *ver. Nec his obstat.* Quod si medici circa salutem infirmi suspendant iudicium, attamen valde hæsirent, vt frequenter solet contingere, infirmum esse capacem extremæ vnctionis. Ratio est; Quia stante tali hæsitatione incipit prudens timor de morte, siquidem illa hæsitatio Medicorum reddit dubiam salutem infirmi, eo ipso autem, quod est dubia; rationabiliter timetur. Et ideo subintrat declaratio Concilii Florent. de qua

num.

numer. 6. quod sacramentum potest ministrari infirmo, de cuius morte timetur.

An magis expediat ministrare extremam unctionem initio periculi, an verò expectare, quòd accedat extremum vitæ. Quæst. 392.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua Suarez.*
2 *Sententia negatiua stabilitur, & probatur.*
3 *Consuetudo in oppositum tollenda.*

1 SVarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 42. *sect.* 2 *num.* 5. videtur sentire, quod magis expediat expectare propinquitatem mortis. Cui opinioni consonat etiam praxis, cum non soleat ministrari extrema unctio, nisi quando iam salus est omnino desperata. Et fundamentum est, quia effectus, & auxilia sacramenti sunt maxime accommodata pro illo articulo.

2 Dicendum tamen est. Magis expedire non expectare vltimum vitæ articulum. Ita etiam Præposit. 3. *par. quæst. de extr. vnct. dub.* 7. *numer.* 54. Ex diuerso autem capite magis expedit anticipare. Primò quia quò magis differtur sacramentum, pro maiori etiam tempore præcedenti priuatur infirmus auxiliis, quæ confert sacramentum contra tentationes: atque adeo pluribus actibus, quibus in virtute eorumdem auxiliorum se disponeret ad exeundum ex hac vita, & sibi meritum augeret. Secundò. Quia dum expectatur vltimus articulus vitę, infirmus exponitur periculo carendi hoc sacramento, cum fieri possit, quod celerius moriatur, quàm credebatur, vt ipsa experientia docet. Tertiò. Quia quamuis infirmus non sit priuatus functionibus sensitiuis, est tamen frequenter ita hebetatus in sensibus, vt difficile possit cum deuotione suscipere sacramentum: & ideo priuatur fructu, quem ratione deuotionis conferret sacramentum. Quartò. Quia sacramentum habet pro effectu sanitatem corporalem, quam aliquando confert, si expediens fuerit: vnde non est differendum, sed præmature adhibendum etiam habita ratione hùius effectus; sicut etiam in ordine ad sanitatem præmature applicantur remedia corporalia.

3 Ex his colligitur. Quod consuetudo non ministrandi extremam vnctionē, nisi quando infirmus est valde proximus morti, esset à Prælatis omnino extirpanda, non solum ob motiua, ratione quorum est expediens anticipare; sed etiam, quia cum infirmi sciant, non ministrari, nisi quando iam salus est desperata, aut illam non curant, aut quando moriuntur, esset sumenda, accipiunt hoc tanquam nuncium desperatæ salutis, & consternantur, & stante naturali auersione mortis, frequenter hæc auersio se extendit etiam erga sacramentum, aut saltem non illud desiderant: vnde fit, quod cum exigua deuotione, & dispositione suscipiant.

An in dubio, quod infirmus viuat, sit ministranda extrema vnctio. Quæst. 393.

S V M M A.

1 *Esse ministrandam sub conditione stabilitur.*
2 *Et probatur.*
3 *Resoluitur obiectio.*
4 *Quid dicendum si in vnctione appareant signa dubia vitæ.*

Quod

5 *Quid si Sacerdos putans obiisse infirmum, & postea appareant signa dubia vitæ.*

---

1 Dicendum est. In dubio, an infirmus viuat, ministrandam esse extremam vnctionem sub conditione. Hæc autem conditio, aut erit exprimenda in ministratione, aut saltem erit mente concipienda. Ita communiter Ledesma *part. 1. sum. tract. de extr. vnct. cap. 6. conclus.* 8. Syluester verbo. *Vnctio, quæst. 5. Tabiena num. 7.* Chellison. *3. par. quæst. 32. supplem. artic. 2. in fine.* Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. numer. 56.* Sà verbo. *Extrema vnctio, num. 15.* Posseuin. *de offic. Curati, cap. 9. numer. 19.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 5. numer. 9.* Rodriquez *part. 2. sum. capit. 88.* Nauar. *cap. 22. Manual. num. 13.* Victorel. *de extr. vnct. Tit. Si adueniente Parocho.* Fernandez *patr. 3. Exam. theol. moral. cap. 10. §. 1. numer. 9. in fine.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect. 8. ver. Tertiò tamen.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 10 num. 163.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib 1. tract. 3. de extr. vnct. num. 8. & 10.* Reginal. *lib. 28. Praxis fori poenit. numer. 63.* Ludouic. à S. Io. *part. 1. sum. quæst. de extr. vnct. artic. 6. dub. 3. difficul. 6.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. in fine, numer. 221.*

2 Ratio autem est. Quia proprius pastor tenetur ministrare sacramenta propriis ouibus iuxta ipsarum capacitatem & ideo, quæ sunt absolute capaces, tenetur absolute ministrare. Quando verò non sunt absolute capaces, sed solum sub conditione, debet sub conditione ministrare. Quia conditio adhibita præseruat sacramentum ab irreuerentia.

3 Dices. Extrema vnctio non est sacramentum necessarium: ergo quando non potest ministrari absolute, non debet ministrari sub conditione; quia ministratio sub conditione habet tantum locum in sacramentis necessariis. Resp. Quamuis non sit sacramentum absolutè necessarium, esse tamen necessarium moraliter, quia infirmus in illo articulo valde indiget effectibus ipsius. Deinde ministratio sub conditione non solum habet locum in sacramentis absolute necessariis, sed etiam in coeteris. Si quidem conditio non adhibetur propter necessitatem sacramenti, sed ne reddatur irritum, si subiectum non esset capax. Actus autem celebrari potest conditionate, quotiescunque adest rationabilis causa ita celebrandi.

4 Ex his colligitur: Quod si, dum sacerdos est in procinctu vngendi infirmum, aut dum ipsum vngit, appareant signa, quod infirmus obierit; si hæc signa dubia sint, debet vngere adhuc infirmum, aut vnctionem iam cœptam prosequi sub conditione, vt notat etiam Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect. 8. ver. Tertiò tamen,* Martin. à S. Ioseph *num. 1. citato.* Nec debet moram interponere, vt exploret, an infirmus viuat. Quia sic ministrando ratione conditionis præseruatur sacramentum ab irreuerentia: & si non ministraretur, posset infirmus ipso priuari, nam fieri posset, quod adhuc viueret, sed dum interim sacerdos explorat, an viuat, moriatur.

5 Colligitur 2. Quod si Sacerdos desistat vngere infirmum, quia putet, iam expirasse, si postea aduertat aliqua signa vitæ, debet prosequi vnctionem, & si signa dubia sint, debet prosequi sub conditione, vt notat etiam Victorel. *De extr. vnct. Tit. Si adueniente Parocho. ver. Si viueret.* Cum enim sacramentum sit inceptum, debet perfici, cum esset causa, ob quam non perficiebatur.

An

An necesse sit, quod infirmus decumbat in lecto, vt ei possit ministrari extrema vnctio.

Quæst. 394.

SVMMA.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Probatur.*
3 *Obiectionis solutio.*
3 *Explicatur D. Iacobus.*
4 *Quando expediat ministrare extremam vnctionem in Ecclesia.*

1 Dicendum est. Non esse necessarium, vt infirmus decumbat in lecto, vt possit ministrari extrema vnctio; sed posse eam suscipere extra lectum, & in Ecclesia, quando tamen periculose ægrotat, vt contingere potest in iis, qui hauserunt venenum, aut morsu venenatæ bestiæ tacti sunt, in pestilentia infectis, & in alijs huiusmodi morbis, in quibus infirmus non destituitur viribus, & potest se conferre ad Ecclesiam. Ita supplement. Gabr. *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 3. littera O. dub. 2.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 11. num. 2.*

2 Ratio est. Quia non adest locus determinatus, in quo debeant vngi infirmi, vnde vnguntur etiam in campo, vt contingit in peste infectis. Nec etiam adest aliqua determinatio, siue de iure diuino, siue de iure positiuo, quod infirmus debeat decumbere. Ergo poterit in Ecclesia, & in quocunque loco, siue stet, siue iaceat, siue genuflectat.

3 Dices. Iacobus Apostolus inquit, *Infirmatur quis in verbis*, quod verbum in textu Græco vt supra dictum est, significat deficere præ infirmitate. Ergo infirmus non poterit vngi, nisi decumbat, quia quamdiu habet vires, vt possit stare, & ambulare, non dicitur deficere præ infirmitate. Resp. neg. conseq. Nam deficere præ infirmitate non est deficere per se primo quòad vires motiuas, sed deficere quòad constitutionem humanæ naturæ in ordine ad dissolutionem: & ideo potest stare hæc deficientia cum conseruatione virium potentiæ motiuæ: & sufficit, vt quis sit capax extremæ vnctionis, quia iam est in periculo mortis, & tendit ad ipsam.

4 Ex his colligitur, quod valde expediret, si extrema vnctio ministraretur in Ecclesia, quando infirmi possunt ad ipsam accedere, aut sine graui incommodo deportari. Nam Ecclesia est propriè locus, in quo dispensantur sacramenta, vt habet Vgo Victorin. *De sacram. lib. 2. part. 5. cap. 1.* Et ex consecratione acquirit quamdam virtutem spiritualem, per quam redditur apta diuino cultui: vt homines ibi concipiant deuotionem quamdam, qua paratiores sint ad diuina, vt habet D. Th. *part. 3. quæst. 83. art. 3.* iuxta illud Machabeor. *lib. 2. cap. 3.* vbi Heliodorus habet, quod in templo uerè sit uirtus quædam Dei. Vnde ualde conferret ad excitandam deuotionem suscipientis extremam unctionem, & ad uberiorem fructum percipiendum, eam in Ecclesia suscipere.

De

De dispositione animæ requisita in suscipiente Extremam vnctionem.

An sit præmittendum Sacramentum pœnitentiæ extremæ vnctioni. Quæst. 395.

S V M M A:

1 *Ex generali consuetudine Ecclesiæ præmittitur extremæ vnctioni Sacramentum Pœnitentiæ.*
1 *Cathechismus, vt intellectus.*
2 *Sententia affirmans si sit conscientia peccati mortalis.*
3 *Sufficit contritio.*
4 *Sententia negatiua stabilitur, num. 5.*
6 *Neque ratione præcepti obligantis sub mortali debet premitti confessio.*
7 *Neque ratione consuetudinis adest obligatio sub mortali.*
8 *Probatur.*
9 *Soluuntur obiecta, num. 10. & 11.*
12 *Recordatus peccati mortalis obliti non tenetur præmittere confessionem.*

1 EX generali consuetudine Ecclesiæ præmittitur confessio sacramentalis extremæ unctioni, ut habet Cathechismus Roman. Pii V. *cap. 6. de extr. vnct.* §. 12. asserens talem consuetudinem esse seruandam, & Rituale Romanum, *in Rubr. de extr. vnct.* uer. *In quo illud*. Hoc autem debet intelligi, quando infirmus habet conscientiam peccati mortalis, quia si non habet, non est necessarium poenitentiæ sacramentum, siquidem infirmus est iam sufficienter dispositus ad recipiendum effectum sacramenti, qui consistit in augmento gratiæ. Nec enim maior dispositio requiritur in ordine ad hoc sacramentum, quàm requiratur in ordine ad Eucharistiam. Sicut ergo pro Eucharistia non requiritur sacramentalis confessio in eo, qui non habet conscientiam peccati mortalis, ita nec etiam pro Extrema unctione. Solum difficultas est, an sit necessario præmittenda confessio ab eo, qui habet conscientiam peccati mortalis, an uero sufficiat contritio.

2 Prima sententia asserit præmittendam confessionem, si adsit conscientia peccati mortalis, ita Mercer. *de sacram. quæst.* 33. *supplem. artic.* 7. uer. *Quæritur tertiò*. Syluius. *quæst.* 32. *art.* 4. *quæsito* 2. Isambert. 3. *par. disp.* 7. *de extr. vnct. artic.* 11. Prob. Quia de generali consuetudine Ecclesiæ est, quod præmittatur confessio, vt constat ex Rituali Romano, et Catechis. Pij V. de quibus *num.* 1. Generalis autem consuetudo habet uim legis. Secundò Extrema vnctio ex sui natura petit præmitti confessionem sacramentalem mortalium, quia non confert gratiam alleuiantem, nisi post remissionem mortalium, nec remittit mortalia nondum confessa, nisi quando infirmus non potest subiicere clauibus. Tertiò. Extrema vnctio præsupponit remissionem mortalium, cum sit sacramentum viuorum. Ergo per illud medium, quod est institutum pro iis remittendis; hoc autem est sacramentum poenitentiæ.

3 Secunda sententia asserit sufficere contritionem pro dispositione in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis. Ita Ledesma *par.* 1. *summ. tract. de extr. vnct. cap.* 9. *conclus.* 2. Fernandez *par.* 3. *examin. theol. mor. cap.* 10. §. 1. *numer.* 11. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 5. *numer.* 2. Victorel. *de extrem. vnct. Tit. suscepturo exeuntium* Præposit. 3. *par. quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 12. *numer.* 97. Martinon. *de sacramen. disp.* 65. *sect.* 5. *num.* 36. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 15. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. de extr. vnct. artic.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2.

4 Dicendum 1. Si suscipiens extremam vnctionem habeat conscientiam peccati mortalis, non requiritur præuia confessio sacramentalis, sed sufficit contritio. Prob. Ex eo, quod extrema vnctio sit sacramentum viuorum, non requirit in suscipiente, nisi vitam spiritualem, seu gratiam, qua Deo viuat; nam tunc subiectum est sufficienter dispositum pro recipiendo effectu sacramenti. Ergo non requiritur præuia confessio sacramentalis, cum vita spiritualis induci possit per contritionem.

5 Confir. Extrema vnctio non dicit essentialem dependentiam à sacramento poenitentiæ quatenus tale sacramentum, ita vt debeat necessariò præmitti; tum quia non requiritur, quando suscipiens non habet conscientiam peccati mortalis, tum quia adhuc ministratur extrema vnctio, quando infirmus ex aliquo accidenti non potest confiteri; sed solum prærequiritur ad tollenda peccata mortalia, & dandam vitam spiritualem. Ergo cum aliunde acquiri possit vita spiritualis, non erit necessaria præuia confessio. Confir. 2. Non magis prærequirit vitam spiritualem extrema vnctio, quàm prærequirat Eucharistia, & tamen hæc non prærequirit ex necessitate sacramenti, sed solum ex necessitate præcepti, quod præmittatur sacramentalis confessio; vnde sacerdos potest vrgente necessitate celebrare non præmissa confessione: & etiam in aliquibus casibus Eucharistiam sumere. Ergo nec etiam requiretur præuia confessio ex vi sacramenti in extrema vnctione.

6 Dicendum 2. Neque ratione præcepti, aut consuetudinis, obligantis sub mortali, requiri præuiam confessionem sacramentalem, quando suscepturus extremam vnctionem habet conscientiam peccati mortalis, sed adhuc sufficere contritionem. Quod autem non adsit præceptum, ex eo constat, qui nullibi apparet esse impositum, nec in iure diuino, nec in iure Ecclesiastico. Imo in tantum quoad Eucharistiam adest præceptum, quia Apostolus dixit 1. *Ad Corinth. cap. 11. probet autem se ipsum homo*: & Ecclesia accepit hanc probationem debere esse media sacramentali confessione. Vnde cum hoc, neque quid simile habeatur in ordine ad extremam vnctionem, non est inducendum præceptum de præmittenda confessione sacramentali.

7 Sed neque ratione consuetudinis adest obligatio sub mortali. Nam consuetudo præmittendi cõfessionem extremæ vnctioni est æquiuoca, cum possit esse inducta tàm propter extremam vnctionem, quàm propter mortis articulum, in quo est necessaria omnino stante conscientia peccati mortalis. Stante autem hac æquiuocatione, actus confitendi, quibus est inducta, debent præsumi facti ex causa necessaria, qualis est articulus mortis; non autem ex causa voluntaria, qualis est extrema vnctio, *quæ vt dictum est*, de se *non requirit præuiam* confessionem, quia actus præsumitur factus potius ex causa necessaria, *Sed* quam voluntaria *leg. In his. §. & si forte ff. de volut.* & notant Crauetta *consil.* 235. *numer.* 34. Menoch. *præsump.* 70. *numer.* 4. *lib.* 4. Bart. *in leg.* 2. *numer.* 3. *ff. de condit. & de monstrat.* Ludouis. *decis.* 92. *num.* 7.

8 Præterea Consuetudo præmittendi confessionem non est absoluta, sed conditionalis, nam ita habet Rituale Roman. *Tit. de extrem. vnct. in rubr.* ver. *In quo. Ex generali Ecclesiæ consuetudine obseruandum est, vt si tempus, & infirmi conditio permittat, ante extremam vnctionem poenitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta infirmis præbeantur.* vnde est consuetudo seruenda iudicio prudentis viri; non autem absoluta, & obligatoria. Rursus est eadem tàm quoad confessionem, quàm quoad Eucharistiam; & proinde eodem modo se habet respectu vtriusque. Certum est autem, quod Eucharistia non ita præmittitur

extremæ vnctioni, vt constituatur necessaria ante ipsam, & proinde nec etiam constituetur necessaria confessio intuitu extermæ vnctionis. Accedit etem, quod sicut nō est sub mortali præmittenda Eucharistia, vt communiter docent, ita nec etiam confessio, cum ex vi eiusdem consuetudinis sit præmittenda.

9 Ad 1. in oppositum constat ex modo dictis. Consuetudiem huiusmodi non obligare, quia est inducta ex alio capite, quàm intuitu extremæ vnctionis. Com enim aliunde adsit obligatio confitendi supposita conscientia peccati mortalis, factum est, quod tanquam sacramentum sternens viam ad coetera iis præmittatur: non autem quia sit necessarium præmitti extremæ vnctioni.

10 Ad 2. neg. assumptum. Nam vt extrema vnctio conferat suum effectum, nempe gratiam alleuiantem sufficit, si in suscipiente reperiat quocunque modo primam gratiam, atque adeo peccata dimissa vel per confessionem, vel per contritionem; nam quocunque modo sint dimissa tollitur obex, & disponitur subiectum ad recipiendum effectum sacramenti. Nec obstat, quod non remittat mortalia nondum confessa, nisi per accidens, quia quando suscipiens disponitur per contritionem, non habet remittere mortalia.

11 Ad 3. neg. conseq. Quia extrema vnctio, vt sacramentum viuorum supponit quidem remissa peccata; non autem quod tali, vel tali modo sint remissa. Cum enim remitti possint, vel per sacramentum poenitentiæ, vel per contritionem, sufficit si altero ex his modis reperiat remissa; quia vtroque modo repetit in suscipiente vitam spiritualem, & consequenter congruam dispositionem.

12 Ex his colligitur contra Isambertium 3. *par. disp.* 7. *de extr. vnct. ar.* 1. ver. *Secunda pars.* Infirmum qui confessus est peccata, & postea recordatur alicuius mortalis obliti, non teneri illud confiteri, ante quam sumat extremam vnctionem. Licet enim teneatur ipsum subiicere clauibus, hæc tamen obligatio non exigit impleri, antequam suscipiat extremam vnctionem. Neque enim ponit obicem extremæ vnctioni, cum sit iam remissum in præcedenti confessione, in qua censetur fuisse inclusum, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *de poenitent.* nec ex eo, quod in memoriam redeat, reuiuiscit quòad maculam, & proinde non excludit gratiam. Nec vrget obiectio Isambertii, quod extrema vnctio præsupponat remissionem mortalium factam per sacramentum poenitentiæ, nam hoc esset ipsi probandum. Deinde adhuc peccatum oblitum per sacramentum poenitentiæ licet indirectè, est remissum.

An pro dispositione sufficiat attritio putata contritio. Quæst. 396.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Quomodo probetur.*
3 *Obiectionis resolutio.*
3 *In quo consistat obex impediens effectum sacramenti.*

---

1 Dicendum est. Vt infirmus sit sufficiēter dispositus pro recipienda extrema vnctione sufficit attritio putata contritio. Ita Ledesma *par.* 1. *summ. tract. de extr. vnct. cap.* 9. *conclus.* 2. Fernandez *par.* 3. *examin. theol. moral. capit.* 10. §. 1. *num.* 11. Præposit. 3. *par. quæst. vnic. de extr. vnct. dub.* 12. *num.* 98. Martinon. *de sacram. disp.* 65. *sect.* 5. *num.* 36. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *summ. quæstion. de extr. vn. ar.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2.

2 Prob. Contritio secundum se sufficit pro dispositione ad extremam vnctionem recipiendam. Ergo sufficiet etiam attritio putata contritio. Conseq. prob. Dispositio, qua quisque se debet præparare in ordine ad sacramenta, non est dispositio mere materialis, sed rationalis; siquidem consistit in actu voluntatis elicito ex imperio rationis, & secundum regulas ipsius, quibus mensuratur. Ergo debet esse sufficiens in mensura rationis, ita vt per iudicium rationis habeatur pro sufficienti. Sed eo ipso, quod attritio putatur contritio, habetur pro sufficienti in mensura rationis. Ergo sufficiet attritio putata contritio. Confir. Siquis esset contritus, & putaret, se esse tantum attritum, & susciperet extremam vnctionem, peccaret, nec obtineret effectum sacramẽti, quia licet haberet sufficientem dispositionem, non esset tamen talis in opinione, qualis requiritur; Ergo debet esse sufficiens in mensura rationis: & ideo licet de se non sit sufficiens, si sit tamen talis in mensura rationis, qualis requiritur, sufficiet.

3 Dices. Stante sola attritione, licet putata contritione adhuc perseuerat status peccati, cum non expellatur per attritionem. Ergo sacramentum reperit obicem, & proinde non ponit suum effectum. Resp. neg. conseq. Quia obex impediens effectum sacramenti non consistit in peccato habituali, seu in statu peccati; sed in peccato actuali, quod committitur à suscipente, dum indigne suscipit. Quamuis enim sacramentum non sit institutum ad conferẽdam primam gratiam, quia tamen gratia, quam causat habet oppositionem cum peccato habituali, ideo potest ipsum expellere per accidens, si aliunde non impediatur effectus ipsius; & ideo status peccati respectu sacramenti non ponit obicem, quantum est de se, sed solum quatenus cognoscitur à suscipiente, & nihilominus, voluntariè in tali statu accedit ad sacramentum, & proinde peccat, & ratione actualis peccati ponit obicem sacramento. Quod si ignoret, se esse in statu peccati, quia putet se esse contritum, & proinde peccatum esse deletum per contritionem, si sacramentum suscipiat, non se irreuerenter gerit, & consequenter non peccat, atque adeo non ponit obicem sacramento, cum solum ponatur per actuale peccatum in susceptione eiusdem sacramenti.

An sufficiat attritio cognita, si infirmus incidat in amentiam, aut phrænesim, aut sensus amittat. Quæst. 397.

S V M M A.

1 *Explicatur casus.*
2 *Sententia affirmatiua stabilitur, & probatur, num. 3.*
4 *Argumenta opposita enodantur. num. 5. & 6.*
7 *Quid si quis habeat talem attritionem cognitam, cum hac velit accipere extremam vnctionem.*
8 *Quid si id certo sciret sacerdos ministraturus.*
9 *Contritus accipiens extremam vnctionem tenetur confiteri.*

---

1 Contingere potest, quod infirmus non solum sit tantum attritus, sed etiam cognoscat, se esse tantum attritum; & interim incidat in amentiam, aut corripiatur phrænesi, aut quocumque alio modo impediatur ab vsu rationis, ita vt non possit melius se disponere, siue per confessionem, siue alio modo, dubitatur modo, an supposito, quod sciatur, fuisse tantum attritus, possit ipsi ministrari extrema vnctio.

2 Dicendum est. Extremam vnctionem posse ministrari ei, qui erat tan-

tantum attritus, quando amisit vsum rationis. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disput. 42. sect. 1. num. 10.* Nugn. *quæst. 32. supplem. art. 3.* ver. *Solum est dubium.* Gaspar Hurtad. *de sacram tract. de extr. unct. difficul. 8.* vet. *Et quamuis.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 9. num. 179.* & sequent. Isambet. *3. part. disp. 7. de extr. unct. artic. 2. dub. 1.*

3 Ratio autem est. Quia sacramenta ministrari possunt omnibus, qui non ponunt obicem; nam eo ipso, quod non ponunt obicem, sunt sufficienter dispositi: siquidem inter positionem obicis, & dispositionem non datur medium; nam eo ipso, quod quis non est dispositus, vt debet, ponit obicem effectui sacramenti: & eo ipso, quod non ponit obicem, est dispositus, quia positio obicis consistit in eo, quod suscipiens in susceptione sacramenti peccet, & ideo, si non peccat, dignè suscipit, atque adeo cum debita dispositione. Vnde Concil. Triden. *sess. 7. can. 6. de sacramen. in genere.* definit sacramenta nouæ legis non ponentibus obicem, conferre gratiam. Qui autem attritus amisit vsum rationis, non ponit obicem extremæ vnctionis, quia non est amplius capax peccati, & ideo non peccat, dum ei ministratur extrema vnctio, sed recipit effectum sacramenti.

4 Dices. Ergo etiam si non præcessisset attritio, poterit ministrari extrema vnctio, quia adhuc infirmus non ponet obicem: & proinde erit dispositus. Vnde etiam si constaret, quod incidisset in amentiam actualiter peccando, posset ministrari. Resp. negat. conseq. Quia in adultis peccata non remittuntur absque aliqua retractatione, quæ sit saltem attritio, quia sicuti per motum liberi arbitrii recedunt à Deo, ita etiam per ipsum debent reuerti. Vnde qui absque præuia attritione amitteret vsum rationis, poneret virtualiter, & interpretatiuè obicem, quia peccata non retractata remanent in interpretatiua voluntate, ita vt censeatur tandiu volita, quamdiu non retractantur: & ideo susciperet sacramentum cum interpretatiuo affectu ad peccatum, qui fieret formale peccatum, si adesset vsus rationis.

5 Instabis. Si quis habens vsum rationis susciperet hoc sacramentum cum attritione cognita, peccaret, & poneret obicem. Ergo attritio cognita non excludit obicem, & ideo etiam secluso vsu rationis non erit sufficiens dispositio, vt possit ministrari extrema vnctio. Resp. negar. conseq. Quia si quis susciperet extremam vnctionem cum attritione cognita, non esset secundum mensuram suæ conscientiæ dispositus, quia cum extrema vnctio sit sacramentum viuorum, requirit in suscipiente vitam spiritualem, & ideo, si quis cognoscens, se non viuere spiritualiter suscipiat sacramentum, suscipit indignè: & attritio cognita non excludit obicem, sed facit, quod opponatur sacramento, cum susceptio ipsius fiat peccaminosa. At secluso vsu rationis, licet adsit sola attritio, quæ per se non est sufficiens dispositio, quia tamen non est attritio cognita, cum non sit in cognitione suscipientis, ideo suscipiens non se gerit indignè erga sacramentum, & consequenter non ponit obicem, sed dispositio, quæ per se non est sufficiens, fit per accidens sufficiens: cum effectus sacramenti possit expellere peccatum, quod cum materialiter se habeat, nec sit in cognitione suscipientis, non ponit obicem; nam in tantum poneret, inquantum esset in conscientia suscipientis, & faceret, quod indignè susciperet, atque adeo de nouo peccaret.

6 Instabis 3. Ideo censetur dispositus pro extrema vnctione, quia censetur perseuerare attritio: Ergo cum fuerit attritio cognita, perseuerabit vt attritio cognita, atque adeo non erit sufficiens dispositio. Siquidem censetur perseuerare eo modo, quo erat, quando amissus est vsus rationis. Resp. neg. conseq. Quia diuerso modo debet perseuerare cognitio attritionis,

vt

2 Prob. Contritio secundum se sufficit pro dispositione ad extremam vnctionem recipiendam. Ergo sufficiet etiam attritio putata contritio. Conseq. prob. Dispositio, qua quisque se debet præparare in ordine ad sacramenta, non est dispositio merè materialis, sed rationalis; siquidem consistit in actu voluntatis elicito ex imperio rationis, & secundum regulas ipsius, quibus mensuratur. Ergo debet esse sufficiens in mensura rationis, ita vt per iudicium rationis habeatur pro sufficienti. Sed eo ipso, quod attritio putatur contritio, habetur pro sufficienti in mensura rationis. Ergo sufficiet attritio putata contritio. Confir. Siquis esset contritus, & putaret, se esse tantum attritum, & susciperet extremam vnctionem, peccaret, nec obtineret effectum sacramẽti, quia licet haberet sufficientem dispositionem, non esset tamen talis in opinione, qualis requiritur; Ergo debet esse sufficiens in mensura rationis: & ideo licet de se non sit sufficiens, si sit tamen talis in mensura rationis, qualis requiritur, sufficiet.

3 Dices. Stante sola attritione, licet putata contritione adhuc perseuerat status peccati, cum non expellatur per attritionem. Ergo sacramentum reperit obicem, & proinde non ponit suum effectum. Resp. neg. conseq. Quia obex impediens effectum sacramenti non consistit in peccato habituali, seu in statu peccati; sed in peccato actuali, quod committitur à suscipente, dum indignè suscipit. Quamuis enim sacramentum non sit institutum ad conferẽdam primam gratiam, quia tamen gratia, quam causat habet oppositionem cum peccato habituali, ideo potest ipsum expellere per accidens, si aliunde non impediatur effectus ipsius; & ideo status peccati respectu sacramenti non ponit obicem, quantum est de se, sed solum quatenus cognoscitur à suscipiente, & nihilominus, voluntariè in tali statu accedit ad sacramentum, & proinde peccat, & ratione actualis peccati ponit obicem sacramento. Quod si ignoret, se esse in statu peccati, quia putet se esse contritum, & proinde peccatum esse deletum per contritionem, si sacramentum suscipiat, non se irreuerenter gerit, & consequenter non peccat, atque adeo non ponit obicem sacramento, cum solum ponatur per actuale peccatum in susceptione eiusdem sacramenti.

An sufficiat attritio cognita, si infirmus incidat in amentiam, aut phrænesim, aut sensus amittat. Quæst. 397.

S V M M A.

1 *Explicatur casus.*
2 *Sententia affirmatiua stabilitur, & probatur, num. 3.*
4 *Argumenta opposita enodantur. num. 5. & 6.*
7 *Quid si quis habeat talem attritionem cognitam, cum hac velit accipere extremam vnctionem.*
8 *Quid si id certo sciret sacerdos ministraturus.*
9 *Contritus accipiens extremam vnctionem tenetur confiteri.*

---

1 Contingere potest, quod infirmus non solum sit tantum attritus, sed etiam cognoscat, se esse tantum attritum; & interim incidat in amentiam, aut corripiatur phrenesi, aut quocumque alio modo impediatur vsu rationis, ita vt non possit melius se disponere, siue per confessionem, siue alio modo, dubitatur modo, an supposito, quod sciatur, fuisse tantum attritus, possit ipsi ministrari extrema vnctio.

2 Dicendum est. Extremam vnctionem posse ministrari ei, qui erat tan-

tantum attritus, quando amisit vsum rationis. Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *disput.* 42. *sect.* 1. *num.* 10. Nugn. *quæst.* 32. *supplem. art.* 3. ver. *Solum est dubium.* Gaspar Hurtad. *de sacram tract. de extr. vnct. difficul.* 8. vet. *Et quamuis.* Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 9. *num.* 179. & sequent. Isambet. 3. *part. disp.* 7. *de extr. vnct. artic.* 2. *dub.* 1.

3 Ratio autem est. Quia sacramenta ministrari possunt omnibus, qui non ponunt obicem; nam eo ipso, quod non ponunt obicem, sunt sufficienter dispositi: siquidem inter positionem obicis, & dispositionem non datur medium; nam eo ipso, quod quis non est dispositus, vt debet, ponit obicem effectui sacramenti: & eo ipso, quod non ponit obicem, est dispositus, quia positio obicis consistit in eo, quod suscipiens in susceptione sacramenti peccet, & ideo, si non peccat, dignè suscipit, atque adeo cum debita dispositione. Vnde Concil. Triden. *sess.* 7. *can.* 6. *de sacramen. in genere.* definit sacramenta nouę legis non ponentibus obicem conferre gratiam. Qui autem attritus amisit vsum rationis, non ponit obicem extremæ vnctionis, quia non est amplius capax peccati, & ideo non peccat, dum ei ministratur extrema vnctio, sed recipit effectum sacramenti.

4 Dices. Ergo etiam si non præcessisset attritio, poterit ministrari extrema vnctio, quia adhuc infirmus non ponet obicem: & proinde erit dispositus. Vnde etiam si constaret, quod incidisset in amentiam actualiter peccando, posset ministrari. Resp. negat. conseq. Quia in adultis peccata non remittuntur absque aliqua retractatione, quæ sit saltem attritio, quia sicuti per motum liberi arbitrii recedunt à Deo, ita etiam per ipsum debent reuerti. Vnde qui absque præuia attritione amitteret vsum rationis, poneret virtualiter, & interpretatiue obicem, quia peccata non retractata remanent in interpretatiua voluntate, ita vt censeātur tandiu volita, quamdiu non retractantur: & ideo susciperet sacramentum cum interpretatiuo affectu ad peccatum, qui fieret formale peccatum, si adesset vsus rationis.

5 Instabis. Si quis habens vsum rationis susciperet hoc sacramentum cum attritione cognita, peccaret, & poneret obicem. Ergo attritio cognita non excludit obicem, & ideo etiam secluso vsu rationis non erit sufficiens dispositio, vt possit ministrari extrema vnctio. Resp. negat. conseq. Quia si quis susciperet extremam vnctionem cum attritione cognita, non esset secundum mensuram suæ conscientiæ dispositus, quia cum extrema vnctio sit sacramentum viuorum, requirit in suscipiente vitam spiritualem, & ideo si quis cognoscens, se non viuere spiritualiter suscipiat sacramentum, suscipit indignè: & attritio cognita non excludit obicem, sed facit, quod opponatur sacramento, cum susceptio ipsius fiat peccaminosa. At secluso vsu rationis, licet adsit sola attritio, quæ per se non est sufficiens dispositio, quia tamen non est attritio cognita, cum non sit in cognitione suscipientis, ideo suscipiens non se gerit indignè erga sacramentum, & consequentèr non ponit obicem, sed dispositio, quæ per se non est sufficiens, fit per accidens sufficiens: cum effectus sacramenti possit expellere peccatum, quod cum materialiter se habeat, nec sit in cognitione suscipientis, non ponit obicem; nam in tantum poneret, in quantum esset in conscientia suscipientis; & faceret, quod indignè susciperet, atque adeo de nouo peccaret.

6 Instabis 3. Ideo censetur dispositus pro extrema vnctione, quia censetur perseuerare attritio; Ergo cum fuerit attritio cognita, perseuerabit vt attritio cognita; atque adeo non erit sufficiens dispositio. Siquidem censetur perseuerare eo modo, quo erat, quando amissus est vsus rationis. Resp. neg. conseq. Quia diuerso modo debet perseuerare cognitio attritionis, vt

vt fiat insufficens dispositio, ac debeat perseuerare attritio, vt sit sufficiens dispositio. Vt enim attritio sit sufficiens dispositio, sufficit, si perseueret virtualiter, & interpretatiuè, quia sufficit, quod reddat peccata retractata. At vt cognitio reddat attritionem insufficientem dispositionem, debet perseuerare formaliter. Et ratio discriminis est. Quia attritio est dispositio tantum in genere causæ materialis & ideo sufficit, si moraliter perseueret. Cognitio verò, vt reddat attritionem insufficientem, debet perseuerare formaliter, quia debet ponere attritionem in conscientia suscipientis, quod fieri non potest, nisi duret formaliter; rursus debet esse fundamentum peccati, quatenus debet facere innotescere, quod suscipiens indigne suscipiat; sola autem congnitio actualis est sufficiens fundamentum peccati.

7 Ex his colligitur. Quod si quis habens solam attritionem cognitam, vellet cum tali dispositione suscipere extremam vnctionem, & interim amitteret vsum rationis; sacramentum non sortiretur in ipso suum effectum, vt notat etiam Amicus *tom. 8. cur. thelo. disp. 19. sect. 9. num.* 180. Ratio est, quia voluntas suscipiẽdi sacramentum cum sola attritione cognita esset peccaminosa, & poneret obicem sacramento: vnde si perseuerante tali voluntate superueniret defectus vsus rationis, perseueraret obex, quia illud peccatum, quod committebatur, dum infirmus volebat suscipere extremam vnctionem cum sola attritione cognita non fuit retractatum, siquidem attritio non se extendit ad peccata, quæ actu committuntur, sed solum ad commissa.

8 Colligitur 2. Cum Nugno 3. *par. quæst. 32. supplem. ar. 3. in fine*. Quod si sacerdos certò sciret siue per reuelationem, siue alio modo, quod infirmus amisit vsum rationis cum sola attritione cognita, adhuc deberet ipsi ministrare extremam vnctionem; nam esset in tali statu, vt posset recipere sacramentum, & effectum ipsius. Imo quando non posset suscipere aliud sacramentum, teneretur quilibet etiam sacerdos sub mortali illud ministrare. Nam esset in extrema necessitate spirituali, siquidem esset in statu damnationis, nec posset ipse sibi sucurrere, & per hoc sacramentum posset ipsi subueniri, & eripii è statu damnationis.

9 Colligitur 3. cum Isambert. 3. *par. disp. 7. de extr. vnct. ar. 2. dub.* 2. Quod si quis existens in peccato mortali susciperet extremam vnctionem, quamuis prius eliceret actum contritionis, adhuc tamen teneretur confiteri peccata. Quia quamuis extrema vnctio possit ea remittere, & ea remittit, quando reperit vel oblita, vel non dimissa, quia scilicet contritio putata erat tantum attritio, hoc tamen tantum præstat per accidens, cum tanquam sacramentum viuorum non sit per se ordinatum ad remittenda peccata. E contra peccata debnet deferri ad forum poenitentiæ, & subiici clauibus, vt iudiciali modo relaxentur; hic enim modus est institutus à Christo; & est necessarius, quia Christus instituens hoc remedium pro peccatis, obligauit etiam ad illius vsum, vt definit Concilio. Trident. *cap. 5. & can. 6. de poenitent. sess. 14.*

De ministro sacramenti extremæ vnctionis.

An solus sacerdos sit minister extremæ vnctionis. Quæst. 398.

S V M M A.

1 *Solus sacerdos de necessitate sacramenti est minister extremæ vnctionis.*
2 *Probatur ex Conciliis,*

Pro-

3 *Probatur ratione.*
4 *Obiectio resoluitur & explicatur Epistola Innocentij I.*
5 *Nullus præter sacerdotem potest esse minister E. Vnctionis etiam de commiss. Papæ.*
6 *Ratio cur id competat solis sacerdotibus.*
7 *Episcopi, & alij superioris gradus possunt ministrare E. Vnctionem.*

---

1 Dicendum est solum sacerdotem de necessitate sacramẽti esse ministrum sufficientem extremæ vnctionis. Est contra hæreticos nostri temporis, qui sicuti sentiunt, quod extrema vnctio non sit sacramentum, sed tantum quidam ritus, aut figmentum humanum; ita etiam volunt, quod minister non sit solus sacerdos, sed etiam omnes seniores Ecclesiæ. Est etiam contra Valdensem *tom. 2. de sacramt. cap. 163.* qui vult, quod in necessitate possit ministrari, non solum à quocunque clerico, sed etiam à laico. Ita autem tradunt communiter Doctores. *in 4. dist. 23.* vbi D. Th. *quæst. 2. art. 1. & 3. par. quæstion. 31. supplemen. artic. 1. & 2.* Sylu. *ibid.* Mercer. *init.* Chellison. ver. *Dicendum tamen* Putean. *quæstion. vnic. de extrem. vnct. dub. 4. conclus. 1.* Præposit. *dub. 5. numer. 31. & sequent.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 43. sect. 1. num. 2.* Merat. *tom. 3. sum. disp. 10. de extr. vnct. sect. 1. asser. 1.* Hurtad. *de sacram. tract. de extr. vn. difficul. 12. init.* Caspens. *par. 2. curs. theol. tract. 27. disp. 4. sect. 2. num. 11.* Granad. *3. par. controuer. 8. tract. vn. disp. 8. num. 1.* Ochagau. *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst. 8. conclus. 1.* Tanner. *lib. 4. summ. disp. 7 quæst. 1. num. 58.* Martin. *de sacram. disp. 65. de extr. vnct. sect. 5. nu. 38.* Isambert. *3. par. disp. 5. de extr. vnct. ar. 1. propos. 1.* Auersa *de sacram. quæst. de extrem. vnct. sect. 10. init.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disput. 19. sect. 8. numero 139.*

2 Desumitur autem ex Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis. §. Quintum sacramentum.* & definitur in Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3. & can. 4. de extr. vnct.* in illo enim cap. ita habet. *Nam, & ostenditur illis (verbis Iacobi Apost.) proprios huius sacramenti ministros esse Ecclesiæ præsbiteros, quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primates in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum præsbiteri.* & illo can. 4. *Siquis dixerit præsbiteros Ecclesiæ, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis communitate, ob idque proprium extremæ vnctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.*

3 Ratio autem nulla alia est, nisi institutio Christi, totum enim esse sacramentorum, cum sint signa sanctificatiua ad beneplacitum à Christo assumpta, fuit liberum, & ideo potuit à Christo determinari, prout ei magis placebat, etiam quoàd ministros. Quod autem instituerit sacerdotes pro ministris huius sacramenti habetur ex Iacobo Apost. *cap. 5. suæ Epist.* dum inquit, *Infirmatur quis in vobis? inducat præsbiteros Ecclesiæ, &c.* Nomine autem præsbiterorum intelligit Apostolus, sacerdotes, vt declarat traditio, & praxis Ecclesiæ, & definit Concil. Trident. *num. precedent. citatum.*

4 Obicitur. Ex Innocent. I. *Epist. 1. ad Decent. cap. 8.* vbi loquens de oleo infirmorum. ait. *Quo non solum sacerdotibus, sed omnibus vti christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo.* Ergo cum omnes uti possint oleo infirmorum, omnes etiam possunt ministrare extremam unctionem. Resp. communiter præsertim *num. 1.* citati, & norat etiam Baron. *tom. 1. Anal. anno 63. num. 14.* Pontificem loqui de usu passiuo, non autem de actiuo: vnde sensus est, quod qui-

quilibet christianus potest facere tàm sibi, quàm suis; quando adest necessitas ministrari hoc sacramentum. Non video tamen, cur non possit intelligi etiam de vsu actiuo, quo adhibeatur oleum infirmorum non tanquam materia sacramenti, sed tanquam sacramentali in ordine ad obtinendam sanitatem corporalem; nam legitur, Homines sanctitate insignes vsos fuisse oleo infirmorum ad impetrandam sanitatem corporalem à Deo. Ita apud Surium *tom. 1. die 3. Ianuarii* narratur, quod S. Geuouefa cum non haberet oleum ad sanandum Dæmoniacum, nec adesset Episcopus; qui ipsum consecraret, precibus impetrasse, vt ampulla impleretur. Cum autem esset oleum consecrandum ab Episcopo, oportet, quod esset oleum infirmorum, & apud eumdem *tom. 7. die 4. Maii* Sanctus Gothardus Episcopus præcepit præsbitero, quod oleo infirmorum vngeret oculos cuiusdam mulieris ad sanandum dolorem, quo in ipsis cruciabatur. Et ita notant etiam Henriquez *lib. 3. sum. capit. 3.* Ochagauia *de sacramen. tract. de extr. vn. quæst. 8. num. 7.*

5 Dicendum 2. Solum sacerdotem esse ministrum extremæ vnctionis ita vt alius neque ex commissione Pontificis possit esse minister extraordinarius. Ita communiter Doctores præsertim citati *num. 1.* Et desumitur ex Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis. §. Quintum sacramentum*, vbi quando assignatur minister huius sacramenti, fit tantum mentio de sacerdote, nec coarctatur ad ministrum ordinarium, & clare statuitur in Concil. Trident. *sess. 14. can. 4. de extr. vn.* ibi. *Siquis dixerit &c. Proprium extrema vnctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.* Si igitur proprius minister est solus sacerdos, iam præter ipsum non est alius minister, siue ordinarius, siue extraordinarius, dictio enim solus est exclusiua aliarum omnium, vt notant Dec. *in l. 1. num. 5. C. de bonor. possess. contab.* Seraphin. *decis. 820. num. 6.* Rota *decis. 449. num. 9. part. 1. Recent. & decis. 426. num. 5. par 2.*

6 Ratio autem desumitur ex institutione Christi, qui vniuersaliter voluit, quod à solis sacerdotibus conficerentur sacramenta excepto baptismo propter maximam, & vniuersalem ipsius necessitatem, vt habetur ex traditione & praxi Ecclesiæ. Congruētia autem in eo consistit. Quia cum soli sacerdotes habeant potestatem supra Christi corpus verum, atque adeo soli sint mediatores mediante sacrificio inter Deum, & homines, congruum fuit, quod soli conficerent sacramenta, quibus per sanctitatem homines vnirentur Deo, vt ipsi in hoc quoque essent mediatores.

7 Ex dictis colligitur. Episcopos, & alios superioris gradus ministrare posse extremam vnctionem, vt declarauit Innocent. Papa *epist. 1. capit. vlt. ad Decent. Episcop.* & refertur in capit. *Illud superfluum. dist. 95.* Quia cum præsbiteri ratione sacerdotii sint habiles ministri pro hoc sacramento, quicunque, in quo est sacerdotium, erit congruus minister, cum habeat illam formam, & qualitatem, quæ confert facultatem ad hoc ministerium. Iacob. autem Apostolus nominauit præsbiteros, quia, vt ait Innocet. citat. Episcopi aliis occupationibus impediti non possunt ire ad omnes. Imo nominando præsbiteros, inclusit etiam Episcopos quatenus præsbitetos, atque adeo, quatenus habiles, vt sint ministri huius sacramenti.

Ra-

Ratione cuius potestatis sacerdos sit minister extremæ vnctionis. Quæst. 399.

S V M M A.

1 *Duplex potestas in ordinatione communicatur sacerdoti.*
2 *Ratione potestatis in corpus Christi mysticum sacerdos est minister E. vnctionis.*
3 *Argumenta opposita soluuntur. num. 4. & 5.*
6 *Qui recepit tantum potestatem supra corpus Christi verum non potest ministrare E. vnctionem.*
7 *Cur pro sacramento Matrimonii non requiratur potestas in corpus Christi mysticum.*

1 DVplex potestas in ordinatione communicatur sacerdoti; altera super corpus Christi verum, per quam potest conficere corpus Christi ex pane per consecrationem: & altera supra corpus Christi mysticum, per quam potest remittere peccata iudiciali modo Christi fidelibus. Hæ autem potestates sunt inter se distinctæ, nam vna seorsim ab alia communicatur in ordinatione: & proinde pro aliquo tempore sacerdos remanet tantum cum prima, nempe toto illo interuallo, quod intercedit inter communicationem primæ, & secundæ facultatis. Vnde si Ordinanas non communicaret secundam, remaneret ordinatus cum sola prima. Dubitatur autem, an ratione primæ, vel ratione secundæ potestatis habeat faculeatem ministrandi extremam vnctionem.

2 Dicendum est sacerdotem esse ministrum extremæ vnctionis ratione potestatis supra corpus Christi mysticum. Ita etiam Isambert. 3. *par. disput. 5. de extr. vnct. ar. 1. proposit. 1.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect. 10. init.* Præposit. 3. *par. quæst. de extr. vnct. dub. 5. num. 36.* Ratio autem est, Quia, quamuis ministratio extremæ vnctionis non sit actus iurisdictionis, est tamen actus potestatis circa corpus Christi mysticum, quia cum sacramenta ordinantur ad sanctificandos homines, requiritur aliqua potestas in ministrante circa corpus mysticum, per quam possit in ipsum agere circa spiritualia. Hæc autem potestas non traditur sacerdoti, nisi quando traditur potestas r mittendi peccata: & ideo sicut sine ipsa sacerdos non habet potestatem in corpus mysticum, ita nec etiam potest ipsum sibi subiicere in ordine ad sacramentales functiones.

3 Dices. Si requireretur potestas in corpus Christi mysticum, non sufficeret secunda potestas; quæ tradirur in ordinatione sacerdoti, quia hæc est coarctata tantum ad remittenda peccata. Resp. neg. sequel. Quia potestas remittendi peccata est etiam potestas sanctificandi, atque adeo vniendi Deo per sanctitatem, quia non remittuntur peccata, nisi simul etiam fiat sanctificatio. Eo ipso autem, quod est potestas sanctificandi, se extendit ad omnes illos actus, qui non solum sunt sanctificatiui, sed quomodocunque reducuntur ad sanctificatiuos.

4 Dices 2. Laicus non habet aliquam potestatem in corpus Christi mysticum, & tamen potest ministrare sacramentum baptismi. Ergo non est necessaria talis potestas pro ministrandis sacramentis. Resp. neg. anteced. Nam eo ipso, quod laicus potest ministrare baptismum habet aliquam potestatem circa corpus Christi mysticum, cum bapizare sit exercere potestatem, cum sit aggregare in corpus mysticum Ecclesiæ. Est tamen potestas coarctata ad hunc vnicum actum: & non potestas ordinaria, cum non fundetur in gradu, seu ordine; sed ve-

luti delegata, quia stante maxima necessitate remedii spiritualis batismi, debuit esse valde facilis vsus, atque adeo in promptu minister; & proinde Christus instituit, vt quilibet, veluti ex quadam delegatione posset esse minister baptismi.

5 Dices 3. Sacramentum Eucharistiæ ministrari potest ab iis, qui non habent potestatem in corpus mysticum Christi, nam saltem à Diacono ministrari potest, & secundum aliquos etiam à laico. Ergo neque pro cœteris sacramentis requiritur potestas in corpus Christi mysticum. Resp. Ministrationem Eucharistiæ non esse cōfectionem sacramenti, sed applicationem sacramenti iam effecti; & ideo potest conuenire etiam non hàbenti potestatem in corpus Christi mysticum, quia ministratio huius sacramenti incipit in confectione, quia tunc efficitur signum sanctificatiuum; applicatio autem est complementum ministrationis; & ideo censetur fieri saltem ex tacita delegatione principalis ministri, nempe sacerdotis delegantis aliquem, vt participet coeteris de sacrificio, quod ipse offert. Vnde adhuc applicatio sacramenti est actus potestatis circa corpus Christi mysticum, quia delegatus non procedit auctoritate propria, sed auctoritate delegantis: & ob hanc causam Diaconus, qui solus secundum probabiliorem opinionem ministrare potest Eucharistiam, non potest ministrare, nisi ex commissione sacerdotis, vel expressa, vel tacita. Quare differt ministratio Eucharistiæ à ministratione aliorum sacramentorum, quod potest alteri committi, quia supponit sacramentum iam effectum: ministratio verò aliorum sacramentorum non potest committi non habenti prærequisitum ordinem, Quia, dum ministrantur sacramenta, simul etiam conficiuntur.

6 Ex dictis colligitur. Quod si quis in ordinatione ex aliquo accidenti acciperet tantum primam potestatem supra corpus Christi verum; non autem supera corpus Christi mysticum, non posset ministrare sacramentum extremæ vnctionis; nam careret illa potestate, per quam constituitur minister huius sacramenti: & proinde, si ministraret sacramentum esset nullum, non secus, ac si à non sacerdote ministraretur.

7 Colligitur 2. Cur pro sacramento matrimonii non requiratur potestas in corpus Christi mysticum. Ratio enim est. Quia matrimonium quatenus quid sensibile non est signum per se primò institutum ad sanctificandum; sed supponitur in ratione contractus, & eleuatum est ad esse sacramentale. Vnde cum tanquam contractus celebrari possit ex natura sua absque potestate in corpus Christi mysticum, non fuit necessaria pro ipso conficiendo; sed sicut contractus ordinarius eleuatur ad esse sacramentale, ita etiam potestas coniugum, per quam possunt sibi inuicem tradere potestatem supra propria corpora potuit eleuari ex priuilegio talis sacramenti ad sanctificandum, quia sanctificatio venit in consequentiam ad eleuationem contractus ad esse sacramētale, ita vt potestas supra vsum proprii corporis fieret etiam pro illo speciali actu potestas supra membrum Christi mysticum, quale est corpus vniuscuiusque.

An quilibet sacerdos possit esse minister extremæ vnctionis. Quæst. 400.

S V M M A.

1 *Quilibet sacerdos potest esse minister extremæ vnctionis.*
1 *Desumitur ex D. Iacobo, & probatur.*
3 *Obiecta soluuntur. num. 4.*
5 *Ad licitè ministrandum E. Vncti requiritur* cu-

cura animarum aut commissio,
6 *Probatur, & confirmatur sententia.*

---

1 Dicendum 1. Quemlibet Sacerdotem posse valide ministrare Extremam vnctionem. Ita communiter Doctores. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 8. *quæst.* 2. *pun.* 1. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 4. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 13. Bartholom. ab Angelo *Dial.* 3. §. 153. Syluester verbo. *Extrema vnctio quæstion.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 23: *quæst.* 2. *art.* 1. Ledesma *par.* 1. *sum. tract. de extr. unct. cap.* 5. *conclus.* 1. Angles *in floribus quæst. de extr. vnct. ar.* 3. *conclus.* 2. Mercer. *de sacram. quæst.* 31. *supplem. quæsito* 2. Palud *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *artic.* 2. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 33. *ar.* 3. Chellison. 3. *par. quæst.* 31. *supplem. ar.* 1. *dicto* 4. Putean. *quæstion. de extr. vnct. dub.* 5. *in fine.* Præposit. *dub.* 5. *numer.* 32. Isambert. *disp.* 5. *de extr. vnct. ar.* 1. *proposit.* 2. Villalob. *par.* 1. *summ. tract.* 10. *difficul.* 6. *num.* 1. Coninch *tom.* 2. *de sacram. disp.* 19. *dub.* 8. *n.* 28. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæstion. vn. pun.* 4. *num.* 4. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 26. *pun.* 7. *num.* 2. Gaspar Hurtad. *de sacrament. difficul.* 12. *de extr. vn.* ver. *Obseruandum est.* Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 8. *num.* 8. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. de extr. vnct. disput.* 8. *num.* 3. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *num.* 58. Martinon. *de sacram. disp.* 65. *de extr. vnct. sect.* 5. *num.* 39. Auersa *de sacramen. quæst. de extr. vnct. sect.* 10. ver. *Omnis autem.* Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 10. *de extr. vnct. sect.* 1. *assert.* 3. Amicus *tom.* 8. *disp.* 19. *sect.* 8. *num.* 150.

2 Desumitur autem ex D. Iacobo Apos. cap. 5. suæ Epist. nam assignans ministrum huius sacramenti dixit. *Inducat Præsbiteros.* non dixit autem hunc, vel illum præsbiterum; sed generaliter præsbiteros, agnoscens in ipsis, eo quod essent sacerdotes, debitam facultatem pro conficiẽdo hoc sacramento. Ratio autem est. Quia sacerdos, dum in sua ordinatione recipit potestatem dimittendi peccata, atque adeo potestatem in corpus Christi mysticum, recipit etiam facultatem circa ea sacramenta, quæ ordinata sunt ad complendam sanctificationem, quale est sacramentum Extremæ vnctionis, quod est consumatiuum poenitentiæ, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *in proem. de extr. unct.* & ideo potest valide ipsum ministrare.

3 Dices. In ordinatione recipit potestatem dimittendi peccata, & tamen non potest validè absoluere, nisi insuper obtineat iurisdictionem; ergo nec poterit valide ministrare Extremam vnctionem, nisi ei conferatur iurisdictio. Resp. neg. conseq. quia ministratio sacramenti poenitentiæ est actus iudicialis, cum peccata remittantur per modum sententiæ, quæ cum non possit proferri, nisi in subditum, requirit, quod absoluendus acquirat subiectionem, & consequenter iurisdictionem in ipsum. Extrema autem vnctio non ministratur iurisdictionali modo, & ideo non prærequirit iurisdictionem.

4 Instabis Quia ministratio sacramenti pœnitentiæ est actus iurisdictionalis, prærequirit iurisdictionem in ministro. Ergo quia ministratio Extremæ vnctionis est actus pascendi, prærequiret in ministranre facultatem pastoris, vt validè ministrari possit. Resp.neg. conseq. Quia licet actus pascendi conueniar Pastoribus, non tamen dependet quoàd sui validitatem à cura pastorali, quia cura pastoralis habet tantum ministrare alimenta spiritualia non autem ea conficere, vt constat in Parochis, qui nondum sunt ordinati sacerdotes, qui licet sint pastores, non tamen possunt congrua pabula conficere. Actus ergo pascendi, licet, vt sit iuridicus requirat veram pastoralem, seu facultatem pascen

di in pascente, vt tamen sit validus requirit etiam illam facultatem per quam confici potest, quæ si adsit, licet seclusa cura pastorali, erit validus, licet non iuridicus.

5 Dicendum 2. Vt extrema vnctio licitè, & iuridicè ministretur, requiritur in sacerdote cura animarum, vel commissio ab habente curam animarum: & ideo non potest simplex sacerdos licitè illam ministrare. Ita communiter Syluester verbo, *Extrema vnctio num.* 4. Tabiena *numer.* 6. *Armilla numer.* 4. Sotus *in* 4. *dist* 23. *quæst.* 2. *ar.* 1. Ledesma *par.* 1. *summ. tract. de extr. vnct. capit.* 5. *conclus.* 2. Vilalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 6. *num.* 2. Coninch. *de sacram. tom.* 2. *disp.* 19 *dub.* 9. *numer.* 28. Bonac. *disp.* 1. *de sacramen. quæst. vn. pun.* 4. *num.* 5. & alii *num.* 1. citati.

6 Ratio autem est, quia ministratio sacramentorum est actus curæ pastoralis: & ideo requirit facultatem pascendi, vel ordinariam, vel delegatam, seu commissam. Qua seclusa; qui sibi vsurparet talem ministrationem, vsurparet sibi, quæ sunt alieni muneris, & læderet ius alienum, & consequenter peccaret mortaliter, quia in re graui faceret contra ius alienum. Confir. in Clement. 1 *de priuileg.* puniuntur excommunicatione latæ sententiæ religiosi ministrantes Extremam vnctionem absque Parochi licentia. Ergo cum excommunicatio non ponatur nisi ob peccatum mortale, ministrans absque licentia peccabit mortaliter.

Quos afficiat excommunicatio Clement. 1. *De priuileg. contra ministrantes Extremam vnctionem sine licentia Parochi.*

Quæst. 401.

S V M M A.

1 *Excommunicatio lata sententia in Religiosos ministrantes E. vnctionem laicis aut Clericis, absque licentia Parochi.*
2 *Prima sententia asserens afficere omnes sacerdotes.*
3 *Sententia asserens afficere solos Religiosos.*
4 *Stabilitur, & probatur.*
5 *Fundamentum oppositæ sententiæ resoluitur.*
6 *Dicta excommunicato non afficit omnes Religiosos, sed tantum qui præsumunt.*
7 *Religiosus ministrans E. vnctionem Religioso non subdito absque licentia non incurrit excommunicationem.*
8 *Prælati Regulares incurrunt excommunicationem ministrantes E. vnctionem Clericis aut laicis.*
9 *Quid dicendum quoad Moniales.*
10 *Quid dicendum quoad Collegialiter viuentes.*

1 IN Clement. 1. de priuileg. prohibentur Religiosi sub poena excommunicationis latæ sententiæ summo Pontifici reseruatæ, ne absque Parochorum licentia Extremam vnctionem ministrent Clericis aut laicis, ibi, *Religiosi, qui Clericis, aut laicis sacramentum vnctionis Extremæ, & Eucharistiæ ministrare, &c. præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apolicam dumtaxat absoluendi.* Difficultas autem est, an hæc excommunicatio afficiat solos religiosos, an etiam sæculares sacerdotes,

Pri-

2 Prima sentẽtia asserit comprehẽdere, & afficere omnes sacerdotes. Ita Sotus *in 4. dist. 23. quæst. 2. artic. 1.* Valent. *tom. 4. sum. disput. 8. quæst. 2. pun. 1.* ver. *Notandum*. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia militat eadem ratio quoad omnes sacerdos: vbi autem est eadem ratio, ibi est etiam eadem iuris dispsitio *l. Illud ff. Ad leg. Aquil.* & *l. His solis* ver. *Satis etiam cautè C. de reuocand. donat.*

3 Secunda sententia asserit, afficere solos Religiosos. Ita Villalob. *part. 1. sum. tract. 10. difficul. 6. num. 2.* Præposit. *3. par. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 6. num. 41.* Castro Palaus. *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. un. pun. 7. numer. 3.* Auersa *de sacrament. quæst. de extrema vnctione, sect. 10.* ver. *Patet etiam.* Isambert. *3. par. disp. 5. de extr. vnct. art. 1.* ver. *Quares, cum in citata.*

4 Dicendum primò. Prædictam excommunicationem non extendi vltra religosos, & proinde sæculares sacerdotes, qui ministrarent Extremam vnctionem absque licenria, licet peccarent, non contraherent excommunicatiouem. Prob. ex illa regula, quod vbi non conueniunt verba legis, nec etiam conuenit dispositio, quæ passim ex iure desumitur. *leg. Dies, cautioni* §. *Toties. ff. de dum. infect.* & *l. Quod constitutum. ff. de milit. testam.* & *l. 1.* §. *Loquitur. ff. de aqua quotid.* & cap. *Indemnitatibus.* §. *Sed cum eas. de elect. in 6.* & notant Rom. *consil. 197. init.* Alexan. *consil. 8. num. 22. lib. 3.* Dec. *consil. 684. numer. 1.* Rota *decis. 547. num. 3. par. 3. Recent.* Verba autem prædictæ Clement. non possunt aptari sacerdotibus sæcularibus, quia loquitur de Religiosis. ibi. *Religiosi &c.* nomine autem religiosorum non veniunt sacerdotes sæculares.

5 Neque obstat fundamentum in oppositum. Quia ratio finalis dictæ Clement. non militat in sacerdotibus sæcularibus. Siquidem ratio finalis Põtificis illa in cõstitutione fuit cohibere excessus religiosorum, qui tanquam priuilegiati plura sibi vsurpabant, quæ non conueniebant; & ideo vt ab his abstinerent imponit poenam excommunicationis: vnde ibi Pontifex enumerat plures excessus; à quibus præcipit eos abstinere sub dicta poena. Hæc autem ratio non militat quoad sacerdotes sæculares.

6 Dicendum 2. Dictam excommunicationem, non afficere omnes religiosos, sed eos tantum, qui præsumunt, ministrare extremam vnctionem, vnde siquis bona fide, aut cum ignorantia ministraret, non contraheret excommunicationem. Ita Syluester verbo. *Excommunicatio 7. num. 32.* Præposit. & Isambert. *num. 3.* citati, & sequitur ex communi doctrina de censuris. Et ratio est, quia poena excommunicationis imponitur præsumentibus, vt constat ex illo verbo, præsumpserint, sæclusa ergo præsumptione non habet locum poena, & ideo qui bona fide, aut cum ignoranria ministrarent, non contraherent excommunicationem, quia non præsumerent. Nec obstat, quod non admittatur ignorantia iuris, quia hoc solum valet, quando non constat probabiliter de ignorantia: secus autem, quando adsunt probabilitates ignorantiæ *l. 1. C. de iur. & facti ignor. & per notata in cap. 2. de constit.*

7 Ex his colligitur. Religiosum, qui ministraret Extremam vnctionem religioso sibi non subdito absque licentia superioris illius, quamuis peccaret mortaliter, nisi ex iusta causa id faceret, non tamen subiiceretur excommunicationi, vt contra Syluestrum verbo. *Vnctio. num...* notant Doctores Præposit. *3. par. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 6. num. 42.* Isambert. *disp. 5. de extr. vnct. ar. 1. in fine.* Auersa *de sacramen. quæst. vn. de extr. vnct. sect. 10.* ver. *Patet etiam.* Quod desumitur ex dicta Clemen. nam clare loquitur de ministrantibus Clericis, aut laicis: religiosi autem neque sunt Clerici, aut laici.

Col-

8 Colligitur 2. Prælatos quoque regulares comprehendi sub dicta Clement., vt notat etiam Aversa *numer. praceden.* citat. Nam in dicta Clemen. Pontifex disponit de religiosis in genere: nomen autem Religiosus in genere dicitur cum omni proprietate de quocunque professo, vt notat Glos. *in Clemen. Religiosus. verbo. Religiosus. de procuratorib.*

9 Colligitur 3. Quod siquis ministraret extremam vnctionem Monialibus siue exemptis, siue nõ exemptis absque licentia superioris illarum, quamuis peccaret, non tamen subesset prædictæ excommunicationi, nam dicta Clemen. loquitur tantum de ministrantibus Clericis, & laicis: Moniales autem non veniunt nomine laicorum, cum sint personæ religiosę propriè dictæ. Neque etiam veniunt nomine Clericorum; siquidem neque Regulares sub regula viuentes veniunt in odiosis appellatione Clericorum, vt notant Roman. *consil.* 259. Abbas *in capit.* 1. *numer.* 7. *Ne lcr. vel monachi*. Vnde cum simus in odiosis, & poenalibus, nullo pacto Moniales venire possunt appellatione Clericorum. Præsertim, quia hæc constitio facta est in fauorem Parochorum, vnde procedit tantum quoad eos qui Parochis subduntur, & proinde quando in ministratione Extremę vnctionis vsurparur ius ipsorum.

10 Colligitur 4 Quid dicendum de ministrantibus Extremam vnctionem mulieribus, seu clrericis collegialiter viuentibus. Inspiciendum enim est, an quòad receptionem sacramentorum subsint Parocho alicui, an non. Si enim subsunt, procul dubio ministrans ipsis extremam vnctionem subiacebit excommunicationi, qu avsurpabit ius Parochi, pro cuius præseruatione lata est præsens excommunicatio. Si verò non subsunt, non subiacebit excommunicationi, quia cum non agatur de iure Parochorum, neque etiam habebit locum dispositio tendens ad ipsius præseruationem; peccabit tamen ministrans, quia alterius superioris iura sibi usurpabit.

An quando Parochus est Regularis, si eius superior ministret Extremam vnctionem Parochianis ipsius, incidat in excommunicationem dicta Clement.

Quæst. 402.

S V M M A.

1 *Quomodo deputetur à superiore Regulari qui exerceat curam animarum.*
2 *Superiores Regulares qui deputarunt aliquem non possunt per seipsos exercere munerua parochialia.*
3 *Tales superiores incidunt in excommunicationem, ministrantes E. vnctionem subditi talibus Parochijs.*
4 *Iura, quæ conueniunt Religioso vt Parocho non sunt sub dispositione superioris.*
5 *Iura Parochialia sunt subordinata Ordinario.*
5 *Et dependent à directione Ordinarii.*

1 QVando cura animarum est annexa Ecclesiis Regularium solet deputari à superioribus aliquis ex subditis, qui exerceat curam animarum, & omnes functiones parochiales. Hæc tamen deputatio non est institutio Parochi, cum ad Ordinarium loci spectet instituere, & approbare, sed tantum quædam præsentatio, & ideo quamuis deputatus à proprio superiore, non potest exercere munera parochialia, nisi sit approbatus ab ordinario iuxta caput Per exemptionem. *de priuileg. in 6.* vbi Pontifex declarat talem Parochum non esse exemptum ab Ordinario in iis, quæ spectant ad curam animarum ibi. *Per exemptionem Ecclesiæ concesf-*

cessam, *ipsa Ecclesia, et ipsius Monachi, vel canonici; clerici etiam, et conversi, perpetuoque oblati* (*Non autem Ecclesiæ eiusdem Præsbiter, qui Parochianorum curam habet, quoad ea, quæ ad curam eamdem pertinet, nec ipsi Parochiani etiam*) *intelliguntur exempti*. Vnde debet ab ipsis Ordinariis institui, vt notat Glos. *ibid.* verbo. *Curam habet*, & Decernit Concilium Trident. *sess. 7. cap. 13. de reformat.* & refert decisum *in Caputaquensi 23. Iunii. 1629.* Aldan. *in campen. canon. resolut. lib. 2. tit. 5. num. 6. apud Barbosam ad dict. caput. 13. num. 21. sess. 7. Concil. Trident.* & Supponit Gregorius XV. in sua Constitutione *Inscrutabili*. §. 2. ibi: *Sine animarum curam, &c. prævia Episcopi licentia, & approbatione*.

2 Ex quo fit, quod superiores Regulares, qui deputant huiusmodi Parochos, non possunt per se ipsos exercere munera parochialia, & quæ ad curam animarum spectant, quia non sunt approbati ab Ordinario, nec ab eo obtinent licentiam, sed totum ius ipsorum coarctatur ad præsentandum, si modo ad ipsos pertineat præsentatio; & ideo si exerceant, non minus peccant, quàm peccarent exercendo quoad Parochianos alterius Parochię. Difficultas autem est, an incidant in excommunicationem, si ministrent Exrremam vnctionem subditis Parochiæ annexæ propriis Ecclesiis.

3 Dicendum est. Superiores Regulares ministrantes extremam vnctionem subditis Parochiæ annexæ propriis Ecclesiis incidere in excommunicationem Clement. 1. *de priuileg.* Ita etiam Bordon. *tom. 1. consil. Regul. resol. 6. num. 49.* Quod intelligi debet, si id faciant cōtra voluntatem deputati ad regimen Parochiæ. Ratio autem est, quia id, quod punitur in dicta Clemen. 1. *de priuileg.* pœna excommunicationis, est vsurpatio iurium parochialium in ministratione Extremæ vnctionis, & aliis actibus ibi expressis. Cum ergo iura prochialialia non conueniant Prælato monasterii, sed solum religioso ministranti munus parochiale, exercet actionem sibi prohibitam, atque adeo incurrit censuram.

4 Dices. Pontificem id constituisse in fauorem parochorum & proinde non habere locum quoad superiores regulares; quia religiosi transferunt omnia sua iura in monasterium & proinde sunt sub dispositione superioris: vnde si exerceat iura parochialia conuenientia subdito, nihil sibi vsurpat, quod non possit vsurpare. Verum non subsistit responsio. Quia licet iura quæ conueniunt religioso, quatenus religiosus est, sint sub dispone superioris, secundum mensuram regulæ: non tamen iura, quæ ipsi conueniunt, quatenus parochus est. Cum enim quatenus parochus est subdatur Ordinario, seu in iis, quæ concernunt curam animarum, & administrationem parochiæ iuxa cap. *Per exemptionem. de priuil. in 6.* Quatenus talis, & quoad eadem eximitur à iurisdictione superioris: & proinde iura parochialia non transfunduntur in ipsum ratione subiectionis parochi religiosi: sed eodem modo se habent, ac essent in parocho non aliàs subdito,

5 Præsertim, quia iura parochialia sunt implicata cum iure Ordinarii: nam sunt ipsi subordinata, & dependent à directione ipsius. Vnde Superior Reuglaris, qui iura parochialia competentia proprio subdito exerceret absque illius consensu, præiudicaret etiam iuri Ordinarii, vt loquentes de renunciatione tradunt Felin. in cap. *Cum dilecta. de rescrip.* Abbas in cap. *Significasti. numer. 11. de foro compet.* Tusch. *littera P. conclus. 759. num. 5.* Sanchez *lib. 4. sum. cap. 39. num. 29.* Seraphin. *decis. 324. num. 5.* Rota *decis. 32. num. 8. par. 2. diuersor. & decis. 273. num. 3. par. 4. Recentior.*

An

An sufficiat licentia præsumpta, seu interpretatiua pro ministranda Extrema unctione. Quæst. 403.

S V M M A.

1 *Difficultas quando procedat.*
2 *Sententia negatiua affertur.*
3 *Sententia affirmatiua stabilitur. num. 3.*
4 *Absente, & non potente proprio sacerdote adest consensus tacitus.*
5 *Vt censenda tacita voluntas irrationabiliter nolente ministrare proprio Sacerdote.*
6 *Quid dicendum de Religiosis quoad hoc.*
7 *Qualis & quanta debeat esse absentia proprii sacerdotis.*
8 *Fundamentum opposita sententia non obstat.*
9 *Quid dicendum si quis bona fide ministraret.*

1 Difficultas procedit, quando proprius sacerdos non adest, aut non potest ministrare, aut etiam quando iniuste non vult ministrare, an scilicet in his casibus sufficiat licentia præsumpta, seu interpretatiua vel ipsius Sacerdotis proprii, vel Ordinarii, aut saltem summi Pontificis. Prima sententia est negatiua. Ita D. Antonin. *3. part. tit.* 24. *cap.* 54. Syluester verbo. *Excommunicatio* 7. *numer.* 43. Nauar. *cap.* 27. *Manual. numer.* 102. Qui mouentur ex eo, quod hoc sacramentum non sit sacramentum necessitatis; & ideo non sit ministrandum quando à debitis ministris obtineri non potest.

2 Secunda sententia communis asserit, sufficere licentiem præsumptam, seu interpretatiuam. Ita Caiet. *in sum.* verbo. *Excommunicatio. capit.* 64. Armilla ver. *excommunicat.* 9. Sotus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 1. Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 4. *de extr. unct. conclus.* 1. *dub.* 3. Martin. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 33. *artic.* 3. Graf. *par.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 8. *numer.* 15. Victoria *in sum. quæst.* 220. Angles *in florib. quæst. de extr. unct. artic.* 3. *conclus.* 2. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 13. *num.* 4. *& lib.* 8. *cap.* 54. *numer.* 2. Archidiacon. in cap. *Si Presbiter. numer.* 1. *cau.* 26. *quæst.* 1. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vn. dub.* 8. *n.* 4. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 44. *sect.* 2. *num.* 3. Ochagauia *de sacram. trac. de extr. unct. quæst.* 8. *num.* 8. Granad. 3. *part. controuer.* 8. *disp.* 8. *numer.* 5. Isambert. *disp.* 5. *de extr. unct. art.* 1. ver. *Addidi.* Præposit. *quæstion. un. de extr. unct. dub.* 6. *numer.* 43. Nugnus *quæst.* 31. *supplem. artic.* 3. Valent. *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 1. *pun.* 2. Reginal. *lib.* 18. *praxis fori poenit. numer.* 408. *& lib.* 28. *num.* 61. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. unica. punct.* 4. *numer.* Coninch. *tom.* 2. *de sacram. disp.* 19. *num.* 28. Angelus verbo. *Excommunicatio casu.* 12. *num.* 5. citans Innocent. & Hostiens. in cap. *Omnis. De poenit. & remis.* Viuald. *in Candel. Tit. de extr. unct. num.* 19. Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 8. *cap.* 6. *numer.* 2. ver. *Excipiunt.* Mercer. *De sacram. quæst.* 31. *quæsito* 2. Io. à Cruce. *par.* 2. *Director. Conscient. dub.* 2. *de extr. unct. conclus.* 3. Fernandez *part.* 3. *exam. theol. moral. cap.* 10. §. 1. *num.* 8. Baunius *par.* 1. *theol. moral. tract. ult. quæst.* 6. ver. *Verum enim* Gaspar Hurtad. *de sacram. difficul.* 12. *de extr. unct.* ver. *Obseruandum est primò.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. un. pun.* 7. *num.* 4. *&* 5. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 6. *numer.* 3. Amicus *tom.* 8. *Curs. theol. disp.* 19. *sect.* 8. *num.* 150. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 12. *numer.* 183. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *dub.* 3. *num.* 59. Ludouicus à S. Io. *part.* 1. *sum. tract. de extr. unct. quæst.* Regal. *art.* 1. *dub.* 1. *append.* 2. Auersa. *De sacram. quæst. de extr. unct. sect.* 10. ver. *Dicitur quoque.*

Di-

3 Dicendum est. Vt sacerdos non proprius ministrare possit Extremam vnctionem sufficere licentiam præsumptam seu interpretatiuam sacerdotis proprii, vel Superioris ipsius. Vnde quando proprius sacerdos non adest, vel non potest, vel irrationabiliter non vult, poterit à quocunque sacerdote non proprio ministrari. Ratio est. Quia prohibitio, quod sacerdos non proprius non possit ministrare Extremam vnctionem oritur ex natura rei, quia scilicet hoc esset vsurpare munus alterius, & iura ipsius: vnde fieret ipsi iniuria. Hoc autem cessat, quando accedit consensus ipsius, vel alterius superioris, qui potest concedere facultatem ministrandi, Licentia autem tacita siue præsumpta, siue interpretatiua facit accedere consensum; nam tacitum idem operatur, ac expressum *l. Item quia ff. de pactis.* & *l. Fin. ff. de legat.* 2 & notant Alexan. *consil.* 109. *num.* 17. ver. *Præterea in quæstion. lib.* 7. Tusch. *littera T. conclus.* 7. *nu.* 13. Menoch. *Præsumpt.* 40. *num.* 8. *lib.* 4.

4 Quod autem quando proprius sacerdos non adest, aut non potest, adsit in ipso tacitus consensus, quod extrema vnctio ministretur ab alio sacerdote, ex eo colligitur, quod ratione muneris proprii tenetur diligere proprios subditos, tanquam proprias oues, pro quibus si opus fuerit tenetur etiam ponere propriam vitam iuxta illud Christi. Io. 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* & ideo præsumitur habere voluntatem regulatam iuxta leges, & mensuram charitatis. Cum autem charitas dictet prouidendum esse propriis ouibus de remediis conducentibus ad salutem, dictat etiam ministrandam extremam vnctionem, & ratione proprii muneris tenetur ministrare: & ideo, quando ipse ministrare non potest, vel ratione absentiæ, vel ex alio impedimento, præsumitur ratum habere, quod ministretur ab alio, siquidem contraria voluntas esset contra charitatem, vtpote impeditiua spiritualis vtilitatis proximi.

5 Quando autem proprius sacerdos irrationabiliter non vellet ministrare, quamuis tunc non possit præsumi tacita voluntas ipsius, quod ab alio ministretur, neque tamen habenda est ratio contrariæ voluntatis tanquam irrationabilis: & in tali casu, quia non conuenit ipsi soli posse ministrare sacramenta priuatiuè quoad alios, sed etiam ordinarius, & Summus Pontifex possent ministrare, aut aliis delegare facultatem ministrandi etiam cõtradicente inferiori sacerdote, ideo potest præsumi tacita voluntas ipsorum, quia præsumendum est quod sit regulata ratione, & secundum mensuram charitatis, qualis deberet esse voluntas proprii sacerdotis inferioris: & ideo ex tacita licentia ipsorum ministrari posset.

6 Ex quibus sequitur contra Syluesterum verbo. *Vnctio. quæst.* 4. vbi oppositum illius, quod alibi tradiderat, docet, excipiendo tamen religiosos, Posse religiosos quoque ministrare extremam vnctionem, nec incidere in excommunicationem, vt docent Doctores *num.* 2. citati, præsertim Angelus, Vival. Sotus, Præposit. Isambert. Mercerus, Tannerus, Auersa, Baunius Ludouic. à S. Io. Io. à Cruce Bonacina, Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 49. *ar.* 2. *conclus. vn. init.* Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbat. disput.* 7. *quæstion.* 2. & alii. Et ratio est, quia Pontifex in Clemen. 1. *de priuil.* non prohibet de nouo religiosis ministrare extremam vnctionem, sed supposita prohibitione, quæ de iure est, & ex natura rei imponit pœnam excommunicationis: vnde eodem modo tenet prohibitio quoad ipsos, ac quoad sæculares. Si ergo cessat quoad sæculares in necessitate, stante voluntate interpretatiua, aut præsumpta, cessabit etiam quoad religiosos, & consequenter cessabit quoque excommunicatio, cum supponat prohibitionem.

7 Verum difficultas remanet qualis,

lis., & quanta debeat esse absentia proprii sacerdotis, vt possit habere locum licentia præsumpta. Resp. In hoc esse considerandas circumstantias, & secundum ipsas expendendum, an commode expectari possit: si enim commode non posset expectari, habebit locum licentia præsumpta: quia non est præsumendum, quod proprius sacerdos velit incommodum infirmi, cum hoc sit contra charitatem. Vnde si timeretur, quod interim infirmus, amitteret sensus, aut in phrænesim incideret, posset non expectato proprio sacerdote ministrari extrema vnctio: quia sicut non conuenit vsque ad illud tempus differre ministrationem sacramenti tanquam futuram minus fructuosam; ita voluntas proprii pastoris, si vellet differri non esset rationabilis, & ideo non est præsumenda, sed potius contraria tanquam conformis rationi, & charitati.

8 Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ. Nam licet extrema vnctio non sit sacramentum necessarium ad salutem, est tamen valde vtile, & necessarium pro erigendo infirmo in spem diuinæ misericordiæ, & ad præparandũ ad exitum ex hac vita, & proprius pastor tenetur ex officio illud ministrare: & ideo debet ratum habere, vt ab alio ministretur, quod ipse non potest, vt in hoc se conformet regulis charitatis; stante autem quod ratam habeat administrationem, cessat prohibitio, quia hæc habet tantum locum, quando ministratio est contra voluntatem proprii Pastoris.

9 Ex dictis colligitur. Quod si quis bona fide ministraret extremam vnctionem, allegans præsumptam licentiam Parochi, quamuis postea Parochus se ostenderet inuitum: nec forte circumstantiæ essent tales, vt possent fundare præsumptam licentiam, adhuc tamen neque in foro externo deberet puniri; non solum quia causa qualibet excusat à dolo *leg.* 1. §. *Fin. ff. de vbig. & l. Igitur.* §. 1. *ff. de libertan.* & consequenter etiam à pœna, vt norant Glos. *in l. Plagii. C. Ad leg. Flanium de Plag.* Bald. *in l. Obseruari.* §. *Proficisci. ff. de offic. proconsul.* Alexan. *consil.* 119. *num.* 12. ver. *Secundo pro hoc lib.* 2. Menoch. *de recuper. possess. remed.* 5. *numer.* 48. Surd. *decis.* 89. *num.* 22. Sed etiam quia non ita est habenda ratio iuri parochorum, vt propter ipsum seruandum contingat infirmos decedere sine sacramentis: & ideo non sunt sacerdotes, qui ex charitate mouentur ad subueniendum infirmis, pœnis absterrendi, & retrahendi ab officiis charitatis, cum magis intersit, sacramenta infirmis ministrari.

Quid possint Regulares virtute priuilegiorum circa ministrationem extremæ vnctionis. Quæst. 404.

S V M M A.

1 *Clementina non tollit priuilegia Regularibus.*
2 *Priuilegia fratrum Prædicatorum, Minorum Carmelitarum, & Augustinianorum.*
3 *Priuilegia Theatinorum. num. 4.*
5 *Quid aduertendum in his Priuilegijs.*

---

1 IN Clement. Religiosi. de priuileg. Quamuis imponatur excommunicatio Religiosis ministrantibus clericis, & laicis extremam vnctionem sine licentia proprii sacerdotis, præseruantur tamen priuilegia ipsorum, si quæ habent, circa huiusmodi administrationem, vt constat ex §. fin. ibi. *Sanè religiosis illis, quibus est ab Apostolica sede concessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis depentibus, sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nolumus ex præmissis quoad hoc præiudicium generari.* Vnde cum hæc

hæc præseruatio sit inserta in corpore iuris, facit quod de iure communi sint præseruata priuilegia concessa circa ministrationem extremæ vnctionis, & aliorum sacramentorum. Et ideo poterunt Regulares vti priuilegiis, quibus in hac materia fruuntur.

2 Plura ergo reperiuntur priuilegia concessa Regularibus circa administrationem extremæ vnctionis, & aliorum sacramentorum. Primum concessũ est Fratribus Prædicatoribus, & habetur in eorumdem Mari magno tenoris sequentis; *His vero, qui in vestris morantur obsequiis cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta; & ipsos, cum decedunt in vestris Oratoriis sepelire.* Idem etiam concessit Clemen. IV. Fratribus Minoribus iisdem fere verbis. Simile etiam priuilegium obtinuerunt Fratres Carmelitæ ab Alexandro IV. vt in eorumdem Mari magno huius tenoris; *Deuotionis vestræ precibus inclinati, ministrandi Ecclesiastica sacramenta familiaribus vestris, ac tradendi eos sepulturæ Ecclesiasticæ cum decesserint, vobis auctoritate præsentium sine alicuis iuris præiudicio, vobis concedimus facultatem.* Idem priuilegium concessit Augustinianis, seu Eremitanis Innocentis VI. vt habetur in Bullario Eremitarum constit. 1. eiusdem Pontificis §. 3. his verbis. *Vestris supplicationibus inclinati, vt familiaribus vestris, qui vestris immorantur, & immorabuntur obsequiis, vestris tamen sumptibus, prædicta sacramenta (hoc est cuncta, vt dictũ fuerat supra) ministrare, ac ipsos, cum decesserint, in vestris coemeteriis sepelire possitis.*

3 Verum priuilegium magis amplum cõcessit nobis Thentinis Pius V. *in sua constitutione 31. sub VII. Idus Febr. 1567. tom. 2. Bullar.* huiusmodi tenoris, *vt Tàm Præpositi, quàm coeteri omnes clerici Romæ, Venetiis, Neapoli, ac aliàs vbique locorum degentes Congregationis huiusmodi nunc, & pro tempore existentes, qui tamen præsbiteri fuerint Eucharistiæ etiam pro viatico, ac etiam constitutis in articulo mortis, ac extremæ vnctionis coeteris clericis, & fratribus Congregationis huiusmodi, ac etiam mercenariis famulis, operariis, & seruis eorumdem Congregationis, ac quibusuis hospitibus, etiam sæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregrationis huiusmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de illo dubitare contigerit, etiam Dioecesan. locorum, sacerdotum Curatuum quorumcunque, etiam in quorum ciuitatibus, & Diæcesibus, ac Ecclesiarum Parochiis respectiuè Ecclesiæ, & loca ipsorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunque licentia minimè petita, nec obtenta. Et in casu, in quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem, etiam quibuscunque aliis personis, quæ in huiusmodi necessitate intra Ecclesias, Collegia, Domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigeris, ac extra illas aliis quibusuis infirmis, etiam in mortis articulo constitutis vbique in casu necessitatis supradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis concessa licentia cuiusuis sacerdotis curati poenitentiæ sacramenta Ecclesiastica ministrare possint.*

4 In quo priuilegio plura conceduntur circa ministrationem extremæ vnctionis. Primum quod possint illam ministrare mercenariis famulis, operariis, & seruis absque licentia proprii ipsorum sacerdotis. Secundum quod ministrare possint extremam vnctionem quibusuis hospitibus etiam sæcularibus, & extraneis, qui intra ipsorum habitationes inciderint in mortis articulum. Tertium, quod in repentinis necessitatibus, quando non adest tempus petendi licentiam ministrare possint quibusuis personis, quæ intra Ecclesias, Collegia Domos, & habitationem ipsorum in talem necessitatẽ inciderint. Quartum quod possint ministrare quibusuis personis vbique constitutis stante dicta necessita-

te, iuxta ea, quæ dixi *in quæst. canonin. quæst. 262. num. 2. & sequent.*

5 Circa autem hoc priuilegium est aduertendum, vt etiam notaui *in quæst. canon. centur. 3. quæst. 262. n. 2.* quod quatenus concedit, posse ministrari Ecclesiastica sacramenta vbique locorum stante necessitate absque licentia Parochi, quando haberi non potest, non debet accipi in iis terminis in quibus iuxta communem opinionem ministrari potest extrema vnctio ex præsumpta, & interpretatiua licentia, vt dictum est *quæst. præcedent. num. 2. & seq.* alioquin priuilegium nihil concederet, cum hoc liceat secluso priuilegio, sed debet intelligi in terminis amplioribus; siquidem hoc priuilegium continet fauorem, vt patet ex proemio bullæ, & etiam quia ordinatur ad salutem, & beneficium animarum, & ad prouidendum, ne homines decedant absque Ecclesiæ sacramentis, vnde ordinatur ad publicam vtilitatem, & continet fauorem publicum, & proinde debet aliquid operari, & aliquid concedere, quod alias non liceat, præsertim quia concessio Principis debet ita accipi, vt respectu concessionarii aliquid operetur cap. *Si Papa. de priuileg.* vbi Doctores Dec. *in l. 1. circa fin. C. de secund. nupt.* Menoch. *consil. 276. n. 2.* Duran. *decis. 184. num. 3.* Vnde cum Pontifex requirat, vt non possit peti licentia, vt possint ministrari sacramenta, debet intelligi, non quando petitio licentiæ redditur hic, & nunc impossibilis, sed quando absque incommodo peti non potest. Siquidem posse dicimus, quod commodè possumus, & non posse, quod commodè non possumus, vt notant Seraphin. *de priuileg. iuram. priuileg. 144. num. 5.* Reinosus *obseruat. 7. num. 22.*

An omnes Regulares participent dicta priuilegia quoad ministrationem extremæ vnctionis. Quæst. 405.

S V M M A.

1 *Status difficultatis.*
1 *Regulares participant si communicatio se extendat etiam ad præiudicialia tertio aut expresse, aut tacite, secus vero non.*
1 *Quod absolutè participent stabilitur.*
2 *Et non sit priuilegium tertio præiudiciale.*
3 *Confirmatur sententia.*
4 *Qui nam sint serui, famuli, operarii, hospites.*

1 Difficultas procedit quoad eos Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum, qui si ea careant, certum est non participare. In quæst. autem canonicis *censur. 3. quæstion. 261.* hanc eamdem quæstionem tractaui, & cum distinctione resolui; vt nimirum participent, si communicatio se extendat etiam ad præiudicialia tertio, aut expressè aut tacitè: si verò non se extendat, non participent, cum dicta priuilegia sint præiudicialia Parochis. Verum nunc re melius considerata, existimo, quod absolutè participent, etiam si communicatio non se extendat ad præiudicialia.

2 Hoc autem deducitur ex opposito fundamento, nimirum, quod non sit priuilegium tertio præiudiciale. Vt enim priuilegium tertio præiudicet, oportet, vt deroget iuri ipsius iuxta cap. *Dudum. de priuil.* & notant Oldrad. *consil. 268.* Dec. *consil. 113. numer. 7.* Rebuf. *tract. de decimus. quæst. 13. in fine.* Priuilegium autem ministran-

ſtrandi extremam vnctionem non derogat iuri Parochorum, quia non tollit ab ipſis ius aliquod circa miniſtrationem extremæ vnctionis, ſed ſolum tale ius conceditur alteri cumulatiuè ad ipſos.

3 Confir. Iura omnia circa curam animarum conueniunt Summo Pontifici tanquam ſummo omnium paſtori, & in ipſo reperiātur tanquam in fonte à quo in coeteros deriuant. Ergo poteſt hæc iura, quibuſcunque voluerit communicare: neque fit præiudicium alteri ex eo, quod communicet. Neque enim vergit in alienum præiudicium, quod quis communicet alteri, quæ ſua ſunt. Quando autem Summus Pontifex concedit priuilegium miniſtrandi extremam vnctionem, aliquod ex his Iuribus communicat, relinquendo Parochis totum, quod eſt ipſorum.

4 Quinam autem ſint ſerui, famuli, operarii, hoſpites &c. quibus in virtute dictorum priuilegiorum miniſtrari poteſt viaticum, explicatum eſt cum ageretur de viatico. Solum aduertendum eſt, quod cum hoc priuilegium tendat ad fauorem publicum animarum, eſt ample interpretandum, & extendendum iuxta regulam iuris quod fauores ſunt ampliandi; & quia quòad hoc ſequitur naturam legis fauorabilis, quæ amplè debet interpretari non ſolum ſecundum propriam, & naturalem ſignificationem verborum, ſed etiam ſecundum ciuilem, ſiue ſit ſecundum communem vſum iuris, ſiue, ſecundum aliquam iuris fictionem, vt tradunt communiter Doctores Bald. *in l. Qui ſe patris. C. Vnde liberi.* Caſtrens. Salicet, & alii *ibid.* Suarez *lib. 6. de legib. capic. 2. num. 5.* Salas *diſp. 21. de legib. ſect. 3.*

An ſacerdos canonicè impeditus miniſtrare poſſit extremam vnctionem. Quæſt. 406.

S V M M A.

1 *Regulariter non poteſt.*
1 *Neceſſitas duplex.*
1 *Status difficultatis.*
2 *Sententia affirmans de ſuſpenſo, negans de excommunicato.*
3 *Sententia indifferenter affirmans.*
4 *Probatur. num. 5.*
6 *Fundamentum oppoſitum deſtruitur.*

---

1 QVod regulariter non poſſit, certum omnino eſt, quia in hoc conſiſtit effectus canonici impedimenti, quod tollat exercitium earum functionum, quæ per ipſum impediuntur; & ideo ſolum dubitatur an poſſit miniſtrare in caſu neceſſitatis. Neceſſitas autem poteſt eſſe duplex, alia quæ ortum habeat ex eo, quod infirmus non poſſit recipere aliud ſacramentum: alia, quæ ſit ordinaria, originata ex eo, quod non adſit alius miniſter congruus. Quod ſpectat ad priorem neceſſitatem, certum puto, quod tunc poſſit miniſtrare, cum fieri poſſit, quod extema vnctio tunc ſit vnicum medium, quo ſaluetur, ſi nimirum eſſet in peccato mortali, & eſſet tantum attritus. Difficultas ergo procedit ſtante poſteriori neceſſitate, nam ſtante prima, nullo pacto veriſimile eſt, quod velit Eccleſia, eum priuari illo medio, quo poſſit ſaluari.

2 Prima ergo ſententia concedit, quod ſuſpenſus poſſit in tali caſu miniſtrare extremam vnctionem; negat autem de excommunicato. Ita Suarez *3. par. tom. 4. diſp. 44. ſect. 2. n. 6.* Ca-

Capeauil. *de administratione sacram. quæst.* 8. *de extrem. vnct.* qui id negat etiam quòad suspensos. Ludouic à S. Io. *par.* 1. *summ. quæst. de extr. vnct. dub.* 2. *difficul.* 6. qui id solum concedit quòad proprium sacerdotem tolerarũ. Fundamentum est, quia suspensio non priuat actũ ordinis, sicut priuat excommunicatio. Rursus Ecclesia non permittit hoc sacramentum tempore interdicti, ergo nec etiam permittet, quod ministretur ab excummunicato.

3 Secunda sententia tenet; canonice impeditnm etiam excommunicatum posse in tali casu ministrare extremam vnctionem. Ita Præposit. 3. *par. quæst. vnct. de extr. vnct. dub.* 6. *num.* 44. ver. *Dico* 2. *circa med.* Isambert. *disp.* 5. *de extr. vnct. art.* 1. ver. *Hinc sequitur*. & alii loquentes in vniuersali de administratione sacramentorum; vel de actibus permissis excommunicatis &c. ratione necessitatis in materia de censuris.

4 Dicendum est. Excommunicatum vitandum posse ministrare extremam vnctionem, non existente alio sacerdote, qui ministret. Et e contra infirmum posse illam petere ab excommunicato. Hæc enim duo petere, & ministrare correlatiua sunt, ita vt si vnum licet, alterum quoque sit licitum. Quod autem dicitur de excommunicato, debet accipi de quocunque alio sacerdote canonicè impedito. Ratio est. Quia communicatio cum excommunicato in receptione sacramenrorum, & in coeteris est tantum de iure Ecclesiastico: & est inducta in ordine ad resipiscentiam ipsius, atque adeo in eius fauorem: non autem in detrimentũ ceterorum, & ideo non censetur ita arctè posita, vt habeat locum etiam quando vergeret in graue detrimentum proximi, præsertim spirituale. Vnde cum infirmus magno præsidio priuetur, si priuetur extrema vnctione ad quam habet ius ex institutione Christi, censendum est, quod Ecclesia nolit, suas censuras ita rigide accipi, vt impediant ministrationem extremæ vnctionis, etiam quando non adest alius qui possit ministrare, sed potius quod talis casus excipiatur.

5 Confir. In aliis casibus ob minorem necessitatem coarctatur prohibitio communicationis, quæ est annexa excommunicationi, vt non se extendat ad casum: vnde possumus consilium petere pro salute animæ ab excommunicato, si alium non ita idoneum habere non possimus, vt docent Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *ar.* 1. *not.* 3. ver. *Vtilitas duplex*. Caiet. verbo. *Excommunicatio capit. participatio cum excommunicat.* Vgolin. *de censur. tab.* 2. *cap.* 23. §. 11. *num.* 2. Socin. in cap. *Inter alia. num.* 93. *de sentent. excommunicat.* Rursus potest excommunicatus ob eius vtilitatem admitti ad Concionem. cap. *Responso. de sententia excommunicat.* Potest etiam quis habitare inter excommunicatos ob prædicandum, vel confessiones excipiendas cap. *Cum voluntate de sent. excommunicat.* Possumus cum excommunicato continuate contractum societatis, vt tradunt Glos. in cap. fin. verbo. *Excommunicatorum. de sentent. excommunicat.* Panormit. *ibid. num.* 9. Potest item ex communicatus recipi in hospitio non expectando, quod ab aliis excludatur, vt tradunt. D. Antonin. 3. *par. tit.* 25. *capit.* 1. *in fine.* Astens. 2. *part. lib.* 7. *tit.* 12. *quæst.* 25. Tabiena verbo. *Excommunicatio* 8. *n.* 9. Vogolin. *de censur. tab.* 2. *cap.* 23. §. 11. *num.* 8. Henriquez *lib.* 13. *sum. cap.* 23. *num.* 4. & alii. In his autem casibus concurrit minor necessitas, & vtilitas, quam concurrat in ministratione extremæ vnctionis. Vnde cum de intentione Ecclesiæ non sit, quod censuræ ligent adeo strictè, vt obligent etiam contra necessitatem, & vtilitatem, neque etiam impedient, quin possit ministrari extrema vnctio à canonicè impedito etiam excommunicato.

6 Ad fundamentum primæ senten-

tentiæ resp. Suspensionem quoque priuare actu ordinis, quando est suspensio ab exequutione ordinis. Deinde quamuis priuet actu ordinis, non censetur tamen se extendere ad hunc casum, & alios similes. Ad confir. neg. consequenr. Quia interdictum est censura vniuersalis, & ideo debet præualere priuatæ vtilitati: vnde hoc specialiter prohibetur: non prohibetur autem, quod extrema vnctio ministretur à canonicè impedito.

Quid agendum si concurrant proprius sacerdos canonicè impeditus, & alius sacerdos non proprius, nec impeditus.
Quæst. 407.

SVMMA.

1 *Sententia negatiua quod non possit impeditus ministrare in hoc casu.*
2 *Canonice impeditus potest licentiam dare Sacramentum E. Vnctionis ministrandi.*
3 *Quid alii sentiant circa hoc.*
4 *Sacerdos non proprius in hoc casu habet facultatem à iure.*
5 *Non suspensus ab exercitio iurisdictionis in hoc casu potest concedere licentiam.*
6 *Excommunicatus non denuntiatus ministrans* E. *V. petenti non peccat. num.* 7.
8 *Sacerdos excommunicatus ministrans E.* V. *non incurrit irregularitatem.*

1 IN tali casu non posse proprium sacerdotem ministrare extremã vnctionem, pro certo tenendum est, quia non sumus in casu necessitatis, cum adsit sacerdos non impeditus concurrens cum impedito, & quamuis non impeditus non habeat facultatem ministrandi extremam vnctionem, quia tamen non habet positiuum obicem ad illam exercendam, & potest pro tali casu aliunde accipere, ideo adhuc excluditur necessitas. Difficultas autem est, quomodo possit sacerdos non impeditus ministrare.

2 Nonnulli Doctores censent canonicè impeditum, etiam excommunicatum posse dare licentiam sacerdoti non impedito ministrandi extremam vnctionem. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 23. *quæst. in fine*. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap* 13. *num.* 3. Sà verbo. *Extrema vnctio. num.* 18. Quod tamen subsistere non potest, quia dare licentiam ministrandi Extremam vnctionem est actus iurisdictionis, quam non potesr exercere excommunicatus, aut suspensus ab exerercitio iurisdictionis. Sicut enim ministrare est actus potestatis, ita concedere hanc potestatem est actus iurisdictionis, & ita tenent etiam Suarez, & Præpositus mox citandi.

3 Alii verò dicunt, quod in tali casu potest proprius sacerdos canonicè impeditus dare licentiam, quod non impeditus ministret, quia hoc non est exercere iurisdictionem sed solum permittere. Ita Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 44 *sect.* 2. *numer.* 6. Capeauil. *de administrat. sacram. tempest. quæst.* 8. ver. *Verum est*. Verum neque hoc subsistere potest. Nam ministratio extremæ vnctionis de se est actus potestatis, atque adeo aut ordinariæ, aut delegatæ; vt ergo sacerdos non proprius licitè ministret, non sufficit sola permissio, sed requiritur concessio facultatis hanc antem concedere est actus iurisdictionis, quia hæc concessio est in ordine ad subditos, quatenus tales, eum aliquem subiiciat alteri in ordine ad certum actum.

4 Itaque tenendum est, quod sacerdos non proprius potest in tali casu ministrare extremam vnctionem ratione facultatis, quam habet à iure. Ita tiam Præposit. 3. *par. quæst. vnica de extr. vnct. dub.* 6. *num.* 45. ver. *Resp. sacerdotem*. Ratio autem est. Quia sicut in proprio sacerdote adest facultas

tas delegandi hoc ministerium, ita etiam à fortiori est in illis, à quibus ipse illam accipit. Et sicut, si posset delegare, quando ipse non posset ministrare, & nollet delegare, irrationabiliter se gereret, & faceret contra debitum suum: ita superiores censentur delegare ex interpretatiua voluntate, quando proprius sacerdos impeditur, ne ministret, & ne deleget, aliquo impedimento canonico; nam censendi sunt supplere defectum proprii sacerdotis, & occurrere necessitati subditorum, cum talis voluntas interpretatiua sit secundum exigentiam rectæ rationis.

5 Ex dictis colligitur, vt notant etiam Præposit. *3. par. quæst. vnita de extr. vnct. dub. 6. num.* 46. Proprium sacerdotem interdictum, aut suspensum, sed non ab exercitio iurisdictionis, posse concedere facultatem ministrandi extremam vnctionem, quia cum per has censuras non impediatur vsus iurisdictionis, potest, quæ sunt iurisdictionis alteri delegare.

6 Colligitur 2. Quod licet excommunicatus non denunciatus non possit ministrare extremam vnctionem, cum sub mortali impediatur ratione censuræ. Si tamen petenti ministret, non peccabit, vt docent Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *artic.* 3. *dub.* 5. Sotus *quæst.* 5. *artic.* 6. *conclus.* 6. *& dist.* 22. *quæst.* 1. *artic.* 4. *conclus.* 1. Nauar. *de orat. notab.* 22. ver. *Non obstant.* Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 25. *ar.* 1. Henriquez *lib.* 12. *de excommunicat. cap.* 6. *num.* 3. *et cap.* 10. *num.* 3. Sayr. *lib.* 2. *de censur. cap.* 12. *num.* 10. & alii in materia de censur. Et ratio est quia in Extrauag. Ad euitanda scandala Martini V. edita in Concilio Constantien. Conceditur omnibus non excommunicatis communicare cum excommunicatis non denunciatis, exceptis publicis percussoribus clericorum, quando delictū nulla tergiuersatione celari potest, etiam in actiua, & passiua sacramentorum administratione. ibi. *Christi Fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis intus, et extra, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiæ communitatem, aut locum certum, aut certam à iudice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse.* Si ergo licite petitur administratio sacramentorum ab excommunicato denunciato, ipse quoque in tali casu poterit licitè administrare petentibus: alioquin, si peccaret ministrando, teneretur abstinere, & frustra concederetur, quod possent peti, si ipse non posset ministrare. Vnde cum non possint recipi sacramenta ab excommunicato nisi ipse possit ministrare, dum conceditur posse recipi, conceditur etiam posse ministrari, quia, concesso vno, conceduntur omnia sine quibus non peruenitur ad ipsum. *l.* 2. *ff. de iurisd. vn. iud.* & *l.* 1. §. *fin. ff. de offic. eius cui man. est iurisd.* & *l. Auibus. ff. de leg.* 3.

7 Accedit etiam, quod in dicta Extrauag. conceditur communicatio cum excommunicatis non denunciatis. Communicatio autem est relatiua, non ad vnum solum, sed ad duplicem, nempe ad communicantem, & ad eum, cum quo fit communicatio, & ideo trahit concessionem ad vtrumque, quia concessio extenditur, quantum extenditur res concessa. Alioquin concessio communicationis, si extenderetur solum ad non excommunicatum, præberet occasionem scandali excommunicato, quia esset occasio peccati, nempe communicandi cū non excommunicato, quod debet esse valde alienum à concessionibus Summorum Pontificum. Nec obstat, quod Pontifex in illa Extrauaganti declerat, se non intendere re-

releuare in aliquo excommunicatos, quia ex hoc solum fit, quod non sit ipsis concessum communicare cum excommunicatis, incipiendo communicationem: non autem, quod non sit concessum indirecte communicare, seu correspondere in communicatione, quando ipsi volut communicare, quia in hoc non vtuntur fauore proprio, sed fruuntur alieno.

8 Colligitur 3. Sacerdotem excommunicatum ministrantem extremam vnctionem in iis casibus, in quibus sine peccato ministrare potest, vt dictum est, siue sit, siue non sit denunciatus, non incurrere in irregularitatem, vt docent etiam Henriquez *lib.* 14. *sum. cap.* 7. *num.* 1. Sayrus *lib.* 1. *de censur. cap.* 15. *num.* 4. Victorel. *de extr. vnct. tit. An verò excommunicati.* ver. *Hinc arguas. in fine.* Quod etiam dicendum est de suspenso ab actu ordinis. Et ratio est, Quia irregularitas, quæ est poena, cum sit grauissima, non imponitur, nisi propter delictum, quod sit peccatum mortale. Vnde quando quis excusatur à peccato excusatur etiam à poena irregularitatis iuxta cap. *Apostolica. de cler. excomm ministran.*

An sufficiat vnicus sacerdos pro ministranda extrema vnctione. Quæst. 408.

SVMMA.

1 *Ratio dubitandi.*
2 *Sententia affirmatiua.*
3 *Probatur.*
4 *Obiectionis solutio.*
5 *Rationis dubitandi respondetur.*

1 RAtio dubitandi oritur ex verbis Iacobi Apostoli cap. 5. *suæ Epist.* dum dicit. *Infirmatur quis in vobis? Inducat præsbiteros Ecclesiæ, et orent super eum, vngentes eum oleo etc.* Si ergo inducendi sunt præsbiteri, non sufficiet vnicus. Rursus actio ministrandi tribuitur pluribus, inquit enim orent super eum vngentes; ergo ex sui institutione requirit plures sacerdotes. Vnde Apostolus non dixit, *Induceat præsbiteros*, ratione pompæ, cum qua deferri debeat sacramentum, vt ait Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 43. *sect.* 2. *numer.* 1. quia non loquitur de delatione, sed de actu ministrãdi. Hinc Hæretici putant esse necessarios plures sacerdotes, & Catholicos non seruare doctrinam D. Iacobi.

2 Dicendum tamen est. Sufficere vnicum sacerdotem pro ministranda extrema vnctione. Est de fide, & desumitur ex cap. *Quæsiuit. de verbor. significat*, vbi Pontifex declarat, sacerdotem etiam solum posse ministrare extremam vnctionem. Et etiam ex Concil. Tridenr. *sess.* 14. *can.* 3. *de extrema vnct.* vbi damnat dicentes, Vsum, & ritum quem seruat S. Romana Ecclesia In hoc sacramento, repugnare sententiæ B. Iacobi Apostoli. Cum igitur vsus teneat, quod vnus sacerdos ministret, erit vsus legitimus, nec repugnans sententiæ D. Iacobi, & ideo etiam secundum sententiam D. Iacobi sufficiet vnicus sacerdos. Et ita tradũt communiter Doctores præsertim Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 1. Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst.* 8. *conclus.* 3. Chellison. 3. *par. quæst.* 31. *supplem. ar.* 1. ver. *Dico* 5. Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 5. *numer.* 36. ver. *Respond. primò.* Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disput.* 1. *dub.* 12. *num.* 187. Isambert. *disp.* 5. *de extr. vnct. art.* 2. *proposit.* 2. Mærat. *tom.* 3. *sum. disput.* 10. *de extr. vnct. sect.* 1. *asser.* 4. Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect.* 10. ver. *Vlterius.*

3 Ratio autem est. Quia Ministratio extremæ vnctionis fundatur in potestate ordinis, siquidem requirit

in ministro sacerdotium tanquam fundamentum huius actus. Potestas autem ordinis est eadem in omnibus, nec in vno est maior, quam sit in alio: nec in pluribus simul dicit aliquid amplius intensiue, quàm dicat in singulis, sed solum extensiuè, quia multiplicatur, in singulis verò seorsim est secundum totam suam excellentiam. Actus ministrandi sacramentum fundatur in excellentia potestatis, non in intensione.

4 Nec dici potest quod ex Christi institutione requirantur plures, licet non propter necessitatem sacramenti. Nam cum Christus pro aliis sacramentis instituerit, quod sufficiat vnicus minister, sine fundamento, dicitur, quod pro hoc instituerit plures.

5 Ad rationem dubitandi respon. Apostolum Iacobum dixisse *Inducat præsbyteros*, hoc est siue vnum, siue plures, nam adhuc verificantur eius verba si vnus tantum inducatur, sicut *in leg. Ait prætor. init. ff. de negoc. gest.* verbum *plura negotia ex ponitur, siue unum, siue plura sint*. Numerus enim pluralis verificatur etiam in singulari, quando eadem est in vno, ac in pluribus, vt in præsenti casu, vt docent Castrens. *in l. 1. C. de condit. insert.* Dec. *in l. 1. C. de pactis.* Crauetta *consil. 180. num. 3.* Hinc tradunt Iuristæ, quod conditio, *Si sine liberis decesserit* non subsistit existente vno filio quamuis sit concepta in plurali, vt habetur *ex l. Non est sine. ff. de uerbor. signific.* & *l. Pater Generinam. §. Ita fidei commisso. ff. de condit. et demonstrat.* & *l. Heredes mei. §. Cum ita ff. Ad Trebel.* & notat cum pluribus Fusar. *de subst. quæst. 401. num. 1.*

An possint plures sacerdotes ministrare eidem extremam vnctionem. Quæst. 409.

S V M M A.

1 *Si ministrans deficit potest alter perficere vnctiones.*
2 *Non potest vnus sacerdos vngere, & alter formam proferre.*
3 *Affirmatiua sententia quomodo tenenda. numer. 4.*
5 *Confirmatur. num. 6.*
7 *Argumenti oppositi solutio.*
8 *Plures sacerdotes non solum successiuè, sed simultaneè posse ministrare tenetur.*
9 *Confirmatur,*
10 *Obiectionibus satisfit. num. 11.*

---

1 IN hac quæstione duo certa sunt. Primum est, quod si ministrans extremam vnctionem deficiat, antequam perficiat omnes vnctiones, potest alter perficere vnctiones, quæ supersunt. Ita docent communiter Doctores D. Th. *in 4. dist. 23. quæst. 1. ar. 2. & qu. 2. ad 3.* cæterique Doctores *eadem dist.* Syluester verbo *Vnctio. quæst. 4. in fine.* Ledesma *par. 1. sum. tract. de extr. unc. cap. 1. conclus. 2. in fine. et cap. 5. dub. 1. post. 1. conclus.* Henriquez *lib. 3. summ. cap. 12. num. 4.* Suarez *3. par. tom. 4. disput. 43. sect. 2. num. 5.* Zambran. *in sua decis. capit. 5. de extr. unct. numer. 8.* Filliuc. *trac. 3. num. 134.* Posseuin. *de offic. curati cap. 9. num. 8.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 4. cap. 3. num. 54.* Bonac. *disp. 7. de sacrament. quæst. unic. pun. 4. numer. 9.* Faber. *in 4. dist. 23. disp. un. cap. 4.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. unct. sect. 10. ver. Non esse autem*; & alii, præsertim infra citandi. Et ratio est quia sacramenta debent per-

perfici nedum secundum sua substantialia, sed etiam secundum ritus. vnde in capit. *Pastoralis. de sacram. non iteran.* statuitur, quod cautè suppleatur, quod incautè fuerat omissum. Hinc Sacerdos postquam consecrauit panem, ita deficiat, vt non possit consecrare calicem, debet alter supplere, & consecrare. Si in ordinatione deficiat Ordinans antequam conferat facultatem remittendi peccata, debet alius supplere, vt statuitur in cap. *Presbiter de sacram. non iterand.*

2 Alterum etiam est. quod non possunt plures sacerdotes ita ministrare extremam vnctionem, vt vnus vngat, & alter verba proferat, vt etiam docent communiter Doctores, præsertim infra citandi. Et ratio est. Quia sacramentum extremæ vnctionis constat ex vnctione tanquam materia, & ex verbis tanquam forma; si igitur ab vno poneretur materia, & ab alio forma non conficeretur sacramentū, quia neuter poneret totam essentiam sacramenti. Minister autem, cum sit causa totalis, & adæquata in suo genere, debet ponere totam substantiam sacramenti, quia cum operetur per potestatem effectiuam sacramenti, debent in actione externa correspondere substantialia omnia sacramenti, vt verificetur, quod agat per potestatem effectiuam sacramenti. Neque enim dici potest quod operetur potestate effectiua sacramenti, nisi actio sit actio effectiua sacramenti, & nō potest esse effectiua sacramēti, nisi ponat in esse substantialia sacramenti. Rursus effectus sacramenti debet significari in actu exercito per sacramentum, cum tanquam signum practicum sit causa illius. Vnde cum sacramentum consistat in actione, siquidem extrema vnctio non habet esse permanens, debet ipsa actio esse significatiua; hoc autem non potest esse, nisi terminetur ad omnia substantialia sacramenti. Si autem vnus appplicaret materiam, & alter formam, neutra harum actionum esset significatiua, quia sicuti in neutra subsisteret tota substantia sacramenti, ita neque etiam significatio. Quod ergo dubium remanet, est, an plures sacerdotes possint ita ministrare extremam vnctionem; vt vnus efficiat vnicam vnctionem cum sua forma, & alter aliam cum sua forma. Rursus an non solum hoc possint successiuè vnus post alium, sed etiam simul.

3 Communiter autem conueniunt Doctores, Posse hoc pacto plures sacerdotes ministrare extremam vnctionem non solum successiuè, sed etiam simul. Ita D. Th. *in 4. dist. 23. quæst 1. ar. 1. quæstiun. 2. ad 3.* Richar. *ar. 1. quæst. 1. ad. 4.* Durand *quæst 1. in fine.* Sotus. *quæst. 1. art. 1.* Syluester. verbo. *Vnctio. quæst. 4.* Tabiena *num. 5.* Ledesma *2. par. 4. quæst. 31 ar. 2.* Petrus Ledesma *par. 1. sum. cap. 5. de exterma vnct. difficul. 2. post. 2. conclus.* Angles *in florib. quæst. de extr. vnct. ar. 3. conclus. 3.* Suarez *3. par. tom. 4. disput. 43. sect. 2. num. 5.* Henriquez *lib. 1. sum. capit. 27. num. 2.* Laiman. *lib. 5. theol. mor. tract. 8. cap. 6. num. 3.* Syluius *3. par. quæst. 31. supplemen. ar. 2. ver. Quari nihilominus.* Chellison. *ar. 1. in resp. ad 2. obiect.* Præpo. sit. *quæst. un. de extr. vnct. dub. 5. num. 37. ver. Resp. tamen.* Isambert. *disp. 5. de extr. vnct. ar. 2. proposit. 2.* Granad. *controuer. 8. tract. de exer. vnct. disp. 8. num. 7.* Gaspar Hurtad. *de sacram. tract. de extrem. vnct. difficul. 12. ver. Obseruandam est secundo.* Ochagauia *de sacram. tract. de extr. vnct. quæst. 8. num. 5.* Mercer. *de sacram. quæst. 31. supplem. quæsito 1.* Nugn. *in dub. circa totam quæst. ver. Opposita tamen sententia.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 10. difficul. 6. num. 4.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 65. ver. Itaque.* Marat. *tom. 3. sum. disput. 10. de extr. vnct. sect. 1. asser. 5.* Auersa *de sacram. quæst. de extr. vnct. sect. 10. ver. Non esse autem.* Coninch *de sacram. disp. 19. dub. 9. conclus. 3.* Amicus *tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 8. numer. 145.* Dicastil. *de sacrament.*

tract. 7. disput. 1. dub. 12. num. 186.

4 Dicendum 1. Posse plures sacerdotes ministrare Extremam vnctionem, ita vt vnus vngat vnam partem, & proferat suam formam, & alius vngat aliam partem proferẽdo formam correspondentem, & sic deinceps. Prob. Quando sacramenta constant ex pluribus partibus distinctis, ita vt significatio sacramentalis sit partialiter in singulis, habent ex natura sua, quod possint partes confici à pluribus ministris successiuè. Talis autem est extrema vnctio. Ergo poterit à pluribus per partes confici. Maior patet in Eucharistia, quæ potest à pluribus consecrari, ita vt vnus consecret in vna specie, alter in alia; vnde si sacerdos postquam consecrauit panem non possit vltra procedere, debet alius sacerdos consecrare calicem, vt statuitur in Rubricis Missalis. Rursus si Episcopus in ordinatione postquam contulit potestatem consecrandi, non possit vltra procedere, debet alius complere ordinationem, & tradere potestatem dimittendi peccata, vt constat ex capit. *Præsbiter. de sacram. non iteran.* Min. etiam constat. Nam vnctiones singulæ cum suis formis habent suam partialem significationem completam in ratione partialis significationis, ita vt non remaneat in suspenso: vnde cum sint partes sacramenti, quæ seorsim ponuntur in esse, & successiuè, ita vt dum fit secunda, non existat prima, non habent aliam connexionem, nisi integritatis cuiusdam successiuę, ita vt vna debeat alteri succedere: & ideo non requirunt, quod ponantur ab eodem ministro.

7 Confir. Etiam si Extrema vnctio ministretur à pluribus, adhuc tamen saluatur ratio signi sacramentalis, & in eo significatio sacramẽtalis huius sacramenti. Ergo saluatur tota substantia sacramenti, atque validitas, & proinde non requirit ad sui validitatem, quod sit vnus tantum minister. Anteced. prob. Tum quia materia proxima, & forma sũt omnino eædem, & sibi inuicẽ coexistunt cum illa vnitate integrali, quam requirunt ex sua institutione: sicut essent eiusdem rationis, & æquali modo vnirentur plures gradus caloris, siue ab vna causa producantur in eodem subiecto, siue à pluribus. Tum quia significatio sacramentalis non fundatur in vnitate ministri, sed in qualitate materiæ, & determinatione, quam materia recipit à verbis: materia autem siue ab vno, siue à pluribus ponatur semper est vnctio, & semper significat vnctionem interiorem iuxta Concil. Triden. *sess. 14. cap. 1. de extr. vnct.* & verba formæ sicuti habent semper idem significare, ita etiam semper conferunt eamden determinationem.

6 Confir. 2. Significatio sacramentalis inest illi coniuncto ex vnctione, & verbis formæ. Ergo si in secunda vnctione hoc coniunctum est idem, siue fiat à sacerdote, qui incœpit, siue ab alio, inerit ipsi etiam eadem significatio sacramentalis. Sic calor vt quatuor habet eam vim calefaciendi, siue omnes quatuor gradus producantur ab vno agente, siue à pluribus, quia vnitas, vel pluralitas agentium materialiter se habet ad virtutem caloris, quia cum non variet intrinsecè calorem, nec etiam variat ipsius virtutem.

7 Dices. Esse diuersam rationem de consecratione Eucharistiæ, ac de extrema vnctione; nam consecratio vnius speciei statim sortitur suum effectum in illa specie, & ideo potest ab alio consecrari alia species. Quod etiam contingit in ordinatione sacerdotis, nam traditur duplex potestas vna seorsim ab alia: at in Extrema vnctione cõtingit oppositum, nam prima vnctio non sortiur suum effectum, sed tantum vltima in virtute præcedentium. Verum quicquid sit, quando Extrema vnctio producat suum effectum, adhuc tamẽ est verũ, quod priores vnctiones cum suis formis sunt validæ, & habent suam intrinsecam significationem in ratione signi sacramen-

mentalis independenter à subsequentibus, cum sint priores etiam tempore. Ergo quod subsequentes vnctiones fiant ab eodem, vel à diuerso sacerdote non tollit significationem sacramentalem ipsarum, quam iam habuerunt, atque adeo nec validitatem sacramenti. Rursus quod subsequentes vnctiones fiant à diuerso sacerdote non tollit ab ipsis intrinsecam rationem signi partialis sacramentalis, nec quod ex natura sua non ordinentur ad complendam integram vnctionem iuxta ritum Ecclesiæ. Ergo nec etiam tollet, quod non sint validæ in ordine ad idem sacramentum complendum. Validitas autem sacramenti non dependet ex eo, quod per partes producatur effectus, sed à significatione sacramentali.

8 Dicendum 2. Non solum successiuè, sed etiam simul posse Extremam vnctionem ministrari à pluribus sacerdotibus, ita vt vngente vno vnam partem, & proferente formam; alter vngat aliam partem, & proferat formam correspondentem. Ita Doctores citati *num.* 3. & Ruard. *Tappet. artic.* 12. *de extr. vnct.* Prob. Istæ vnctiones non habent inter se ordinem dependentiæ, ita vt vna supponat aliam, aut præexigat, & ideo sacerdos potest absque præiudicio validitatis sacramenti seruare siue hunc, siue alium ordinem, vt dictum est cum communi sententia. Ergo non obstat validitati sacramenti, quod fiant simul, aut successiuè, dummodo singulis correspondeant propriæ formæ. Anteced. prob. Si haberent aliquem ordinem dependentiæ, iste ordo contineretur in significatione sacramentali, quia esset ordo in ratione signi sacramentalis partialis, & quicunque alius ordo ponatur, erit mere materialis, nec conferet aut detrahet validitati sacramenti. In ratione autem signi sacramentalis, seu significationis nullus talis ordo percipi potest; nam quælibet vnctio cum sua forma significat interiorem vnctionem, & remissionem peccatorum cum ordine ad talem, vel talem sensum, qui ordo per accidens se habet, cum peccata vt remissibilia non dicant aliquem ordinem, imo potius exigant omnia simul remitti, & ideo si vnctiones omnes essent simul, magis corresponderent remissibilitati peccatorum.

9 Confir. Maiorem ordinem habent species Eucharisticæ inter se quòad significationem sacramentalem, quàm habeant vnctiones in extrema vnctione, siquidem, cum Eucharistia sit instituta per modum conuiuii debet præcedere comestio, & subsequi potus, vnde videtur prius consecranda sub specie panis, quàm sub specie vini; & tamen si simul à diuersis consecrarentur, validæ essent consecrationes, quia talis ordo non est substantialis, quod ex eo patet, quia validè consecraret, qui prius consecraret sub specie vini, & proinde à fortiori, si simul consecraretur vtraque species. Ergo neque detrahet validitati sacramenti, si vnctiones fiant simul à diuersis sacerdotibus.

10 Dices. Siquis inciperet consecrationem Eucharisticam proferendo mediam formam, non posset alius continuare consecrationem proferendo alia verba, non alia ratione, nisi quia verba prolata non sunt sortita aliquem effectum. Ergo cum neque priores vnctiones sortiantur effectum, non poterit alter prosequi reliquas vnctiones, sed opus erit quod incipiat de nouo. Resp. neg. consequent. quia ideo non potest secundus prosequi reliqua verba consecrationis, quia non possent continuari cum verbis alterius ad complendam vnicam significationem: atque adeo quia verba prolata à primo sunt incompleta in ratione significationis etiam partialis, nam nihil significant sacramentali modo. Verba autem cuiuscunque formæ correspondentis cuicunque vnctioni sunt cõpleta in ratione significationis partialis sacramentalis: vnde formæ vniri possunt in vnam adæquatam significatio-

tio-

tionem, siue ab vno, siue à pluribus proferantur.

11 Instabis. Si verba consecrationis panis non sortirentur statim suum effectum, si deficeret sacerdos postquam protulit formam super pane, alter sacerdos supplens deberet de nouo consecrare panem. Ergo cum priores vnctiones non sortiantur suum effectum peractis prioribus non poterit alter minister reliquas prosequi, sed opus erit omnes repetere. Resp. neg. conseq. quia est dispàr ratio; nam cum sacramentum Eucharistiæ consistat in esse permanenti, si verba consecrationis panis non ponerent suum effectum, neque etiam haberent suam validitatem, quia validitas in eo consistit, quod ponant effectum: & ideo essent de nouo ab alio consecrante repetenda. At extrema vnctio non habet esse permanens, sed consistit in actione, nec validitas formarum consistit in eo, quod ponant effectum; sed sicuti priores formæ validæ sunt, quando omnes ab eodem proferuntur, quamuis priores nullum ponant effectum, sed tantum vltima, ita etiam validæ sunt quamuis ab eodem proferantur. Si enim quis minister Extremam vnctionem, & postea nolit prosequi omnes vnctiones, non facit quod priores vnctiones non fuerint validæ; sicut enim essent validæ, si prosequeretur, ita etiam si non prosequatur, quod enim semel validum fuit, non potest reddi inualidum, præsertim quando non habet esse permanens, sed consistit in actione.

An extrema vnctio ita possit à pluribus ministrari, vt dum vnus vngit vnum oculum alius vngat alium, & vterque proferat formam competentem.

Quæst. 410.

S V M M A.

1 *Qui primus perficit vnctionem, & complet formam perficit sacramentum.*
2 *Confici ab vtroque verum sacramentum qui doceant.*
3 *Opinio Suarez.*
4 *Si ministri conforment intentionem cum intentione Ecclesiæ, erit vnum sacramentum consistens in actione primi ministri, vnctio verò 2. ministri erit tantum ritualis.*
5 *Obiectiones soluuntur. num. 6. & 7.*
8 *Quid si vnus independenter ab alio intendat conficere sacramentum.*
9 *Quinam minister in prædictis casibus conficiat sacramentum.*
10 *Fundamento opposito Respondetur.*

1 EAdem ratio est etiam quoàd vnctionem aliorum sensuum, qui habent organa pluríficata. In hac autem difficultate illud est certum, quod qui primus perficiet vnctionem, & complebit prolationem verborum, conficiet sacramentum; siquidem cum non sit de necessitate sacramenti, quod vtrumque organum vngatur, vt supra suo locum ostensum est, peracta vna vnctione cum sua forma, consurget sacramentum saltem quoàd illam partialem vnctionem, cum iam sint applicata omnia substantialia sacramenti, quibus positis necessariò ponitur sacramentum. Vnde solum difficultas est, an alter quoque minister conficiat sacramentum, & an idem sacramentum, an verò diuersum.

In

2 In qua difficultate Mærat. *tom.* 3. *sum. disp.* 10. *de extr. vnct. sect.* 2. ver. *At ego priorem.* putat confici ab vtroque verum sacramentum: & esse vnum, & idem sacramentum, cum maiori extensione: sicuti esset si sacerdos vna manu vnum occulum, & altera alterum simul vngeret: aut si cum baptizans profert formam vna manu ablueret vnam partem corporis, & alia alteram. Fundamentum est. Quia sicuti dum plures sacerdotes consecrant vnicam hostiam super ipsam simul proferentes formam est vnica consecratio; ita etiam erit vnum sacramentum, si vnus ungat unicum organum proferendo formam, & alter alterum ex geminatis proferendo item formam.

3 Suarez verò. *3. par. tom. 4. disput. 43. sect. 2. num.* 8. Chellison. *3. par. quæst. 31. supplem. ar.* 1. ver. *Ratio est.* existimant, futurum validum sacramentum, non tamen esse vnum, sed multiplex; quia necesse est, quod quisque intendat perficere sacramentum independenter ab alio quòad singulas vnctiones singulorum sensuum, alias nihil efficeret, cum non possit esse minister partialis sacramenti.

4 Pro resolutione difficultatis respiciendum est ad intentionem ministrorum. Vnde dicendum primo. Si ministri conforment suam intentionem cum intentione Ecclesiæ, sacramentum erit validum, & erit tantum vnum consistens in actione primi ministri, vnctio vero secundi ministri cum sua forma erit tantum ritualis non autem sacramentalis. Prob. De necessitate sacramenti requiritur vnica tantum vnctio seu vnctio vnius organi, qua posita cum sua forma consurgit sacramentum. Ergo vnctio alterius organi adhibetur ab Ecclesia non tanquam necessaria pro sacramẽto, sed tanquam ritualis. Ergo si ministri conformant suam intentionem cum intentione Ecclesiæ, secundus minister vnget tantum rituali modo, nec illa vnctio ordinabitur ad nouum sacramentum.

5 Dices. Hoc non posse dici, quia non solum vngit posterior minister alterum organum, sed etiam profert formam distinctam. Contra. Forma profertur à posteriori ministro supra vnctionem, quam exercet. Ergo cum vnctio se habeat rituali modo, se habebit etiam forma, quia sequitur naturam vnctionis, cum sit determinatiua ipsius, & proinde determinat in eo genere, in quo est; perfertim quia recipitur in materia, supra quam profertur, & omne quod recipitur per modum recipientis recipitur.

6 Dices 2. Vnctionem alterius organi non esse ritualem, sed partem materiæ, quia vnctio vtriusque organi est eadem materia, sed magis extensa. Contra. Vnctio alterius organi non est necessaria necessitate sacramenti, & est distincta realiter ab alia vnctione. Ergo non adhibetur ex vi institutionis Christi; siquidem in sacramentis, quæ sunt ex institutione Christi, sunt de necessitate sacramenti. Ergo est tantum ex institutione Ecclesiæ, & proinde est solum ritualis.

7 Dices. 3. Quamuis vnctio alterius organi non sit necessaria necessitate sacramenti, est tamen materia. Sicut peccata venialia, licet non sint de necessitate sacramenti aperienda in confessione, sunt tamen materia, quando aperiuntur. Contra. Peccata venialia sunt materia sacramenti ex institutione Christi, nam instituit pro materia omnia peccata, quæcunque illa sint, & non sunt materia ex qua conficiatur sacramentum, sed circa quam; & ideo potest sacramentum circa ipsa sortiri suum effectum, quia sunt remissibilia. At vnctio est materia ex qua, & non est à Christo instituta pro materia unctio vtriusque organi. Ergo vnctio alterius organi erit tantum ritualis, tanquam distincta ab ea, quæ adhibetur vt materia, siquidem vnctio vnius organi adæquatè

tè constituit illud signum sensibile, quod debet cōstituere ex institutione Chirsti, & forma, tanquam sacramentalis,non potest determinare, nisi illam materiam, quæ adhibetur ex instituti one Christi.

8 Dicendum 2. Si vnus independenter ab alio intendat conficere sacramentum, supposito, quod sacramentum, non sit iterabile ex institurione Christi,primus tantum conficiet, alter verò non conficiet sacramentum. Si verò solum ex institutione Ecclesiæ non est iterabile,vterque conficiet, & erunt duo sacramenta. Prob. Vterque minister habet intentionem conficie ndi suum sacramentum, & uterque applicat partes substantiales ipsius plurificatas. Ergo cum sint plurificata intrinseca constitutiua sacramēti, & intentio ministri, debet etiam, quantum est ex hoc capite plurificari sacramentum, cum ad plurificationem intrinsecorum constitutorum inuicem applicatorum plurificetur etiam constitutum. Ergo consurgent plura sacramenta, nisi aliquid obstet ualiditati. Si autem sacramentum non est iterabile ex institutione Christi, obstabit institutio Christi validitati posterioris: si autem non est iterabile ex institutione Ecclesiæ, erunt duo sacramenta,nam talis institutio non obstabit ualiditati, cum Ecclesia non possit facere, quod sacramenta non sint ualida, si concurrant substantialia.

9 Verum dubium remanet, Quinam minister conficiat sacramentum tàm in casu huius, quàm in casu prioris conclusionis. Et quia certum est, quod conficiat, qui prior perficit actionem sacramentalem, ideo dubitatur, quando vterque perficerent in eodem instanti. Resp. Quamuis impossibile sit, quod perficiant in eodem omnino instanti. Attamen hoc supposito, respon. Illum perficere sacramentum, qui prior est in possessione administrandi siue prius incipiat actionem sacramentalem, siue prius intendat ministrare, siue quocunque modo sacramenti administratio prius pertineat ad ipsum. Et ratio est. Quia sicuti acquirit ius ad perficiendam actionem sacramentalem, ita etiam acquirit ius ad obtinendum ipsa mediāte effectum sacramenti; & ideo Deus respiciens ad hoc ius producit effectum mediante actione sacramentali ipsius.

10 Ad fundamentum in oppositum resp. Quando plures sacerdotes proferunt formam supra eamdem materiam esse vnicam consecrationem terminatiuè, quia terminus consecrationis est vnus: esse tamen plures actiones consecratiuas, quarum qualibet esset sufficiens. Quia tamen sacramentum Eucharistiæ consistit in facto esse,ideo est vnum sacramentum;sacramentū verò extremæ vnctionis cōsistit in actiōe,& ideo multiplicatur ad multiplicationem ipsarum. Rursus in consecratione plurium, licet multiplicentur consecrationes, non tamen multiplicatur materia, quia licet sint plures formæ, non tamen vnus vnam, & alius aliam consecrant, sed singuli omnes consecrant, & singulorum verba super omnes proferuntur. At quādo duo vngunt eumdem sensum in duobus organis, multiplicatur tum forma, tum etiam materia, & forma, quæ cadit supra vnam materiam non cadit supra aliam, & ideo plurificantur sacramenta si aliud non obstat.

An plures ministri possint licitè ministrare extremam vnctionem. Quæst. 411.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua communis seclusa necessitate.*

2 *Nunquam licet ministrare E. vnctionem vno vngente vnum organum,& altero alterum.*

Quo-

3 *Quomodo plures vnctiones possint à pluribus sacerdotibus ministrari.*
3 *Duplex casus necessitatis.*
4 *Intentio Ecclesiæ quod sacramenta sint perfecta.*
5 *Priuata auctoritate nemo potest mutare ritus Ecclesiæ.*
6 *Obiectiones soluuntur. num. 7.*

---

1 Conueniunt communiter Doctores quod non sit licitum, quod plures sacerdotes ministrent Extremam vnctionem, siue simul siue successiuè seclusa necessitate & proinde si ministrent peccare mortaliter. Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 43. *sect.* 2. *numer.* 8. Ochagauia *de sacramentis. tract. de extrem. vnct. quæst.* 8. *numer.* 5. *in fine.* Merat. *tom.* 3. *sum. disp.* 10. *de extr. vnct. sect.* 2. ver. *Iam de posteriori.* Mercer. *de sacram. quæst.* 31. *supplem. quæsito* 2. ver. *Dices. si in Eucharistia. obiect.* 2. Chellison. 3. *par. quæst.* 31. *supplem. artic.* 1. *obiect.* 3. & 4. Nugnus *ar.* 2. *in dub. circa quæstion.* ver. *Opposita tamen.* Præposit. *quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 5. *num.* 37. ver. *Resp. tertiò.* Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 3. ver. *Quamuis vero.* Villalob. *part.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 6. *num.* 4. Coninch. *de sacram. disp.* 19. *dub.* 9. *conclus.* 3. Auersa *de sacram. quæstion. de extr. vnct. sect.* 10. ver. *Debetque ex obligatione.* Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disput. vn. pun.* 7. *numer.* 7. Isambert. 3. *par. disp.* 5. *de extr. vnc. art.* 3. ver. *Quæres primùm.* Amicus *tom.* 8. *curs. theol. disput.* 19. *sect.* 8. *numer.* 146. Et ratio est. Quia licet aliàs licitè quantum est ex institutione sacramenti possint plures sacerdotem ministrare, obstat tamen modo praxis Ecclesiæ, quæ cum habeat potestatem disponendi, quæ expediunt, circa sacramenta, salua eorumdem substantia, per hanc praxim censetur disposuisse, quod vnicus sacerdos ministret sacramentum quoàd omnes vnctiones: atque adeo obligasse ad ita ministrandum.

2 Hinc autem fit, vt notant etiam nonnulli ex citatis Doctoribus, quod nunquam licebit, ita ministrare extremam vnctionem, vt vnus vngat vnum organum, & alter alterum eiusdem sensus proferendo singuli formam, quia cum sufficiat vnctio vnius organi vt suo loco dictum est, nunquam ratione necessitatis potest vngi alterum organum ab alio ministro. Quia magis repugnat praxi Ecclesiæ adhibere duplicem ministrum, quàm relinquere vnctionem alterius organi, siquidem in primo casu fieret contra ritum Ecclesiæ, quæ adhibet vnicum ministrum: & neque seruaretur consuetus ritus vngendi, siquidem est contra ritum ungere utrumque organum cum duplici forma. Si uero ungens alterum organum nihil diceret, illa unctio ad nihil deseruiret, quia sacramentum exigit, ut unctio fiet sub forma.

3 Difficultas est, an plures unctiones possint licitè ministrari à pluribus sacerdotibus siue successiuè, siue simul, ita tamen, ut singuli ungant diuersa organa. Conueniunt autem communiter Doctores, quod urgente necessitate possit extrema unctio à pluribus hoc pacto ministrari. Ita Doctores *num.* 1. citati Assignant autem duplicem casum necessitatis primus est quando sacerdoti ministranti aliquid superueniret, vt non posset prosequi coeteras vnctiones, tunc enim potest alius perficere, quæ defuerunt. Alter est, quando non suppetit tempus, quia iam imminet mors, perficiendi omnes unctiones, tunc enim possunt plures sacerdotes simul ungere singuli diuersos sensus.

4 Quod spectat ad priorem casum necessitatis existimo habere locum, & proinde tunc ab alio sacerdote si adsit perfici posse cœteras vnctiones; si quidem habet fundamentum in intentione Ecclesiæ, quæ uult, quod sacramenta sint perfecta, & pro-

inde suppleatur, quod in ipsis ministrandis omissum est, ut decernitur in cap. 1. & in cap. Presbiter. de sacrament. non iterandis. Hinc etiam uult suppleri ritus, & coeremonias baptismi, quando quis ob imminens periculum sine ipsis baptizatus est. Imo, quando non potuerunt recitari præces, quæ præmitti solent extremæ unctioni, uult quod postea recitentur, vt præscribit in Rituali Romano *in rubr. de extr. unct.* Vnde à fortiori dei ntentione Ecclesiæ erunt supplédæ unctiones, quæ à ministro non potuerunt perfici.

5 Maior difficultas est in altero casu necessitatis, nam priuata auctoritate non potest quis immutare ritus Ecclesiæ, & ideo, nisi adsit saltem uoluntas interpretatiua Ecclesiæ, non poterunt plures sacerdotes simul ungere infirmus. Verum cum non agatur de immutando ritu intrinseco sacramenti, seu actionis sacramentalis, sed tātum de mutatione circa causam efficientem sacramenti, quæ est quid extrinsecum, & solum circa materialia causæ extrinsecæ, siquidem, quod unus aut multiplex minister efficiat unctiones, materialiter se habet, non uidetur prohib tum urgente necessitate, Imo uidetur præsumi posse uoluntas interpretatiua Ecclesiæ. Cum enim, ut dictum est num. præcedenti eius intentio respiciat ad integritatem sacramenti, & unum ministrum substituat alteri pro eo perficiēdo, erit etiam de intentione ipsius, quod quando simul à pluribus perfici potest, ita perficiatur, quando imminet periculum, ne ab eodem compleri possit, præsertim quia agitur de succurrendo infirmo constituto in grauissima necessitate, cui succurreretur, nisi tali pacto sacramentum conficeretur.

6 Dices. Hoc sacramentum non esse necesarium: & ideo non esse inuertendum consuetum modum ministrandi, ut applicari possit. Resp. Licet non sit necessarinm ad salutem, esse tamen de intentione Ecclesiæ quod ministretur, ut satisfaciat iuri, quod quisque in articulo mortis habet ad ipsum ex institutione Christi, & ideo est de intentione ipsius saltem tacita, quod ministretur per plures ministros, quando unus non sufficit.

7 Dices 2. Quando dubitatur, ne infirmus tandiu superuiuat, quamdiu ab uno perficiantur omnes unctiones, posse ministrum unico contextu ungere omnes partes sub unica forma uel ministrare cum unica forma, & unctione unius tantum partis. Resp. Melius esse, quod plures ministri conficiant sacramentum, quàm quod aliquo ex dictis modis ministretur; tum quia uterque ex illis modis continet uariationem ritus intrinsecam actioni sacramentali, quæ proinde magis uitanda est, quàm multiplicatio ministri; tum qnia multiplicatio ministri in casu necessitatis est saltem de tacita intentione Ecclesiæ. Tum quia primus modus ab aliquibus in dubium reuocatur, an contineat ualidum sacramenrum: secundus autem modus iuxta communissimam opinionem non sufficit pro ualiditate sacramenti.

Quid dicendum de ritu Græcorum adhibentium plures ministros pro extrema unctione. Quæst. 412.

S V M M A.

1 *Extrema unctio apud Græcos ministratur à 7. Sacerdotibus.*
2 *Status difficultatis. num. 3.*
4 *Opinio Arcudij, & Goar.*
5 *Græcorum ritus quomodo saluetur. num. 6. 7. 8. 9. & 10.*
11 *Obiectio resoluitur.*
12 *Confirmatur.*

Apud

1 APud Ecclesiam Græcam Extrema unctio ministratur à septem sacerdotibus, hoc uidelicet pacto. Accedit primus sacerdos, & vngit primam partem corporis, pronunciando formam sacramenti, deinde secundus vngit eamdem partem, pronunciando eamdem formam: & idem faciunt coeteri successiuè vsque ad septimum eodem temporis contextu. Rursus primus sacerdos vngit secundam partem corporis pronunciando formam, & idem coeteri quoque successiuè faciunt, donec compleantur omnes vnctiones. Quare singulæ partes septies vnguntur cum repetitione formæ ad singulas vnctiones per septem sacerdotes. Vnde dubitatur, an talis ritus subsistere possit, an verò Græci sinr rei iterati sacramenti.

2 Difficultas autem in eo consistit an omnes istæ vnctiones cum suis formis constituant vnum sacramentum, an verò multiplex, quia si sit multiplex, non poterit hic ritus subsistere. Quod autem non sit multiplex; sed vnicum, non potest ex eo saluari, quod vnicum etiam sit sacrificium, & sacramentum quando plures sacerdotes consecrant eamdem materiam, aut vnus sub vna specie, & alius sub alia: aut quando sacerdos plures formas consecratas sumit. Nam in primo casu consecrationis non plurificantur nisi causæ effectiuæ sacrificii, & sacramenti; non autem plurificantur intrinseca constitutiua sacramenti. At in hoc ritu Græcorum non solum plurificantur ministri, sed etiam intrinseca constitutiua sacramenti, nempe vnctio, quæ est materia, & forma; pluralitas autem rerum consurgit ex plurificatione entitatis, seu esse rei, & hoc plurificatur ex plurificatione intrinsecorum constitutiuorum.

3 Nec etiam est eadem ratio in posteriori casu, nam quando sacerdos sumit plures formas censetur sumere vnicum sacramentum, quia sumit omnes per modum vnius refectiui. Cum enim hoc sacramentum habeat vim reficiendi animam ratione corporis Christi iuxta illud *Iò. 6.* Caro mea verè est cibus, cum idem numero corpus Christi sit sub omnibus formis, dum vnico contextu sumuntur, se habent per modum vnius refectiui, & vnius cibationis spiritualis, atque adeo sumptionis vnius sacramenti. At Græci multiplicant omnia, quæ sufficiunt ad constituendum sacramentum extremæ vnctionis, ita vt singuli ponant vnicum sacramentum integrum.

4 Arcudius *de sacram. lib. 5. cap. 6.* postquam plura adduxit in fauorem Græcorum tandem fatetur, id esse abusum. E contra verò. Iacobus Goar. *in notis ad Rituale Græcorum. in Officium Sanc. olei. num. 37.* defendit ritum Græcorum, asserens, ab omnibus septem sacerdotibus confici vnicum tantum sacramentum. Quia vnctiones omnium illorum, sicut etiam formæ coeunt moraliter in vnam vnctionem, & vnum formam. Plura autem affert pro confirmatione suæ opinionis; sed reuera non conuincunt, quia est diuersa ratio de exemplis, quæ ab ipso afferuntur, vt consideranti patebit.

5 Dicendum tamen est. Probabile mihi videri, quod huiusmodi ritus Græcorum non contineat errorem; sed quod omnes illi septem sacerdotes conficiant vnicum sacramentum. Moueor ex eo, quod plures Summi Pontifices præsertim Innocent. VIII. *in Bulla ad Episcopum Tusculanum Legatum in regno Cypri*, & Clemens VIII. *in Instructione pro Græcis circa Ritus apud Quarantum in Bullario verbo. Græcorum ritus*, correxerunt errores Græcorum præsertim circa administrationem sacramentorum, & tamen non correxerunt huiusmodi Ritum circa Extremam vnctionem: vnde videntur approbasse. Cum enim fuerint examinati, non prohibiti, ha-

bentur pro concessis iuxta regulam *l. Cum prætor. ff. de iud.* & *l. Nec non. §. Quid eis ff. ex quibus cau. maior.* & *l. 1. §. Adhiberi. ff. destib.*

6 Vt autem videatur, an talis ritus subsistere possit, videndum est, an Ecclesia potuerit instituere, quod plures unctiones eiusdem exhibitæ à pluribus sacerdotibus, se habeant moraliter per modum unius unctionis, & unius materiæ unius sacramenti; & an eadem forma pluries prolata à diuersis se habeat per modum unius formæ; quia si potuit, cum iam reperiatur talis, dicendum est fuisse ualide ab Ecclesia institutam. Pro quo est aduertendum, quod sacramentum extremæ unctionis hoc habet peculiare præ coeteris, quod sit applicandum deprecatiuo modo; & ideo forma ipsius debet continere deprecationem, ut suo loco explicatum est, iuxta uerba Iacobi Apostoli, *Orent super eum vngentes cum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum*. Hoc autem præsupposito.

7 Prob. Potest Ecclesia instituere plures materias per se singulas sufficientes pro sacramento, & inter se distinctas, & applicatas eidem parti, quod se habeant per modum unius. Ergo poterit etiam instituere in sacramento Extremæ unctionis, nedum quoàd materiam, sed etiam quoàd formam. Antecedens constat in samento baptismi, nam sufficit unica immersio, & tamen Ecclesia instituit, quod adhiberetur rina in eadem parte corporis. Conseq. prob. Quia etiam unctio est materia extremæ unctionis, & ideo ex Ecclesiæ institutione adhiberi poterit multiplex unctio per modum unius. Nec refert, quod diuersa unctio sit à diuerso sacerdote quia hoc est quid extinsecum materiæ, & ideo non ipsam uariat in substantia, & in tantum trina immersio debet esse ab eodem, quia materia debet applicari ab eodem, à quo profertur forma, non autem quia requiratur unitas ministri, ut plures immersiones se habeant per modum unius.

8 Quod autem spectat ad formam prob. Forma extremæ unctionis est per modum deprecationis: & proinde sequitur naturam orationis: natura autem orationis est talis, ut eædem preces effusæ à pluribus non solum simul, sed etiam succeffiue coniungantur in unam orationem, & habeantur pro una, & eadem deprecatione, ut constat, quando in Sabbatho sancto cantantur Litaniæ, nam totum, quod cantant cantores, repetit postea chorus; in missa, quando recitatur Kirie eleison quæ pluries successiuè repetunt sacerdos, & minister; in missa solemni, in qua plura cantantur à choro, quæ sacerdos recitat. Et ratio est, quia societas orantium dat unitatem orationi; cum enim conueniant ueluti collegialiter ad orandum, seu tanquam consocii, præces, quas fundunt siue eodem modo se habeant, siue diuerso, habentur pro una, & eadem oratione. Ergo cum forma extremæ unctionis sit per modum orationis, potuit Ecclesia instituere, quod repetita à pluribus consociis, & collegialiter conuenientibus, se habeat per modum vnius orationis, atque adeo vnius formæ. Septem autem sacerdotes, qui ministrant Extremam vnctionem apud Græcos, conueniunt collegialiter, & tanquam consocii repræsentantes Ecclesiam.

9 Confir. Forma huius sacramenti se habet deprecatiuo modo, & determinãdo materiam iuxta suam qualitatem, facit quod sacramentum applicetur deprecatiuo modo, & sit signum sensibile ita causatiuum gratiæ, vt simul etiam sit deprecatiuum. Ergo hoc sacramentum habet ex natura sua, quod possit applicari, sicuti solet fundi oratio ad Deum. Ergo cum eadem oratio possit vnico contextu fundi à pluribus successiuè simul conuenientibus ad orandum, & adhuc retineat moralem vnitatem orationis

hoc

hoc quoque sacramentum poterit applicari à pluribus repetentibus eaſdē vnctiones, & formas sua vnitate morali retenta.

10 Confir. 2. Ideo non esset vnicum sacramentum, quia plurificantur formæ, & consequenter etiam significatio sacramentalis. Sed non plurificatur significatio sacramentalis: Nam etiam in baptismo cum trina immersione, plurificatur ablutio, quæ habet suam significationem sacramentalem, & tamen non plurificatur sacramentalis significatio, licet quælibet ex ipsis sit seorsim sufficiens ad significandam interiorem ablutionem, non alia ratione, nisi quia se habent per modum vnius ablutionis: vnde in forma quoque idem continget, quia forma repetita à pluribus se habet per modum vnius orationis.

11 Dices. Esse diuersam rationem, quia trina ablutio stat sub vnica forma, à qua sicut recipit determinationem, ita etiam recipit vnitatem, at in extrema vnctione apud Græcos quælibet vnctio stat sub sua forma. Contra Trina ablutio non recipit determinationem à forma in ratione ablutionis, sed in ratione talis signi sensibilis, & proinde neque recipit vnitatem, alioquin sicuti forma est vna indiuisibiliter, etiam ablutio esset vna in ratione ablutionis indiuisibiliter, quod est falsum; sed est vna moraliter, quia ordinatur ad eumdem effectum, nempe ad significandam interiorem ablutionem. Ergo etiam in extrema vnctione, tàm vnctio, quàm eadem forma repetita successiue à pluribus collegialiter conuenientibus erit moraliter vna, vt pote ordinata per modum vnius ad significandum eumdem effectum.

12 Confir. 3. Ecclesia habet à Christo potestatem veriandi ministrationem sacramentorum, prout dignitati ipsorum, vel fidelium vtilitati expedierit, salua tamen eorumdem substantia, vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *ca*p. 2. Ergo potuit etiam institue- re, quod Extrema vnctio ministretur eo modo quo Græci ministrant, quia in hoc non variatur substantia, cum remaneat vnctio, quæ significat interiorem vnctionem, & eadem forma. Nec repetitio unctionis, & formæ uariat substantiam, quia tantum addit, non autem detrahit, & facit, quod partes substantiales sint magis extensæ, & constent pluribus partibus integralibus coeuntibus moraliter in unum modo explicato, & ideo tota uariatio est solum materialis, non autem formalis, & essentialis.

An solus sacerdos absque alio ministro possit ministrare Extremam vnctionem. Quæst. 413.

S V M M A.

1 *Affirmatiua opinio stabilitur. num. 2.*
2 *Minister adhibetur solum ad decentiam.*
3 *Infirmus vt habeat ius ad hoc sacramentum.*

1 DIcendum est, Extremam unctionem posse ministrari à sacerdote absque ministro, quando haberi non potest. Ita communiter. Glos. *in cap. Hoc quoque de consecrat. dist.* 1 Durand. *lib.* 2. *de ritib. Eccles. cap.* 15. *num.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *ar.* 5. *in* 12. *argum.* Suarez 3. *par. tom.* 3. *disp.* 86. *sect.* 1. Sà *verbo. Extrema vnctio. num.* 9. Tabiena uerbo. *Vnctio, num.* 6. Syluester *num.* 4. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tr.* 8. *capit.* 8. *num.* 2. ver. *Secundo.* Zambran. *in suis. decis. cap.* 5. *de extr. vn. num.* 14. Tanner. *tom.* 4. *sum. disput.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *numer.* 65. uer. *Itaque in necessitate*. Bonac. *disput.* 7. *de sacramen. quæst. vn. pun.* 6. *numer.* 6. Mar-

Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 2. de extr. vnct. numer. 7.* & alii, & habetur decisum in cap. *Quæsiuit. de verbor. significat.*

2 Ratio autem est. Quia minister adhiberi debet à sacerdote ministrante, ratione decentiæ, vt nimirum sacramentum ministretur cum debito decore, non autem ex aliqua necessitate. Si ergo non adsit, qui ministret sacerdoti, non debet ex hac causa infirmus priuari sacramento, quia maioris ponderis est, quod infirmus adiuuetur hoc sacramento, quam quod adsit ministrans sacerdoti; quæ autem sunt maioris ponderis præferenda sunt. Rursus infirmus habet ius ad hoc sacramentum ex vi institutionis ipsius, & ideo non debet priuari suo iure, ex eo, quod non possit seruari ritus aliquis Ecclesiæ concernens decentiam administrationis.

An minister teneatur ministrare hoc sacramentum. Quæst. 414.

SVMMA.

1 *Quomodo teneantur Pastores ministrare hoc sacramentum.*
2 *Non teneri eum probabili periculo vitæ.*
2 *Qualis debeat esse hæc probabilitas.*
3 *Probatur sententia.*
4 *Satisfit obiectionibus. num. 5. 6. & 7.*
8 *Quando infirmus non potest alia sacramenta suscipere tenentur Pastores ministrare E. V.*
9 *Quomodo non teneantur nec possint Pastores ministrare E. Vnctionem.*
10 *Prælati Regulares vt teneantur ministrare E. Vnct.*

1 CErtum est apud omnes. Quod Pastores tenentur ex institia ministrare Extremam vnctionem suis subditis. Quamuis enim hoc sacramentum non sit necessarium, nec sub graui obligatione teneatur infirmus suscipere, quia tamen eo ipso, quod suscipiunt curam animarum, se obligant ad ministranda pabula salutis, & præcipuè sacramenta, ideo tenentur, cum occasio tulerit ea ministrare. Præsertim quia infirmi habent ius ad hoc sacramentum, & ideo si Pastores non ministrarent, læderent hoc ius. Imo etiam, si non peterent, deberent admonere, & hortari vt susciperent sacramentum, quia ratione muneris assumpti tenentur habere curam animarum, atque adeò procurare salutem ipsarum mediis in hunc finem institutis. Difficultas autem est, an teneantur ministrare cum periculo vitæ.

2 Dicendum est. Pastores non teneri ministrare Extremam vnctionem cum probabili periculo vitæ. Hæc tamen probabilitas non debet esse fundata in sola suspicione periculi, sed in iudicio prudenti, & fundato, ita vt concurrant talia motiua, quæ faciant apprehendi veram existentiam periculi. Citari solent in oppositum Gabriel. Biel. *in sermone Domin. 4. post Pentecost. in quæst. de fuga pestis conclus. 4. coral. 2.* Claudius Epenceus *in Epist. 1. ad Timoth. lib. 3. Digress. cap. 19.* Io. Echius. *homil. vlt. Dom. 2. post Pascha.* Verum coeteri Doctores communiter tradunt nostram conclusionem præsertim. Maior. *in 4. dist. 7. quæst. vlt.* Nauar. *in Manuali cap. 25 num. 133.* Suar. *3. par. tom. 4. disp. 44. sect. 3. num. 10.* Ochagauia *de sacram. tract. de extrema vnct. qu. 10. num. 11. & 13.* Mercer. *de sacramen. quæst. 31. supplem. quæsito 3.* Capeauil. *de administr. sacram. temp. pest. cap. 5. de extr. vnct. quæst. 2.* ver. *Dico postremo* Præposit. *3. par. quæst. vn. de extr. vnct. dub. 6. numer. 47.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. n. 63.* Gaspar Hurtad. *de sacramen. tract. de extr. vn. difficul. 12.* ver. *Obseruandum est tertiò.* Villalob. *par. 1. summ. tract. 10. difficul. 6. numer. 7.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun.*

pun. 8. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 3. *cap.* 5. *quæst.* 5. Amicus *tom.* 8. *Cursus theologici. disp.* 19. *sect.* 13. *num.* 203. Dicastil. *de sacramen. tract.* 7. *disput.* 1. *dub.* 12. *num.* 192.

3 Ratio autem est. Quia tota obligatio, ministrandi Extremam vnctionem fundatur in officio pastoris, & in iure infirmi ad sacramentum. Ex neutro autem capite tenetur ministrare cum periculo vitæ. Non ex iure infirmi, quia hoc ius regulatur secundum mensuram iustitiæ, quæ non obligat soluere debitum quodcunque cum discrimine vitæ præsertim quando ex non solutione non oritur damnum irreparabile creditori. Rursus iustitia est subordinata charitati, & ideo cessat obligare, quando interteretur ordo charitatis. Secundum autem ordinem charitatis præferenda est vita debitoris, etiam spirituali commodo creditoris, quia licet vita sit inferioris ordinis, præponderat tamen commodo spirituali, quod non est absolute necessarium. Sed neque ratione officii tenetur ministrare cum periculo vitæ; quia quando Pastores assumunt munus non censentur se obligare ad omnia officia Pastoris cũ periculo vitæ, sed cum maiori vel minori incommodo iuxta qualitatem exigentiæ; & solum censentur obligare propriam vitam, quando salus spiritualis subditorum exigit exponi. Non exigit autem exponi ob ministrandam extremam vnctionem, nam ex eo, quod non ministretur, non periclitatur salus spiritualis, cum possit in tuto poni per sacramenta penitentiæ, & Eucharistiæ.

4 Dices. Sequeretur quod neque Pastores tenerentur cum periculo vitæ ministrare viaticum, cum non sit sacramentum necessarium ad salutem. Resp. negat. sequel. Siquidem Eucharistia in articulo mortis est magis necessaria, quàm sit Extrema vnctio. Quod ex eo patet quia iuxta communem opinionem extrema vnctio non cadit sub præcepto; ad Eucharistiam autem infirmus obligatur ex præcepto diuino; vnde cum Christus imposuerit hoc præceptum, fatendum est quod cognouerit aliquam necessitatem Eucharistiæ pro illo tempore, quam non cognouerit respectu extremæ vnctionis. Et ratio est, quia quamuis cõstitutus in articulo mortis habeat vitam spiritualem, siue per sacramentum poenitentiæ, siue aliunde, atque adeo sit in statu salutis, hic tamen status non est in tuto positus, sed est expositus insidiis, & insultibus demonis, & ideo indiget defensione, qua si careat, moraliter periclitatur: & proinde indiget Eucharistia, vt per auxilia, quæ secum trahit, defendatur. Stante autem hoc periculo amittendi statum salutis, consurgit in Pastoribus obligatio ministrandi viaticum etiam cum periculo vitæ.

5 Dices 2. Milites in bello tenentur cum periculo uitæ exequi propria munia. Ergo etiam pastores exequi proprium officium ministrandi omnia sacramenta. Resp. Neque milites teneri exponere propriam uitam nisi iuxta exigentiam administrationis belli: unde si duces uellent, eos obire munera cum periculo uitæ, quæ non essent secundum leges belli, aut imprudenter imponerentur, ut si uellent eos aggredi arcem, quando aggressio conspiceretur futura inanis, non tenerentur se exponere periculo. Quare Pastores quoque non tenentur se exponere periculo, nisi secundum leges curæ animarum; & ideo, quando non periclitantur oues quoad salutem spiritualem, non tenentur exponere propriam uitam.

6 Dices 3. Coeteri sacerdotes tenentur absque periculo ministrare Extremam unctionem. Ergo pastores tenentur cum periculo uitæ, quia ipsorum obligatio est maior. Resp. negat. conseq. Quia maior obligatio parochorum circa hoc sacramentum in eo consistit, quod sit ex officio, & quod omnibus teneantur ministrare. In coeteris autem obligatio est ex cha-

charitate; & ideo tunc solum tenentur ministrare, quando charitas exigit.

7 Dices 4. Sequeretur, quod aliquando in tota aliqua communitate nemo esset, qui teneretur ministrare hoc sacramentum: vt quando pestis ita grassatur, vt sine euidenti periculo non possit ministrare, quod tamen est absurdum. Resp. Non esse absurdum, cum id sit per accidens, nec habeat statum duraturum. Sic etiam tempore interdicti ex statuto Ecclesiæ tota aliqua communitas priuatur extrema vnctione; vnde neque est absurdum, quod ob imminẽs periculum mortis cesset pro aliquo tempore obligatio Pastorum.

8 Ex dictis colligitur contra Hurtad. *de sacramen. tract. de extr. vnct. difficul.* 12. ver. *Obseruandum est tertio.* Qui malè pro se citat Adamum Tannerum *disp.* 7. *num.* 62. nam ibi nihil de hoc puncto agit. Pastores teneri etiam cum periculo vitæ ministrare extremam vnctionem, quando infirmus non posset suscipere aliud sacramentum, vt aduertunt Præposit. Ochagauia, & alii ex citatis *num.* 2. Et ratio, est quia tunc infirmus est in graui periculo salutis, quale regulariter imminet in illo articulo, & ideo cum non possit ipsi succurrere aliis sacramentis, tenetur etiam cum periculo vitæ succurrere media Extrema vnctione. Nec obstat, quod non sit certum, quod Extrema vnctio sit ipsum ereptura à periculo, quia si sit in statu gratiæ, illa non indiget: si verò non sit, quamuis sit attritus, non tamen certum, est quod ad effectum sacramenti sufficiat attritio; & proinde sit ponendus per sacramentum in statu salutis. Nam sufficit, quod communis opinio teneat, quod sufficiat attritio, & ideo tenetur Pastor ipsi succurrere, cum pro tali casu habeat ius ad operam ipsius assistente sibi communi opinione.

9 Colligitur 2. Aliquando non solum pastores non teneri cum periculo vitæ ministrare extremám vnctionem, sed nec etiam posse, vt quando exponendo se periculo exponerẽt etiam subditos periculo carendi pastore, & sacerdote, qui ministraret poenitentiam, & Eucharistiam, quod contingere potest in terris hæreticorum, aut infidelium. Et ita etiam notat Præpositus 3. *par. quæst. vn. de extr. vnct. dub.* 6. *num.* 48. ver. *Dixi per se loquendo*. Et ratio est, quia tunc communis vtilitas, & necessitas coeterorum præponderat vtilitati priuatæ personæ; tum quia magis refert, quod coeteri habeant, qui sibi ministrent sacramenta poenitentiæ, & Eucharistiæ tanquam maioris necessitatis, quàm quod aliqui recipiant Extremam vnctionem, & ideo illud est præferendum.

10 Colligitur 3. cum Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 44. *sect.* 3. *numer.* 7. Amico *tom.* 8. *curs. theol. disp.* 19. *sect.* 12. *num.* 197. Prælatos quoque Regulares eodem modo obligari ex iustitia, quo obligantur Parochi, ministrare suis subditis extremam vnctionem. Quamuis enim non accipiant stipendium, aluntur tamen à religione, & quando suscipiunt Prælaturam tacitè consentiunt in obligationẽ annexam, & intereunit tacitus contractus inter ipsos, & subditos, quo inuicem se obligant; Prælati quidem ad ipsis exhibenda omnia munia prælatorum præsertim in spiritualibus; subditi verò ad exhibendum obsequium, & obedientiam: & ideo talis ac tanta erit ipsorum obligatio, qualis ac quãta est obligatio Parochorum.

Colligitur 4. contra Capeauil. *de administ. sacram. cap.* 5. *de extr. vn. quæst.* 7. Episcopos deficientibus coeteris non teneri ministrare Extremam vnctionem cum periculo vitæ. Quia licet sint Pastores, & ex iustitia teneantur curam habere suarum ouium, non tamen debent se exponere periculo cum maiori damno ouium, quàm vtilitate, si extremam vnctionem ministrarent. In hoc enim casu concurrit

rit vtilitas, quam ex hoc sacramento perciperet fideles, & ex alia parte cōcurrit damnum, quod perciperent ex carentia pastoris, si contingeret mori, quod longè præponderat, siquidem exponerentur periculo salutis amittendæ, quia deficeret, qui sacramenta necessaria ad salutem ministraret. Et ideo cura, quam de ouibus gerere debent pastores, præsertim Episcopi, exigit, quod in tali casu non se exponant periculo, alias potius negligerent vtilitatem animarum, quam curarent.

An tempore pestilentiæ teneatur Parochus ministrare Extremam vnctionem. Quæst. 415.

S V M M A.

1 *Status quæstionis.*
1 *Absolutè teneri qui doceant.*
2 *Oppositum qui teneant.*
3 *Non teneri imminente periculo vitæ statuitur, & probatur. num. 4.*
5 *Seclusò periculo vitæ tenentur ministrare.*
6 *Stante quocumque periculo vitæ tenentur confessiones audire, & tunc possunt ministrare E. Vnctionem.*
7 *An teneantur relinquere sacrificium vt ministrent E. Vnctionem.*

1 PRæsens quæstio est diuersa à præcedenti, siquidem, non semper tempore pestilentiæ adest periculum vitæ; aut si adest, vitari potest. Rursus etiam tunc tenetur Parochus se exponere periculo, vt saltem ministret sacramentum poenitentię. Prima ergo sententia asserit absolute, obligari Pastores ad ministrandum Extremam vnctionem. Ita Nugnus *3. par. quæst. 33. supplem. ar. 2. difficul. 2. conclus. 3.* Syluius *quæst. 32. ar. 3.* Prob. Parochus tenetur ex iustitia ministrare sacramēta suis subditis, quoties petunt. Ergo etiam tempore pestis, atque adeo Extremam vnctionem qua indigent. 2. Duces militum tenentur exponere vitam in ordinariis exigentiis militiæ, & reipublicæ. Ergo etiam duces spirituales in ordinariis indigentiis sui populi.

2 Secunda sententia asserit, tunc solum Parochos teneri ministrare, quando id possunt, sine morali periculo vitæ, debent tamen adhibere remedia congrua pro vitando periculo. Ita Suarez *3. par. tom. 4. disp. 44. sect. 3. numer. 20.* Filliuc. *tract. 3. capit. 5. quæst. 5.* Mercer. *de sacram. quæst. 31. supplem. quæsito 3.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 4. cap. 3. numer. 51.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 10. difficul. 6. num. 7.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 63.* Amicus *tom. 8. cur. theol. disp. 19. sect. 13. num. 203.* Capeauil. *de administr. sacramen. cap. 5. de extr. vnct. quæst. 2.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 27. disp. vn. pun. 8. num. 5.* Posseuin. *de offic. curati cap. 8. num. 36.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 77.* Philiar. *tom. 1. lib. 4. de offic. sacer. cap. 3.* ver. *Dico tertio.* Benzon. *lib. 1. speculi Episcop. disp. 1. quæst. 1. conclus. 6.* ver. *Dico tertio.* Marchin. *de peste. par. 3. cap. 2. numer. 4.* Dicastil. *de sacramen. tract. 7. disp. 1. dub. 12. num. 193.*

3 Dicendum est. Pastores tempore pestilentiæ non teneri ministrare Extremam vnctionem, quando periculum vitæ imminet, ita tamen, vt non sit fundatum in sola suspicione, aut timore, sed in probabili iudicio. Ratio autem est, quia licet pastores suscipientes curam animarum obligent etiam propriam vitam pro ipsarum salute, ita ut, quando opus est, teneantur illam exponere: non obligantur tamen exponere, nisi quando non exposita periclitaretur salus; siquidem se obligant quidem ad curandam

dam salutem spiritualem ouium sibi commissarum, exponendo etiam uitam propriam, sed quando necessitas id exigit. Si autem salus animarum non periclitatur, non adest necessitas exponendi uitam; si enim salus est extra periculum, nulla ex parte ipsius consurgit indigentia, quod uita exponatur. Ex eo autem quod Extrema unctio non ministretur, non periclitatur salus, cum possit in tuto poni per sacramentum pœnitentiæ, & multò magis, si ministretur etiam Eucharistia, quæ est antidotum præseruatiuum, ut habet Concil. Trident. *sess. 13. cap. 2. de Euchari.*

4 Et hoc tenendum est contra Marchin. *par. 3. de peste. cap. 2. n. 18.* etiam si adsit magna sacerdotum copia, ita ut facile morientibus alii substitui possint. Nam obligatio parochorum nascitur ex officio, & ex indigentia subditorum. Quod autem adsit copia sacerdotum, & facile morientibus alii substitui possint, est quid extrinsecum, nec auget indigentiam subditorum, atque adeo nec obligationem. Si ergo seclusa copia sacerdotum non tenentur ministrare cum periculo uitæ, nec etiam tenebuntur stante copia sacerdotum.

5 Secluso tamen periculo, ut quando pestilentia est parum contagiosa, & quando commodè uitari potest periculum, tenentur ministrare, ut docent etiam Doctores pro posteriori sententia citati. Tunc enim cessat causa excusans, & subintrat obligatio officii. Periculum autem uitari potest, adhibitis congruis remediis præseruatiuis, & iubendo, quod infirmus deferatur in locum, ubi aer purus sit, & præcipuè accendendo ignem prope infirmum, siquidem ignis maxime omnium purgat aerem, & dissipat pestilentiales athomos, qui egrediuntur è corpore infecto, & coeteros inficiunt.

6 Verum quia stante quocunque periculo tenentur Pastores ministrare saltem sacramentum poenitentiæ, poterunt eo ministrato ministrare etiam Extremam unctionem, aut statim post ministratum uiaticum. Cum enim quis tactus est pestilentia, præsertim quando grassatur, est in periculo mortis, & consequenter in statu capaci huius sacramenti. Et quamuis Extrema unctio soleat ministrari post viaticum, antiquitus tamen ministrabatur ante ipsum vt ministrata fuit. S. Stephano Vngarorum Regi apud Surium *tom. 4. sub die 20. Augusti.* Sanct. Guillelmo Archiepiscopo Bituricensi, *apud eumdem Surium tom. 1. sub die 10. Ianuarii*, S. Otthoni Banbenbergensi Episcopo apud Eumdem *tom. 4. sub die 2. Iulii*, & plura alia exempla apud ipsum inueniuntur Extremæ vnctionis præmissæ viatico. Vnde ex rationabili causa poterit etiam modo præmitti. Quo stante, quia periculum fere nihil videtur crescere ex illa breui mora, quæ interueniret in ministranda extrema vnctione, præsertim si ministraretur sub vnica forma, & vnico contextu vnctionum, videtur cessare causa excusans à ministratione.

7 An autem Pastores possint, aut etiam teneantur relinquere sacrificiũ missæ incoeptum, vt ministrent Extremam vnctionem, quando periculum est in mora. *Resp.* Nec teneri, nec posse relinquere, vt docet etiam Capeauil. *de administr. sacram. temp. pest. cap. 5. de extr. vnct. quæstion. 4.* Et ratio est: Quia sacerdos est in actuali seruitio Dei; & sacrificium est in possessione, vndè exigit perfici. E contra vero Extrema vnctio non est debita infirmo, nisi ratione officii pastoralis, non autem, vt supponitur, ratione alicuius periculi spiritualis. Ergo debet præualere exigentia sacrificii, & seruitium Dei incoeptum, ne interpoletur. Si tamen non posset recipere infirmus aliud sacramentum, quia præsumeretur esse saltem in aliquo periculo quòad salutem spiritualem, ideo esset ipsi succurrendum, & intermittenda missa, vt ministraretur

tur extrema vnctio, quia si esset attritus per illam saluaretur,& aliàs damnaretur, si esset in mortali.

An cæteri sacerdotes teneantur ministrare Extremam vnctionem. Quæst. 416.

S V M M A.

1 *Sacerdotes non curati non tenentur ex iustitia ministrare Ex. Vnctionem.num. 2.*
3 *Tenentur in absentia, & defectu Parochi, si infirmus nullum sacramentum suscepit.*
4 *Nunquam tenentur cum periculo vitæ.*
5 *Obiectiones soluuntur: num. 6.*
7 *Sacerdotes non curati non tenentur tempore pestis ministrare E. Vnctionem ex charitate.*

1 CVm non pertineat ad sacerdotes, qui non habent curam animarum, ministrare Extremam vnctionem ex officio, certum est, non teneri ministrare ex iustitia, sed solum posse teneri ex charitate: vnde tota hæc difficultas resoluenda est iuxta regulas charitatis obligantis ad succurrendum proximo.

2 Dicendum 1. Non teneri in defectum Parochi, aut in absentia sub mortali ministrare Extremam vnctionem. Ita communiter Doctores, præsertim Palud. *in 4. dist.* 23. *quæstion.* 1. *ar.* 2. *conclus.* 2. Coninch *de sacram. disp.* 19. *dub.* 10. *conclus.* 3. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 7. *n.* 3. Capeauil. *de administrat. sacrament. temp. pest. cap.* 5. *de extr. vnct. quæst.* 5. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disput. un. pun.* 8. *num.* 6. Ratio est. Quia charitas non obligat sub mortali ad subueniendum proximo, nisi quando est in graui necessitate. Non est autem quisquam in graui necessitate quoad Extremam vnctionem, quia licet sit valde vtilis, non est tamen necessaria, ita vt reddat grauiter indigentem in ordine ad salutem spiritualem. Si tamen sine graui incommodo ministrare posset, & non ministraret, peccaret venialiter contra charitatem.

3 Dicendum 2. Quando infirmus nullum aliud sacramentum suscepit, tunc quilibet sacerdos in absentia proprii sacerdotis, aut eo deficiente, tenetur sub mortali ministrare Extremam vnctionem, etiam cum graui incommodo. Ita Doctores citati *num. præced.* Ratio est, quia eo ipso, quod non suscepit, nec potest suscipere aliud sacramentum, præsumitur esse in graui necessitate; tum quia destituitur omni auxilio sacramẽtorum; tum quia etiam si sit in statu gratiæ, impetitur tamen tentationibus, & insultibus demonis, & proinde contra extraordinariam indigentiam non habet, nisi ordinaria auxilia iustorum; tum quia fieri posset, quod sit in statu peccati mortalis, & sit tantum attritus, & proinde saluetur cum hoc sacramento, aliàs damnandus.

4 Dicendum 3. Ordinarios sacerdotes nunquam teneri cum periculo vitæ ministrare extremam vnctionem. Prob. charitas non obligat ad exponendam propriam vitam pro salute spirituali proximi, in graui necessitate ipsius, sed solum stante extrema necessitate, cui aliter obuiari non possit. Nemo autem adultus est in tali necessitate, ita vt per solam Extremam vnctionem obuiari possit, siquidem potest sibi consulere, & ponere in tuto propriam salutem per actum contritionis.

5 Dices. Fieri posse, quod amiserit vsum rationis, & sit in peccato mortali, & habuerit solum attritionem, tunc autem periclitatur salus, & solum per Extremam vnctionem obuiari potest, cum non possit alia sacramenta recipere, nec elicere actum contritionis vtpote destitutus

vſu rationis. Contra. Vt charitas obliget ad exponendam vitam pro ſalute ſpirituali proximi, non ſolum debet ipſe eſſe in extrema neceſſitate cui aliter obuiari non poſſit, ſed etiam debet huiuſmodi neceſſitas, vt talis, innoteſcere, quia obligatio non conſurgit apud ignorantes neceſſitatem. Hæc autem neceſſitas in præſenti caſu non innoteſcit, quia neſcit ſacerdos, an elicuerit actum contritionis, antequam amitteret vſum rationis; & quamuis poſſit ſuſpicari, quod non elicuerit, non eſt tamen hoc illi certum; vt autem extrema neceſſitas ſpiritualis obliget ad exponendam vitam, debet eſſe certa.

6 Inſtabis. Ergo neque in graui neceſſitate tenebitur miniſtrare Extremam vnctionem, quia talis neceſſitas non certò innoteſcit, cum poſſit præſumi ſimiliter, quod elicuerit actum contritionis. Reſp. neg. ſequel. Quia præſuppoſito, quod elicuerit actum contritionis, grauis neceſſitas aliunde habetur, vt conſtat ex dictis *num.* 3. & tanquam grauis eſt moraliter certa; quia ſecluſo priuilegio ſpeciali ſemper vrget in articulo mortis. Deinde cum grauis neceſſitas non obliget ad exponendam vitam, ſed tantum ad aliquod incommodum, non eſt neceſſarium, quod ita certò innoteſcat, ſed ſufficit minor certitudo.

7 Ex dictis colligitur. Sacerdotes, ad quos non ſpectat cura animarum, non teneri tempore peſtilentiæ ratione charitatis miniſtrare Extremam vnctionem. Et ratio eſt; quia ſi peſtilentia ita graſſatur, vt non poſſit miniſtrari ſine periculo vitæ, non tenentur ſe exponere periculo, quia peſte infecti non ſunt in extrema neceſſitate. Si verò non valde graſſatur, adhuc cum ſit morbus contagioſus miniſtratio habebit annexum aliquod periculum, & ideo miniſtratio non erit omnino tuta: & cum poſſit infirmo ſuccurri per alia ſacramenta, non erit in graui neceſſitate, & ideo neque adhuc locum habebit obligatio charitatis.

An parochi poſſint in quocunque tempore miniſtrare extremam vnctionem. Quæſt. 417.

S V M M A.

1 *Tempore interdicti Generalis non licet miniſtrare E: Vnctionem.*
2 *Prohibitio extenditur etiam ad Clericos, Religioſos, & quomodo. num. 4.*
3 *Conceſſis Diuinis officijs non conceditur miniſtratio extremæ vnctionis.*
4 *Obiectio reſoluitur.*
5 *Extenditur prohibitio ad ceſſationem a Diuinis.*
6 *Miniſtrans extremam vnctionem tempore interdicti peccat, & fit irregularis.*

1 NOn eſſe licitum tempore interdicti Generalis miniſtrare Extremam vnctionem, conſtans eſt, & certa doctrina. Ita enim habetur *ex cap. Non eſt vobis. de ſponſalib.* & cap. *Quod in te. de poenit. & remiſ.* & tradunt communiter Doctores *Palud. in 4. diſt. 18. quæſt. 8. art. 2. concluſ.* 5. Angelus *verbo. Interdictum.6. num.* 25. Tabiena verbo. *Interdictum* 5. *n.* 10. D. Antonin. *par. 3. tit. 27. cap. 4.* §. 1 Ledeſma 2. *par. 4. quæſt. 26. art. 2. vbi de interdict.* ver. *Sed quæres* Summa Corona *Tit. de Interdict. num.* 9. Nauar. *cap. 27. Manual. numer.* 179. Philiarc. *de offic. ſacerd. lib. 4. cap.* 3. Henriquez *lib. 13. de excom. capit.* 45. *num.* 4. Vgolin. *de cenſur. tab. 5. cap.* §. 1. Zabmran. *in ſuis deciſ. cap. 5. de extr. vnct. dub. 7. numer.* 1. Suarez *de cenſur. diſp. 39. ſect. 2.* Sayr. *lib. 5. de cenſur. cap. 7. numer.* 29. Victorel. *de extrem. vnct. Tit. An aliquando.* ver. Ge-

Generalis quoque Viuald. *in candelab. Tit. de interdict. num.* 210. Rodriquez *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 109. *art.* 3. Auila *de censur. par.* 5. *disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 7. Reginal. *lib.* 32. *praxis fori pœnit. tract.* 3. *num.* 27. Miranda *tom.* 2. Manul. *quæst.* 37. *art.* 8. *conclus.* 3. Aucharan. *in cap. Alma mater. numer. num.* 12. *de sentent. excommunicat. in* 6. Couaruu. *in idem. cap. par.* 2. §. 2. *num.* 7. vbi citat alios Canonistas. Et ratio desumitur ex dicto cap. *Quod in te*, Quia nimirum non est sacramentum necessitatis, & ideo in pœnam subtrahi potest.

2 Hæc autem prohibitio tanquam vniuersalis extenditur etiam ad Clericos. Quia, licet ipsis concedatur ecclesiastica sepultura, quando interdictum seruauerint ex dicto cap. *Quod in te. de pœnit. & remis.* non tamen reperitur concessa Extrema vnctio, neque ex concessione vnius inferri potest concessio alterius, cum ex diuersis non fiat illatio *l. Naturalem.* §. *Nihilo minus. ff. de acquiren. posses.* Et ita notant communiter Doctores *Panorm. in capit. Quod in te. num.* 9. *de pœnit. & remis.* Syluester. *verbo Interdictum.* 5. *n.* 8. ver. *Septimò quæritur.* Couaruu. *in cap. Alma mater. part.* 2. §. 5. *num.* 6. ver. *Decimò.* & alii *num. præced.* citati.

3 Eadem autem est ratio etiam quoad religiosos, vt notant Doctores citati, quia cum prohibito generalis sit comprehendit omnes, quos afficit interdictum, nisi specialiter excipiantur: nullibi autem religiosi inueniuntur excepti. Et proinde non est audiendus Paludan. *in* 4. *dist.* 18. *quæstoin.* 8. *art.* 2. oppositum docentis. cum nullum habeat fundamẽtum. Henriquez tamen *lib.* 13. *de excom. cap.* 45. §. 4. putat, religiosos habere priuilegium recipiendi tempore interdicti Extremam vnctionem, & citat Compendium Minorum. *verbo Vnctio.* §. 1. Capucin. *in Ad not. ad priuileg. Mendicant. ad verbum* Interdictum. ver. *Octauò.* Tabiena *verbo Interdictum.* 5. *n.* 10.

4 Et quidem in Compendio priuileg. Mendicant. habentur nonnulla priuilegia hoc concernentia quæ referuntur *verbo. Interdictum.* 1. nam vt refertur §. 2. Clemens IV. concessit Minoribus, quod si non dederunt causam interdicto, & nisi eorum Ecclesiæ, seu Oratoria sint specialiter interdicta, possint recipere Ecclesiastica sacramenta, & Nicolaus IV. iisdem concessit, vt habetur §. 4. expressè quod possint recipere Extremam vnctionem stante quacunque prohibitione, nisi de hoc indulto fiat specialis mentio, & ipsi derogetur. Leo X. vt habetur *verbo. Interdictum* 2. §. 11. concessit Monachis S. Benedicti, Monialibus, Conuersis, Nouitiis, Seruitoribus, vt tempore interdicti, & cessationis à diuinis possint recipere Eucharistiam, & alia Ecclesiastica sacramenta. Rursus, vt refertur verbo. *Interdictum.* 3. *num.* 2. Clemens IV. concessit Fratribus Minoribus, quod interdicti tempore possint ministrare cuncta Ecclesiastica sacramenta iis, qui in eorum morantur obsequiis, & in suis cœmeteriis sepelire. Eugenius IV. vt refertur *ibid.* §. 11. concessit Monachis S. Benedicti Congregationis Hispaniæ, vt Oblatis, Donatis, Commissis, quibuscunque familiaribus, Officialibus, & seruitoribus, ministrare possint Eucharistiam, & alia Ecclesiastica sacramenta; & eorum corpora tumulare, si non dederint causam interdicto. Stantibus ergo huiusmodi priuilegiis, poterant religiosi, & coeteri priuilegiati recipere Extremam vnctionem; siquidem per communicationem facta sunt propria cuiusque religionis, quæ in aliarum priuilegiis communicat. Neque huiusmodi priuilegia reuocata sunt per Concil. Trident. vt notat Capucin. *in suis adnot. ad priuil. Mendicant. post. verbum Interdictum.* ver. *Sed aliis Doctoribus.*

5 Et quamuis in aliquibus festiuitatibus iuxta c. Alma mater, aut ob alia priuilegia, concedantur officia diui-

uina, non tamen per hoc censetur concessa ministratio Extremæ vnctionis, vt tradunt Couarruu. *in cap. Alma mater. par.* 2. §. 5. *num.* 6. ver. *Decimò*. Vgolin. *de censu.* Tab. 5. *capit.* 8. §. 11. Viual. *in candel. tit. de interdic. num.* 153. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 7. *num.* 33. Suarez *de censur. disp.* 39. *sect.* 2. Victorel. *de extr. vnct. Tit. An possit vigente interdicto, &c.* Neque enim interdictum suspenditur pro illis diebus quoad omnes effectus, sed tantum quoad effectum celebrationis diuinorum officiorum quibus concessis non conceduntur sacramenta, cum sint quid diuersum. Vnde reiiciendi sunt Federic. de Senis *consil.* 111. Syluester *verbo interdictum.* 5. *numer.* 3. oppositum sentientes. Quia licet agatur de priuilegio cõtinente publicum fauorem, & proinde ampliandum sit; non tamen potest extendi vltra verborum significationem *l. Non aliter. ff. de leg.* 3. & *l. Prospexit. ff. Qui & à quibus.* & cap. *Ex tuarum. de auct. & vsu pal.* & notant Tiraquel. *in leg. Si vnquam. verbo. Libertis. numer.* 45. *C. de reuocand. donat.* alios citans Suarez *lib.* 6. *de legib.* 1. *num.* 7. Salas *de legib. disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 4. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 11. *ar.* 6. ver. *Tertia regula.*

6 Dices. Tempore interdicti conceditur viaticum; ergo debet etiam concedi Extrema vnctio. Resp. neg. neg. conseq. quia ius illud concedit, hanc autem denegat. Et quamuis posset assignari pro ratione voluntas statuentis, attamen adhuc adest ratio; nam in ministratione Extremæ vnctionis conficitur sacramentum: non autem in ministratione Eucharistiæ, cum supponatur iam factũ, & ita notat Panorm. in cap. *Quod in te. de poenit. & remiss.* Rursus viaticum est magis necessarium, quàm Extrema vnctio, siquidem est antidotum præseruatiuum, quo sublato moribundus destitueretur omni auxilio contra extraordinarios insultus demonis, nam haberet ea sola auxilia ordinaria iustorum.

7 Quod autem dictum est de prohibitione ministrationis Extremæ vnctionis tempore interdicti extendit etiam Vniuersitas Salmaticensis *in quibusdam suis decretis anno* 1556. quæ refereuntur à Medina *lib.* 1. *instruct. cap.* 11. §. 14. ad tempus cessationis à diuinis. Et ita etiam docent Suarez *de censur. disp.* 39. *sect.* 2. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 19. *nu.* 10. Cum enim in cessatione à diuinis prohibeatur ministratio sacramentorum, consequenter etiam remanet prohibita ministratio Extremæ vnctionis.

8 Ex dictis sequitur. Sacerdotem, qui tẽpore interdicti ministraret Extremam vnctionem, non solum peccaturum mortaliter, quia in re graui faceret contra prohibitionem Ecclesiæ, sed etiam contracturum irregularitatem, vt notant etiam Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 12. *num.* 21. *alios citas.* Maiol. *lib.* 3. *de irregularit. capit.* 20. Suarez *de censur. disp.* 34. *sect.* 4. iuxta regulam generalem, quod violator interdicti fit irregularis. Exercens autem actum prohibitum violat interdictum. Quod debet intelligi, nisi interueniat ignorantia, aut alia causa excusans, vt tradunt Doctores in materia de censuris.

An tempore interdicti ministrari possit Extrema vnctio, quando infirmus non potest recipere aliud sacramentum. Quæst. 418.

S V M M A.

1 *Sententia affirmatiua stabilitur.*
2 *Probatur. num.* 3.
4 *An in tali casu teneantur Curati.*

1 Dicendum est. Extremam vnctionem ministrari posse tẽpo-

pore interdicti, quando infirmus non potest recipere aliud sacramentum. Ita Henriquez *lib. 3. summ. cap. 10. numer. 3. Littera F.* Zambran. *in decis. capit. 5. de Extr. vnct. dub. 7. num. 5.* Capeauil. *de administr. sacram. temp. pest. cap. 5. de Extr. vnct. quæst. 3. ver. Excusantur.* Trullench *in Bul. Cruciatæ. lib. 1. §. 3. dub. 7. num. 2.*

2 Ratio autem est. Quia in tali casu Extrema vnctio fit necessaria non minus, quàm sit sacramentum pœnitentiæ; siquidem si infirmus sit in statu peccati fieri potest quod saluetur per extremã vnctionẽ, sicut saluaretur per sacramentũ pœnitentiæ, & sine Extra vnctione non saluetur. Ergo cum Ecclesia concedat tempore interdicti sacramentum pœnitentiæ ex eo, quod est necessarium ad salutem, imo etiam viaticum, quod est minus necessarium, quàm sit in tali casu Extrema vnctio, in cap. *Alma mater. §. Quia verò. de sentent. excommunicat. in 6.* eadem ratione debet concedere etiam in tali casu Extremam vnctionem cum dispositio Ecclesiæ secundum rationem reguletur, & ratio exigat concedi non minus vnum, quàm alterum.

3 Præterea. Quamuis Ecclesia expressè disposuerit de pœnitentia, & viatico, non autem de Extrema vnctione, adhuc tamen stante benigna voluntate Ecclesiæ, quàm in sua dispositione declarat, censetur disposuisse etiam de Extrema vnctione pro tali casu. Siquidem, si hoc non vellet, haberet voluntatem contrariam voluntati, à qua sua dispositio processit, nam haberet volutatem potius auersam à salute suorum fidelium, quam illam desiderantem. Ergo cum hæc voluntas repugnet pietati ipsius, & charitati, quam erga fideles ostendit, censenda est tacite disposuisse etiam de Extrema vnctione pro tali casu, & quod interrogata ita responderet, & proinde id habendum est pro tacitè disposito. *l. Tale pactum. §. Qui prouocauit. ff. de pactis*, vbi Glos. & coeteri Doctores. Dec. *consil. 407. numer. 7. ver. Secundò in verbis.* Menoch. *consil. 14. num. 10.* Socin. *iun. consil. 78. num. 30 lib. 3.* Bart. *in leg. Titius. §. Lucius. ff. de lib. & Posth.*

4 An autem teneantur habentes curam animarum ministrare in tali casu Extremam vnctionem, affirmatiuè resoluendum est cum Zambrano *in decis. cap. 5. de extr. vnct. dub. 7. nu. 5.* Quia cum iam fiat licita Extrema vnctio, subintrat ius infirmi ad ipsam, & consequenter etiam obligatio Parochorum ad ministrandam, præsertim quia speciali modo sit necessaria, & consequenter etiam speciali modo debita. Nec potest obstare scandalum, cum facilè obuiari possit, si declaretur, tunc posse ministrari Extremam vctionem, quia cum non possit infirmus recipere alia sacramenta, casus non comprehenditur sub prohibitione.

An habentibus Bullam Cruciatæ possit interdicti tempore ministrari Extrema vnctio. *Quæst. 419.*

S V M M A:

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Fundatur in Priuilegio Bullæ.*
3 *An in tali casu possint recitari peces consueta.*
4 *Sententia non habet locum in cessatione à Diuinis.*

---

1 Dicendum est. Extremam vnctionem posse interdicti tempore ministrari habentibus Bullam Cruciatæ. Ita Henriquez *lib. 7. sum. cap. 13. num. 4.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ. §. 5. numer.*

mur. 8. Zambran. *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 7. *num.* 2. Ludouic. à Cruce *in Bul. Cruc. disp.* 1. *capit.* 5. *dub.* 5. *numer.* 2. Trullench *in eam* *Bul. lib.* 1. §. 3. *dub.* 7 *num.* 3. Bardus *par.* 2. *cap.* 4. *sect.* 3. *numer.* 21. Et communiter scribentes *in Bul. Cruciatæ*. Quod debet intelligi quoad eos, qui causam interdicto non dederint, aut per eos non steterit, quin tolleretur.

2 Hoc autem fundatur in priuilegio dictæ Bullæ, per quod conceditur, quod interdicti etiam Apostolici tempore possint *Eucharistiam*, & alia Ecclesiastica sacramenta, præter quam in die Paschatis recipere, & eorum decedentium corpora, etiam cum moderata funerali pompa Ecclesiasticæ sepulturæ tradi possint. Cum enim per hoc priuilegium concedatur posse recipere Eucharistiam, & alia sacramenta, concessio debet intelligi de coeteris sacramentis, quæ prohibentur ministrari, & proinde etiam de Extrema vnctione cum sit vnum de prohibitis ministrari. Præsertim quia dictio Alia appellat sacramenta similia in qualitate, hoc est in prohibitione per *leg. Fin.* §. *Cui dubia. ff. de vino trit. ole. leg.* & notant Ruin. *consil.* 181. *num.* 2. *vol.* 2. Cephal. *consil.* 13. *num.* 11. *vol.* 1. Osascus *decis. Pedemon.* 52. *num.* 123. Mandos *in Reg.* 11. *Cancel. quæst.* 6 *numer.* 2. Roman. *consil.* 485. *num.* 5. Rursus cum priuilegium præter Eucharistiam concedat alia sacramenta in numero plurali, assignanda sunt ex prohibitis ministrari plura sacramenta supra Eucharistiam, cum ergo tempore interdicti non prohibeantur baptismus, nec pœnitentia, nec confirmatio, nec matrimonium, seclusis solemnitatibus benedictionis, remanent tantum Extrema vnctio, & Ordo ad constituendum pluralem numerum sacramentorum concessorum supra Eucharistiam.

3 An autem in ministranda extrema vnctione tempore interdicti recitari possint consuetæ praces, concludendum affirmatiuè cum Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 13. *num.* 4. *littera* Q, Zambrano *in suis decis. cap.* 5. *de extr. vnct. dub.* 7. *num.* 4. Quia concessa ministratione sacramenti conceduntur etiam ritus, cum quibus Ecclesia præscribit ministrari, siquidem ritus veniunt in consequentiam ad sacramentum, & sunt quid ipsi accessorium, & proinde trahuntur ab ipso, vt concessi censeantur, quando ipsum conceditur.

4 Est tamen aduertendum. Quod hæc non habent locum in cessatione à diuinis, qua stante non poterunt habentes Bullam Cruciatæ in articulo mortis recipere Extremam vnctionē, vt notant Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 13, *num.* 4. *in fine*. Gomez *in Bullam Cruciatæ clausula* 6. *num.* 49. & in simili Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 2. §. 4. *nu.* 7. ver. *Nec tamen*. Nauar. *in Manuali. cap.* 27. *num.* 129. Quia Bulla Cruciatæ mentionem facit de solo interdicto: vnde cum agatur de priuilegio, non potest extendi ad casum non expressum iuxta *cap. Porrò.* & *cap. Sanè. de priuileg.*

Quæ dispositio sit necessaria in ministro Extremæ vnctionis. Quæst. 420.

S V M M A.

1 *Minister debet esse liber à quocunque Canonico impedimento.*
2 *Debet etiam esse constitutus in statu gratiæ.*
2 *Vt excusetur à peccato si ministret non constitutus in gratia.*
2 *An plures vngens plura peccata committat.*
3 *Sententia negans.*

Sen-

4 Sententia affirmans?
5 Stabilitur, & probatur.

1 MInistrum Extremæ vnctionis debere esse liberum à quocunque canóico impedimento, certum omnino est, alioquin ministrando peccaret: an autem aliquando possit canonicè impeditus ministrare, explicatum est in superioribus. Rursus debere etiam constitutum esse in statu gratiæ vt dignè ministret, aliàs peccaturum, constat ex doctrina certa de sacramentis in genere, quæ exigunt sanctè tractari, atque adeo à ministro per gratiam sanctificato. Neque excusari potest, si in statu peccati mortalis existens ministret, quia ex improuiso vocetur, & debeat celeriter accurrere, vt notant Suarez *3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 2. numer. 5.* Palaus *par. 4. oper. moral. tract. 26. vn. pun. 8. numer. 7.* Nam potest se ritè disponere per actum contritionis, pro quo eliciendo sufficit temporis momentum; & quando experiretur aliquam difficultatem, posset cum Dei auxilio, dum pergit ad vngendum infirmum, illam superare.

2 Verum quia contingere potest, quod dum curat celeriter perficere suum officium non aduertat ad obligationem se disponendi, nec ad statum, in quo reperitur, tunc ratione inaduertentiæ excusabitur à peccato, siquidem licet ministratio sacramenti sit indigna materialiter, quatenus est a ministro indigno, non est tamen indigna formaliter; quia, cum non aduertat ad malitiam actionis, neque etiam est ipsi voluntaria, & proinde neque imputabilis. Difficultas autem est, an si pluribus successiuè ministret in peccato Extremam vnctionem, committat vnum, an vero multiplex peccatum.

3 Prima sententia asserit, committere vnicum peccatum. Ita loquentes de sacramento pœnitentiæ Pasqualig. Rodriquez *in sum. tom. 2. capit. 44. numer. 23.* Facundez *præcep. 2. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 9.* Philip. à Cr. ce *tr. 2.* Norte *de confessor. tract. 1. §. 7.* & probabile putat Diana *par. 1. trac. 7. resol. 43. & par. 3. resol. 7. ver. In resol. 43. & par. 5. tract. 7. resol. 7. ver. Dixerunt etiam.* Fundamentũ est. Quia omnes illæ ministrationes reputantur moraliter pro vnico actu.

4 Secunda tamen sententia asserit esse tot peccata, quot sunt sacramenta. Ita Bonac. *disp. 5. de sacram. quæst. 5. sect. 2. §. 3. difficul. 2. num. 7.* Homobon. *part. 1. Examin. Eccles. tract. 5. cap. 13. quæst 82.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 22. sect. 5. numer. 55.* Azor. *part. 1. lib. 4. capit. 4. quæstion. 6.*

5 Dicendum est. Committere tot peccata, quot infirmos vngit. Ratio est. Quia sunt tot sacramenta indignè ministrata, atque adeo tot actiones sacrilegæ æquè primo per se exercitæ, ita vt vna non habeat connexionem cum altera, neque vna pertineat ad alteram. Ergo cum non adsit, in quo connectantur, præterquàm in materiali continuatione temporis, non possunt haberi pro vno, & eodem actu moraliter, nàm ad vnitatem moralem requiritur aliquid ex parte actuum supra continuationem, & extrinsecam temporis materialem alioquin omnia peccata, quæ habent continuationem temporis essent vnũ peccatum. Confir. Siquis continuò successiuè fornicaretur cum eadem foemina committeret plura peccata, sicut etiam qui pluries successiuè actus odii erga proximum exerceret, qui pluries successiue furaretur, non alia ratione, nisi quia singuli hi actus habent suam propriam malitiam fornicationis, odii, & furti. Sed etiam singulæ ministrationes sacramenti habent suam propriam malitiam sacrilegii seorsim ab aliis, & singula sacramenta irreuerenter tractantur. Ergo erunt eodem modo plura peccata.

Fffff An

An minister incurrat irregularitatem, si infirmus moriatur, dum eum iubet reuolui.

Quæst. 421.

S V M M A.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Et probatur.*
3 *Hæc irregularitas nequit esse ex defectu neque ex delicto.*

1 Dicendum est. Ministrantem Extremam vnctionem nequaquam fieri irregularem, si contingat infirmum mori, dum eum iubet reuolui ad effectum vngendi. Ita Sotus, *lib.* 5. *de iust. & iure. quæst.* 1. *ar.* 9. Posseuin. *de offic. curati. capit.* 9. *num.* 17. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 4. *num.* 10. Dicastil. *de sacramen. tract.* 7. *disput.* 1. *dub.* 12. *num.* 199.

2 Ratio autem est. Quia ex nullo iure colligitur huiusmodi irregularitas, & ideo non potest dici, quod contrahatur; siquidem irregularitas non est asserenda, nisi ex aliquo iure deducatur cap. *Is, qui. de sentent. excommunicat. in* 6.

3 Accedit etiam. Quod ista irregularitas non potest esse ex defectu lenitatis, quia hæc concerint tantum personas concurrentes ad actus iudiciales in causa sanguinis, vt cum pluribus ostendi *in quæst. can. quæst.* 395. *num.* 4. *centur.* 4. Vnde solum posset habere locum irregularitas ex delicto; quæ tamen etiam excluditur, quia hic nullum interuenit delictum, aut ad summum posset interuenire veniale, quod tamen non sufficit pro contrahenda irregularitate, quæ, vt communiter docent Sotus *lib.* 4. *de iust. & iure. quæst.* 1. *artic.* 1. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 249. Salon. *de iust. & iure quæst.* 64. *ar.* 8. *controuer.* 4. *circa finem.* Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 19. Henriquez *lib.* 14. *sum. cap.* 3. Coninch *disput.* 18. *de censur. dub.* 4. *numer.* 27. Suarez *disput.* 40. *de censur. sect.* 3. *numer.* 19. requirit peccatum mortale. Cum enim sit pœna grauis, requirit etiam proportionatum delictum, vt imponi possit cap. *Felici. de pœnit. in* 6.

De effectibus Extremæ vnctionis

Duplex effectus sacramenti Extremæ vnctionis assignatur: spiritualis, qui diuersimode à Doctoribus explicatur, & corporeus, qui est sanitas corporalis. Quod spectat ad spiritualem certum est, habere pro effectu gratiam sanctificantem, siue consistat in augmento, ad quod per se primò ordinatur, siue in prima gratia, quam potest per accidens causare; hic enim effectus est communis omnibus sacramentis nouæ legis; vnde Concil. Trident. sess. 14. can. 2. de Extrema vnctione damnat dicentes, Extremam vnctionem non causare gratiam. Verum de hoc non est difficultas, sed de effectu proprio huius sacramenti.

Quinam sit effectus proprius spiritualis Extremæ vnctionis.

Quæst. 422.

S V M M A.

1 *Tres effectus sacramenti Extremæ Vnctionis.*

De-

2 *Declaratio Concilij Tridentini.*
3 *Proprius, & adæquatus effectus spiritualis est sanitas spiritualis animæ.*
4 *Probatur. num. 5.*
6 *Remissio, pœnæ vt pertineat ad spiritualem sanitatem.*

---

1 Effectum huius sacramenti explicat in primis D. Iacob. Apostolus *cap. 5. suæ Epistolæ*, dum inquit; *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quibus tres effectus habemus, nempe salutem, quam Doctores videntur intelligere de corporali, cum tamen melius accipiatur de spirituali; siquidem ponit hunc effectum absolutè, & tamen sanitas corporis non semper, & absolutè causatur, sed solum aliquando, & si saluti animæ expedierit, vt habet Concil. Trident. mox citandum. Secundus est spiritualis alleuiatio infirmi, dum inquit *Alleuabit eum Dominus*, quod ab omnibus accipitur de spirituali alleuiatione. Tertius est remissio peccatorum, dum inquit: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

2 Magis explicitè loquitur Concilium Tridentinum. *sess. 14. cap. 2. de extrem. vnction.* inquiens *effectus huius sacramenti illis verbis explicantur. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est spiritus sancti, cuius vnctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando; qua infirmus sublenatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Ex quibus constat, Concilium explicare effectus assignatos, à D. Iacobo, & declarare, in quo consistant.

3 Dicendum est. Proprium & adæquatum effectum spiritualem huius sacramenti esse sanitatem spiritualem, animæ. Desumitur ex Concil. Cabilonensi. II. sub Leone III. *cap. 48. in fine.* vbi habet. *Non est itaque paruipendenda huiusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.* Ex & Concil. Florenr. *in Decreto fidei pro Armenis. §. Quintum sacramentum.* ibi. *Effectus verò est mentis sanatio, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.*

4 Prob. Effectus omnes spirituales, qui assignantur à Iacobo Apostolo, & explicantur à Concilio Triden. continentur sub sanitate spirituali. Ergo sanitas spiritualis est adæquatus effectus, siquidem adæquatus effectus est ille, qui adæquat omnes partiales effectus, & in se continet. Anteced. prob. Nam D. Iacobus, vt dictum est, assignat saluationem, alleuiationem, & remissionem peccatorum. Saluatio autem, si intelligatur de spirituali, pertinet ad sanitatem spiritualem, nam sanitas integrat vires, & restituit ad pristinam salutem. Alleuiatio autem, cum consistat in erectione, & corrobaratione, est quædam pars sanitatis, siquidem sicut per sanitatem corporalem erigitur corpus, & corroboratur, ita etiam anima per spiritualem; excitatio autem spei, & fiduciæ diuinæ misericordiæ, vt explicat Concil. Trident. continentur in ipsa alleuiatione, seu confortatione. Denique remissio peccatorum, & reliquiarum est pars quædam sanitatis, sicuti peccata sunt morbus animæ, & reliquiæ peccatorum reliquiæ morbi.

5 Confir. Hoc sacramentum est institutum per modum medicinæ, seu spiritualis medicamenti, vt notat D. Th. 3. *par. quæst 30. ar. 1.* & tradunt communiter Patres: & proinde ex sua propria ratione habet sacramentaliter significare per modum medicationis. Ergo effectus sacramentalis proprius ip-

ipsius, & adæquatus erit sanitas animæ, si quidem effectus adæquatus correspondet significationi sacramentali, cum non possit ipsam excedere.

6 Dices. Remissio poenæ temporalis saltem quoad aliquam partem est effectus huius sacramenti, & tamen non est aliqua pars sanitatis spiritualis. Ergo sanitas spiritualis non est adæquatus effectus. Resp. Etiam remissionem penæ pertinere aliquo modo ad spiritualem sanitatem; nam sicut poena consequitur peccatum, & remissio poenæ remissionem peccati, ita etiam reatus poenæ est quædam infirmitas animæ, sicuti est etiam peccatum, quia eum reddit subiectum uindicatiuæ iustitiæ, & impedit ingressum ad vitam æternam, & proinde reddit animam subiectam dolori, & tristitiæ, & ratione harum passionum infirmatur, & tollitur illa lætitia spiritualis, quam aliàs haberet, si non esset subiecta alicui poenæ.

An primarius effectus Extremæ vnctionis sit remissio peccatorum. Quæst. 423.

S V M M A.

1 *Quid intelligatur ratione effectus primarii.*
2 *Remissio peccatorum mortalium non est effectus primarius huius sacramenti.*
3 *Qui doceant esse primarium effectum remissionem venialium.*
4 *Vt probent.*
5 *Sententia negans.*
6 *Stabilitur, & probatur, num. 7, & 9.*
8 *Obiectio resoluitur.*
10 *Remissio venialium impropriè sumptorum vt non sit effectus primarius.*
11 *Confirmatur.*
12 *Fundamentum oppositæ sententiæ destruitur.*
13 *Reiicitur sententia Salmeronis.*
14 *Vltimum immediatum amentiæ, vel amissionis sensuum non expectandum.*

1 QVia in sanitate spirituali, quę est adęquatus effectus Extremæ vnctionis includuntur plures effectus partiales, ideo de ipsis dubitatur, quinam sit primarius. Nomine autem effectus primarii intelligitur ille, propter quem sacramentum est per se principaliter institutum ad differentiam effectus secundarii, qui tantum secundariò, aut indirectè consequitur: & etiam ad differentiam effectus per se quidem intenti, sed non ita principaliter.

2 Est autem supponendum tanquam certum, Remissionem peccatorum mortalium non esse effectum primarium huius sacramenti, vt inter alios notant Isambert. *3. par. disp. 4. de sacramen. Extr. vnct. artic. 1. ver. Verum contra*, Mærat. *tom. 3. summ. disp. 6. de Extrema vnct. sect. 2.* Dicastil. *de sacram. tr. 7. disp. 1. dub. 6. n. 87.* Et ratio est, quia est sacramentum viuorum, & proinde cum supponat gratiam tanquam dispositionem in suscipiente, supponit etiam remissa mortalia. Deinde cum pro mortalibus remittendis, quæ post baptismum committuntur, sit institutum sacramentum poenitentiæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5. de poenitent.* non potest talis remissio esse proprius effectus Extremæ vnctionis, quia sicuti sacramenta inter se distinguuntur, ita etiam distinguuntur in propriis effectibus, siquidem esse formale sacramentorum consistit in significatione sacramentali, quæ non potest esse diuersa, nisi dicat ordinem ad diuersum effectum. Vnde solum difficultas est de remissione venialium.

3 Prima sententia asserit, Remissionem venialium esse proprium, & primarium effectum huius sacramenti. Ita D. Bonauen. *in 4. dist. 23. art. 1. quæst. 1.* Durandus *quæst. 1. num. 9.* Maior. *quæst. 1.* Carthus. *quæstion. 2.* Ri-

Richar. artic. 1. quæst. 5. & 6. supplem. Gabr. quæst. 2. art. 2. Scot. quæst. vn. Almain. ibid. Pitigian. quæst. vn. artic. 8. ver. Quæ sententia. Alens. part. 4. quæst. 5. mem. 7. art. 2. Altisiodorens. lib. 4. sum. quæstion. 1. de Extr. vnct. Pighius controuer. 10. Abulens. quæst. 8. in capit. 8. Matth. Ayala de tradit. par. 3. considerat. 8. Astens. lib. 5. sum, tit. 41. ar. 5. Nauar. in Manuali cap. 22. num. 13. Angelus verbo. Vnctio. num. 6. Vasquez 3. par. quæst. 87. ar. 3. dub. 3. Tribarnes in 4. disput. 22. quæst. vn. sect. 4. ver. Dico 2. Martin. à S. Ioseph. tom. 1. moral. lib. 1. tract. 2. de Extr. vnct. numer. 12. Sà verbo. Extrema vnctio. num. 16. Aliqui autem ex his Doctoribus uolunt remittere venialia mediante pio motu animæ excitato per auxilium gratiæ. Ita D. Bonauent. & Duran.

4 Prob. Hoc sacramentum est institutum ad remittenda peccata, vt constat ex verbis formæ *Indulgeat tibi Deus &c.* & ex verbis Iacobi Apostoli *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ergo cum non sit institutum ad remittenda mortalia, erit institutum pro venialibus. Confir. Pro remittendo originali est institutus baptismus, pro mortali poenitentia. Ergo Extrema vnctio pro venialibus. Confir. 2. Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. de extrem. vnct. ponit inter effectus sacramenti huius primo loco remissionem peccatorum.

5 Secunda sententia negat primarium effectus huius sacramenti esse remissionem venialium. Ita D. Th. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. Palud. quæst. 4. Sotus quæst. 1. ar. 2. Capreol. quæst. 2. art. 1. Ledesma 2. par. 4. quæst. 32. ar. 1. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 73. Victoria in sum. de sacram. num. 197. Viguer. cap. 16. instit. theolog. §. 5. ver. 4. Suarez 3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 1. num. 3. Petrus Sotus lect. de Extr. vnct. Ochagauia de sacrament. quæst. 5. de extr. vnct. num. 1. Coninch. de sacram. disp. 19. dub. 5. Valent. tom. 4. summ. disp. 8. quæst. 1. pun. 3. Tanner. tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 2. num. 29. Chellison. 3. par. quæst. 30. ar. 1. ver. Dico 1. Putean. quæst. de Extr. vnct. dub. 4. conclus. 1. Syluius quæst. 30. artic. 1. conclus. 1. Mercer. artic. 1. & 2. ver. Vnde sequitur. Nugn. artic. 1. ver. Et ista circa med. Granad. controuer. 8. disp. 5. sect. 1. num. 7. Ilambert. disp. 4. de extr. vnct. ar. 1. ver. Verum contra. Laiman lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 5. num. 1. Mærat. tom. 3. sum. disp. 6. de extr. vnct. sect. 2. ver. Dico secundo. Amicus tom. 8. curs. theol. disput. 19. sect. 6. num. 93. Dicastil. de sacrament. tract. 7. disput. 1. dub. 6. num. 93. Palaus part. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 5. num. 3. Baunius par. 1. theol. moral. tract. vlt. de extr. vnct. quæst. 11. ver. Dico 2. Auersa de sacramentis. quæstion. de extr. vnct. ver. Patebit insuper. Ludouic. à S. Io. par. 1. sum. quæst. de extr. vnct. ar. 4. dub. 1. conclus. 2. Ledesma par. 1. sum. tract. de extr. vnct. cap. 4. conclus. 4.

6 Dicendum 1. Remissionem venialium non esse primarium effectum Extremæ vnctionis. Hoc mihi videtur tanquam certum concludi ex verbis Iacobi Apostoli, & Concilii Tridentini. nam cum Iacobus expressisset effectus huius sacramenti, nempe saluationem infirmi, & alleuiationem, subdit, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*; vnde remissio peccatorum ponitur tanquam effectus consequens ad alios, & non absolutè, sed sub conditione existentiæ peccatorum; Effectus autem primarius sacramenti ponitur semper, & absolutè absque dependentia ab aliis, quando non reperit obicem. Et eodem modo loquitur Concil. Triden. sess. 14. cap. 2. dum inquit, *Cuius vnctio, delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Vnde cum hic effectus ponatur sub dubio, vt dependens ab existentia conditionis, non potest esse primarius.

7 Confir. Pro tollendis venialibus

bus est institutum sacramentum poenitentiæ, siquidem ordinatur ad tollenda tam mortalia, quam uenialia, quæ non minus directè, & per se tollit, quàm tollat mortalia, vnde solis sunt materia sufficiens pro sacramento poenitentiæ. Ergo non potest Extrema vnctio esse ordinata ad tollenda venialia, quia, cum sit sacramentum diuersum, debet habere diuersam significationem sacramentalem, atque adeo diuersum effectum, cum significatio sit causatio effectus: vnde habet locum regula, quod quando pro vno effectu institutum est aliquod sacramentum, non potest poni alterum in ordine ad eumdem effectum.

8 Dices. Extrema vnctionem esse institutam ad perfectam, & finalem curationem venialium, quatenus retardare possunt ab ingressu gloriæ. Contra. Sacramentum poenitentiæ habet ex sui institutione, quod tollat venialia, quando applicatur. Ergo si applicetur in fine vitæ, curabit perfectè, & finaliter venialia, non secus ac Extrema vnctio, cum hæc quoque non possit curare, nisi venialia, quæ reperit, quando applicatur. Ergo non erat opus nouo sacramento pro hoc effectu. Confir. Sequeretur, quod hoc sacramentum esset tantum applicandum, quando infirmus esset exhalaturus animam, nam si antea applicaretur, facile peccaret postea venialiter, vnde non haberetur perfecta curatio in ordine ad ingressum gloriæ. Confir. 2. Si perfecta curatio venialium esset primarius effectus, deberet hoc sacramentum ministrari morituris etiam absque infirmitate, siquidem etiam in ipsis haberet locum primarius effectus sacramenti, & finis, & esset in ipsis eadem indigentia. Confir. Hoc sacramentum esset iterabile in eodem statu infirmitatis, siquidem regulariter infirmus post ipsum susceptum peccat venialiter: vnde de nouo indigeret perfecta curatione finali venialium: sacramentum autem tunc est iterabile, quando consurgit noua indigentia ipsius.

9 Confir. 2. principaliter. Hoc sacramentum est institutum tanquam firmissimum præsidium muniens extremum vitæ, vt habet Concilium Trident. *sess.* 14. *in proem. de Extr. vnct.* Ergo debet conferre aliquem effectum primarium, quod sit munimentum in illo extremo vitæ. Remissio autem venialium, quamuis perfecta, & finalis non ponit hoc munimentum, siquidem consistit solum in ablatione culpæ, non autem in aliquo robore, & auxilio.

10 Dicendum 2. Remissionem peccatorum venialiũ inpropriè sumptorum, quatenus dicunt deputationem ad poenam temporalem non esse primarium effectum huius sacramenti. Est præsertim contra Tribarnem *num. 3. citatum*, qui iuxta doctrinam Scoti vult, Extremam vnctionem ordinari ad remittenda venialia, & nomine peccati venialis non intelligit peccatum propriè dictum, sed deputationem ad poenam temporalem ratione peccati. Prob. Effectus primarius, & proprius sacramenti est talis, vt requirat infusionem gratiæ habitualis, siquidem sacramenta per se primò causant gratiam habitualem, & ratione ipsius suum proprium effectum: vnde ex vi eiusdem significationis sacramentalis significant tàm gratiam habitualem, quàm sacramentalem, quæ sit proprius, & primarius effectus sacramenti. Remissio autem poenæ temporalis non requirit infusionem gratiæ habitualis, cum consistat tantum in extrinseca conditione.

11 Confir. Sacramenta nouæ legis habent ex genere suo quod sint ordinata ad sanctificandum hominem, & singula ex ratione sua propria habent specialem modum sanctificandi; seu in ordine ad specialem effectũ. Ergo proprius effectus primarius singulorum est intra genus sanctificationis, atque adeo non potest esse remissio poenæ. Confir. 2. Vel remittit totam

tam pœnam temporalem; uel ſolum aliquam partem? Non primum; quia recipientibus Extremam vnctionem nulla remaneret poena luenda in purgatorio pro peccatis antea cōmiſſis: & ideo ſiquis reciperet ipſam poſtquam amiſit vſum rationis ſtatim poſt mortem euolaret in Paradiſum, quod eſt contra ſenſum Eccleſiæ adhibentis etiam pro ipſis ſuffragia. Si ſecundum. Contra; quia remittere aliquam partem poenæ conuenit coeteris ſacramentis, & ideo non poteſt eſſe effectus primarius proprius Extremæ vnctionis. Accedit etiam, quod ſi Chriſtus pro remiſſione poenarum inſtituiſſet hoc ſacramentum, non inſtituiſſet theſaurum Eccleſiæ ordinatum pro ſatisfactione compenſatiua poenarum.

12 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſp. Extremam vnctionem eſſe quidem inſtitutam ad remittenda peccata, non primariò: ſed tantum ſecundariò; & non ſolum venialia, ſed etiam mortalia, ut infra dicetur: & proinde remiſſio ponitur tanquam effectus conditionatus tàm à D. Iacobo, quàm à Concil. Trident. ex ſuppoſitione exiſtentiæ eorumdem peccatorum. Ad Confir. negat. conſequent. Quia poenitentia eſt inſtituta tàm pro remittendis mortalibus, quàm pro venialibus: Ad 2. confir. negat. conſequent. Quia licet Concilium ponat primo loco remiſſionem peccatorum, non ſit, quod ſit primarius effectus. Nam è contra Iacobus Apoſtolus ponit vltimo loco, & ideo ex hoc ordine non debet argui principalitas effectus, aut quod ſit ſecundarius. Verum cum tàm Apoſtolus, quàm Concilium ponant hunc effectum vt conditionatum, ſufficienter exprimunt non eſſe primarium, vt dictum eſt *numer. 6.* Deinde neque Concilium ponit primo loco remiſſionem peccatorum, nam inquit, *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit*; vnde prius ponit interiorem vnctionem ſpiritus ſancti; & quia ad ipſam conſequitur remiſſio peccatorum, ſi adſint, ideo eam coniungit cum interiore vnctione.

13 Ex dictis colligitur reiiciendum Salmeronem *diſput. 6. in capit. 5. Epiſt. D. Iacobi*, dum inquit ſolam remiſſionem peccatorum eſſe effectum huius ſacramenti. Sanitatem vero corporalem, & alleuiationem, ſeu ſubleuationem infirmi eſſe potius effectum orationis aſſiſtentium. Nam D. Iacob. adſcribit ſacramento ut effectus ipſius, & Concilium Trident. *ſeſſ. 14. capit. 2. de extrem. vnct.* recenſet inter effectus iuxta doctrinam D. Iacobi.

14 Colligitur 2. contra Tribarnem *in 4. diſt. 23. diſput. 22. quæſt. vn. ſect. 4. ver. Secundò obſeruandum.* non rectè conſtitui pro tempore opportuno adminiſtrandi hoc ſacramentum illud vltimum, quod eſt immediatum amentiæ, ſeu amotionis à ſenſibus. Siquidem ſi tale tempus expectaretur, adeſſet periculum, quod miniſtraretur, quando infirmus non eſt amplius compos ſui, & quod infirmus fruſtraretur fructu, quē perciperet ratione propriæ diſpoſitionis. Deinde melius eſſet expectare amotionem à ſenſibus, quia tunc infirmus fieret incapax peccandi, ſi eſſet expectandum immediatum tempus amiſſionis ſenſuum.

An remiſſio peccatorum, quæ non ſunt per alia ſacramenta remiſſa, ſit primarius effectus Extremæ vnctionis. Quæſt. 424.

S V M M A.

1 *Sententiæ ſirmans adducitur, & explicatur.*

An

2 *Sententia negans.*
3 *Stabilitur, & probatur. num. 4.*
5 *Satisfit obiectionibus. & seq.*

---

1 PRima sententia afferit, primarium effectum Extremæ vnctionis consistere in remissione peccatorum, siue mortalium, siue venialium, quæ remissa non sunt per antecedentia sacramenta, vt quando ex obliuione, aut ignorantia mortalia non remittuntur per sacramentum poenitentiæ. Tribuit tamen hæc sententia etiam alios effectus primarios. Ita Bellarmin. *lib. de Extr. vnct. cap.* 8. Aimcus *tom.* 8. *curs. theol. disput.* 19. *sect.* 6. *numer.* 105. *& seq.* Prob. Extrema vnctio est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, vt communiter docent, & habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de extr. vnct.* Ergo ad tollenda peccata relicta, & non remissa ab aliis sacramentis, quia reliquiæ sunt. Secundo. Hoc sacramentum est institutum ad iuuandum infirmum ad consequutionem gloriæ, Ergo ad tollenda obstacula, quæ per alia sacrementa non sunt sublata, & consequenter peccata relicta. Tertio. Hoc sacramentum est consumatiuum poenitentiæ ex Trident. *sess.* 14. *in proem. de Extrema vnctione.* Ergo supplet, quod sacramentum poenitentiæ non præstitit, remttiendo peccata relicta. Confir. Potest infirmus post communionem incidere in peccatum, cuius inuincibiliter obliuiscatur. Rursus potest confiteri, & communicare inualidè defectu doloris supernaturalis, & hoc inuincibiliter ignorare. Item potest cum sola attritione incidere in phrænesim, aut sensus amittere. Ergo debet pro his casibus habere aliquod remedium, hoc autem est extrema vnctio.

2 Secunda sententia negat hunc esse primarium effectum Extremæ vnctionis. Ita communiter præsertim citati *quæst. præcedenti num.* 3. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* Ochagauia *de sacram. tract. de Extr. vnct. quæst.* 5. *num.* 5. Mærat. *tom.* 3. *sum. cap.* 6. *de extr. vnct. sect.* 2. Mercet. *de sacram. quæst.* 30. *supplem. ver. Vnde sequitur* & citandi pro vtraque sententia quæstione sequenti.

3 Dicendum est. Primarium effectum huius sacramenti non esse remittere peccata siue mortalia, siue venialia, non remissa per sacramenta præcedentia. Sequitur ex dictis qu. præced. nam remissio peccatorum tàm ex D. Iacobo, quam ex Concil. Trident. est effectus conditionatus, quem non semper debet sacramentum sortiri, sed solum ex suppositione existentiæ peccatorum, & ideo non potest esse primarius.

4 Prob. Peccata relicta post alia sacramenta, præsertim mortalia, sunt remissa indirecte, si digne sacramenta suscepta sint. Si verò sacramenta non sint dignè suscepta remanent expianda per sacramentum poenitentiæ: & solum ignorantia inuincibilis excusare potest. Ergo pro neutro casu est instituta Extrema vnctio, vt habeat ea remittere pro effectu primario, nam in primo casu nō est opus alia remissione: in secundo autē remittit solum per accidens stante ignorantia suscipientis de obligatione confitendi. Venialia verò possunt pluribus aliis modis remitti, nec pro ipsis remittendis est institutum speciale sacramentum, vt constat ex dictis qu. præced. Confir. Peccata commissa post suscepta alia sacramenta sunt materia necessaria, si sint mortalia sacramenti poenitentiæ; si vero venialia adhuc sunt materia, licet non necessaria. Si verò inuincibiliter sint oblita, stante bona fide, & saltem attritione supernaturali non magis possunt remitti per Extremam vnctionem, quàm per aliud sacramentum. Ergo Extrema vnctio remittet per accidens, sicut remitterent alia sacramenta, aut solum secun-

cundario, non autem quia instituta sit ad ea primario remittenda. Confir. 2. Extrema vnctio ex sui natura est sacramentum viuorum. Ergo ex sui institutione non potest remittere primario mortalia siue inuincibiliter oblita, siue non remissa per alia sacramenta, siquidem sacramenta viuorum, cum ex sui institutione supponant statum gratiæ, non possunt esse per se ordinata ad remittenda mortalia tanquam ad effectum primarium, cum talis effectus supponat vitam spiritualem animæ.

5 Ad 1. in oppositum neg. conseq. Quia reliquiæ peccatorum non sunt ipsa peccata, sed aliquid relictum à peccatis; nam reliquiarum appellatione venit quidquid quomodocunque ab aliquo post se relinquitur, & ideo siue sit eiusdem rationis, siue diuersæ ab eo, cuius reliquiæ sunt, dummodo ab ipso relinquatur, venit nomine reliquiarum. Vnde Concil. Trident. *sess. 14. capit. 2. de Extre. vnct.* reliquias peccatorum contradistinguit à peccatis inquiens, *Delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

6 Ad 2. neg. conseq. loquendo de effectu primario, nam cum peccata quatenus obstacula ad ingressum gloriæ tollantur per sacramentum poenitentiæ, si post ipsum susceptum contingat, aliqua remanere, sicuti remanent per accidens, si quidem poterant per ipsum omnia tolli, per accidens quoque tolluntur per Extremam vnctionem; seu non ex primaria institutione sacramenti, sed solum ex secundaria, & ideo eorum remissio non potest esse effectus primarius.

7 Ad 3. neg. Conseq. Quia Extrema vnctio non est consumatiua pœnitentiæ, quatenus habeat pro primario effectu remittere peccata, quæ remanent, sed quatenus perficit, quod præstitit pœnitentia. Cum ergo pœnitentia reordinet hominem ad vltimum finem, & conferat ipsi vigorem ad operandum propter ipsum, constituendo ipsum sub motione vltimi finis, extrema vnctio hoc totum perficit, quia dat robur ad actus supernaturales, quibus homo disponatur ad vnionem per beatitudinem cum eodem fine. Ad Confir. In iis casibus Extremam vnctionem esse remedium pro iis peccatis, non ratione primarii effectus, sed ratione secundarii: vnde sufficit, quod secundariò remittat peccata.

8 Dices. Remissio peccatorum explicatur in forma sacramenti Extremæ vnctionis. Ergo est principalis effectus, siquidem nullus effectus est magis principalis, quàm ille, qui explicatur in forma, cum pertineat directe ad significationem sacramentalem. Resp. Non solum explicari in forma remissionem peccatorum, sed etiam interiorem vnctionem, vt suo loco declaratum est, in qua, quatenus habet annexa auxilia ad finem specialem sacramenti, consistit gratia sacramentalis, atque adeo principalis effectus sacramenti. Remissio autem peccatorum explicatur vt consequens ad principalem effectum, & proinde vt effectus secundarius. Deinde cum dicitur in forma, *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti*, sensus est, quod exercendo indulgentiam, & misericordiam remittat complete peccata restituendo animæ illud robur spirituale, & illas vires in ordine ad se promouendum ad vltimum finem, quibus ratione peccatorum meruit carere. Vnde etiam ex hoc capite potest hoc sacramentum dici consumatiuum pœnitentiæ, quia cum pœnitentia restituat ordinem ad vltimum finem mediante gratia, & charitate, Extrema vnctio perficit, quod per pœnitentiam est restitutum conferendo robur, quo ratione peccatorum meruit carere.

Quinam sit effectus primarius Extremæ vnctionis. quæst. 425.

SVMMA.

1 *Qui doceant primarium effectum esse tollere reliquias prædictorum.*
2 *Qui doceant esse gratiam roborantem, & confortatiuam animæ.*
3 *Hæ sententiæ non differunt quoad substantiam.*
4 *Interior vnctio gratiæ vt sit primarius effectus, & num. 5.*
6 *Confirmatur, num. 6. 7. & 8.*
9 *Argumenta enodantur, num. 10.*
11 *Quam lætitiam causet in anima Extrema vnctio.*
12 *Vt præparet animam ad introitum gloriæ.*
13 *Hæc præparatio est effectus partim primarius, & partim secundarius.*

1 PRima sententia asserit, primarium effectum huius sacramenti esse tollere reliquias peccatorum. Ita D. Tho. 4. *contra Gent. cap. 73. & in 4. dist. 23. quæst. 2. artic. 2. quæstiun. 1.* Palud. *quæst. 4.* Albert. *artic. 1. & 2.* Capr. *quæst. 1. artic. 1.* Sotus *quæst. 1. artic. 2.* Ferrar. *citato loco contra Gent.* D. Antonin. *3. par. tit. 14. cap. 8.* Viguet *capit. 16. Theolog. Instit. §. 5 ver. 4.* Victoria *in sum. de sacram. num. 197.* Ledesma *2. par. 4. quæst. 32. artic. 1.* Petrus Sotus *lect. 1. de Extr. vnct.* Valent. *tom. 4. disp. 8. quæst. 1. pun. 3. ver. secundus effectus.* Laiman. *lib. 5. Theol. moral. tract. 8. cap. 5. num. 1.* Ochagania *de sacram. quæst. 5. de Extr. vnct. num. 5.* Ledesma *part. 1. sum. tract. de* Extr. *vnct. capit. 4. conclus. 5.*

2 Secunda sententia asserit primarium effectum esse gratiam roborantem, & confortatiuam animæ contra difficultates, & tentationes occurrentes tempore mortis, & exhilarantem animam, & excitantem ad spem diuinæ misericordiæ, & alios actus supernaturales. Ita Angles *in Florib. quæst. de Extr. vnct. artic. 2. conclus. 4.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 1. numer. 11.* Nugn. *3. part. quæst. 30. supplem. art. 1. ver. Et ista sola sententia, & ver. Vt autem omnia.* Chellison. *ver. Dico secundo.* Mercer. *ibid.* Syluius *conclus. 2.* Putean. *quæst. de* Extr. *vnct. dub. 4. conclus. 2.* Præposit. *dub. 11. numer. 91.* Granad. *controuer. 8. disp. 5. de Extr. vnct. sect. 1. num. 2.* Zambert. *disp. 4. de Extr. vnct. artic 3.* Palat. *in 4. dist. 23. disp. 2. conclus. 1.* Dicastil. *de sacramen. tract. 7. disp. 1. dub. 6. numer. 101. & 106.* Vasquez *3. par. disp. 119. cap. 8.* Coninch. *disp. 19. de sacram. dub. 5.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 9. num. 2.* Syluester *verbo. Vnctio num. 3.* Tabiena *num. 5.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 6. de Extrem. vnct. sect. 2. dicto 3.* Tanner. *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 2. numer. 35.* Palaus *par. 4. Oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 5. num. 5.* Baunius *part. 1. theol. moral. tract. vlt. quæst. 11. ver. Dico 4.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. quæstion. de Extrem. vnct. artic. 4. dub. 1. conclus. 5.* Auersa *de sacram. quæst. de* Extr. *vnct. ver. Ad hunc ergo.* Becan. *de sacram. cap. 27. quæst. 6.*

3 Quamuis hæc posterior sententia ponatur tanquam diuersa à priori, reuera tamen non differt quoad substantiam, nam prior sententia per reliquias peccatorum non intelligit nisi torporem, & deiectionem animæ, & debilitatem in ordine ad operandam sibi salutem. Vnde D. Th. *in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2.* habet. *Hoc sacramentum habet pro principali effectu illam sospitatem, qua exeuntibus, & iter ad gloriam agentibus est necessaria.* Et *3. part. quæst. 30. supplem. artic. 1.* in corpore cum dixisset, quod hoc sacramentum *est quædam*

dam spiritualis sanatio, seu medicatio, subdit, *quod hoc sacramentum datum est contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ: & hic defectus nihil est aliud, quàm quadam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum*. Et similia habet etiam Capr. *numer.* 1. *citat.* inquiens, *Non ponimus exhilarationem mentis esse proprium effectum huius sacramenti, si dicat actum secundum, sed ponimus sublationem inhabilitatis, & ineptitudinis ad actus gratiæ, & gloriæ per aliquid tamen positiuum impressum se habens per modum actus primi, quod potest dici ornatus, uel sospitas, uel habilitatio ad actus gratiæ, & gloriæ*. Et eodem fere modo explicant alii Doctores citati pro prima sententia.

4 Dicendum est. Primarium effectum sacramenti huius esse interiorem vnctionem gratiæ exigentem, seu habentem annexa auxilia in ordine ad erigendam amimum quoad operationes supernaturales præsertim spei, & fortitudinis contra insultus dæmonis, & ad subleuandam quoad illam indigentiam, in qua constituitur ratione illius status, seu articuli mortis. Vnde consistit gratia sacramentalis in omnibus auxiliis annexis gratiæ habituali, quibus tunc homo indiget ratione status, in quo reperitur.

5 Prob. Hoc sacramentum est institutum ad subueniendum homini constituto in extremo vitæ; quia sicuti cœtera sacramenta subueniunt indigentiis, quæ occurrunt in toto vitæ cursu, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *in Proemio de Extr. unct.* ita vt habet ibid. *Extremæ unctionis sacramento finem uitæ tanquam firmissimo præsidio muniuit*. Ergo effecrus primarius, propter quem est primò institutum sacramentum, debet esse aliquid, quod muniat finem vitæ, siquidem debet correspondere fini intento per sacramentum, ita vt ipso mediante obtineatur. Finis autem vitæ non debet muniri, nisi per auxilia gratiæ, siquidem debet muniri, ne cadat à salute æterna, & ideo indiget auxiliis diuinis, quibus conseruari possit in statu gratiæ.

6 Confir. Non potest muniri finis vitæ, nisi subueniatur indigentiæ, in qua tunc homo ratione illius status constituitur. Constituitur autem indigens in illo statu speciali Dei auxilio. Tum quia, vt habet Concil. Trident. in dicto *Praem. De Extr. unct.* *Et si aduersarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, vt deuorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes sua versutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit diuina misericordiæ deturbandos, quàm cum impendere nobis vitæ exitum perspicit*. Ergo tunc maximè homo indiget auxilio ad vincendas tentationes, & ad concipiendam spem diuinæ misericordiæ; quo muniatur contrà hos insultus. Tum quia ex hebetatione corporis, hebetatur consequutiuè etiam anima, & suo modo infirmatur in ordine ad operationes spirituales, quibus tunc maximè indiget, vt se præparet ad exitum ex hac vita, & ideo debet confortari, & roborari in ordine ad has operationes. Tum quia effectus principalis debet esse proprius illius status, in quo reperitur homo in fine vitæ, sicut etiam est proprium ipsum sacramentum: & non potest esse proprius nisi santificet in ordine ad indigentiam illius temporis, & proinde conferat auxilia, quæ tunc sunt homini necessaria.

7 Confir. 2. Effectus huius sacramenti est alleuiatio animæ, vt habet D. Iacobus, & confirmatio, excitando in magnam fiduciam diuinæ misericordiæ, qua infirmus subleuatus morbi incommoda leuius ferat, &

tentationibus Dæmonis facilius resistat, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extr. vnct.* Ergo hic effectus est primarius, & principalis. Conseq. prob. Tum quia est ita proprius huius sacramenti, vt nulli alteri conueniat, & congruat statui, pro quo est institutum sacramentum: vnde significatio sacramentalis dicit per se primo ordinem ad ipsum. Tum quia in ceteris sacramentis primarius effectus consistit in gratia habituali prout habet annexa auxilia in ordine ad illum specialem finem, pro quo est institutum sacramentum. Tum quia principalis effectus sacramentorum consistit in gratia sacramentali, propria vniuscuiusque sacramenti: hæc autem non est alia, quàm gratia habitualis, prout habet annexa auxilia in ordine ad specialem finem sacramenti.

8 Confir. 3. Hoc sacramentum est institutum per modum cuiusdam medicationis spiritualis, vt docent communiter cum D. Th. *3. part. quæstion.* 84. *art.* 1. *ad* 1. *& quæst.* 30. *supplementi artic.* 1. & proinde modus significandi ipsius est per modum curationis, & sanationis spiritualis; & proinde ratione sui modi significandi dicit ordinem ad sanationem spiritualem animæ tanquam ad proprium effectum: vnde Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis* §. *Quintum sacramentum*, effectus huius sacramenti est mentis sanatio. Ergo effectus primarius est huiusmodi sanatio, quia effectus principalis sacramenti est ille, propter quem primariò est institutum: & propter illum est primario institutum, qui correspondet proprio modo significandi sacramentali, cum talis modus significandi sit propter effectum sibi correspondentem. Sanatio autem spiritualis consistit in corroboratione animæ ad actus supernaturales expulsis debilitatibus, quibus in ordine ad ipsos impediebatur, mediantibus auxiliis gratiæ, & excitatione vigoris spiritualis.

9 Dices. Sacramenta efficiunt, quod significant, ita vt quod primario significatur, sit etiam effectus primarius. Extrema autem vnctio non significat hanc sanationem, sed remissionem peccatorum, vt constat ex verbis formæ. Resp. neg. min. Nam significatio sacramenti non debet attendi penes solam formam, sed penes totum coniunctum ex Materia, & forma, cum hoc sit illud signum sensibile significatiuum, &c. præsertim quando materia habet aliquam determinationem in ratione signi sacramentalis. Hoc autem sacramentum ratione materiæ, seu vnctionis significat interiorem vnctionem, vt tradit Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *De Extr. vnct.*; & proinde habet significare per modum curationis, seu medicamenti. Vnde, quia forma coniungitur materiæ ad complendam illius significationem, debet in eodem ordine significare, & participare in eodem modo significandi. Et ideo forma Extremæ vnctionis debet accipi, vt significans hanc spiritualem sanationem; & ideo sensus erit, quod Deus exercendo indulgentiam, & misericordiam tollat reliquias peccatorum relictas in anima, nempe spiritualem torporem, imbecillitatem, &c. & ita sanet spiritualiter animam à vulnere relicto ex peccatis.

10 Dices 2. Vel hæc infirmitas, ad quam sanandam ordinatur Extrema vnctio, est physica, vel moralis. Non primum, quia non esset aliud, quàm habitus praui, qui tamen per nullum sacramentum tolluntur. Non secundum. Quia non esset aliud, quàm procliuitas ad malum, & difficultas ad bonum, quæ tamen non tollitur, quia oritur ex fomite, qui non sanatur. Resp. Esse tum physicam, tum etiam moralem. Physica in eo consistit, quod anima consentiens corpori ratione corporalis infirmitatis debilitatur in ordine ad suas operationes, vnde cum eius virtus sit fundamentum operationum supernaturalium, quatenus

nus eleuatur, remanet infirma in ordine ad ipsas. Moralis autem consistit in affectibus, qui in ipsa consurgunt, vt sunt timor, diffidentia, pusillanimitas, deiectio, & alii huiusmodi, & ideo necessaria sunt diuina auxilia huiusmodi affectus per contrarios expellentia, & hoc pacto sanantia animam languentem.

11 Ex dictis colligitur. Hoc sacramentum causare in anima quamdam lætitiam, qua spiritualiter exhilaratur, vt notant Capr. *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 1.* Pitigian. *quæst. vnica, artic. 8. ver. Quartus effectus, in fine*. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* 12. Quod colligitur ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extr. vnct.* dum inquit, *quod ita infirmus sublenatur, vt leuius ferat morbi incommoda*: nam hoc prouenit ex spirituali exhilaratione, quatenus ratione spei cogitat de præmio æterno, & quod morbi molestiæ patienter toleratæ augent meritum. Hic autem effectus includitur in primario; quia cum consistat in alleuiatione spirituali, includit etiam hanc spiritualem lætitiam, siquidem gaudium ex natura sua erigit animum.

12 Secundo colligitur. Effectum Extremæ vnctionis esse præparare animam ad introitum gloriæ, vt docent communiter Doctores præsertim Suarez 4. *part. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* 14. Isambert. *disp.* 4. *de Extr. vnct. artic.* 5. *uer. Atque ex his.* Et ratio est, quia dum confert auxilia iuxta indigentiam illius temporis, & erigit animam in spem diuinæ misericordiæ, sicuti per hos actus deducitur ad perseuerantiam, ita etiam præparatur ad introitum gloriæ, quæ debetur perseuerantibus vsque in finem. Rursus etiam tollit impedimenta, quæ retardant à tali ingressu, nempe peccata, si quæ sunt, & saltem relaxat debitum pœnarum quoad aliquam partem. Verum speciali quoque modo disponit; quia cum sit sacramentum exeuntium, & imploratiuum diuinæ misericordiæ, ita vt habeat significare suos effectus; vt specialiter prouenientes à diuina misericordia, subiicit hominem ipsi diuinæ misericordiæ, quam super ipsum implorat, vt compleat in ipso, quæ incœpit, & perducat in gloriam tanquam functum hac terrena militia, & consumata iam pœnitentia.

13 Difficultas autem est. An hic effectus sit primarius, an verò secundarius. Suarez *num. præced. citat.* vult esse secundarium. Quod tamen mihi non probatur; nam effectus ipse primarius est dispositio quædam ad gloriam, siquidem erectio animi in spem, & alii actus supernaturales, quos elicit infirmus ratione auxiliorum, quæ per hoc sacramentum conferuntur, sunt præparationes quædam; quibus præparatur ad egressum ex hac vita cum perseuerantia, atque adeo ad introitum in gloriam. Vnde melius dicitur, quod hic effectus est partim primarius partim secundarius, neque enim est simplex effectus, sed ex omnibus coalescit: singuli enim effectus huius sacramenti conferunt aliquid ad hanc præparationem, & ideo quilibet est partialis quædam præparatio, vnde tanquam effectus quidam integralis partim pertinet ad effectus primarios, partim ad secundarios.

Quænam sint reliquiæ peccatorum quæ per Extremam vnctionem tollantur. Quæst. 426.

S V M M A.

1 *Reliquiæ peccatorum non sunt aliqua peccata.*
2 *Non sunt pronitas ad peccandum relicta ex peccatis antecedentibus.*
3 *Obiectionis solutio.*
4 *Non sunt pœnæ temporales soluendæ pro peccatis.*

Et

5 *Et probatur.*
6 *Reliquiæ peccatorum sunt torpor animæ, ineptitudo ad bonum, angor, pauor, & similia.*
7 *Et probatur.*
8 *Quomodo hæc omnia sint effectus huius Sacramenti.*
9 *Obiectio resoluta.*

---

1 INter effectus Extremæ vnctionis enumeratur ablatio reliquiarum peccatorum, & ita docent communiter; & tradit Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extr. unct.* Est autem difficultas, quænam sint hæ reliquiæ. Est autem supponendum tanquam certum, non esse aliqua peccata, si quidem Concil. ibi habet *Delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*; cum enim distinguat reliquias peccatorum à peccatis, quæ supersunt expianda, non possunt esse ipsa peccata. Accedit etiam, quod per Concilium reliquiæ peccatorum absolutè abstergun-tur, peccata autem solum conditionatè, inquit enim, *Delicta, si qua sint, &c.*

2 Dicendum 1. Reliquias peccatorum, quæ per hoc sacramentum tolluntur, non sunt pronitas ad peccandum relicta ex peccatis antecedentibus, seu habitus vitiosi. Ita D. Th. 3. *part. quæst.* 30. *artic.* 1. *ad* 2. Syluius *conclus.* 2. *uer. Tertius effectus* Chellison. *uer. Hinc sequitur* Mercer. *uer. Notandum secundo*. Nugnus *in fine dub. uer. In quinto*. Isambert. *disp.* 4. *de Extr. unct. art.* 2. *uer. Aduersus omnes has*. Tanner. *tom.* 4. *sum. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 34. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* 6. Tribarnes *in* 4. *dist.* 23. *disp.* 24. *sect.* 4. *conclus.* 1. Ochagauia *de sacram. quæst.* 5. *de Extr. unct. numer.* 4. Palaus *part.* 5. *tract.* 26. *disp. un. punc.* 5. *num.* 6. Dicastil. *de sacrament. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 103. Auersa *de sacram. quæst. de Extr. unct. sect.* 6. *uer. Sed dici etiam*, & communiter. Ratio autem. Quia sacramenta ex genere suo ordinantur ad effectus supernaturales, qui non habent oppositionem, cum habitibus vitiosis naturalibus, ideo non possunt eos expellere. Vnde experientia constat, quod post Extremam vnctionem in conualescentibus apparent, priores habitus vitiosi. Quia tamen confert auxilia ad actus supernaturales, & tribuit robur animæ, ideo licet non tollat prauam inclinationem habituum, illam tamen refrenat pro toto illo tempore, quo exhibentur hæc auxilia.

3 Dices praui habitus relinquuntur, seu producũtur ab actibus peccaminosis. Ergo sunt reliquiæ peccatorũ; & pointe debent tolli per hoc sacramẽtum. Resp. neg. conseq. Quia hoc sacramentum non tollit quascunque reliquias peccatorum, sed eas tantum, quæ impediunt præparationem ad exeundum ex hac vita, vt sunt torpor animæ, ineptitudo ad actus supernaturales, & aliæ huiusmodi.

4 Dicendum 2. Reliquias peccatorum, quas tollit Extrema vnctio non esse pœnas temporales soluendas pro peccatis. Ita Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *numer.* 8. Isambert. *disp.* 4. *de Extr. unct. artic.* 2. *propos.* 2. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 34. Ochagauia *de sacram. quæstion.* 5. *de Extr. unc. num.* 3. Auersa *de sacram. quæst. de Extr. unct. sect.* 6. *uer. Sed dici* Dicastil. *de sacramen. tractat.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 103. Palaus *part.* 4. *tract.* 26. *disp. un. punct.* 5. *num.* 6. *uer. Poena item*, & alii communiter cum D. Th. 3. *par. quæst.* 31. *artic.* 1. Quod tamen intelligi debet, de effectu, propter quem per se sit institutum sacramentum; nam, vt diceretur, remittuntur, sed secundariò consequenter ad effectum primarium.

5 Ratio autem. Quia pœnæ temporales, vt remittantur, non indigent infusione gratiæ, atque adeo nec

nec sacramentum requirunt per se institutum ad illas remittendas. Effectus autem per se sacramenti, sicuti sunt proprii ipsius, ita requirunt infusionem gratiæ. Confir. Effectus huius sacramenti explicantur à D. Iacobo Apostolo *cap. 5. sua Epist.* illis verbis, *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei*, vt declarat Concil. Trident. *cap. 2. de extr. unct. sess. 14.* In his autem verbis non explicatur aliqua remissio poenæ.

6 Dicendum 3. Reliquias peccatorum, quæ tolluntur per hoc sacramentum esse torporem animæ quòad ea, quæ concernunt salutem, ineptitudinem ad bonum, angorem, & pauorem, & alia huiusmodi, quæ relinquuntur ex peccatis: atque adeo ea omnia impedimenta, quæ ortum habent ex peccato originali coniuncto cum actuali, & impediunt, ne homo se disponat ad gloriam ita D. Th. in 4. *dist. 23. quæst. 2. ar. 2. quæstiun. 4. ad 1.* & *3. par. quæst. 30. supplem. ar. 1.* Lessius *de sacram. cap. 4. de Extr. vn. dub. 2. ver. Secundo.* & coeteri communiter, præsertim citati *nu. 2.* Hoc autem debet intelligi non de reliquiis quòad radicem, quia radicantur in fomite, & in prauis habitibus; sed quòad actum exercitum; quatenus ex his radicibus consurgunt actus in anima ponentes impedimenta ad salutem.

7 Ratio autem est, quia hæ reliquiæ in actu exercito causant in anima spiritualem infirmitatem, quia potentiæ ipsius ita afficiuntur, vt inhabiles sint ad bonum; quia faciunt, quod dominetur concupiscentia. Ergo cum hoc sacramentum sit institutum per modum medicinæ spiritualis, seu curationis, vt tradiit communiter Patres, unde Concil. Cabilonen. 2. *sub Leone 3. cap. 48. in fine. Non est itaque paruipendenda huiusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.* Et proinde effectus ipsius est mentis sanatio, vt habet Concil. Florent. *in Decreto fidei pro Armenis. §. Quintum sacramentum*, tollet has reliquias sic explicatas, cum sint quædam infirmitas animæ.

8 Dicendum 4. Hunc effectum esse quidem proprium, & primarium huius sacramenti, sed indirectum: eo pacto, quo corruptio indirectè se habet ad generationem. Ratio est. Quia ablatio harum reliquiarum est quid negatiuum, cum consistat in destructione illorum actuum, qui malè afficiunt animam, sequitur ex eo, quod mediantibus diuinis auxiliis excitantur actus contrarii. Ergo est effectus, qui per se primo ponitur, sed indirectè in consequentiam ad effectum primarium positiuum alleuiationis.

9 Dices. Coetera quoque sacramenta per auxilia, quæ conferunt, iuuant ad vincendas has reliquias peccatorum. Ergo auferre has reliquas non est effectus proprius Extremæ vnctionis. Resp. Coetera sacramenta per auxilia, quæ conferunt, iuuare ad vincendas reliquias peccatorum, quatenus obstant fini eorumdem sacramentorum. Cum enim gratia sacramentalis cuiuslibet sacramenti ordinetur ad specialem finem, propter quem est institutum, auxilia quoque iuuant ad vincendas reliquias peccatorum, quatenus obstant huic fini: vnde secundario tantum, & partialiter illas tollunt. At extrema vnctio, quia habet pro fine spiritualem alleuiationem animæ, & ordinatur ad ipsam sanandam, per se primo, & totaliter tollit has reliquias, vt inducat perfectam sanitatem mentis: & ideo ablatio ipsarum est proprius effectus ipsius.

Quo-

Quomodo remissio peccatorum sit effectus Extremæ unctionis, Quæst. 427.

S V M M A.

1 *Extrema Vnctio vt remittat peccata.*
2 *Remissio hæc vt extendatur ad mortalia.*
3 *Sententia affirmans adducitur.*
4 *Extrema vnctio non remittit per se peccata mortalia. num. 5.*
6 *Argumentum oppositum soluitur.*
7 *Confirmatur sententia. num. 8.*
9 *Extrema vnctio per accidens remittit mortalia.*
10 *Confirmatur.*
11 *Fundamenta opposita reiiciuntur. num. 12.*
13 *Extrema vnctio vt conferat gratiam attrito.*
13 *Attritio supernaturalis vt sit sufficiens dispositio.*
14 *Extrema vnctio vt immediatè remittat peccata.*

1 SAcramentum Extremæ vnctionis remittere aliquo modo peccata, certum omnino est cum id expresse habeat Iacobus Apostolus in illis verbis. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Vnde Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extr. vnct.* habet. *Delicta, si qua sunt adhuc expianda, abstergit.* & *can.* 2. *Siquis dixerit, sacram infirmorum, vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, anathema sit.* Hic tamen effectus, vt dictum est in superioribus, non est absolutus, sed conditionatus, siquidem sub conditione ponitur tàm ab Apostolo, quàm à Concilio: & proinde non est primarius, sed secundarius.

2 Est autem supponendum, Hanc remissionem peccatorum extendi non solum ad venialia, sed etiam ad mortalia, quæ per poenitentiam non sunt deleta, vt communiter docent Palud. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 3. vbi & coeteri Doctores. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 8. *quæst.* 1. *pun.* 3. *init.* Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* 14. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 2. Coninch. *disp.* 19. *de sacram. dub.* 5. *conclus.* 2. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæstion. vn. pun.* 1. *init.* Bellarmin. *lib. de Extr. vnct. capit.* 8. Nauar. *cap.* 22 *Manual. num.* 13. Sylvester. *verbo. Vnctio. quæst.* 3. Præpofit. 3. *par. quæst. vn. de Extr. vn. dub.* 11. *num.* 94. Victoria *in sum. num.* 214. Syluius 3. *par. quæst.* 30. *supplem. ar.* 1. *conclus.* 2. *uer. Secundum autem.* Chellison. *uer. Notandum est, hoc sacramentum.* Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 84. Ochagauia *de sacram. quæst.* 5. *de Extr. un. num.* 10. Isambert. 3. *par. disp.* 4. *de extrem. unct. ar.* 4. *propos.* 1. Auersa *de sacram. quæst. de Extr. unct. sect.* 6. *uer. Benè etiam.* & coeteri cum D. Th. *in dist.* 23. *quæst.* 1. *ar.* 3. *quæstiun.* 1. *in fine.* Et ratio est, tum quia generaliter D. Iacob. & Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extrema unct.* tradunt remittere peccata, nec restringunt ad sola venialia. Tum quia ponunt hunc effectum sub conditione, quod existant peccata, quo non fruerentur, si intelligerent de *venialibus* tantum, cum moraliter impossibile sit, quod homo per aliquod tempus cesset ab omni peccato veniali iuxta illud Prouerb. 10. *quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato?* Tum quia Concil. Trident. cit. vocat Delicta. Delictum non dicitur propriè, nisi de peccato graui. Difficultas autem est, quomodo remittat peccata.

3 Prima sentent. asserit remittere per se peccata etiam mortalia; & proinde talem remissionem esse proprium effectum huius sacramenti. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 3. con-

conclus. 3. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* 16. Laiman. *lib.* 5. *theol. mor. tract.* 8. *cap.* 5. *num* 2. Coninch *disp.* 19. *de sacram. dub.* 5. *in fine.* Bellarmin. *lib. de extr. unct. cap.* 8. Ochagauia *de sacram. quæst.* 5. *de extr. unct. num.* 10. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. un. pun.* 5. *num.* 7. Auersa *de sacram. quæst. de Extr. unct. sect.* 6. *uer. Bene etiam.* Isambert. 3. *par. disp.* 4. *de extr. unct. ar.* 4. *uer. Quarto quod.* Prob. Remissio peccatorum speciali modo tribuitur huic sacramento à Iacobo Apostolo, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Et à Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 2. *de Extr. unct. Delicta, si quæ sunt adhuc expianda, abstergit.* & *can.* 2. anathematizat dicentes, nõ remittere peccata. Coeteris autem sacramentis, quæ remittunt tantum per accidens, non potest tribui hoc speciali modo. Ergo est proprius effectus, & per se huius sacramenti. Confir. Ille est proprius effectus sacramenti, qui exprimitur in forma. In forma autem huius sacramenti exprimitur remissio peccatorum.

4 Secunda sententia docet remittere peccata tantum consequutiuè, per accidens: Ita D. Th. 4. *contra gentes cap.* 73. & *in* 4. *dist.* 23. *qu.* 1. *artic.* 2. *quæstiun.* 1. *in corpore.* & 3. *par. quæst.* 65. *ar.* 1. *in corpore.* & *quæst.* 30. *supplem. artic.* 1. *in corpore.* vbi Nugn. *uer. Tertia vero sententia.* Putean. *quæst. de Extr. unct. dub.* 4. *uer. Respondeo hoc esse uerum.* Tribarnes *in* 4. *dist.* 23. *disp.* 22. *sect.* 4. *conclus.* 3. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. un. disp.* 5. *sect.* 1. *num.* 6.

5 Dicendum est. Extremam vnctionem non remittere per se peccata præsertim mortalia. Prob. Extrema vnctio est sacramẽtum viuorum, & per se requirit in suscipiente statum gratiæ. Ergo non potest per se remittere mortalia. Conseq. prob. Implicat sacramentum per se requirere statum gratiæ, & per se non remittere; si autem per se remitteret mortalia, non requireret per se statum gratiæ, quia eo ipso, quod per se posset remittere mortalia, posset etiam causare primam gratiam. Sacramentum autem, quod per se habet uim causandi primam gratiam non requirit ipsam per se in subiecto.

6 Dices remittere tantum per se secundario, non autem primariò: & ideo ex primaria institutione requirere statum gratiæ, licet non requirat ex secundaria institutione, cum possit illam causare: vnde requirere per se statum gratiæ, & non requirere per se dicuntur respectu diuersorum, nempe primariæ, & secundariæ institutionis. Contra. Ex vi primariæ institutionis requirit statum gratiæ, nec potest per se causare primam gratiam. Ergo ex vi secundariæ institutionis non potest habere, quod per se causet primam gratiam, & non requirat per se statum gratiæ, quia secundaria institutio non negat, quæ conueniunt sacramento ex vi primariæ institutionis, sed ipsi subordinatur. Confir. Effectus secundarius est depẽdens à primario, & ratione ipsius ponitur in esse. Ergo si sacramentum ratione primarii effectus requirit per se statum gratiæ, requiret etiam per se ratione secundarii stante huiusmodi dependentia.

7 Confir. Extrema vnctio non potest remittere peccatum mortale, si suscipiens habeat conscientiam ipsius, sed requiritur, quod bona fide putet se esse in statu gratiæ, vel ratione sacramenti poenitentiæ, vel saltem ratione contritionis, vt docent etiam Auctores oppositæ sententiæ. Ergo remittit tantùm per accidens; tum quia remittit eo modo, quo remittunt coetera sacramenta viuorum: tum quia, sicuti per accidens est, quod suscipiens putet, se non habere conscientiam peccati mortalis; ita etiam per accidens est, quod peccatum mortale non ponat obicem, sed remittatur.

Pasqualig. Hhhhh Con-

8 Confir. 2. Non potest quis cum conscientia peccati mortalis suscipere hoc sacramentum, sed sic suscipiens ponit obicem, & impedit effectum sacramenti. Ergo sacramentum ex sui institutione etiam secundaria non remittit per se mortalia. Consequent. prob. Tum quia, quod est aptum destrui per se à sacramento, non ponit obicem ipsi sacramento. Tum quia sumi potest sacramentum ex intentione secundari effectus per se; atque adeo ex intentione, quod remittat peccatum, si per se illud remittit; ita vt non solum stante ignorantia peccati, sed etiam supposita scientia posset intendi. Dum ergo scientia obstat, ne remittat, non remittet per se, quia cum remissio fundetur in aliquo per accidens, nempe in ignorantia, etiam remissio erit per accidens.

9 Dicendum 2. Extremam vnctionem remittere peccata per accidens non tantum ex communi ratione sacramenti, sed etiam ex propria ratione specifica; ita vt ex propria ratione habeat annexam talē remissionē stante bona fide suscipientis. Prob. Sacramentum Extremæ vnctionis habet ex propria ratione specifica tollere reliquias peccatorum, & præparare ad introitum gloriæ. Ergo stante bona fide suscipientis ex propria ratione specifica remittit peccata etiam mortalia. Conseq. prob. Gratia sacramentalis ipsius habet repugnantiam cum reliquiis peccatorum, & habet præparare ad introitum gloriæ. Ergo à fortiori habet tollere peccata præsertim mortalia, quia hæc omnino obstant huic præparationi, & alleuiationi infirmi.

10 Confir. Gratia habitualis, quatenus est propria huius sacramenti, habet exigentiam specialium auxiliorum, ratione quorum erigatur anima infirmi in spem diuinæ misericordiæ, & consequenter etiam ad amorem Dei, & ad se præparandum ad introitum gloriæ. Ergo habet oppositionem cum peccato, nedum vt gratia habitualis est, & communis sacramētis; sed etiam, vt est gratia sacramentalis propria huius sacramenti. Ergo hoc sacramentum expellet mortalia per accidēs ex vi propriæ rationis.

11 Ad fundamentum oppositæ sententiæ neg. conseq. Quia remissio peccatorum non est effectus proprius huius sacramenti, quatenus per accidens conuenit propriæ rationi huius sacramenti ad differentiam aliorum sacramentorum, quibus tantum ratione suæ communis causalitatis conuenit remittere. Quod autem sit effectus per accidens, significant ipsa verba Iacobi Apostoli, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*. Promittit enim remissionem peccatorum sub conditione existentiæ, non quidem cognitæ, quia tunc ponerent obicem sacramento; sed ignoratæ: atque adeo sub conditione per accidens; quod autem conuenit sacramento ex suppositione alicuius per accidens, non potest conuenire per se. Et eodem modo loquitur etiam Concil. Trident.

12 Ad confir. In forma huius sacramenti exprimi remissionem peccatorum, prout peccatum amplè sumitur secundum totam suam integritatem, atque adeo nedum, vt dicit rationem formalem peccati, sed etiam prout dicit reliquias, & poenas abluendas pro peccatis; nam etiam poena debita peccatis dicitur peccatum iuxta illud *lib. 1. Machab. cap. 9. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt absoluantur à peccatis*, hoc est à poenis soluendis pro peccatis. Vnde cum forma explicet interiorem vnctionem, per quā remittantur peccata, debet accipi principaliter de remissione peccatorum quoàd reliquias, & secundariò per accidens quoàd culpam.

13 Ex his colligitur contra Chelison. *3. par. quæst. 30. supplem. ar. 1. ver. Notandum est, hoc sacramentum*. Extremam vnctionem conferre gratiam attrito tantum, postquàm incidit in phrænesim, vel in amentiam, etiam si

si antè non putasset se esse contritum, vt docent communiter præsertim Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp* 41. *sect.* 1. *n.* 16. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. *num.* 92. Ratio est. Quia licet hoc sacramentum sit viuorum, potest tamen per accidens causare primam gratiam in subiecto disposito. Attritio autem supernaturalis est sufficiens dispositio, quia licet requiratur, quod suscipiens cum sola attritione putet, se esse contritum, hæc tamen opinio, seu bona fides non requiritur vt dispositio, sed ne suscipiens peccando de nouo, ponat obicem, quæ ratio cessat in amente, cum sit incapax peccati, nec cognoscat se indigne accedere, seu absque dispositione per se requisita.

14 Colligitur 2. Hoc sacramentum non remittere peccata excitando in suscipiente contritionem, aut alios actus, per quos expellantur, sed immediatè per seipsum, vt docent communiter. Sacramenta enim causant ex opere operato effectus, atque adeo per se ipsa immediatè. Vnde cum hoc sacramentum causet interiorem vnctionem, per ipsam etiam abstergit peccata.

An remissio poenæ temporalis sit effectus Extremæ vnctionis. Quæst. 428.

S V M M A:

1 *Extrema vnctio remittit aliquo pacto pœnas temporales.*
2 *Desumitur ex verbis D. Iacobi.*
3 *Sub qua mensura remittat has pœnas. n.4.*
5 *Obiectioni satisfit num. 6.*

---

1 Constans est communis sententia Doctorum, quod hoc sacramentum remittat saltem aliquo pacto poenas temporales, quæ soluendæ remanent pro peccatis. Ita Angelus *verbo. Vnctio. num.* 6. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 9. *num.* 2. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disput.* 41. *sect.* 1. *num.* 17. Isambert. *disput.* 4. *de Extr. vn. art.* 5. *dub.* 1. Laiman *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 2. *in fine.* Coninch *de sacram. disp.* 19. *dub.* 5. *num.* 19. Granad. 3. *par. controuer.* 8. *tract. vnct. disp.* 5. *sect.* 1. *numer.* 8. Putean. *disp.* 8. *de Extr. vnct. dub.* 4. *conclus.* 4. Merat. *tom* 3. *sum. disp.* 6. *de Extr. vn. sect.* 1. *ver. Alii reatum.* Ochagauia *de sacram. quæst.* 1. *de Extr. vnct. num* 12. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 5. *num.* 9. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 2. *num.* 3. Auersa *de sacram. quæstion. de Extr. vnct. sect.* 6. *ver. Sed dici etiam.* Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 2. *de Extr. vnct. n.* 15.

2 Hoc autem desumitur ex verbis Iacobi Apostoli. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*; cum enim nomine peccati veniat etiam poena soluenda pro peccato, vt dictum est *quæst. præced. num.* 12. dum remittit peccata, consequenter remittet etiam poenam. Præsertim quia poena venit nomine reliquiarum peccati, & est ex illis, quæ impediunt introitum ad gloriam. Rursus cum hoc sacramentum augeat gratiam, & consequenter reddat magis dignum gloria, debet etiam minuere poenas quatenus impediunt ingressum.

2 Dubium tamen remanet, sub qua mensura remittat has poenas. In qua difficultate, certum est, quod regulariter non remittat totam poenam, vt docent communiter Doctores præsertim n. 1. citati, siquidem neque etiam tota tollitur per sacramētū penitentiæ. Extrema autem vnctio non est quoad hoc potētior sacramēto pœnitentiæ. Deinde, si tolleret totam poenam vix relinqueretur locus Purgatorio, quia quicunque ritè susciperet Extremam vnctionem, non spe-

ctatet ad purgatorium vt pote liber ab omni reatu poenæ.

4 Quarè, vt concludunt citati Doctores aliquam tantum partem pœnæ remittet, maiorem, vel minorem iuxta dispositionem suscipientis, vt contingit in sacramento poenitentiæ. Et ratio est, quia sacramenta operantur suos effectus iuxta dispositionem suscipientium, ita vt conferant maiorem gratiam iuxta maiorem, vel minorem dispositionem: vnde eodem modo remittent etiam poenam. Fieri tamen potest, quod aliquando remittat totam poenam, vel quia remanet exigua solnenda, vel quia dispositio suscipentis est talis, vt ad ipsam consequatur virtute sacramenti tota remissio. Quod etiam contingit in sacramento poenitentiæ, vt indicat Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 15. *de poenit.* dum inquit, quod, dum virtute clauium aufertur poena æterna, temporalis plerumque exoluenda remanet; si enim plernmque, non semper remanet.

5 Dices. Hoc sacramentum tollit reliquias peccatorum, quatenus impediunt ingressum ad gloriam. Ergo tollit totam poenam temporalem, quia remanente quacunque parte, adhuc remanet impedimentum. Resp. Neg. conseq. Quia hoc sacramentum non tollit, quicquid retardat ingressum gloriæ, sed solum quod absolutè impedit. Quia de se non habet facere gloriam debitam immediate post mortem, sed tantum præparare ad ipsam; hæc autem præparatio potest esse maior, aut minor.

6 Instabis. Hoc sacramentum est consumatiuum poenitentiæ, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *proem. de extr. vnct.* hoc est perfectiuum. Ergo cum poenitentia remitrat poenas temporales quòad partem, Extrema vnctio perficiet hanc remissionem, & remittet totam poenam. Respon. Hoc sacramentum esse perfectiuum poenitentiæ quòad remissionem peccatorum absolute; quòad coetera autem secundum quid regulariter: vt enim aliquid sit perfectiuum alterius, non est necesse, quod illi conferat omnimodam perfectionem, sed sufficit, si aliquam: vnde vt perficiat quòad remissionem poenæ, sufficit, si aliquam partem remittat.

An Extrema vnctio causet corporalem sanitatem. Quæst. 429.

S V M M A.

1 *Sanitas corporis effectus Extremæ vnctionis.*
2 *Extrema vnctio confert auxilia ad toleranda morbi incommoda, & difficultates.*
3 *Opinio Scoti. n. 4.*
5 *Extrema Vnctio causat sanitatem, quando expedit saluti animæ.*
6 *Et probatur.*
7 *An hic effectus sit infallibilis stante quod expediat animę saluti.*
8 *Obiectis satisfit. num. 9. & 10.*
11 *Hic effectus vt obtineatur.*
12 *Vt explicandus.*
13 *Vt saluetur in hoc efficacia sacramenti.*

1 Inter duos effectus Extremæ vnctionis recensetur etiam aliquis effectus corporalis, nempe sanitas corporis. Et eum assignant Concil. Florentinum *in Decreto fidei pro Armenis*. §. *Quintum sacramentum*. dum inquit. *Effectus autem est mentis sanatio, & in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Et Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extrema vnct. Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit*, (infirmus) *consequitur*. Hunc autam effectum deducunt Doctores ex illis verbis Iacobi Apostoli. *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Quæ tamen verba probabilius videntur accipienda de saluatione spirituali, quia

A-

Apostolus absolutè, & simpliciter, & primo loco hanc saluationem, promittit: sanitas autem corporalis non est effectus simpliciter, & absolutus huius sacramenti, sed tantum aliquando, & sub conditione, quod expediat. Deinde Apostolus non explicasset principalem effectum, qui est vnctio spiritualis, qua infirmus constituitur in statu salutis, nisi hæc verba acciperentur de saluatione spirituali; nam verba, *Alleuiabit eum Dominus*, important actualia auxilia, quibus in ordine ad operationes ægroti anima confortatur. Rursus non minus intelligi possent illa verba *Alleuiabit eum Dominus* de corporali alleuiatione, & consequenter effectus spiritualis non fuisset explicatus à D. Iacobo. Quare omnia hæc verba referenda sunt ad effectum spiritualem: & effectus corporalis tanquam consectarius debet censeri explicatus solum consequutiuè ad saluationem, & alleuiationem spiritualem.

2 Supponendum autem est tanquam certum, quod hoc sacramentum confert auxilia in ordine ad tolleranda morbi incommoda; & difficultates: ita enim tradit Concil. Triden. *sess. 14. cap. 2. de Extr. vnct.* Hic autem effectus non est corporalis, sed spiritualis, quia consistit in patientia, & in quadam lætitia mentis, ratione cuius leuiora videntur morbi incommoda: vnde ex hoc capite neque etiam minuitur morbus, sed anima corroborata spiritualiter minus ipsum sentit. Quod autem spectat ad sanitatem corporalem, difficultas est quomodo illam causet.

3 Sotus *in 4. dist. 23. quæst. 1. ar. 2. ad 5. contra 5. conclusionem* docet, quod hoc sacramentum non confert immediatè sanitatem corporis, sed tantum dat auxilia ad illam recuperandam, quæ corroborant virtutem naturæ, & medicamentorum, quia tamen potest esse tanta morbi uis, vt illa auxila non sufficiant, ideo non sequitur effectus sanitatis. Quod explicat exemplo sacramenti confirmationis, quod solum confert auxilia ad confitendam fidem, quæ tamen non semper sufficiunt, vnde in forti sufficient, non autem in meticuloso. Vnde reiicit communem sententiam, quod tunc conferat sanitatem, quando expedit saluti animæ.

4 Prob. Multi sanantur post Extremam vnctionem, quibus expediret magis mori, è contra verò aliqui moriuntur quibus magis expediret viuere. Secundò. Aliquando tanta est iniquitas morbi, vt opus esset miraculo. Tertiò. Sanitas corporis nunquam est medium necessarium pro salute spirituali. Ergo non est necesse, quod per virtutem sacramenti recuperetur, cum sacramenta ordinentur principaliter ad salutem animæ.

5 Tenendum tamen est. Quod Extrema vnctio causet sanitatem corporis, quando ita expedit saluti spirituali. Quod quidem debet intelligi, non vt causet in instanti, sed per alleuiationem naturæ, quæ successiuè fiat à Deo excitante in natura virtutem expulsiuam morbi. Ita tradunt Concil. Florent. & Trident. *citat. numer. 1.* & communiter Doctores Hugo Victorin. *lib. 2. de sacramen. cap. 15.* Magister *in 4. dist. 15.* vbi & coeteri Doctores. D. Th: *quæst. 1. ar. 2. quæst. 2. in corp. & 4. contra Gent. cap. 73. & opusc. 65. vbi de extr. vnct. & 3. part. quæst. 30. supplem. ar. 2.* Petrus Sotus *lect. 1. de extr. vnct.* Bellarmin. *lib. de Extr. vnct. cap.* 8. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 32. *ar.* 2. D. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 8. Syluester *verbo. Vnctio numer.* 3. Tabiena *num.* 5. Angelus *n.* 6. Petrus Ledesma *par.* 1. *sum. cap.* 4. *de Extr. vn. conclus.* 7. Mercer. *de sacram. quæst.* 30. *supplemen. ar.* 2. *ver. Notandum* 3. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disput.* 41. *sect.* 3. *numer.* 1. *& sequent.* Nugnus 3. *par. quæst.* 30. *supplem. ar.* 2. *ver. In ista inquam.* Syluius *ibid.* Chellison. *eod. ar.* Putean. *quæstion. de Extr. vnct. dub.* 4. *conclus. vlt.* Præposit. *dub.* 11. *nu.* 69. Isambert. *disp.* 4.

de

de Extr. vn. ar. 4. proposit. 2. Granad. *controuer.* 8. *tract. vn. disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 14. Valent. *tom.* 4. *sum. disput.* 8. *quæst.* 1. *pun.* 3. Ochagauia *de sacram. quæst.* 5. *de Extr. vnct. num.* 18. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disput. vn. pun.* 5. *numer.* 11. Auersa *de Extr. vnct. sect.* 7. *ver. Hanc Soti.* Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 2. *de Extr. vnct. num.* 13. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *summ. quæst. de Extr. vnct. ar.* 4. *dub.* 2. Amicus *tom.* 8. *disp.* 19. *sect.* 6. *num.* 127. Lessius *de sacrament. cap.* 4. *de Extrem. vnct. dub.* 1.

6 Huius autem rei non potest reddi alia ratio, nisi ipsa institutio. Quod autem Extrema vnctio sit instituta etiam adhunc effectum; non solum habetur ex communi sensu Doctorum; sed etiam ex Concil. Florent. & Trident. *num.* 1. *cit.* qui tribuunt hunc effectum huic sacramento, quando saluti spirituali expedit. Et forma, qua vtitur Ecclesia Græca expresse petitur hic effectus à Deo, & Concilium Cabilonense II. *sub Leone III. cap.* 48. dicitur medicina, quæ animę corporisque medetur languoribus. Ratio autem congruentiæ est, quia cum sit institutum hoc sacramentum per modum medicinæ, seu curationis, consentaneum fuit, quod etiam suam uim extenderet ad corporalem curationem. Deinde vt homines in illis angustiis morbi haberent aliquod remedium etiam pro corporali salute; ne recurrerent ad aliquid superstitiosum. Debuit autem hic effectus esse dependens à salute spirituali, quia sacramentum principaliter est propter ipsam institutum.

7 Verum adhuc inquirendum superest, an stante, quod expediat saluti spirituali, hic effectus sit infallibilis, ita vt semper conferatur, quando expedit. Et partem affirmatiuam videntur vt plurimum sequi Doctores numero 5. citati. At oppositum mihi probabilius videtur, quod tradunt etiam Tanner. *tom.* 4. *summ. disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 46. *& sequent.* Amicus *tom.* 8. *curs. theologici. disp.* 19. *sect.* 6. *num.* 128. *in fine*. Ludouic. à S. Io. *par.* 1. *sum. quæst. de Extr. vn. ar.* 4. *dub.* 2. *in Append.* Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 9. *n.* 124. Sed volunt, quod conferat, si Deo ita visum fuerit, quod etiam habet Concil. Coloniense *anni* 1536. *cap.* 49. Et hoc habet etiam Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Extr. vnct.* si recte expendantur verba ipsius, *Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur*, nempe infirmus. Si enim voluisset Concil. Quod effectus esset infallibilis, quando animæ expedit, dixisset tantum Vbi saluti animæ, nam per dictionem, Vbi, effectus erat coarctatus ad casum, in quo conferret saluti animæ: vnde cum addat dictionem, Interdum, significat, quod non semper, quando expedit animæ, conferatur, sed solum aliquando. Dictio enim, Interdum, excipit à Regula, vt norant Glos. *in leg. Interdum. ff. de condict. indebit.* Salicet. *ibid.* Vulpel. *de præposit. & aduer. verbo. Interdum.* Nec obstat Concilium Florent. nam non dicit *In quantum expedit animæ, aut saluti*; sed absolutè, *In quantum expedit.* & proinde debet accipi quatenus absolutè expedit habita ratione cuiuscunque, atque adeo etiam diuinæ prouidentiæ.

8 Ad 1. Non omnes, qui sanantur post extremam vnctionem, sanari virtute sacramenti, sed posse naturaliter sanari. Deinde sanari per Extremam vnctionem, quando confert saluti spirituali vel hic, & nunc, vel in ordine ad salutem æternam. Quando verò aliqui moriuntur, quibus magis expediret viuere, quamuis hoc de nullo affirmari possit, quia nescimus, quid de ipsis futurum sit, adhuc tamen hoc supposito, non habet locum obiectio, quia non dicitur hoc sacramentum afferre sanitatem corporalem, quando magis expedit, sed quando expedit; vnde fieri potest, quod hic, & nunc non expediat sanitas, licet ma-

magis expediret pro tempore futuro. Imo neque B. Virgini magis expediebat, supposito, quod hoc sacramentum sumpserit, quia magis expediebat ire in gloriam. Denique non semper confert, quando expedit, vt dictum est, sed iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ.

9 Ad 2. neg. sequel. quia sufficit virtus supernaturalis ad vincendam quamcunque iniquitatem morbi, quia si confortetur uirtus naturæ, præualebit morbo, quod sine miraculo potest fieri à Deo, præsertim, quia fit successiuè, & non in instanti. Vnde sufficit institutio Christi pro hoc effectu.

10 Ad 3. Licet salus corporalis non sit medium necessarium pro spirituali; & proinde non fuerit necessarium pro ipsa institui sacramentum, potuit tamen Christus ornare sacramentum institutum ob alium effectum spiritualem etiam ad hunc effectum. Neque est eadem ratio de sacramento Confirmationis, & coeteris, ac de extrema vnctione; nam auxilia, quæ confert confirmatio in ordine ad confessionem fidei, sunt in ordine ad actum liberum, & ideo voluntas potest ipsis resistere: aut in hoc sacramento respiciunt effectum independentem à libera voluntate.

11 Ex dictis colligitur, quod non solum hic effectus obtineri potest per operationem supernaturalem, qua morbus debellatur, aut per immediatam destructionem radicis ipsius, aut per confortationem virtutis naturalis supernaturali modo factam, sed etiam, vt notat Auersa *de sacram. qu. de Extrem. vn. sect. 7. ver. Dupliciter etiam.* per uim naturalium causarum immittendo in mentem congrua remedia, & suggerendo congruam curationem, qui quidem modus dicit suauitatem prouidentiæ. Et hic modus operandi solet adhiberi à Deo in ordine ad effectus à se specialiter intentos, vt passim in sacra scriptura præsertim in electione Regum populi Israel itici.

12 Colligitur 2. Effectum sanitatis posse explicari etiam cum D. Th. *Opus 65. cap. de sacram. vnct.* Vt nimirum, quando infirmus aliàs recuperaturus est sanitatem, ipsam acceleret. In quo saluatur efficacia sacramenti, quatenus instituti per modum medicamenti, quia sicuti, vt medicamentum sit efficax, sufficit, quod quocunque modo conferat ad sanitatem, ita etiam in sacramento instituto per modum medicamenti. Per hoc tamen non excluditur, quin aliquando conferat etiam absolutè sanitatem.

13 Colligitur 3. cum Isambert. 3. *par. disp. 4. de extr. vnct. ar. 4. in fine.* saluari etiam efficaciam sacramenti quoad hunc effectum ex eo, quod solum afferat infirmo aliquod leuamen morbi, quod similiter ad salutem spiritualem conducat; fieri enim potest, quod infirmus oppressus morbo non possit sibi prouidere de remediis conducentibus ad salutem; & quod hoc sacramentum non solum abstergendo peccata, si quæ sunt, & reliquias; sed etiam mitigando vim morbi prosit infirmo concedendo facultatem disponendi de iis, quæ pertinent ad salutem. Quod etiam notat Auersa *de sacramen. quæst. de Extr. vnct. sect. 7. ver. Duplex autem.*

Quando Extrema vnctio conferat suum effectum. Quæst. 430.

S V M M A.

Con-

8 *Confirmatur sententia. num. 9.*
10 *Soluuntur argumenta. & seq.*

1 Difficultas solum procedit de effectu principali, qui est gratia sacramentalis, seu gratia habitualis cum exigentia auxiliorum in ordine ad alleuiationem, seu de alleuiatione in actu primo, non vero de ipsis auxiliis actualibus, quia hæc conferuntur toto tempore, quo durat periculum vitæ iuxta exigentiam infirmi; non secus ac tempore opportuno dantur auxilia, quæ pertinent ad gratiam sacramentalem confirmationis per totum tempus vitæ, quia sicut Confirmatio respicit totum tempus vitæ, ita Extrema vnctio totum tempus periculosæ infirmitatis. Nec item procedit de effectu secundario Extremæ vnctionis, nempe sanitate corporali, quia experientia constat, quod non confertur, quando ministratur Extrema vnctio.

2 Prima sententia asserit in prima vnctione tolli omnia mortalia, per se quidem, quæ commissa sunt per sensum, qui vngitur, concomitanter autem etiam coetera. Gratiam vero produci per singulas vnctiones partialiter, ita vt vnicuique vnctioni correspondeat pars gratiæ: & proinde per singulas vnctiones tollantur illa peccata venialia, quæ commissa sunt per illum sensum, & etiam partem poenæ correspondentem peccatis commissis per illum sensum. Hanc sententiam probabilem putat Henriquez *lib. 3. sum. cap. 12. num. 3.* Suarez *5. par. tom. 4. disp. 41. sect. 2. num. 7.* Filliuc. *tract. 36. capit. vlt. numer. 126.* Coninch. *de sacram. disp. 19. dub. 6. numer.* ... Amicus *tom. 8 curs. theol. disput. 19. sect. 7. num. 138.* Lessius *de sacramen. cap. 4. de Extr. vnct. dub. 3. in fine.* Solet autem tribui nonnullis Doctoribus; sed eam expresse non tradunt, Solum videtur deduci ex iis, quæ docent de vnitate huius sacramenti. Eam autem tenet Præposit. *3. par. q. de extr. vn. dub. 13. num. 101. & seq.* Prob. Quælibet species Eucharistica confert effectum sacramenti, sicut etiam quilibet partialis Ordo. Ergo etiam quælibet vnctio. Secundo. Quælibet vnctio dicit completam materiam, & formam partialem cum propria significatione completa. Ergo etiam proprium effectum partialem, cum sacramenta causent, quod significant. Tertiò. Hoc pacto est prouisum casibus, qui possunt occurrere, vt si quis esset tantum attritus, putans tamen se contritum, & post primam vnctionem moreretur; tunc enim reciperet gratiam, & saluaretur.

3 Secunda sententia asserit conferri in vltima vnctione, siue adhibeantur quinque, siue septem, si tamen intentio ministri referatur ad vltimam, vt debet referri; secus autem si non referatur, quia tunc in quinta vnctione conferretur effectus, cum tunc sacramentum sit essentialiter completum. Ita Sot. *in 4. dist. 23. quæst. 2. ar. ult. in fine.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 12. num. 3.* Hoc autem explicatur exemplo baptismi, quando conferebatur cum trina immersione, nam in vltima conferebatur gratia. Verum hoc exemplum nihil iuuat, quia si ante trinam immersionem forma complebatur, conferebatur etiam effectus, siquidem ante *ipsam erat* completum sacramentum *quoad* substantialia; & proinde etiam ponebatur effectus. Quia cum sacramenta causent; quod significant ad modum causarum naturalium, statim ac ponuntur secundum sua substantialia, cum ponatur etiam eorumdem substantialis significatio, ponitur etiam effectus. Vnde hæc sententia non potest subsistere. Quia si solum vnctiones quinque sensuum sunt de essentia, non poterit per intentionem ministri transferri productio effectus ad septimam, quia licet intentio requiratur ad valorem sacramenti, non

ta-

tamen immutare potest modum operandi ipsius: si verò septem vnctiones sunt de essentia, quod tamen dici non potest, nunquam in quinta vnctione produci poterit.

4 Tertia sententia asserit Extremam vnctionem producere suum effectum, quando sacramentum est essentialiter completum, compleri autem in quinta vnctione. Ita Syluester *verbo. Vnctio. num. 6.* Tabiena. *numer. 5.* Ledesma *par. 1. summ. tract. de Extr. vnct. capit. 1. dub. 1. post. 2. conclus.* Laiman *lib. 5. theol. moral. tract. 8. cap. 5. num. 4.* Suarez *3. par. tom. 4. disp. 41. sect. 2. numer. 13.* Valent. *tom. 4. summ. disp. 1. pun. 2.* Coninch *de sacram. disp. 19. dub. 6. nu...* Nugnus *3. par. quæst. 32. supplem. art. 6. dub. vn.* Chellison. *quæst. 30. artic. 1. ver. Dico 1. Probabiliorem.* Putean. *quæst. de Extrem. vnct. dub. 4. ver. Rogabis.* Granad. *controuer. 8. tract. de Extr. vnct. disp. 5. sect. 3. num. 19.* Mercerus *de sacramentis quæst. 33. supplem. ar. 7. ver. Quæritur primo.* Ochagauia *tract. de Extr. vnct. quæst. 6. num. 6.* Hurtad. *difficult. 9. de Extr. vnct. ver. S. Thomas verò.* Tanner. *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 2. numer. 39.* Mærat. *tom. 3. sum. disp. 8. de Extr. vnct. ver. de gratia habituali.* Filliuc. *tract. 3. cap. 5. num. 126.* Io. à Cruce *par. 2. Director. conscient. dub. 1. de Extr. vn. conclus. 3.* Lessius *de sacram. cap. 4. dub. 3.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 7. num. 115.* Auersa *de sacram. q. de Extr. vn. sect. 5. ver. At Extrema vnct.* Villalob. *part. 2. sum. tract. 10. difficul. 3. numer. 2.* Tribarnes *in 4. dist. 23. disp. 22. sect. 5. conclus. 3.* Et idem videtur desumi ex D. Tho. *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 2. quæstiunc. 1.*

5 Quarta sententia asserit, Hoc sacramentum conferre suum effectum completa prima vnctione cum sua forma, & ita tradunt non solum, qui volunt essentiam sacramenti saluari in vnica vnctione, sed etiam alij, qui requirunt quinque vnctiones. Eam autem specialiter tradunt Ledesma, *par. 4. quæst. 31. art. 2.* qui licet admittat etiam opinionem tertiam, hanc tamen posteriori loco ponit, Supplemen. Gabr. *in 4. dist. 23. dub. 6. ad vlt.* Serrarius *opus. de Extrema vnct. cap. 6.* Arcud. *lib. 5. de sacram. capit. 7. circa finem.* Becan. *de sacram. capit. 27. de Extr vnct. quæst. 7. conclus. 1.* Molanus *in theolog. pract. tract. 4.* Syluius *3. par. quæst. 32. supplem. artic. 6. quæst. 6.* Estius *in 4. dist. 23. §. 15. ver. Secundò quæritur.* Isambert. *3. par. disp. 2. de Extr. vnct. artic. 5.* Amicus *tom. 8. curs. Theologici, disp. 19. sect. 7. num. 137.* Baunius *tom. 1. Theol. moral. tract. vlt. quæst. 10. ver. Secunda.*

6 Dicendum est. Extremam vnctionem producere suum effectum in prima vnctione completa forma, quæ super ipsam profertur. Prob. Effectus Extremæ vnctionis sufficienter significatur per primam vnctionem, & eiusdē formā. Ergo per ipsam producitur. Min. prob. Vnctio, qua vnctio est, non qua talis vel talis partis, nec quà multiplex, quia ratione multiplicationis crescat tantum extensiue, non significatiuè, significat interiorem vnctionem gratiæ Spiritus Sancti, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. capit. 1. de Extrema vnct.* & forma consignificat eidem materiæ in ordine ad eamdem interiorem vnctionem, & cum non differat à cœteris formis, nisi penes expressionem talis, vel talis sensus; vnde cum non significet interiorem vnctionem exprimendo talem sensum, vt per se constat, debet exprimere ratione aliorum verborum, alioquin neque per omnes formas simul exprimeretur, quia singulæ constant iisdem verbis, excepta expressione talis, vel talis sensus. Ergo cum effectus huius sacramenti consistat in interiori vnctione habente annexa auxilia alleuiatiua, prima vnctio cum sua forma significabit effectum Sacramenti. Conseq. Prob. Significare sacramenti, est causare, ita vt quæ in

in actione consistunt, ipsa significatio sit ipsa causatio; ergo,cum prima vnctio significet, etiam causabit.

7 Dices. Non significari sufficienter effectum Sacramenti in prima vnctione, quia cum significetur in ordine ad sensus, non significatur sufficienter, nisi significetur in ordine ad omnes. Contra. Effectus significatur secundum sui naturam, & eo modo, quo potest poni in esse, quia significatur practico modo, & per significationem causatur. Ergo licet exprefsè significentur in ordine ad vnicum sensum, implicite, & virtualiter significatur in ordine ad omnes, quia est talis naturæ, vt tollat omnia peccata; & vngat animam in ordine ad omnes sensus, & conferat auxilia debita in ordine ad quascunque operationes. Confir. Significatio cum expressione talis, vel talis sensus non variat substantiam significationis, quia non variat id, quod significatur, sed tantum connotatum accidentale, seu materiale in ordine, ad quod datur res significata. Ergo cum in prima vnctione sit substantia significationis, erit etiam sufficiens efficacia ad ponendum effectum. Confir. 2. Contritio, licet sit tantum exprefsè de vno peccato mortali, quia tamen est virtualiter de omnibus, est sufficiens ad omnia delenda, & ideo est virtualiter de omnibus, quia detestatur peccatum sub ratione offensæ diuinæ, quæ cum sit communis omnibus, trahit ad omnia detestationem. Ergo cum effectus significatus in Extrema vnctione ex natura sua se extendat in ordine ad omnes sensus, tàm quòad remissionem peccatorum, quàm quòad auxilia, eò ipso, quod significatur exprefsè in ordine ad vnū sensum, significabitur virtualiter in ordine quoque ad alios: & proinde in prima vnctione erit sufficiens significatio ad ponendum effectum.

8 Confir. Quando sacramenta significant suum principalem effectum, quamuis non significēt exprefsè, quicquid consequitur ex principali effectu, sunt sufficienter constituta in sua significatione sacramentali, & causant effectum proprium, & consequenter quicquid inde sequitur, quia effectus minus principales, aut consequētes ex primario non debent necessario explicari. In prima autem vnctione significatur effectus principalis, nempe gratia vngens interius, & alleuians. Ergo sufficienter significabitur effectus sacramenti, & aderit significatio sacramentalis sufficiens ad ponendum effectum. Min. Prob. Vnctiones sensuum non differunt inter se nisi materialiter ratione subiecti, quod non facit ad sacramentalem significationem, & ideo, quantum est ex parte materiæ, est eadem sacramētalis significatio in qualibet vnctione, & ideo, si vna non significat, nec etiam omnes simul significabunt. Rursus formæ solum inter se differunt in eo, quod in vna explicatur vnus sensus, in alia alter; vnde totum discrimen est in illis verbis. *Per visum*, *Per auditum*, *&c.* Ergo cum ista verba non significent effectum principalem, siquidem non significant interiorem vnctionem gratiæ, nec allieuationem, significabunt per alia verba, quæ cum sint eadem in omnibus formis, quælibet forma significabit effectum principalem; & proinde prima producet, cum habeat sufficientem significationem sacramentalem.

9 Confir. 2. *In consecratione* Eucharistica forma consecratiua prolata supra suam materiam statim sortitur suum effectum, quamuis non habeat totum modum significationis, quia sine subsequenti forma calicis non significat sacrificium cruentum, nam in tantum significat corpus separatum à sanguine, in quantum subsequens forma significat sanguinem seorsim à corpore. Et hoc non alia ratione, nisi quia operatur, quod significat. Ergo etiam prima vnctio cum sua forma, cum operetur, quod significat, statim sortietur suum ef-

effectum, quamuis non habeat integrum modum explicitum significandi.

10 Dices. Esse disparem rationem, nam formæ consecrationis sunt indicatiuæ, & ideo, vt verificentur, debet poni in esse effectus, quem significant. At formæ Extremæ vnctionis sunt deprecatiuæ, quæ cum nihil affirment, non requirunt, quod dum pronunciantur, aliquid ponatur, vt verificentur. Contra. Non minus ponitur effectus ex vi significationis in hoc sacramento, quam ponatur in aliis, & in consecratione; Ergo si in his requiritur positio effectus, vt saluetur significatio, & ratio signi practici, debet etiam poni in Extrema vnctione. Secundò. Sacramenta operantur per modum causarum naturalium, & operatio, seu causatio consistit in significatione. Ergo si prima forma Extremæ vnctionis sufficiēter significat effectum, illum causabit, nec differretur. Tertiò. Quamuis forma sit deprecatiua, est tamen practica, & practico modo significat. Ergo non minus requirit positionem effectus, quàm requirat forma consecrationis, quia hæc ideo requirit, quia efficit, quod significat. Quartò: Licet sit deprecatiua, est tamen signum practicum. Ergo, si non poneretur in esse, quod significat, dum profertur, esset signum practicum falsum, quia non esset, quod signaret, & cum significet practico modo, hoc est efficiendo, vt sit verum, debet fieri, quòd significat. Denique sacramenta ex genere suo ex vi significationis practicæ sacramentalis habent annexum effectum, quem significant. Ergo etiam Extrema vnctio, licet habeat formam deprecatiuam, nam quicquid conuenit generi, conuenit etiam speciei.

12 Dices 2. Sufficere, si significet effectum ponendum, quando decreuerit Deus dare, quia vt deprecatiua significat vt ponendum ex voluntate illius, à quo petitur. Contra. Voluntas Dei est, quod effectus ponatur ad positionem sacramenti. Ergo statim ac ponitur sufficiens significatio. Secundò. Significat practico modo, hoc est efficiendo. Ergo significat effectum, vt de praesenti ponendum.

13 Dices 3. Primam vnctionem non esse absolutam vnctionem, sed inchoatam, & ideo non sufficere ad significandum effectum. Contra. In baptismo vnica ablutio est sufficiens, vt baptizandus dicatur absolutè ablutus, etiam si fiat in exigua parte corporis. Ergo etiam prima vnctio erit sufficiens, vt homo dicatur absolutè vnctus.

14 Ad 1. primæ sent. Resp. quod tangit difficultatem, an tota gratia producatur in prima vnctione Quamuis autem sit diuersa ratio de speciebus Eucharisticis, ac de vnctionibus in Extrema vnctione, dicēdum tamen, quod sicut iuxta probabiliorem sententiam, quam tradidi *in Theologia Morali disp.* 107. *sect.* 3. Quando Eucharistia sumitur sub duplici specie, à sola prima specie causatur gratia: ita etiam in Extrema vnctione in sola prima vnctione, quantum est ex vi sacramenti; potest tamen crescere in cœteris vnctionibus ratione dispositionis suscipientis. Imò ex hoc exemplo corroboratur posita conclusio; nam sicuti prima species Eucharistica causat gratiam independenter ab alia, quia illam significat per modum cibi refectiui: ita etiam prima vnctio cum sua forma causabit suum effectum, quia illum significat per modum interioris vnctionis alleuiantis. Nec potest dici, quod significet incompletè, quia significat remissionem peccatorum vnius sensùs; nam hæc significatio non est in ordine ad effectum primarium, sed secundarium, nec significat partialiter remissionem peccatorum, quia, vt dictum est, præsertim *numer.* 7. virtualiter significat totalem remissionem.

15 Ad 2. neg. conseq. Quia, cum

effectus sit causatus per primam vnctionem ratione sufficientis significationis substantialis, subsequentes vnctiones non amplius causant; sicuti neque causat secunda species Eucharistica, cum supponat iam effectum causatum. Ad 3. eodem modo esse prouisum pro illis casibus, si effectus ponatur tantum in prima vnctione.

An Extrema vnctio conferat suum effectum in sequentibus vnctionibus, si in prima subiectum sit indispositum. Quæst. 431.

S V M M A.

1 SI ponatur, quod Extrema vnctio causet suum effectum in quinta vnctione, certum est, quod ipsum causabit, si tunc, quando peragitur, suscipiens sit dispositus, quamuis in præcedentibus non esset dispositus, vt specialiter notat Ochagauia *de sacramen. quæst. 6. de Extr. vnct. num.* 11. Quia indispositio non ponit obicem sacramento quoad suũ effectum, nisi quando ipsi contrariatur: non contrariatur autem, nisi pro eo tempore, in quo debet poni; vnde si sit sublata, quando est ponendus effectus, cum sacramentum non reperiat obicem, ponit in ipso effectum. Vnde difficultas habet locum solum supposito, quod producat in prima vnctione:

2 Dicendum est. Extremam vnctionem, quando reperit obicem in prima vnctione, producere suum effectum, quando primò reperit subiectum sine obice, siue in secunda, siue in subsequentibus. Hæc resolutio est conformis doctrinæ, quam in materia Eucharistiæ, quod scilicet gratia producatur à secunda specie, si prima reperit obicem, tradunt Caiet. *3. par. quæst. 79. artic.* 1. Nugnus *ibid. ver. Ad secundum*. Conich. *dub.* 2. *numer.* 48. Chellison. *dub. vnic. ver. Hinc sequitur tertio*. Suarez *disp. 63. de Sacramen. sect.* 8. Palaus *part. 4. tract. 21. disp. vn. pun. 9. §. 1. num.* 6. Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 2. artic.* 1. & alii. Quamuis non desint, qui similiter loquentes de Eucharistia oppositum doceant, vt Henriquez *lib. 8. sum. cap. 43. numer.* 3. Bonac. *disp. 4. de Eucharist. quæst. 4. pun. 2. numer. 6. ver. Respondeo negatiuè*.

3 Prob. In qualibet vnctione cum sua forma est eadem significatio substantialis, nec vna ex natura sua est prior altera, sed à quacunque potest sacramentum incipere, vt suo loco dictum est. Ergo quæcunque vnctio est sufficiens ad producendum effectum, cum producat ratione significationis substantialis sacramentalis, & sit apta semper producere, si primo loco adhibeatur. Ergo si prima non producit, quia reperit obicem in subiecto, producet prima subsequens, quæ non reperit obicem. *Antecedens.* prob. Vnctiones cum *suis formis* non differunt ad inuicem, nisi ratione subiecti, in quo fiunt, & ratione expressionis remissionis peccatorum in ordine ad talem, vel talem sensum. Prima est merè materialis, cum sit ratione subiecti, in quo recipitur sacramentum: secunda vero est etiam materialis, quia non est in ratione signi sensibilis practici, sed ratione subiecti, seu radicis peccatorum, seu ratione peccatorum certi generis, non autem in significatione effectus, præsertim primarii. Ergo in ratione significationis substantialis sacramenta-

talis non differunt, sed significatio quæ est in vna, est etiam in alia.

4 Dices. Differre ratione ordinis sibi intrinseci ad certum genus peccatorum. Contra. Hic ordo non est ad effectum primarium, sed secundarium, & conditionatum: Significatio autem substantialis attenditur respectu effectus primarii. Cum dicat ordinem ad remissionem omnium, cum gratia sit omnium remissiua, licet solum expresse certum genus explicetur.

5 Obiicies. Vnctio quinque sensuum, atque adeo multiplex vnctio non est ex institutione Christi, sed Ecclesiæ. Ergo vnctiones subsequentes ad primam non poterunt causare effectum, vt pote rituales, non verò sacramentales. Resp. neg. Conseq. Quia Christus pro materia instituit solum vnctionem in genere cum forma proportionata: Ecclesia autem pro potestate sibi tributa à Christo, vt habet Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2.* statuendi circa sacramenta, quæ expediunt salua eorumdem substantia, decreuit, quod ista vnctio fieret in quinque sensibus cum repetitione eiusdem formæ variata solum significatione sensus, qui vngitur. Vnde cum substantia sacramenti iuxta institutionem Christi sit in qualibet vnctione: & de intentione Ecclesiæ sit, quando instituit quinque vnctiones, quod sacramentum sortiatur effectum quocunque modo potest, sequitur, quod si non sortitur in prima vnctione ratione obicis, sortiatur in subsequentibus, cum adhuc duret in ipsis eadem significatio sacramentalis.

6 Obiicies 2. Deus decreuit, quod sacramenta producant suum effectum in certo tempore. Ergo, si tunc impediuntur, non amplius producent. Ergo cum extrema vnctio debeat producere in prima vnctione, si tunc impeditur, non amplius producet. Resp. Deum non determinasse tempus, in quo præcisè sit producendus effectus sacramentorum, sed solum, quod ponatur, quando ponuntur in esse sacramenta. Vnde quando contingit, quod sacramenta habeant plures partes dicentes singulas significationem sacramentalem, si non ponitur per primam, ponitur per secundam, nisi aliud obstet, quia ratione tractus successiui, per quem durat sacramentum in illis partibus, sicut durat significatio sacramentalis, ita etiam durat efficacia.

7 Obiicies 3. Omnes vnctiones constituunt vnicum sacramentum. Ergo si aliqua vnctio semel reperit obicem, non poterunt aliæ producere effectum, quia iam semel sacramentum habuit obicem. Resp. Omnes vnctiones constituere vnum sacramentum, non indiuisibile, sed integrale habens partes distinctas, & ideo, quando impeditur efficacia vnius partis, potest altera operari, cum habeat eamdem significationem quòad substantiam.

8 Instabis. Si quælibet vnctio haberet eamdem significationem substantialem, quælibet produceret eumdem effectum, atque adeo multiplicaretur. Resp. neg. sequel. Quia omnes sunt vnicum sacramentum; cum enim vnctio instituta à Christo pro hoc sacramento sit partita ab Ecclesia in quinque vnctiones, & Christus semel tantum alligauerit huic sacramento productionem effectus, ideo per vnicam tantum vnctionem producitur, nempe per eam, quæ primo non inueuit obicem.

An quando sacramentum Extremæ vnctionis est informe, recedente obice producat suum effectum. Quæst. 432.

S V M M A.

1 *Sacramentum Extremæ Vnctionis, vt possit esse informe.*

Pri-

2 *Prima sententia adducitur.*
3 *Secunda sententia affertur.*
4 *Tertia sententia explicatur.*
5 *Extrema vnctio non causat gratiam habitualem, si fictio recedat post periculum.*
6 *Et probatur, num. 7. 8. 9. & 10.*
11 *Neque quando durante statu periculoso remouetur obex.*
12 *Et probatur.*
13 *Diluuntur obiecta, & seq.*

---

1 SVpponendum est. Sacramentum Extremæ vnctioni posse esse informe, hoc est validum, sed sine effectu, quia nimirum frustetur ratione obicis reperti in suscipiente. Aliud est enim validitas sacramenti, & aliud quod sit efficax producendo suum effectum. Validitas enim dependet solum à partibus essentialibus sacramenti; & debito ministro habente debitam intentionem: efficacia autem in actu exercito dependet à debita dispositione subiecti, quæ si desit, sacramentum ex incapacitate subiecti frustratur suo effectu. Quia ergo contingere potest, quod in Extrema vnctione concurrant partes essentiales, nempe debita materia, & forma, & debitus minister cum intentione sufficienti: e contra vero subiectum careat debita dispositione, & proinde nequeat in ipso sacramentum producere effectum, ideo erit validum, sed informe. Difficultas ergo est, an postea producat effectum, quando subiectum congruè disponitur, & proinde tollitur obex.

2 Prima sententia asserit producere non solum, quando tollitur obex durante statu periculoso infirmitatis, sed etiam postquam conualuit infirmus: nam vult tunc conferri gratiam habitualem, quamuis non conferantur auxilia, quia cessauit occasio. Ita Suarez 3. *par. tom.* 4. *disput.* 41. *sect.* 1 *numer.* 23. *& sequent.* Granad. *controuer,* 8. *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 29. Tanner, *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 2. *numer.* 42. *&* 43. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. un. pun.* 5. *n.* 14. Auersa *de sacram. quæst. de Extr. un. sect.* 7. *uer. Coeterum.* Dicastil. *de sacram. tr.* 7. *disp.* 1. *dub.* 8. *n.* 117. *& seq.* Fundamentum prioris partis huius sententiæ est commune cum sententia mox referenda. Posterior autem pars fundatur in eo, quod effectus gratiæ habitualis est perpetuus, quia licet per peccatum amittatur, per poenitententiam tamen recuperatur: vnde non debet quis priuari absolutè effectu talis sacramenti.

3 Secunda sententia asserit producere suum effectum, si tempore infirmitatis periculosæ tollatur obex. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *ar.* 13. Henriquez *lib.* 3. *sum. cap.* 9. *numer.*.. Valent. *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 1. *pun.* 3. Isambert. 3. *par. disp.* 7. *de Extr. unct. artic.* 3. *propos.* 1. Fundamentum est, quia, cum sit initerabile in eodem statu infirmitatis, debet remoto obice reuiuiscere, sicut reuiuiscunt coetera sacramenta, quæ non sunt iterabilia. Deinde quia sequeretur, quod toto illo tempore carerent auxiliis, quæ conferuntur per tale sacramentum, nec ea possent recuperare per poenitentiam quamtumuis seriam; & essent deterioris conditionis, quiam plures alii inferioris sanitatis, & meriti. Denique quod Extrema vnctio non imprimat characterem, est impertinens ad reuiuiscentiam, quia effectus sacramenti non datur ratione characteris, sed ratione sacramenti suscepti.

3 Tertia sententia asserit non conferre suum effectum, quamuis tollatur obex. Ita Maior *in* 4. *dist.* 3. *q.* 5. Couaruu. *in cap. Alma mater. par.* 1. §. 4. *num.* 23. dum volunt solum baptismum, & confirmationem conferre effectum sublata fictione Durand. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. Canus *Relect. de poenitent. par.* 5. qui conferre gratiam sublata fictione tribuunt tantum baptismo, & poenitentiæ: & qui hoc ipsum

sum tribuunt soli baptismo, vt Sotus *in 4. dist. 6. quæst. 1. ar. 8.* Vasquez *3. par. disp. 171. cap. 2.* Hurtad. *de sacram. in genere disput. 3. difficul. 8.* & alii.

5 Dicendum 1. Sacramentum Extremæ vnctionis non causare gratiam habitualem, si fictio recedat post transactũ statum periculosum infirmitatis. Desumitur ex Concil. Trident. *sess. 14. in proemio de Extr. unct.* vbi docet, quod Christus prouidit de diuersis sacramentis pro toto tempore vitæ: vltimum verò tempus muniuit hoc sacramento tanquam firmissimo præsidio. Ex quo patet, quod hoc sacramentum sit institutum ad subueniendum homini taxatiuè pro vltimo vitæ, & quod efficia ipsius sit coarctata ad illud tempus, & proinde cesset extra illud tempus.

6 Prob. Si Extrema vnctio conferretur extra statum infirmitatis periculosum, non sortiretur effectum, quamuis subiectum esset dispositum, non alia ratione, quia non concurreret in ipso qualitas requisita ad valorem, & efficaciam sacramenti. Ergo neque recedente fictione transacta periculosa infirmitate conferet suum effectum. Conseq. prob. Quia tunc subiectum, licet non sit incapax ratione indispositionis, est tamen incapax ratione status: non minor autem est hæc incapacitas, quàm illa, imo maior, quia non solum potest impedire effectum, sed etiam reddere nullum sacramentum.

7 Vnde hic locum habet regula iuris. Quod quando requiritur aliqua qualitas in subiecto per modum fundamenti, debet inesse eo tempore, quo debet in ipso poni effectus *l. Humanitatis. C. de impuberib.* vbi Bald. *num. 28. uer. Quandoque* & *l. Tutelas. ff. de cap. min.* Alexan. *in l. Si rem meã. in fine. ff. de uerbor. obligat.* Menoch. *consil. 106. num. 94.* In subiecto autem Extremæ vnctionis requiritur per modum fundamenti, quo reddatur capax, qualitas periculosæ infirmitatis, qua cessante non potest in ipso poni effectus.

8 Confir. Qui non est capax effectus principalis sacramenti, nec etiam est capax sacramenti; & è contra, qui non est capax sacramenti, nec etiam est capax effectus, quia hæc duo in ordine ad capacitatem se inuicem inferunt: præsertim quia esse capacem sacramenti, non est esse capacem illius signi sensibilis, sed esse capacem efficaciæ sacramentalis, ita vt illud signum possit in ipso sacramentaliter significare, atque adeo causare effectum, nam significare est causare, cum sit significare practicum; cessante autem periculosa infirmitate non est amplius infirmus capax Extremæ vnctionis: & proinde neque effectus ipsius.

9 Hinc subintrat regula, quod paria sunt, aliquid disponi in tempore inhabili, & effectum dispositionis cõferri in tempus inhabile, quia sicut quando disponitur in tẽpore inhabili, dispositio est inhabilis: ita etiã quando quoad suum effectum transfertur in tempus inhabile, quia adhuc inhabilitas temporis illi obstat, ne possit sortiri effectum, vt desumitur ex *l. Oratio. ff. de sponsal.* & *l. Quod sponsæ. C. de donat. ante nupt.* & notant Dec. *in l. Eum qui. num. 4. ff. de iurisd. om. iud.* Craueta *consil. 175. nu. 8.* Mascard. *de probat. conclus. 1076. num. 1.* & alii. Sicut ergo seclusa infirmitate graui, & periculosa tempus est inhabile pro Extrema vnctione, ita vt inhabilitas temporis obstet, & effectui, & validitati sacramenti, ita etiam obstabit effectui, quãdo sacramentum fuit validum, sed ratione obicis non est sortitum suum effectum.

10 Confir. 2. Gratia habitualis non est effectus proprius Extremæ vnctionis, sed communis omnium sacramentorum: imo acquiritur etiam per contritionem, & alios actus; sed solum est effectus proprius, quatenus habet annexa auxilia ad alleuiationem spiritualem. Ergo si transacta pe-

periculosa infirmitate, & remoto obice sacramentum habet producere suum effectum, producet proprium effectum, non autem communem, cum in tantum dicatur produci, ne suscipiens frustretur effectu sacramenti. Ergo cum non possit producere proprium effectum, nullum producet.

11 Dicendum 2. Neque quando durante eodem statu periculoso infirmitatis remouetur obex, Extrema vnctio producit suum effectum. Prob. Sacramenta sunt coarctata ad producendam gratiam in dignè sumentibus, vt decernunt. Concilia Florentin. *in Decreto fidei pro Armenis*. §. *Quinto Ecclesiasticorum*. ibi. *Hæc uero nostra (Sacramenta) & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*, & Trident. *sess. 7. can. 6. Si quis dixerit Sacramenta noua legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, &c. anathema sit*. Vnde requirunt hanc dignitatem in subiecto, tamquam qualitatem fundamentalem, ita vt sint determinata, vt sint efficacia respectu subiecti sic qualificati. Ergo quando Extrema vnctio reperit obicem, non amplius producit suum effectum Consequent. Prob. Tum quia qualitas, quæ requiritur per modum fundamenti, debet inesse tempore, in quo actus debet poni in subiecto, ita vt si non insit, euanescat. Tum quia, si semel indigne aliquod sacramentum suscipitur, nunquam potest, esse verum, quod dignè sit susceptum, vnde cum sacramenta sint coarctata ad causandum gratiam in dignè suscipientibus, nunquam erit verum, quod in tali subiecto causent, quia desit conditio, sub qua ratione institutionis debent causare.

12 Confir. sacramenta producunt gratiam ex opere operato, vt definit Concil. Trident. *sess. 7. can. 8. de sacrament.* quod est conferre per modum causarum naturalium. Ergo non potest Extrema vnctio conferre aliquem effectum postquam applicata fuit impedita ratione obicis, ne produceret. Quia causæ naturales, si impediuntur, ne producant suos effectus, quando applicantur subiecto, non amplius producunt, nisi post se relinquant aliquam virtutem, ratione cuius producant. Nec dici potest, quod producatur à Deo intuitu sacramenti præteriti. Tum quia, cum sacramentum frustratum sit suo effectu, quando erat producendus, non exigit amplius produci, vnde non produceretur ad exigentiam sacramenti. Tum quia Deus non producit gratiam intuitu sacramentorum, nisi secundum mensuram institutionis. Institutio autem solum exigit, quod producatur, quando applicatur sacramentum, nam est institutum, vt producat per modum causæ naturalis, & vi significationis practicæ, & ideo semel sacramento frustrato suo effectu, non est amplius vigore institutionis producendus.

13 Dices. Totum tempus, quo durat infirmitas periculosa, esse tempus, in quo ratione institutionis sacramentum habet producere suos effectus, nempe auxilia ad alleuiandum, & ideo licet impediatur, quando applicatur, ne producat gratiam, poterit postea Deus producere sublato obice intuitu sacramenti, cum adhuc duret tempus operandi *respectu* sacramenti. Contra. Ideo dantur auxilia alleuiatiua virtute sacramenti toto tempore periculosæ infirmitatis, quia sacramentum, quando applicatur, dat gratiam exigitiuam horum auxiliorum pro toto illo tempore, & proinde facit debita talia auxilia. Ergo si ratione obicis impeditur sacramentum, ne det talem gratiam, neque tempore subsequenti fient debita auxilia, cum in tantum fiant debita, in quantum ponitur gratia. Et proinde cum impediatur sacramentum, ne incipiat operari, impedietur etiam, ne continuet operationem,

cum

cum prima operatio sit fundamentum subsequentium; nec tempus subsequens erit tempus, in quo sacramentum debeat operari, quia in tantum est, in quantum tempus applicationis sacramenti fuit tempus primæ, & fundamentalis operationis.

14 Ad fundamentum prioris sententiæ neg. conseq. Quia licet effectus gratiæ habitualis de se perpetuus sit, quatenus amissus per poenitentiam recuparari potest, in poenam tamen sacrilegii indignè sumens sacramentum debet tali effectu priuari. Neque poenitentia, qua tollitur fictio, debet ipsum restituere, quia poenitentia facit tantum, quod ea recuperentur, quæ iam habita sunt: non autem, quod ea obtineantur, quæ non obtinerentur impedita sunt à præcedenti peccato. Præsertim quando agitur de sola gratia habituali, quæ pluribus aliis mediis augeri potest: nec potest tribui tanquam effectus sacramenti, nisi tribuatur tanquam gratia sacramentalis; vt talis autem non potest tribui, quia est cum iure ad auxilia alleuiatiua, quæ tunc non habent locum.

15 Ad 1. secundæ sententiæ neg. sequel. & ad probationem negat. assumptum, & etiam paritas. Quia licet Extrema vnctio nõ possit iterari in eodem statu infirmitatis, non tamen ex hoc fit, quod sublato obice debeat conferre suum effectum etiam durante eodem statu infirmitatis, quia hoc non est conforme institutioni sacramenti, vt constat ex dictis. Neque id colligitur ex diuina pietate; quia quando Deus vult illam exercere, exercet iuxta exigentiam rerum: & ideo si vult specialibus auxiliis subuenire infirmo stante poenitentia, non ea conferet tanquam debita virtute sacramenti, quia cum fuerit frustratum suo effectu ratione obicis, nihil fecit debitum, sed tanquam effectum suæ misericordiæ.

16 Ad 2. Quod infirmus toto tempore periculosæ infirmitatis careat auxiliis &c. nec ea per seriam poenitentiam recuperare possit, & sit quò ad hoc deterioris conditionis, quam alter inferioris meriti, nihil ab'urdi continere: imo esse quid valde iustum in poenam sacrilegii commissi in sumprione sacramenti; & ideo hoc totum sibi imputare debet. Quod si hoc non est consonum diuinæ pietati, Deus subueniet, non intuitu sacramenti, cum ratione ipsius non debeantur auxilia, quia vacuum effectu non contulit ius ad ipsa, sed ratione diuinæ misericordiæ.

17 Ad 3. quicquid sit de antecedenti, quod tamen falsum est, nam cum character sit quædam potestas, seu ius in ordine ad aliquos actus legitimos, vt est participatio in sacramentis, confessio fidei, exercitium hierarchicum in Ecclesia, ratione ipsius sunt debita auxilia ad huiusmodi actus. neg. conseq. Tum quia est diuersa ratio de sacramentis, quæ imprimunt characterem; nam cum character sit aliquis effectus sacramenti, & quantum est ex natura sacramenti exigat habere annexam gratiam, quia simul cum ipsa deberet imprimi, sublato obice, quo productio gratiæ impedita fuit, remanet in subiecto aliqua exigentia ipsius, quæ non remanet, quando sacramentum non imprimit characterem: vnde ratione ipsius dici posset, quod conferatur gratia. Deinde etiam respondери posset, quod omnia sacramenta in hoc sunt paria, quod suscepta cum obice non amplius causent suum effectum.

De iterabilitate Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Quia aliqua sacramenta omnino iterabilia non sunt; vt baptismus: alia verò passim possunt iterari, vt poenitentia; ideo de hoc attributo agendum est quoad Extremam vnctionem, & videndum quatenus illi conueniat.

An, & qualiter sacramentum Extremæ vnctionis sit iterabile. Quæst. 433.

S V M M A.

1 *Sacramentum Extremæ Vnctionis non imprimit characterem.*
2 *Absolutè iterari potest.*
3 *In eadem infirmitate iterari non potest.*
4 *Ex natura sua in eadem infirmitate potest iterari, sed non potest ex præcepto Ecclesiastico.*
5 *Probatur, & confirmatur, num. 6. 7. 8. & 9.*
10 *Argumentum oppositum soluitur.*

1 SVpponendum est tanquam certum, Sacramenrum Extremæ vnctionis non imprimere characterem, vt communiter docent cum D. Tho. *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 1. quæstiun. 3. in corpore*, & *3. part. quæstio. 30. supplem. artic. 3.* Et est certum de fide, nam Concil. Trident. *sess. 7. can. 9. de sacram. in genere* definit solum de tribus sacramentis, quod imprimant characterem:& proinde remanet stabilitum, quod cœtera non imprimãt. Et ratio est, quia character est signum quoddã spirituale indelebile in anima, quoad aliquid sacrum vel recipiendum, vel exercendum deputatum; per Extremam autem vnctionem non inducitur deputatio ad aliquid sacrum, quia est per modum medicinæ ordinatæ, ad sanandam animam, & corpus, vnde non habet deputare ad aliquid sacrum, sed potius præparare ad exitum ex hac vita.

2 Secundò supponendum est. Ex hoc sequi, quod hoc sacramentum absolutè iterari possit; sicut enim sacramenta, quæ imprimunt characterem absolutè non possunt iterari ex eo, quod character indebilis sit, vt declarat Concil. Trident. *cit. can. 9. de sacramen. in genere sess. 7.* Ita sacramenta, quæ non imprimunt characterem absolutè iterari possunt, quia deficit fundamentum, in quo radicatur negatio iterabilitatis. Et ideo Extrema vnctio erit absolutè iterabilis.

3 Adhuc tamen Extrema vnctio habet aliquo modo hoc attributum, quod iterari non possit in eadem infirmitate, vt declarat Concil. Florent. *in Decreto pro Armenis*, & Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3. de Extr. vnct.* inquiens, *Quod si infirmi post susceptam hanc vnctionem, conualuerint, iterum huius sacramenti præsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Ex quo concluditur, quod per Concil. in eodem vitæ discrimine non potest pluries adhiberi hoc sacramentum. Vnde difficultas est, vnde hoc proueniat, an ex natura, & institutione sacramenti, an verò ratione Ecclesiastici præcepti.

4 Dicendum est, Extremam vnctionem, quantum est ex natura sua posse iterari in eodem statu infirmitatis: de facto autem non posse ratione Ecclesiastiei præcepti. Et quamuis quamplures ex Doctoribus *videantur* supponere, quod in eodem statu periculoso infirmitatis non possit valide iterari, conclusio tamen fundatur in praxi antiquæ Ecclesiæ; nam, vt desumitur ex sacramentali D. Gregorii edito ab Hugone Menardo, vbi de *Extrema vnct. pag. 253.* per septem dies, & etiam plures, si opus esset, solebat ministrari constitutis in periculo mortis tàm viaticum, quàm Extrema vnctio, nam ibi habetur. *Sic faciant illi per septem dies, tàm de communione, quàm de alio officio.* Per hoc autem aliud officium, intelligitur Extrema vnctio, cuius ritus

mi-

ministrandi sub nomine Officij ibi ponitur.

5 Prob. Sacramentum Extremæ vnctionis non imprimit characterem. Ergo ex natura sua est iterabile, non solum in diuerso statu infirmitatis, sed etiam in eodem. Conseq. Prob. Quod sacramentum non possit iterari, prouenit, quia confert animæ characterem indelebilem, nam ex hoc capite definit Concil. Trident. *sess. 7. can. 9. de sacram. in genere* Baptismum, confirmationem, & Ordinem non posse iterari. Ergo cum Extrema vnctio non imprimat characterem, poterit iterari non secus, ac alia sacramenta, quæ non imprimunt characterem, atque adeo in eadem quoque infirmitate.

6 Confir. Ideo non posset Extrema vnctio iterari in eodem statu infirmitatis, quia datur pro munienda anima in extremo huius vitæ, atque adeo confert auxilia pro toto tempore periculosæ infirmitatis. Hoc autem non facit, quod non sit iterabile ex natura sua in eodem periculo infirmitatis, quia solum facit, quod non sit necessaria iteratio. Tum quia etiam Eucharistia per modum viatici est prouisio in ordine ad exeundum ex hac vita, & confert auxilia in suo genere vsque ad finem vitæ, & tamen iterari potest. Tum quia non repugnat ex natura sacramenti, quod multiplicentur auxilia alleuiatiua infirmi, sicut etiam potest intendi, & augeri alleuiatio.

7 Confir. 2. Hoc sacramentum est institutum per modum curationis corporalis. Ergo, quantum est ex vi suæ institutionis, est iterabile in eodem statu infirmitatis Conseq. Prob. Tum quia ex natura sua curatio est iterabilis in eodem morbo. Tum quia fieri potest, quod ratione dispositionis infirmi prima vice non sit perfecta; & proinde, si replicetur sacramentum, perficiatur. Tum quia post susceptum sacramentum possunt committi noua peccata præsertim venialia, & de nouo confortari reliquiæ peccatorum: tunc autem sacramentum adhiberi poterit, vt curatiuum huius noui morbi.

8 Confir. 3. Ecclesia Romana non obseruat aliquid substantiale in hoc sacramento, quam quod traditum est à D. Iacobo Apostolo, vt habet Concilium Tridentinum. *sess. 14. cap. 3. de sacram. Extr. vnct.* Ergo ea, quæ obseruat, & non sunt tradita ab Apostolo, non sunt substantialia. Ergo cum Apostolus non tradiderit, quod infirmus non vngatur pluries in eodem statu infirmitatis, & Ecclesia id non seruet, non erit substantiale, esset autem substantiale, si sacramentum ex vi suæ institutionis iterari non posset.

9 Confir. 4. Capacitas sacramenti infertur ex capacitate effectus, ita vt eo ipso, quod quis est capax effectus, sit etiam capax sacramenti: & è contra, qui non est capax effectus, neque sit capax sacramenti, vnde quia mulier non est capax effectus sacramenti Ordinis, neque etiam sit capax Ordinis. Ergo, qui est capax iterationis effectus sacramenti, erit etiam capax iterationis sacramenti: vnde ideo homo est capax iterationis sacramentorum, quæ imprimunt characterum, quia character nouus nihil confert de nouo, quod iam non sit collatum: & proinde non potest homo per iterationem aliquid de nouo accipere, quod iam non habeat, cum character non recipiat augmentum. Sacramenta autem sunt instituta ob profectum spiritualem suscipientis: Infirmus autem est capax in eodem statu infirmitatis noui effectus sacramenti Extremæ vnctionis, quia totus effectus principalis ipsius potest recipere augmentum, cum possint augeri tam gratia habitualis, quàm auxilia alleuiatiua.

10 Dices. Si ex natura sua Extrema vnctio esset iterabilis in eodem statu infirmitatis, Ecclesia non prohibuisset iterationem. Ergo cum pro-

hibuerit, signum est, quod non sit ex natura sua iterabile. Resp. Neg. conseq. Quia plura licent, quantum est ex natura, & institutione sacramentorum, quæ tamen prohibentur ab Ecclesia. Sic communio sub vtraque specie quantum est ex vi sacramenti est licita etiam laicis, & tamen prohibetur ab Ecclesia; ministratio quotidiana viatici est licita ex natura sacramenti, & tamen non potest repeti, nisi post aliquot dies, vt habet Rituale Romanum in *Rubr. de viatico*: sufficit enim, quod Ecclesia habeat iustas causas, vt aliquid, aliàs licitum, prohibeat circa ministrationem sacramentorum. Nam, vt habet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.* Christus reliquit Ecclesiæ potestatem disponendi circa sacramenta salua eorundem substantia prout eorumdem dignitati, & sumentium vtilitati iudicauerit expedire.

An in eadem infirmitate, variato tamen statu possit Extrema vnctio pluries ministrari. Quæst. 434.

S V M M A.

1 *Quomodo potest eidem personæ pluries ministrari Extrema vnctio.*

2 *Cessante periculo mortis, & nouo superueniente potest iterari Extrema Vnctio.*

3 *Probatur, & confirmatur, numer. 4. & 5.*

6 *Ratio dubitandi soluitur. & Concilium declaratur.*

7 *Quantum temporis intercedere debet, vt possit iterari Extrema Vnctio, num. 8. Extrema Vnctio ministrata extra periculum mortis siue validè, siue inualide est, adueniente periculo ministranda.*

10 *Qui cum obite suscepit Extremam Vnctionem, licet publicè id constet, non potest in eadem infirmitate denuo suscipere.*

1 Conueniunt communiter Doctores, quod hoc sacramentum ministrari toties possit eidem personæ, quoties ratione diuersarum infirmitatum incidunt in vitæ discrimen; quod etiam habet Concilium Tridentr. *sess.* 14. *cap.* 3. *de Extrema vnct.* ibi. *Quod si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Difficultas autem est, an ministrari de nouo possit in eadem infirmitate, si mutato statu, postquam recessit primum periculum, aliud de nouo superueniat. Et ratio dubitandi sumitur ex citatis verbis Concilii, nam inquit: *Si post susceptam vnctionem conualuerint*; vnde videtur requirere, vt iterari possit, vt omnino recedat infirmitas, & alia de nouo superueniat.

2 Dicendum est. Vt Extrema vnctio ministrari possit de nouo, non requiritur, quod periculosa infirmitas omnino recedat, & alia de nouo superueniat, sed sufficit, si cesset periculum mortis, & de nouo superueniat. Ita Communiter. D. Tho. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *artic.* 4. *quæst.* 2. Albert. Magn. *artic.* 21. Richard. *artic.* 2. *quæst.* 6. D. Bonauen. *artic.* 2. *quæst.* 4. Gabr. *quæst.* 1. *artic.* 3. *dub.* 4. Sot. *quæst.* 2. *artic.* 4. *conclus.* 3. Paludan. *quæst.* 4. Syluester *verbo.* *Vnctio. num.* 8. Angel. *ibid.* Tabiena *numer.* 9. Henriquez *lib.* 3. *sum. capit.* 9. *num.* 4. Victoria *in sum. num.* 224. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 4. *num.* 6. Nugn. *quæst.* 33. *supplem. artic.* 2. Syluius *ibid.* Chellison. *ver. Notandum.* Putean. *quæst. de Extr. vnct. dub.* 6. *ver. Dubitatur etiam.* Præposit. *dub.* 7. *num.* 65. Isambert. *disp.* 6. *de Extr. vnct. artic.* 4. *ver. Quæres, an hoc*: Tanner. *tom.* 4. *disp.* 7.

7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *num.* 15. Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 4. *numer.* 5. F. Antonin. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 15. §. *ult.* Rosel. *verbo Vnctio*, *num.* 8. Armil. *num.* 9. Summa Pisanel. *eod. num.* Zambran. *in decis. cap.* 5. *de Extrem. vnct. dub.* 6. *num.* 2. Valen. *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 2. *pun.* 2. Ledesma *par.* 1. *sum. capit.* 8. *de Extr. vnct. conclus.* 2. Ioann. à Cruce *par.* 2. *Direct. dub.* 4. *de Extr. vnct. conclus.* 5. Viuald. *in Candel. Tit. de Extr. vnct. num.* 35. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *num.* 10. Ludouic. à S. Ioan. *part.* 1. *sum. quæst. de Extr. vnct. artic.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 2. Hurtad. *de sacram. difficul.* 10. *de Extr. vnct. in fine*. Coninch. *disp.* 19. *dub.* 8. *num.* 26. Palaus *part.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 6. *num.* 17. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. vn. pun.* 6. *numer.* 4. Amicus *tom.* 8. *Curs. theol. disp.* 19. *sect.* 10. *num.* 183. Dicastil. *de sacram. tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *numer.* 165. Auersa *quæst. de Extr. vnct. sect.* 5. *ver. Hinc. S. Tho.*

3 Ratio autem est. Quia Extrema vnctio non ministratur intuitu infirmitatis, sed intuitu periculi vitæ, in quo infirmus reperitur, Ergo ministrari potest toties, quoties superuenit nouum periculum vitæ, etiam si sit intra eamdem infirmitatem. Conseq. Prob. Si infirmus omnino conualescat, & de nouo infirmetur ad mortem, potest ipsi de nouo ministrari Extrema vnctio. Ergo etiam in eadem infirmitate si recedat prius periculum, & nouum superueniat, quia in noua infirmitate non ministratur intuitu ipsius, sed quia est coniuncta cum nouo periculo, & proinde nouum periculum, est ratio, ob quam de nouo ministrari possit, & proinde poterit ministrari siue adueniat in diuersa infirmitate siue sit in eadem.

4 Confir. Hoc sacramentum est institutum pro præsidio hominis constituti in extremo vitæ, vt proinde debeat ministrari, quando vitæ extremum censetur imminere. Ergo cum in priori periculo vitæ non adfuerit vitæ extremum, dum nouum periculum aduenit etiam in eadem infirmitate, potest probabiliter iudicari, quod adsit extremum vitæ, & consequenter poterit de nouo ministrari sacramentum iuxta suam institutionem, non secus ac prima vice fuit ministratum.

5 Confir. 2. Effectus sacramenti non extenditur vltra statum periculosum morbi. Ergo quando aduenit nouum periculum potest repeti sacramentum. Anteced. est certum, quia cum hoc sacramentum sit institutum ad adiuuandum hominem in extremo vitæ, vt habet Concil. Trident. *sess.* 14. *in Proem. de Extrema vnct.* eius efficacia est coarctata ad imminens periculum mortis, & ideo si cesset hoc periculum, cessat etiam efficacia sacramenti. Conseq. Prob. Nouum periculum adueniēs inducit nouam indigentiam huius sacramenti iuxta ipsius institutionem. Ergo cum sacramentum sit institutum in subsidium huius indigentiæ, poterit de nouo adhiberi.

6 Neque obstat ratio dubitandi. Nam quando Concil. dicit, *Si post susceptam vnctionem conualuerint*, intelligit de quacunque conualescentia siue perfecta, siue imperfecta; quando autem quis euadit præsens periculum mortis, imperfectè conualescit. Nunc sicut infirmitas dicitur de toto statu, quo quis à prima alteratione debiti temperamenti tendit ad totalem dissolutionem, vnde sequatur mors, ita etiam conualescentia dicitur à primo recessu periculi mortis vsque ad totalem sanitatem recuperatam; & ideo, quando vis morbi incipit remitti, incipit infirmus conualescere.

7 Sed dubium remanet, quantum temporis intercedere debeat, vt possit de nouo ministrari Extrema vnctio. Aliqui videntur velle, id solum posse habere locum in diuturnis infirmitatibus, quales sunt ethica, paralysis

lysis, hydropisis, ita Durand. D. Bonauen. D. Antonin. Alij vero vt Albert. volunt, tunc posse de nouo ministrari, quando elapsus est annus: quod tamen non est necessarium, cum istud tempus determinatum impertinens sit ad nouum periculum, & ad nouam indigentiam inducendam. Alii quando probabile est, fuisse commissa noua peccata venialia, vt Palud. quod tamen non subsistit, tum quia etiam non mutato statu morbi posset de nouo ministrari; tum quia peccata venialia non postulant de se indigentiam sacramenti huius, cum alio modo tolli possint; tum quia per accidens se habent ad nouum periculum mortis, atque adeo etiam ad indigentiam Extremæ vnctionis. Alii requirunt interruptionem longam, vt Suarez.

8 Sed melius dicendum est, posse de nouo ministrari Extremam vnctionem, quando iuxta prudens iudicium peritorum tecessit prius periculum, & nouum aduenit siue longum, siue breue tempus interfuerit. Ita Nugn. *3. part. quæst. 33. supplem. artic. 2. in fine*. Hurtad. *de sacram. difficult. 10. de Extr. vnct. in fine*. Supplemen. Gabr. *in 4. dist. 23. quæst. 1 artic. 3. dub. 4.* Zambran. *in decis. cap. 5. de Extr. vnct. dub. 6. num. 4.* Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 10. num. 167.* Et ratio est. Quia tempus non est fundamentum repetendi Extremam vnctionem, sed periculum mortis imminens. Ergo si semel hoc periculum recedat, & de nouo adueniat, aderit fundamentum sufficiens repetēdi Extremam vnctionem, siue longum, siue breue tempus intercesserit, cum hoc materialiter se habeat, & solum longum tempus possit esse signum à posteriori diuersitatis periculi.

9 Ex dictis colligitur cum Amico *tom. 9. Curs. theol. disp. 19. sect. 10. num. 18.* Quod si Extrema vnctio ministrata fuit, quando non imminebat periculum mortis, siue tunc valide, siue inualide sit ministrata, poterit de nouo ministrari superueniente periculo mortis, nam tunc est facta mutatio in statu infirmitatis, ita vt infirmus deductus sit ad illud periculum, in quo antea non erat; & ideo conuenit de nouo illa qualitas fundamentalis, quæ necessaria est, vt Extrema vnctio ministrari possit.

10 Colligitur 2 Quod si quis cum obice suscipiat Extremam vnctionem, quamuis id publice postea constaret, non posset denuo recipere, nisi facta mutatione status infirmitatis. Quia quamuis indigeat subsidio sacramenti, debet tamen huic indigentiæ præualere ritus Ecclesiæ, cum sit priuata necessitas, in quam propria culpa infirmus deuenit.

An si durante eodem periculo nouum superueniat, possit Extrema vnctio iterari.

Quæst. 435.

S V M M A.

1 *Opinio Dicastil.*
2 *Perseuerante priore periculo, & superueniente quocumque alio morbo periculoso non potest iterari Extrema vnctio.*
3 *Obiectionibus satisfit, num. 5. & 6.*
4 *Confirmatur sententia.*
7 *Quid dicendum, si quis ex duplici morbo existeret in periculo, & prius cessaret durante tamen periculo ex posteriori morbo.*

---

1 HVic difficultati respondet Dicastil. *de sacram. tract. 7. disp. 1. dub. 10. num. 166. & sequent.* cum distinctione, asserit enim, quod si morbus superueniens sit consequens ex priori, aut ipsi anne-

nexus, etiam si specie differat, non poterit Extrema vnctio iterari, quia reputatur pro eodem. Si verò superueniat nouus morbus de se non periculosus, sed periculosus in tali subiecto ratione debilitatis, nec etiam sacramentum poterit iterari, quia tunc solum censetur augeri periculum. Verum si morbus superueniens de se periculosus sit, & sufficiens, vt secluso alio morbo possit ministrari Extrema vnctio, vt si febri malignæ superueniat vulnus læthale, poterit de nouo ministrari; cum sit nouus morbus, & nouum periculum, cuius intuitu Extrema vnctio ministrari potest.

2 Hæc responsio cõtinet tres partes iuxta tres status, quos distinguit, & quamuis putet esse diuersam rationem de tertio casu, ac de duobus prioribus, existimo tamen esse eamdem: vnde absolutè dicendum est, perseuerante priore periculo non posse iterari Extremam vnctionem superueniente quocunque alio morbo de se seorsim in quocunque subiecto periculoso. Prob. Tunc solum Extrema vnctio iterari potest ex Concil. Trident. *sess.* 14. *de Extr. vnct.* quando infirmus post eam susceptam conualescit, & iterum in periculum incidit. Sed quando superuenit nouus morbus quocunque modo periculosus durante priori periculo, non verificatur, quod conualuerit, & iterum in periculum inciderit. Ergo iuxta dispositionem Concilii non poterit de nouo, ministrari. Min. Prob. Quia, vt quis dicatur conualescere, necesse est, quod morbus remittatur, ita vt dispositio corporalis incipiat tendere ad sanitatem, quod non contingit, quamdiu durat prius periculum.

3 Dices. Posse dici, quod conualuerit respectiuè, quatenus antea erat in meliori statu, quàm sit de præsenti stante nouo morbo de se periculoso. Contra. Nouus morbus ideo constituit in peiori statu, quia auget periculum: non autem operatur, quod infirmus recesserit à priori periculo. Ergo adhuc non potest verificari, quod conualuerit, cum conualescentia nullo pacto possit habere locum, nisi infirmus recedat à priori periculo.

4 Confir. Ideo Extrema vnctio non potest iterari in eodem statu morbi, quia auxilia, quæ confert sufficiunt pro toto illo tempore, in quo periculum durat, atque adeo extendit suos effectus ad totum statum periculosum. Ergo quamuis superueniat nouum periculum ex nouo morbo, non potest de nouo ministrari, nam adhuc durant auxilia conferenda in virtute prioris ministrationis iuxta exigentiam indigentiæ infirmi; & sacramentum non debet iterari, nisi sint transacta priora auxilia.

5 Dices. Debere de nouo conferri sacramentum ad obtinenda noua auxilia, quibus ratione noui morbi infirmus indiget. Contra. Auxilia non dantur contra morbum corporalem, sed contra spiritualem, qui non variatur ex variatione morbi corporalis: aut si per accidens crescit, sufficiunt auxilia iam debita, quia dantur iuxta exigentiam, quæ contingit toto tempore morbi periculosi. Deinde si ratione noui morbi esset de nouo ministranda Extrema vnctio ad obtinenda noua auxilia, esset etiam de nouo ministranda, quando crescit periculum ex eodem morbo, cum sit eadem ratio quòad indigentiam auxiliorum.

6 Ad fundamentum in oppositum Resp. Non sufficere nouum periculum ex nouo morbo, vt iterari possit Extrema vnctio, sed insuper requiri, quod infirmus recesserit à priori periculo; quia Concil. Trident. hæc duo copulatiue requirit, & quod infirmus conualuerit, & quod incidat in nouum periculum.

7 Ex his colligitur. Quod si quis ex duplici morbo existeret in periculo mortis, & prius periculum cessaret,

ret, durante tamen periculo ex posteriori morbo, neque adhuc iterari posset extrema vnctio. Et ratio est; quia quamuis periculum sit ex diuersa causa, est tamen vnicum, quia est periculum eiusdem rei; est enim periculum mortis, quæ est eadem siue ex hac, siue ex illa causa proueniat. Deinde neque adhuc verificari posset dispositio Concilii Trident., quod infirmus conualuerit, & postea in simile periculum inciderit de nouo: quia licet cesset vna causa periculi, non tamen cessat periculum, quia per aliam causam continuatur: vnde sicut non sufficit, quod dicatur recessisse à periculo, ita nec vt dici possit, quod conualuerit. Rursus Concil. requirit interruptionem status periculosi, dum vult, quod prius conualescat, & iterum incidat in periculum: vnde periculum nouum debet superuenire post conualescentiam.

An qui in amentia suscepit Extremam vnctionem, possit in nouo periculo vitæ denuo ministrari, si amentia continuo durauerit. Quæst. 436.

S V M M A.

1 *Opinio negatiua adducitur.*
2 *Sententia affirmans explicatur, numer. 3. & 4.*
5 *Obiectiones soluuntur, num. 6.*

1 Quod non possit de nouo ministrari Extrema vnctio ei, cui in amentia primò ministrata fuit, quamuis nouum periculum mortis superueniat, tradit Præposit. 3. par. *quæst. de Extr. vnct. dub. 7. numer. 66.* Prob. Vel per priorem vnctionem sunt ei remissa peccata: vel non. Si primum non possunt rursum remitti. Si secundum. Neque remittentur per posteriorem, cum non possit melius se disponere, vnde semper sacramentum erit vacuum effectu. Confir. In illo statu non est amplius capax effectus sacramenti. Ergo nec sacramenti. Confir. 2. Per priorem vnctionem, morbus spiritualis est sublatus. Ergo non est amplius capax curationis spiritualis, atque adeo nec sacramenti per modum curationis.

2 Dicendum est. Posse amentibus pluribus vicibus ministrari Extremam vnctionem, si pluries incidant in periculum mortis, non obstante quod amentia fuerit continuata absque interruptione. Prob. Amentes secunda vice sunt æquè capaces effectus principalis Extremæ vnctionis, ac fuerunt prima vice. Ergo potest ipsis secunda vice ministrari Extrema vnctio: nam in tantum non posset ministrari, in quantum non essent capaces effectus sacramenti, atque adeo nec sacramenti. Anteced. Prob. Principalis effectus, qui consistit in gratia sacramentali, est gratia habitualis habens annexa specialia auxilia in ordine ad finem sacramenti, qui est munitio hominis in extremo vitæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. in Proem. de Extr. vnct.* Hæc autem gratia cum auxiliis, eodem modo communicari potest amenti secunda vice, ac fuit communicata prima vice; nam est eodem modo capax, cum neque prima vice sit capax auxiliorum in actu exercito, sed tantum iuris ad illa auxilia, supposita indigentia.

3 Confir. Fieri potest, quod amens in secundo periculo mortis; quando est prope exitum ex hac vita, recuperet pro aliquo breui tempore vsum rationis, vt plerumque solet contingere, & proinde pro illa occasione indigeat auxiliis, quæ conferuntur ratione Extremæ vnctionis: Ergo tūc Extrema vnctio sortiretur in ipso

ipſo ſuum effectum ſpiritualis alleuiationis, non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu exercito, nam aderit in ſubiecto ſufficiens capacitas.

4 Confir. 2. Extremæ vnctio eſt iterabilis in ſingulis diuerſis infirmitatibus periculoſis. Ergo etiam quoad amentes. Conſeq. Prob. Amentia non ponit in ſubiecto aliquam incapacitatem, alioquin nec pro prima vice eſſent capaces. Ergo ſacramentum retinet quoad ipſos non ſecus, ac quoad coeteros ſuam iterabilitatem, & ponet in ipſis ſuum effectum non ſecus ac, vt poſuit prima vice.

5 Ad argumen. ſi oppoſitæ ſētētiæ Reſp. Per priorem vnctionem remiſſa quidem fuiſſe peccata, & proinde ſecunda vice non remitti, ſicuti nec remitterentur, ſi prima vice non fuiſſent remiſſa defectu diſpoſitionis; non ſequitur tamen, quod ſacramentum careat effectu, quia remiſſio peccatorum eſt effectus conditionatus, ſi nimirum ſacramentum reperiat peccata remittenda: ſi autem nō reperiat, cauſat ſuum principalem effectum, quem ſemper abſolutè cauſat, ſiue reperiat peccata remittenda, ſiue non.

6 Ad 1. Confir. neg. aſſumptum, vt conſtat ex dictis *num.* 2. ſupponit enim argumentum, quod principalis effectus ſit remiſſio peccatorum, quod eſt falſum, vt conſtat ex dictis ſuo loco. Ad 2. Confir. In priore vnctione fuiſſe quidem exhibitam medicinam curatiuam morbi ſpiritualis, nempe gratiam habitualem cum exigentia auxiliorum, quibus curatur morbus ſpiritualis: non tamen fuiſſe curatum, quia non fuerunt exhibita talia auxilia, quia cum non dentur niſi in ordine ad actus liberos, non habent locum in amentibus. Imò nec etiam in ipſis adeſt morbus ſpiritualis in actu exercito, ſed ſolum in habitu, & in radice, qui conſiſtit in torpore, & imbecillitate, quoad ea, quæ ſalutem concernunt: vnde conſiſtit in actu exercito in actibus voluntatis declinantis à bono ſpirituali, contra quos dantur auxilia, quibus erigatur voluntas in ordine ad æterna, & abiiciat actus impeditiuos operationum concernentium acquiſitionem gloriæ.

De neceſſitate Sacramenti Extremæ vnctionis.

SAcramentum Extremæ vnctionis eſſe valde vtile fidelibus Chriſtianis, non poteſt ab iis, qui catholicè ſapiunt, in dubium verti. Quod explicauit Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *in Proemio de Extr. vnct.* illis verbis, Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remediis aduerſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in ſacramentis aliis præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent, ab omni grauiori ſpiritus incommodo poſſint, ita Extremæ vnctionis ſacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniuit. Quare ſolum dubitari poteſt de neceſſitate, de qua hîc agendum eſt.

An Extrema vnctio ſit neceſſaria neceſſitate præcepti. Quæſt. 437.

S V M M A.

1 *Sacramenta ex duplici capite poſſunt eſſe neceſſaria.*
2 *Ratio dubitandi.*
3 *Sententia affirmans ſub mortali.*
4 *Sententia negans.*
5 *Stabilitur, & probatur ſententia, & numero 6.*
7 *Diluuntur obiecta, & num. 8.*
9 *An peccet negligens Extr. Vnctionem tanquam non neceſſariam.*
10 *Satisfit obiectionibus, & num. ſeq.*

Paſqualig. LIIII Sa-

1 Sacramenta ex duplici capite possunt esse necessaria: vel necessitate medii, vt est baptismus, quia ita est medium necessarium, vt sine ipso perueniri non possit ad salutem: vel necessitate præcepti, quia scilicet ex præcepto obligamur ad ea sumenda, vt sunt Eucharistia, &c. Certum est autem, Extremam vnctionem non posse esse necessariam necessitate medii, quia est sacramentum viuorum, vnde ex natura sua supponit statum gratiæ, atque adeo hominem in statu salutis; quo stante nullum aliud medium est ipsi necessarium ad consequendam vitam æternam præter perseuerantiam, quæ habetur ex quodam speciali Dei auxilio, vt definit Concil. Trident. *sess. 6. can.* 22. Vnde difficultas est de necessitate præcepti.

2 Ratio dubitandi est. Quia ex Brachar. *lib.* 18. *sui Decreti capit.* 14 habetur Canon poenitentialis huiusmodi. Ne illis ianua pietatis clausa videatur orationibus; & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum vnctione animati secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur. Verba autem reficiantur, atque statuta Sanctor. Patrum denotant præceptum. Secundò Concil. II. Cabillonen. *cap.* 48. habet. Secundum *B.* Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi Oleo à præsbitero inungi debent. Quod autem debet fieri ex decreto aliquo, debet fieri ex præcepto. Tertiò. Concil. Senonense celebratum anno 1528. in Decreto fidei habet. Sed ne hic noster vngendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, si quis infirmatur (inquit Iacobus) in vobis, inducat præsbiteros, &c. Quartò Concil. Coloniense anno 1536. *par.* 7. *cap.* 50. illa verba, Infirmatur quis in vobis, &c. vocat Mandatum Apostolicum. Quintò. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *de Extr. vnct.* habet. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam, & dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent, hanc vnctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem, &c. Cum ergo damnet dicentes, hanc vnctionem non esse adhibendam ex mandato Dei, iam erit in præcepto. Sextò. Extrema vnctio est medium ordinarium, & maximè efficax ad præseruandam animam ab æterna damnatione. Ergo erit in præcepto, quia cum quisque teneatur procurare propriam salutem, tenetur etiam adhibere media, quæ proficua sunt.

3 Prima sententia asserit, Extremam vnctionem esse necessariam necessitate præcepti obligantis sub mortali. Ita videntur sentire Magister *in* 4. *dist.* 23. *Littera B. D.* Bonau. *ibid.* circa Litteram, & expressè Sotus *lect.* 2. *de Extr. vnct. circa finem.* Turrian. *in sum. par.* 2. *cap.* 136. *dub.* 1. Verum alii asserunt præceptum non obligare sub mortali, sed sub veniali. Ita Laiman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 7. *num.* ... Coninch. *disp.* 10. *de sacram. dub.* 10. *num.* ... Chellison. 3. *part. quæst.* 33. *suppl. artic.* 2. *dub.* 1. *ver. Dico* 3. Verum hi Doctore non rectè procedunt, nam si adest præceptum, obligabit sub mortali, quia esset de materia graui, qualis est vsus alicuius sacramenti ordinati ad salutem, vt etiam notat Martinon. pro secunda sententia citandus, qui etiam hanc sententiam probabilem putat.

4 Secunda autem sententia communis omnium asserit, nullum adesse præceptum: & proinde Extremam vnctionem neque necessitate præcepti esse necessariam. Ita D. Tho. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 1. *quæstiun.* 3. *ad* 1. Palud. *quæst.* 3. Sotus *quæst.* 1. *artic.* 1. Gabr. *quæst.* 1. *dub. vlt.* Caie-

lei. *in summa verbo*. Vnctio. Silue-
ster. *ibid. quæst.* 9. Angelus *numer.* 7.
Victoria *in sum. num.* 216. Couaruu.
in Cap. Alma mater part. 2. §. 2. *nu-
men.* 6. Henriquez. *lib.* 3. *sum. capit.*
10. *num.* . . . Nauar. *cap.* 22. Manual.
num. 6. Valent. *tom.* 4. *sum. disp.* 8.
quæst. 2. *pun.* 2. Suarez 3. *part. tom.* 4.
disp. 44. *sect.* 1. *numer.* 2. Nugn. 3.
part. quæst. 33. *supplem. artic.* 2. *diffi-
cul.* 1. Pittean. *quæstion. de Extr. vnct.
dub.* 6. *conclus.* 1. Syluius *quæstion.* 32.
supplem. artic. 4. *quæsito* 1. Isambert.
disp. 8. *de Extr. vnct. artic.* 1. *propo-
sit.* 1. Ochagauia *de sacram. quæst.* 9.
de Extrema vnct. num. 2. Gaspar Hur-
tad. *De sacram. difficult.* 11. *de Extr.
vnct. init.* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæ-
stion.* 1. *dub.* 3. *num.* 56. Auersa *de
sacram. quæst. de Extr. vnct. sect.* 9.
ver. Communis tamen. Villalob. *par.*
1. *sum. tract.* 10. *difficul.* 5. *numer.* 1.
Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral.
lib.* 1. *tract.* 1. *de Extr. vnct. num.* 5.
Dicastil. *De sacram. tract.* 7. *disp.* 1.
dub. 11. *init.* Baunius *tom.* 1. *theol.
moral. tract. vlt. quæst.* 10. *init.* Lu-
douic. à S. Ioann. *part.* 1. *sum. quæst.
de Extr. vnct. artic.* 7. *dub.* 2. *conclus.*
1. Martinon. *De sacramen. disp.* 65.
de Extr. vnct. sect. 6. *num.* 44. Ami-
cus *tom.* 8. *Curs. theol. disp.* 19. *sect.*
11. *num.* 188. Palaus *par.* 4. *oper. mo-
ral. tract.* 26. *disp. vnic. pun.* 8. *nu-
mer.* 1.

5 Dicendum est. Sacramentum Extremæ vnctionis non esse necessarium necessitate præcepti siue obligantis ad mortale, siue ad veniale. Desumitur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *capit.* 3. *de Extrema vnctione*, vbi agens de susceptione huius sacramenti solum habet, quod non potest contemni absque peccato, non autem dicit, quod non possit omitti absque peccato, & ex Innocent. I. Epist. ad Decentium, vbi solum habet, quod omnibus Christianis vti licet hoc sacramento, non autem dicit, quod debeant vti.

6 Ratio autem est. Quia non debet induci aliquod præceptum siue diuinum, siue humanum, nisi de ipso constet; siquidem cum homo sit in possessione suæ libertatis, quam iure possidet, non debet ipsa priuari, nec quoad ipsum constringi, per aliquod præceptum, nisi constet positum fuisse ab habente potestatem, cum non debeant incerta certis præualere. Non constat autem de hoc præcepto neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex Conciliis, aut Patribus. Immò dato quod adesset, quia communis sensus censet non adesse, non obligaret, vt pote incognitum.

7 Dices. Consuetudinem sumendi Extremam vnctionem declarare, quod adsit præceptum. Contra. Tunc consuetudo declarat adesse aliquod præceptum, quando ita procedit, vt aliquid exequatur tanquam de obligatione, non autem quando assumitur exequendum tanquam quid proficuum; quia tunc adest certum motiuum, quod pro continuatione consuetudinis assignari potest, & ideo non est necesse recurrere ad obligationem alicuius præcepti, vnde proueniat obseruantia. Ergo cum Extrema vnctio sit maximè proficua, consuetudo eam sumendi non auget obligationem. Confir. Adest etiam consuetudo commendandi Deo animam expiraturi certis quibusdam precibus, & tamen hæc consuetudo non declarat adesse aliquod præceptum.

8 Dices 2. Ipsam consuetudinem inducere obligationem: quia obseruantia inducit ius. Resp. Vt consuetudo inducat obligationem, debet esse inducta cum animo se obligandi; atque adeo debet prouenire ex iudicio practico dictante, ita exigere bonum commune, vt homines se obligent ad ita faciendum. Hoc autem non habet locum, quando constat de alio motiuo, ratione cuius fuit inducta consuetudo, vt constat in consuetudine suscipiendi Extremam vnctionem, nam habuit pro motiuo maxi-

mam vtilitatem ipsius, & sibi consulere omnibus mediis possibilibus in illo extremo vitæ.

9 Sed dubium remanet, an si quis negligeret Extremam vnctionem tanquam non necessariam, peccaret saltem venialiter. Negant Suarez, Villalobos, & alii. At probabilius est, esse peccatum veniale, vt notat etiam Baunius, & alii ex citatis *num.* 4. Quod credo tantum velle Laiman, Coninch, & alii citati *num.* 3. dum dicunt, adesse obligationem sumendi Extremam vnctionem sub veniali. Et ratio est, quia quamuis Extrema vnctio non sit necessaria, eam tamen non sumere importat quamdam socordiam circa propriam salutem, quæ fieri non potest, quin sit peccaminosa venialiter.

10 Ad 1. Rationem dubitandi Resp. Quod dato, quòd illa verba importarent præceptum, quod tamen non important, nisi ratione subiectæ materiæ determinentur ad importandum, solum importarent quòad ministros Ecclesiæ, quia ibi agitur de administratione, non autem de susceptione huius sacramenti. Ministri autem tenentur ministrare ex præcepto. Ad 2. eodem modo Resp. nam procedit Concil. d administratione, nec dicit secundum præceptum, sed secundum B. Iacobi documentum.

11 Ad 3. Concil. ibi velle ostendere, quod Extrema vnctio sit sacramentum, & non sit illud præceptum, quo Christus iussit, Apostolos vngere infirmos Marci 6. & quatenus dicit, quod ritus vngendi infirmos non debet ita iudicari Christi præceptum, vt tamen non sit sacramentum; vnde tacite videtur insinuare, quod sit Christi præceptum, Resp. quod est præceptum afficiens Ecclesiam, & eius ministros, quæ dum Christus instituit hoc sacramentum, remansit obligata ad ipsum ministrandum: non autem afficiens fideles ad suscipiendum.

12 Ad 4. Concil. Coloniense tantum velle, quod Extrema vnctio sit impendēda cum expositione mandati Apostolici, nomine mandati intelligens propositionem sacramenti factam per ipsum B. Iacobum, quæ quatenus respicit Ecclesiam, est propriè mandatum, quatenus verò respicit fideles, est mandatum impropriè. Adde quod hoc Concilium est prouinciale, & proinde faceret tantum opinionem, præsertim quia obiter tantum vocat mandatum, non autem decernit adesse præceptum.

13 Ad 5. Concil. Trident. damnare dicentes hanc vnctionem nec esse mandatum Dei, & proinde in eo sensu esse mandatum, in quo hæretici negabant, nam volebant non esse sacramentum, & ideo non esse quòad institutionem ex mandato Dei, seu Christi, sed ex ritu humano: vnde non loquitur de mandato quòad susceptionem, sed quòad institutionem.

14 Ad 6. Neg. Conseq. ad probationem. Non teneri homines adhibere omnia media conferentia ad salutem, sed tantum necessaria. Extrema autem vnctio non est medium necessarium, sed valde vtile, vnde licet optimum sit illam adhibere, non cadit tamen sub obligatione.

An non suscipere Extremam vnctionem ratione contemptus sit peccatum mortale.

Quæst. 438.

S V M M A.

1 *Casus in quibus peccat; qui non suscipit Extremam Vnctionem.*
2 *Status difficultatis.*
3 *Quando dicatur non suscipi ex contemptu.*

Con-

4 *Contemptus quando habet locum.*
5 *An ex aliqua causa etiam irrationali nolens hoc sacramdntum dicatur contemnere.*
6 *Quid dicendum de gentibus nouiter conuersis aborrentibus vnctionem materialem.*

---

1 NOnnullos casus assignant Doctores, in quibus peccat mortaliter, qui non suscipit hoc sacramentum, quorum primus est, quando per contemptum non suscipitur. Ita presertim citati *quæst. præcedenti num.* 4. Et hoc certum est præsertim ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *de Extr. vnct.* vbi damnat dicentes, Extremam vnctionem à fidelibus sine peccato cótemni posse. Et in fine capitis. Nec verò tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti iniuria esse posset. Et ratio est. Quia contemptus, quando cadit supra obiectum appretiabile, de se est malus, & peccaminosus: & ideo quando cadis supra rem valde appretiabilem, fit in suo genere grauis, quia ab excellentia rei contemptæ accipit grauitatem, & proinde est peccaminosus mortaliter.

2 Difficultas autem est, quid requiratur, vt quis dicatur ex contemptu non sumere hoc sacramentum. In qua difficult. Nugn. 3. *part. quæst.* 33. *suplem. artic.* 2. *difficul.* 1. *ver. Per accidens verò* asserit, tunc esse contemptum virtualem, & forte peccatum mortale, quando infirmus rogatus nollet suscipere hoc sacramentum. Alii vero potius explicant, quando non interueniat contemptus; volunt enim tunc non omitti ex contemptu, quando ommittitur, aut ex nimio timore, vt quia non putet se morti proximum, aut quia scit non adesse obligationem, vt contra Maiorem *in* 4. *dist.* 23. *quæst....* docent quam plures Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 44. *sect.* 1. *num.* 6. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *dub.* 3. *numer.* 57. Sà verbo. *Extrema vnctio, numer.* 5. Palaus *part.* 4. *oper. moral. disp. vn. pun.* 9. *num.* 3. Auersa *de sacram. quæstion. de Extr. vnct. sect.* 9. *ver. Pro altera*. Rursus alii tunc adesse contemptum, quando qui recusat suscipere sine causa, est tantæ auctoritatis, vt eius exemplum pariat magnam vilipensionem huius sacramenti, vel grauem suspicionem hæresis. Ita Matinon. *de sacram. disp.* 65. *num.* 47.

3 Dicendum est. Tunc solum non suscipi ex contemptu, quando motiuum nó sumendi est negatio debitæ æstimationis, quæ debetur sacramento; atque adeo quando interuenit practicum iudicium sentiens nó ritè de dignitate sacramenti. Quare vt non sumatur Extrema vnctio ex contemptu præter actum nolendi sumere requiritur alius actus voluntatis, qui sit causa non sumendi ex tali motiuo, nempe quia non æstimet sacramentum, sicuti æstimandum est. AEstimationis autem debitæ negatio ex duplici capite prouenire potest vel quia male sentiat de sacramento quod vix sine hæresi contingere potest, vt notat etiam Suarez *num. præced. citatus*; vel quia, licet rectè sentiat de sacramento, malè tamen sentiat de vsu ipsius putans non esse curandum de ipso.

4 Ratio autem est. Quia tunc contemptus habet locum, quando voluntas negat rei illam æstimationem, & appretiationem, quæ est ipsi debita, atque adeo non reponit eo loco, & ordine, in quo est reponenda; contemptus enim opponitur æstimationi. Ex duplici autem capite denegari potest Extremæ vnctioni debita æstimatio, vel quia non censeatur esse sacramentum, vel ex aliquo alio errore circa fidem. Vel quia supposita catholica doctrina, adhuc tamen censeatur non esse curandum de ipso tanquam de aliquo remedio salutis superfluo: vnde stante sana fide circa sacramentum habeat locum

pra-

prauus sensus circa vsum sacramenti. Ergo vt ex contemptu omittatur, requiritur motiuum omittendi speciale, nempe aliquis prauus sensus, & affectus voluntatis vel circa sacramentum, vel circa vsum sacramenti.

5 Ex his colligitur, quod qui nollet suscipere hoc sacramentum ex aliqua causa, licet irrationabili: vt pote quia nollet prodere infirmitatem periculosam, aut ex aliqua alia simili, non diceretur nolle ex contemptu, quia contemptus excluditur, quando, quis operatur ex causa etiam iniusta, vt notant Felin. *in Cap. Cum quidam. ver. Quinta conclusio. De iur.* Tubiena *verbo. Contemptus: num.* 1.

6 Colligitur 2. Quod cum quædam Gentes recenter conuersæ ad fidem recusarent extremam vnctionem, quia abhorrebant illam vnctionem materialem, non habuisse locum contemptum sacramenti; quia illa auersio non erat in ordine ad vnctionem quatenus sacramentalem, sed erat communis etiam ad quamlibet aliam vnctionem non sacram, & ideo non inferebat negationem debitæ æstimationis sacramenti, sed per accidens se habebat.

An non suscipere Extremam vnctionem sit peccatum ratione scandali. Quæst. 439.

S V M M A.

1 *Non suscipere Extremam Vnctionem est peccatum mortale, quando sequitur scandalum.*
2 *Quid de scandalo propriè dicto.*
2 *Omissio Extremæ Vnctionis quomodo non sit peccatum scandali, num.* 3.
4 *Soluuntur obiectiones, num.* 5.
6 *Quid de scandalo impropriè dicto.*

1 Communiter conueniunt Doctores, quod non suscipere Extremam vnctionem, tunc sit peccatum mortale, quando sequitur scandalum. Nomine autem scandali non solum intelligunt scandalum propriè dictum, quando nimirum quis inducitur ad peccandum, sed etiam improprium, qualis est mala opinio, quam de se infirmus generaret. Aduertunt autem Suarez, & alii, quod scandalum propriè dictum raro potest habere locum. Vt autem omittere Extremam vnctionem sit ex hoc capite peccatum mortale, oportet, quod scandalum sit graue, ita vt, si sit propriè dictum, inducat, ad peccatum mortale, si vero sit improprium, sit in sua specie graue. Ita Laiman *lib. 5. theol. moral. tract.* 8. *cap. 7. num.* 2. Suarez 3. *paru. tom.* 4. *disp.* 44. *sect.* 1. *numer.* 5. Nugnus *quæst.* 33. *supplem. artic.* 2. *difficul.* 1. *ver. Tertius casus*. Chellison. *dub.* 1. *ver. Dico*. 4. Putean. *quæst. de Extr. vnct. dub. 6. conclus.* 2. Isambert. *disp.* 8. *De Extr. vnct. artic.* 1. *proposit.* 2. Coninch. De *sacram. disp.* 19. *dub.* 11. *num.* 3. Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun.* 5. *num.* 10. Auersa *de sacram. quæst. de Extr. vnct. sect.* 9. *ver. secundus casus*. Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 26. *disp. vn. pun.* 8. *num.* 3. Ludouicus à S. Ioann. *part.* 1. *sum. quæst. de Extrma vnct. artic.* 7. *dub.* 2. *conclus.* 2. Martinon. *de sacramen. disp.* 65 *de Extr. vnct. sect.* 6. *num.* 47.

2 Verum, quod spectat ad scandalum propriè dictum, potest habere locum, cum omissio Extremæ vnctionis non sit actio ex natura sua inducens ad peccandum. Ad scandalum enim requiritur actio de se peccamino-

nosa, aut saltem, quæ habeat speciem mali, vt docet D. Tho. 2. 2. *quæst.* 43. *artic.* 1. *in corpore*, *& ad* 2. nam actio bona aut indifferens non potest inducere ad peccandum. Omissio autem Extremæ vnctionis neque est actio mala, cum Extrema vnctio non cadat sub obligatione; neque habet speciem mali, quia omissio ex genere suo non potest habere speciem mali, nisi apprehendatur contrariare alicui obligationi, quæ cum in præsenti non adsit, non poterit apprehendi sub specie mali. Vnde si ex hac omissione quis accipiat occasionem peccandi, erit scandalum actiuum.

3 Confir. Si diu perseueret infirmitas periculosa, potest pluries sumi viaticum, aut saltem sumi Eucharistia ex deuotione cum maxima vtilitate spirituali, & tamen si non sumatur, non peccatur peccato scandali non alia ratione, nisi quia non vrget obligatio sumendi. Ergo cum neque vrgeat obligatio sumendi Extremam vnctionem, non sumere non erit peccatum scandali. Et ratio generalis est, quia omissio boni indebiti ex se non est scandalosa, quia si inducat alios ad omittendum, non inducit ad peccandum, cum non peccent omittendo. Si verò inducantur ad omittenda, quæ debita sunt, hoc sibi imputare debent, quia ex se non est inductiua ad ea omittenda, sed tantum ad omittenda similia, quæ non sunt sub obligatione.

4 Dices. Hanc actionem posse inducere ad non curanda media salutis, & hoc pacto generare scandalum. Contra. Vel inducit ad non curanda media salutis non necessaria; & tunc non generat scandalum, quia non inducit ad peccandum, quia quamuis possint media non necessaria fieri necessaria ex aliquo accidenti, attamen tunc variant ordinem, & collocantur in genere necessariorum. Vel media, quæ non curantur, sunt necessaria, & tunc omissio Extremæ vnctionis non habet vim inducendi ad ipsa omittenda, cum sit alia ratio de istis, quia cum respectu istorum adsit speciale vinculum, non offertur motiuum soluendi hoc vinculum, & proinde per omissionem eorum, quæ non sunt de obligatione, non ponitur offendiculum quòad ad ea, quæ sunt: & eodem modo res se habet, ac si in alia parte viæ poneretur offendiculum, in qua non deberet ambulare, & ambulando non offendere.

5 Dices 2. Generare posse scandalum, quia inducit ad despiciendum sacramentum. Contra. Non inducit ad despiciendum sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, qui ea non suscipit, quando non obligant. Ergo neque inducet non suscipiens Extremam vnctionem, cum non obliget. Confir. Non vsus Extremæ vnctionis potest stare cū debita æstimatione sacramenti. Ergo cùm non suscipit, non inducit despectionem ipsius, atque adeo non inducit ad despiciendum, quia in tantum induceret, in quantum ostenderet despectionem, dese autem non ostendit, neque venit in consequentiam, nisi quis velit temere iudicare.

6 Quod verò spectat ad scandalum inpropriè dictum, hoc est, quòd ad generationem malæ opinionis, habet etiam suam difficultatem. Quia suppositio quod infirmus sumat cum ea deuotione, qua par est cœtera sacramenta, non exhibet motiuum iudicandi, quod non benè sentiat de hoc sacramento, nam non potest non benè sentire de vno, quin male sentiat de omnibus, quia quæ pertinent ad fidem, indiuisibilia sunt in motiuo credendi, ita vt deficiente fide circa vnum, deficiat etiam circa alterum. Nec etiam exhibet motiuum iudicandi, quod non habeat eam curam, quam debet de propria salute: quia non solum non negligit aliquod medium necessarium, verum etiam adhibet sufficientissima, qualia sunt confessio sacramentalis, & Eucharistia.

Vn-

Vnde si alienum iudicium rationabiliter procedat, non potest aliud inferre, nisi quod nolit sibi prouidere omnia remedia, quæ posset, & proinde non procedat cum ea prudentia, cum qua deberet, cum agatur de re tanti momenti: non autem aliquid iniquum, quod valeat malam suspicionem generare. Cum enim non peccet omittendo Extremam vnctionem non est sufficiens actio peccaminosa ad generandam malam suspicionem. Quod si talis suspicio ab aliquo indebitè concipiatur; ipsi imputandum erit, quia sine sufficienti fundamento concipit. Quare vix videtur posse interuenire scandalum actiuum, siue verum, siue improprium. Si tamen interueniat, erit peccatum siue mortale, siue veniale iuxta grauitatem, vel leuitatem ipsius.

An aliquando per accidens teneatur infirmus sub mortali recipere Extremam vnctionem.

Quæst. 440.

S V M M A.

1 *Casus in quo infirmus tenetur suscipere Extremam Vnctionem.*

2 *Infirmus amisso vsu rationis non tenetur suscipere Extremam Vnctionem.*

3 *Habens vsum rationis, & non conscius peccati mortali non tenetur suscipere Extremam Vnctionem.*

4 *Est moraliter improbabile, quod adsit Sacerdos potens ministrare Extremam Vnctionem, & non potens absoluere.*

5 *Quid si non potest confiteri, absolui, & dare signa poenitentia.*

6 *Obiectionibus satisfit, num. 7. & 8.*

1 Solet à Doctoribus assignari casus, in quo infirmus teneatur per accidens suscipere Extremam vnctionem: nimirum quando non posset recipere alia sacramenta, & habet conscientiam peccati mortalis, & est dubius de contritione: imò etiam si putet se contritum, quia fieri potest, quod non sit vera contritio. Ita Palud. *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 3. conclus. 3.* Laiman *lib. 4. theol. mor. tract. 8. cap. 7. numer. 1.* Suarez *3. part. tom. 4 disp. 44. sect. 1. num. 7.* Nugn. *3. part. quæst. 33. supplem. artic. 2. difficult. 1. ver. Secundus casus*, qui putat hoc esse certum. Isambert. *disp. 8. de Extr. vnct. artic. 1. propos. 2.* Ochagauia *de sacram. quæstion. 9. de Extr. vnct. num. 3.* Baunius *1. part. theol. mor. tract. vlt. quæstion. 10. ver. 1.* Auersa *quæst. de Extrem. vnct. sect. 9. ver. Tertius casus* Amicus *tom. 8. Curs. theol. disp. 19. sect. 11. num. 293.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 8. num. 5.* Martinon *de sacram. disp. 65. sect. 6. num. 7.* Qui tamen aduertunt rarò posse casum contingere.

2 In hac difficultate illud certum est. Quod si infirmus amisit vsum rationis, & proinde confiteri non possit, neque signa poenitentiæ exhibere; neque etiam tenetur suscipere Extremam vnctionem; quia licet *possit* illi ministrari, non subiicitur *tamen alicui* obligationi, cum non sit capax. Qui tamen curam ipsius habent, tenentur sub mortali procurare, quod administretur: nam per ipsos salus eiusdem animæ procuranda est, non secus ac si esset infans nondum capax discursus.

3 Quando autem habet vsum rationis; si non habet conscientiam peccati mortalis, cum sit in statu salutis, non tenetur suscipere extremam vnctionem, sicut nec etiam tenetur, quando habet conscientiam peccati mortalis, sed confessus est: quia tunc remanet Extrema vnctio in sua natura quoad obligationem: vnde cum

ex

ex sui natura non obliget, nec etiam in tali casu obligabit.

4 Si verò habeat conscientiam peccati mortalis, quia est moraliter impossibile, quod adsit sacerdos potens ministrare Extremam vnctionem, & non potens absoluere, ideo est etiam moraliter impossibile quod tunc per accidens consurgat obligatio recipiendi Extremam vnctionem, nam tenetur confiteri, & hoc pacto consulere saluti animæ suæ. Si autem confiteatur, sufficienter sibi prouidet, & proinde non resultat obligatio suscipiendi Extremam vnctionem.

5 Verum dato casu, quod non posset confiteri, nec signa exhibere poenitentiæ, nec absolutionem obtinere, tunc teneretur elicere actum contritionis, quia hic solus extra sacramentum est medium ad delendum peccatum: non autem suscipere Extremam vnctionem, quia cum sit sacramentum viuorum, non est medium ad delendum peccatum per se. Si verò conetur elicere actum contritionis, vel dubitat an sit vera contritio, & tunc cum sit dubius de dispositione necessaria, non potest suscipere Extremam vnctionem. Vel putat se esse contritum, itaut saltem probabiliter id iudicet, & tunc neque ratione charitatis tenetur suscipere, quia solum charitas obligat, quando vrget indigentia, stante autem probabili iudicio de contritione non vrget indigentia, quia sicut probabiliter excluditur per tale iudicium, ita etiam probabiliter excluditur obligatio. Confir. Quando quis probabiliter iudicat proximum non indigere etiam in spiritualibus non tenetur illi subuenire ex præcepto charitatis. Ergo nec etiam obligat ad subueniendum nobis ipsis, quia eadem mensura obligat quoad nos, qua obligat quoad proximos, iuxta illud. Diliges proximum tuum sicut teipsum.

6 Dices. Charitatem obligare ad ponendam in tuto propriam salutem, quod fiet mediante Extrema vnctione, nam si illa contritio non esset vera contritio, cum Extrema vnctione saluaretur, & sine non saluaretur. Contra, licet optimum sit, & consultissimum suscipere Extremam vnctionem, & ponere in tuto etiam per hoc medium propriam salutem; non tamen tenetur ex præcepto stante probabili contritione; nam non plus, tenetur sibi prouidere, & assecurare propriam salutem, quàm teneatur vitare peccatum: imò hoc magis tenetur vitare, quia est medium certum destruens propriam salutem. Ergo sicuti stante opinione probabili, quod non peccet in illa actione, non tenetur vitare; ita etiam stante probabili opinione, quod per actum contritionis propria salus sit in tuto posita, non tenetur aliud medium adhibere, quo magis in tuto ponat.

7 Dices 2. Esse diuersum rationem. Nam, quando quis operatur secũdum probabilem opinionem, quamuis actio in se esset peccaminosa, non peccat, quia debet regulari operatio secundum mensuram rationis. At si quis putans probabiliter habere contritionem, reuera non haberet, non obtineret gratiam, sed damnaretur, quia dispositio ad gratiam non est contritio putata, sed vera. Contra. Qui operatur secundum probabilem opinionem satisfacit obligationi abstinendi à malo. Ergo qui habet probabilem opinionem de sua contritione satisfacit obligationi faciendi bonum quoad hanc partem, nempe disponendi se ad gratiam, & ponendi in tuto propriam salutem. Ergo non subintrat præceptum charitatis obligantis ad ponendum in tuto propriam salutem, quia solum potest subintrare in subsidium alterius obligationis, & ob indigentiam securitatis propriæ salutis; & ideo non potest subintrare, quando est iam satisfactum obligationi,

ni, & probabiliter posita in tuto propria salus.

8 Dices; Quamuis probabiliter sit in tuto propria salus, adhuc tamen fieri posse, quod non sit: & posse obuiari periculo, si adhibeatur Extrema vnctio. Contra. Quia aliud est, quod cognoscatur periclitari propria salus, & adsit obligatio adhibendi aliud remedium; & aliud, quod possit subesse periculum, & quod possit adhiberi vlterius remedium. Secundum est verum: non autem primum; Vnde solum fit, quod forte relinquat in periculo, non autem quod teneatur vlterius prouidere, & ideo non peccabit de nouo non adhibendo Extremam vnctionem. Et ratio est. Quia tunc solum subintrant remedia per accidens, quando non habent locum remedia per se. In præsenti autem casu habent locum remedia per se, & præsupponuntur adhibita, nempe contritio, & ideo non remanet vlterior obligatio; alioquin etiam adhibita confessione teneretur ratione charitatis adhibere vlterius remedium, quia fieri potest, quod fuerit inualida, quia abfuerit vera attritio.

An sit absoluendus moribundus, qui non vult suscipere Extremam Vnctionem.

Quæst. 441.

S V M M A.

1 *Nolens ex contemptu non potest absolui.*
2 *Opinio eorum, qui tenent adesse obligationem sumendi hoc Sacramentum.*
3 *Qui non peccat mortaliter recusando Extremem Vnctionem, debet absolui.*
4 *Idem dicendum si ex aliqua causa etiam non rationali recusaret.*
5 *Rationi dubitandi satisfit.*

1 Debent in hoc omnes conuenire, quod si nolit ex contemptu suscipere, ex quocunque capite procedat, non potest absolui, quia permanet in peccato, & indispositus est ad recipiendam absolutionem; quæ si ei impertiretur, esset nulla defectu debitæ materiæ sacramenti, nempe attritionis. Quod etiam habet locum, si ex alio capite peccatet nolendo sumere. Vnde solum difficultas est, si ex hoc precisè, quod nolit sumere, sit deneganda absolutio.

2 Et quidem qui putant adesse obligationem sumendi hoc sacramentum, consequenter debent tenere quod non possit absolui. Quia tamen hæc opinio est contra communem, ideo non est in praxi sequenda, præsertim quia non habet fundamentum subsistens. Quoad eos autem, qui putant, non adesse obligationem suscipiendi hoc sacramentum, ratio dubitandi est. Quia, dum quis recusat susceptionem huius sacramenti, videtur non curare beneficia Christi, quæ nobis contulit in ordine ad salutem, & confidere propriis viribus, atque adeo habere quamdam præsumptionem sui ipsius. Imò videtur præbere occasionem suspicandi aliquid peius.

3 Dicendum tamen. Quando quis habita ratione circumstantiarum non peccat mortaliter recusando Extremam vnctionem, debet absolui, si aliàs dispositus sit. Ratio est. Quia concurrit certum cum incerto. Est enim certum, quod poeniteat peccasse, & petat absolui, & constat de dispositione ex confessione ipsius; est autem incertum; quod recusatio Extremæ vnctionis sit coniuncta cum aliquo motiuo malo, aut cum aliquo simili ex iis, quæ tanguntur in ratione dubitandi; Imò stante poeniten-

tia

tia excluditur tale motiuum saltem præsumptiuè. Ergo est absoluendus, quia, quod certum est, debet præualere incerto.

4 Et hoc habet locum à fortiori, si ex aliqua causa, quamuis non rationabili recusaret sacramentum; nam tunc cum constet de motiuo, etiam ex hoc capite excluditur præsumptio, quæ posset adesse cuiuscunque impedimenti ad obtinendum absolutionem.

5 Ad rationem dubitandi Resp. Quod suspicio, quod contemnat beneficia Christi, & confidat propriis viribus, non habet sufficiens fundamentum; quia talis suspicio destruitur ex eo, quod recipiat alia sacramenta, quæ cum sint beneficia Christi, & tribuant vires supernaturales, satis ostendit se æstimare Christi beneficia, nec sibi confidere, dum quærit auxilia Sacramentorum.

De ritu seruando in ministranda Extrema Vnctione.

SPeciales quosdam ritus præscribit Ecclesia seruandos in ministranda Extrema vnctione, quorum aliqui ex dictis explicati remanent, cęteri verò modo declarandi sunt. Neque enim contemni possunt, aut pro libito omitti, aut in alios mutari, vt generaliter quoad omnia sacramenta definit Concil. Trident. *sess. 6. can. 13. De sacram. in genere.*

Quem ordinem habere debeat Extrema vnctio ad alia sacramenta. Quæst. 442.

S V M M A.

1 *Tria sacramenta, quæ muniunt hominem in fine vitæ.*
2 *Ratio dubitandi explicatur.*
3 *Non adest obligatio seruandi ordinem.*
4 *Antiquitus Extrema Vnctio dabatur ante Viaticum.*
5 *Ratio conuenientiæ ritus antiqui.*
6 *Conueniens est Extremam vnctionem dari post Viaticum, & quare.*
7 *Consuetudo ministrandi vltimo loco Extremam vnctionem non habet vim obligandi.*
8 *Non seruans talem consuetudinem an peccet.*
9 *Rationi dubitandi satisfit.*
10 *An consuetudo præmittendi confessionem obliget habentes conscientiam peccati mortalis.*
11 *Infirmo post Extremam Vnctionem petenti Eucharistiam absque scrupulo est danda.*
12 *In dubio an adsit tempus pro Extrema vnctione si præmittatur confessio, etiam si infirmus putetur contritus est præmittenda confessio.*
13 *Idem dicendum de eo, qui in articulo mortis habet conscientiam peccati mortalis, ac de eo, qui post confessionem, & viaticum ante Extremam vnctionem peccauit mortaliter.*

1 TRibus sacramentis munitur homo in fine vitæ, nempe cõfessione, viatico, & Extrema vnctione: vnde dubitatur, quem ordinem obtinere debeat Extrema vnctio respectu viatici, & poenitentiæ; & cum vltimo loco soleat ministrari, difficultas est, an hoc sit de necessitate. Quod autem non sit de necessitate sacramenti certum omnino est, quia potest ministrari ei, qui nec confessus est, nec viaticum sumpsit, quia non potuit; vnde si quis non haberet conscientiam peccati mortalis, sicut non teneretur confiteri, ita absque confessione posset ministrari Extrema vnctio, nam es-

esset sufficienter dispositus & ideo remanet solum dubium de necessitate præcepti.

2 Ratio dubitandi est consuetudo, nam semper, quando ministrari potest viaticum, Extrema vnctio vltimo loco ministratur. Vnde Catechismus Romanus *par. 2. cap. 6. de Extr. vnct. num.* 12. habet: *Quoniam omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis aduersatur, quàm alicuius peccati mortiferi conscientia, seruanda est Ecclesiæ Catholicæ perpetua consuetudo, vt ante Extremam vnctionem Poenitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum, administretur*. Quod etiam habet Rituale Romanum *in Rubr. de Extr. vnct. ver. In quo.* vbi habet, *Illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine obseruandum est, vt si tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam vnctionem, Poenitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta infirmis præbeantur*. Cum ergo adsit consuetudo, aderit etiam obligatio sub mortali, vt pote in re graui.

3 Dicendum tamen est. Non adesse obligationem sub mortali seruandi hunc ordinem. Ita D. Antonin. *3. part. tit.* 14. *capit.* 15. *§. 6.* Suarez *3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 1. nu.* 8. Henriquez *lib. 3. sum. cap. 10. in fine*. Possenin. *de offic. Curati. capit. 12. num.* 10. Bellarmin. *de Extr. vnct. capit. 9. in fine*. Sà *verbo. Extrema vnctio, num.* 3. Bartholom. ab Angelo *Dial.* 3. §. 126. Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. 5. numer.* 15. Gaspar Hurtad. *de sacram. difficul.* 11. *de Extr. vnct. in fine*. Ocagauia *quæstion. 9. numer.* 4. Martinon. *disp. 65. sect. 6. num.* 53. Auersa *quæst. de Extrem. vnct. sect. 9. ver. In hac re.* Tanner. *tom. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 57. ver. Et quamuis.* Nugn. *3. part. quæst. 37. supplem. artic. 2. difficul. 2. ver. Mihi tamen*. Chellison. *dub.* 2. Syluius *quæst. 32. artic. 4. quæsito 2.* Ledesma *part. 1. sum. capit. 9. de Extr. vnct. conclus.* 5. Zambran. *in suis decis. cap. 5. de Extr. vnct. numer.* 15. Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 36. disp. vnica puncto 8. num.* 18.

4 Pro quo est aduertendum, quod antiquitus Extrema vnctio conferebatur ante viaticum, vt inter alios notat etiam Suarez *3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 1. num.* 8. & desumitur ex *Cap. Ab infirmis. 26. quæst. 7.* ibi *Sacra vnctione olei inuncti secundum statuta Sanctorum Patrum communione viatici reficiantur*. Ecce quomodo inuncti debent refici viatico, atque adeo, vt inuncti reficiantur, debent prius sumere *Extremam vnctionem*. Rursus ex Petro Venerabili *lib. 3. Epist. 4. A Domino Viselatiensi Abbate cum inungi, ac sacri corporis viatico refici fecimus*. Bernar. *in Vita S. Malachiæ*. *Vngitur Episcopus, & sumpto viatico ad lectum reuertitur*. Surio *in Vita S. Arnulphi die 15. August.* vbi refert, ipsum prius inunctum fuisse die sabbathi, postea verò ad vesperam viaticum sumpsisse. B. Getrude *lib. 5. diuinar. insinuat. capi. 29.* referente. Infirmis prius ministrari solitum sacramentum Poenitentiæ, deinde Extremam vnctionem, & postremo loco viaticum.

5 Et ratio conuenientiæ erat. Quia Extrema vnctio est consumatiua poenitentiæ, & purgat animam à peccatis, si quæ supersint, & ideo reddit magis mundam, & dispositam ad recipiendum viaticum. Rursus cum Eucharistia sit finis omnium sacramentorum, ad quam ordinantur, debent ad ipsam præmitti. Denique. Quia Extrema vnctio ita ordinatur ad curandam animam, vt etiam ordinetur ad salutem corporalem, quæ etiam est effectus ipsius, & ideo non tam datur ad præparandum ad exeundum ex hac vita, quàm ad remanendum. Viaticum vero datur absolute in ordine ad exitum: & ideo videtur ministrandum, quando mors est magis certa.

E con-

6 E contra verò conueniens est, quod Extrema vnctio conferatur post Viaticum; tum quia est sacramentum exeuntium,& quo munitur extremum vitæ, & anima præparatur ad gloriam, & ideo ponere videtur vltimam dispositionem ad gloriam: viaticum verò tanquam cibus datur ad sustentandam animam quando ingrauescente morbo censetur inchoare viam ad patriam. Tum quia Extrema vnctio est consumatiua vitæ Christianæ, vt habet Concil. Trident. *sess. 14. in Proem. de Extrema vnction.* & ideo est conueniens, quod claudat vitam Christianam, & vltimo loco ministretur.

7 Cum itaque ex vtraque parte adsit ratio conuenientiæ, nec vllum adsit præceptum de ordine seruando, sequitur, quod consuetudo ministrandi vltimo loco, non habeat vim obligandi. Ratio est. Quia talis consuetudo non est inducta ex aliqua necessitate, ratione cuius fieret necessaria intuitu sacramentorum, & proinde caret intrinseca conditione, quæ requiritur ad constituendam legem, *Cap. Erit autem. Dist.* 4. Sed est inducta ratione prædictarum conuenientiarum, quæ præualuerunt tunc in æstimatione: & ideo est tantum consuetudo conuenientiæ, non verò necessitatis, consuetudo autem, vt obliget, debet habere conditiones legis, & proinde debet esse necessaria.

8 Hoc tamen non obstante seruanda est talis consuetudo; non quia qui non seruaret, peccaret grauiter, sed quia pertinet ad ritum Ecclesiæ, quem præscribit pro administratione sacramentorum. Et cum sit consuetudo publica auctoritate inducta, quamuis non obligatiua, non debet ex priuato placito alterari, nisi interueniat aliqua rationabilis causa: qua stante nec etiam venialiter peccaretur. Qui tamen alteraret, non posset puniri, quia non faceret contra aliquam obligationem quantum est ex parte conscientiæ. Quia tamen in foro externo non se conformaret communi ritui, posset puniri, si id faceret absque rationabili causa: vnde erit consuetudo, quæ licet non obliget ad culpam, obligat tamen ad poenam, quatenus illam non seruans detrahit exteriori directioni, qua Ecclesia res Ecclesiasticas dirigit.

9 Ad rationem dubitandi iam dictum est, quod consuetudo non obliget sub mortali. Ad auctoritatem autem Catechismi Resp. Quod debet intelligi iuxta rationem, quam ibi affert, quia sicut lex non extenditur vltra rationem, & causam finalem; ita nec etiam consuetudo. Vnde cum ratio, & causa finalis, quam affert, sit, auferre impedimentum gratiæ sacramentalis Extremæ vnctionis atque adeo mortifera peccata, ideo etiam consuetudo, de qua loquitur est coarctanda ad terminos huius causæ finalis, atque adeo erit coarctata ad confessionem sacramentalem, & ad eos, qui habent conscientiam peccati mortalis, ita vt non debeant fidere propriæ contritioni. Et eodem modo accipiendum est etiam Rituale Romanum, cum loquatur de eadem consuetudine.

10 An autem consuetudo præmittendi confessionem obliget habentes conscientiam peccati mortalis, negatiuè Respond. quia non est consuetudo necessitatis, sed decentiæ, & adsit aliud remedium tollendi peccatum mortale. Quia tamen præceptum confessionis obligat habentes conscientiam peccati mortalis in articulo mortis, ideo si quis suscipere vellet prius Extremam vnctionem absque eo, quod prius satisfaceret præcepto confessionis, aut se declararet cum confessario, quod non haberet conscientiam peccati mortalis, præberet quamdam speciem mali, & quamdam præsumptionem, dum confideret propriæ contritioni. Imo tan-

obli-

obligatione confitendi crederem cum Suarez *3. part. tom. 4. diſp. 44. ſect. 1. numer. 9.* quod teneretur infirmus præmittere confeſſionem, quia cum ſacramenta mortuorum debeant præcedere ex natura ſua ſacramenta viuorum, ſi de præſenti vrgeat obligatio ſacramenti mortuorum quantum eſt de ſe independenter ab alio ſacramento, tunc ſicut Extrema vnctio exigit ſubiectum diſponi, ita exiget etiam, quod diſponatur eo modo, quo hic, & nunc tenetur ſe diſponere. Hinc etiam oritur alia conuenientia: ratione cuius præmitti debeant confeſſio, & viaticum, nempe quia cadunt ſub præcepto; Extrema autem vnctio non cadit.

11 Ex dictis colligitur cum Suarez *3. part. tom. 4. diſp. 44. ſect. 1. numer. 8. in fine.* Laiman. *lib. 5. theol. moral. tract. 8. Cap. 8. in fine.* Palao. *part. 4. oper. moral. tract. 26. pun. 8. in fine.* Martinon. *De ſacrament. diſp. 65. ſect. 6. in fine.* Quod ſi infirmus poſt ſuſceptam Extremam vnctionem peteret Euchariſtiam abſque vllo ſcrupulo eſſet ipſi miniſtranda etiam per modum viatici, ſi eſſet tranſactum debitum tempus à prima ſumptione viatici; quia tunc miniſtratio Euchariſtiæ eſt extra ordinem præſcriptum à conſuetudine, & ideo nihil referat, quod præceſſerit Extrema vnctio.

12 Colligitur 2. cum Suarez *3. part. tom. 4. diſp. 44. ſect. 1. num. 9.* Quod ſi dubium eſſet, ne adeſſet tempus pro Extrema vnctione, ſi præmitteretur confeſſio, adhuc eſſet præmittenda, quamuis infirmus ſe contritum putaret, nam hoc ſacramentum eſt ſacramentum neceſsitatis, & de præcepto, & ideo Extrema vnctio debet ipſi cedere. Quod autem Suarez ſubdit, etiam de præcepto confeſſionem debere eſſe integram, quamuis prævideatur non adfuturum tempus pro Extrema vnctione, apud me difficultate non caret; nam quamuis integritas confeſſionis cadat ſub præcepto, non obligat tamen, quando inde ſequitur aliquod graue incommodum etiam temporale, vt communiter tradunt. Si autem ob integrè confitendum, priuaretur Extrema vnctione, ſequeretur ipſi ex integritate confeſſionis graue incommodum ſpirituale, nam priuaretur in illo extremo tàm ſalutari remedio, & exponeretur alicui periculo amittendi ſalutem ſuccumbendo tentationibus.

13 Colligitur 3. contra Suarez *3. part. tom. 3. diſp. 44. ſect. 1. num. 10.* Eamdem rationem eſſe de eo, qui in articulo mortis habet conſcientiam peccati mortalis, ac de eo, qui poſt confeſſionem, & viaticum ante Extremam vnctionem peccat mortaliter, ita vt ſi vnus obligatur, obligetur etiam alter ad præmittendam confeſſionem. Et ratio eſt. Quia præceptum confeſſionis non obligat præciſe ratione articuli mortis; ſed quia in articulo mortis exiſtens habet conſcientiam peccati mortalis, & ratio finalis obligationis eſt, vt infirmus prouideat propriæ saluti, & adhibeat remedium inſtitutum ad delenda peccata. Si autem peccet poſt ſumptum viaticum, eſt in eodem ſtatu, & in eadem neceſſitate; & militat eadem ratio finalis præcepti, & ideo tenetur confiteri de nouo, non ſecus, ac ſi antea confeſſus non fuiſſet. Vnde ſi is, qui habet conſcientiam peccati mortalis obligatur præmittere confeſſionem Extremæ vnctioni, obligabitur etiam, qui peccat mortaliter poſt ſumptum viaticum. Quod ſi hic, & nunc contingat non poſſe de nouo infirmum confiteri, niſi manifeſtetur aliquod peccatum, in tali caſu ſequendæ ſunt regulæ generales circa materiam confeſſionis, vt nimirum confiteatur aliquod veniale, aut peccata aliàs confeſſa cum propoſito confitendi, quæ omittit, ſi potuerit, & quando potuerit. Neque

que enim ex eo præcisè, quod confiteatur, aliqua mala suspicio rationabiliter generari potest, eum morti proximi habeant plures causas de nouo confitendi, licet in nullum peccatum de nouo incidant.

An preces sint necessariò recitandæ in ministranda Extrema vnctione. Quæst. 443.

S V M M A.

1 *Preces in ministranda Extrema Vnctione in ritualibus præscripta.*
2 *Psalmi Pœnitentiales non cadunt sub præcepto.*
2 *Ex necessitate pretermitti possunt preces præscripta.*
3 *Preces assignatas recitandas esse, qui docent.*
4 *Minister omittens absque necessitate preces, aut maiorem partem peccat mortaliter.*
5 *Et quarè.*
6 *An elapso impedimento omissæ debeant recitari.*
7 *Quomodo agendum quoad preces tempore pestilentiæ.*

1 IN Ritualibus præscribuntur aliquæ preces recitandæ, in ministranda Extrema vnctione; vnde dubitatur, an sint recitandæ sub graui obligatione. Et quidem quod spectat ad Psalmos pœnitentiales, communiter docent, non cadere sub præcepto: quod constat ex consuetudine, nam vt plurimum non recitantur. Imò Rituale Romanum eos non præscribit, sed solum post tradita ea, quæ pertinent ad ministrandam Extremam vnctionem, subiungit Psalmos Pœnitentiales cum rubrica pro infirmis, dum sacro Oleo liniuntur, seu pro alia necessitate. Ex quo manifestum fit, quod non pertineant ad ritum ministrandi Extremam vnctionem, dum non à ministro, sed ab aliis recitandi sunt, & non ex necessitate, sed ad libitum, vnde in Rubrica de modo ministrandi Extremam vnctionem habetur, Moneat adstantes, vt pro illo orent, & vbi commodum fuerit pro loco, & tempore, & adstantium numero, vel qualitate recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse vnctionis sacramentum administrat.

2 Conueniunt etiam Doctores, Quod ex necessitate prætermitti possunt præscriptæ preces, vt tempore pestilentiæ, quando imminet periculum infectionis, aut est periculum, ne dum recitantur, non suppetat tempus vngendi alios infirmos, vel quando Infirmo mors imminet, & periculum adsit, ne dum recitantur preces sine vnctione decedat, quod etiam aduertit Rituale Romanum *in Rubrica de Extrema Vnctione*. Et ratio est, quia præualere debet, quod magis interest, & propter aliquod minus bonum non est prætereundum maius: magis autem interest, quod ministretur Extrema vnctio, & est bonum magis proficuum, quàm quod seruetur præscriptio Ecclesiæ de recitandis precibus. Solum ergo difficultas est, an sit peccatum graue eas omittere absque necessitate.

3 Quod autem preces assignatæ recitandæ sint, tradunt Henriquez *lib. 3. sum. cap. 12. num. 5.* Laiman. *lib. 1. theol. moral. tract. 8. capit. 8. num. 1.* Tanner. *tom. 4. sum. disp. 7. quæst. 1. dub. 3. num. 65.* Bonac. *disput. 7. de sacrament. quæst. vn. pun. 6. numer. 7.* Zambran. *in suis decis. capit. 5. de Extrem. vnct. numer. 10.* Suarez *3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 2. in fine.* Amicus *tom. 8. Curs. theol. disp. 19. sect. vlt. numer. 216.* Possevin. *De offic. Curati capit. 9. num. 2.*

An

An autem sit peccatum mortale, non explicant. Negant Granad. *3. part. controuer. 8. disp. 8. de Extrem. vnct. numer.* 8. Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 1. tract. 2. de Extrem. vnct. numer. 6.* Palaus autem *part. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vnica, punct. 8. num. 13.* Cuill. *in Addit. ad Pract. visitan. infirmos, dub. 3. ad pract. 9.* expressè docent, esse peccatum mortale.

4 Dicendum est. Ministrum peccare mortaliter; si absque necessitate non recitat in ministranda Extrema vnctione preces assignatus, aut si maiorem partem omitteret. Dixi maiorem partem: quia cum sint preces breues, si relinqueretur aliquid minus medietate, esset tum in se parua materia; tùm etiam respectu omnium precum, quia quando est quid exiguum in se, non potest esse quid notabile respectu totius, nisi destruat eius ablatio ipsum totum. Desumitur autem ex Rituali Romano in *Rubr. de Extrem. vnct.* quatenus præscribit, quod quando ob periculum in mora omittuntur præces, peracta vnctione, si infirmus superuiuat, recitentur: quod non præscriberet, nisi præscriberet recitandas tanquam aliquid graue.

5 Ratio autem est. Quia preces assignatæ pertinent ad ritum, cum quo est ministrandum sacramentum: si quidem constituunt formam extrinsecam, atque adeo ritualem, cum qua est ministrandum. Ritus autem præscripti in ministratione sacramentorum non possunt omitti absque necessitate; nam esset tacitus quidam contemptus, & in regraui non starетur Ecclesiasticæ præscriptioni. Hinc Concil. Trident. *sess. 7. can. 13. De sacrament. in genere* damnat dicentes, consuetos ritus in sacramentorum administratione posse sine peccato pro libito à ministris omitti. Intelligit autem de peccaro mortali, quia nomine peccati absolutè prolati venit mortale. Quod etiam constat, quia hæretici, dum dicebant, posse ad libitum omitti absque peccato, intelligebant de mortali; & quia definitio æquè procedit de ritibus omnium sacramentorum, atque adeo de peccato, quod committeretur in ipsorum omissione siue quòad hoc, siue quòad illud sacramentum.

6 Circa hoc autem dubitari potest. An quando Extrema vnctio ministratur pluribus intra eamdem domum, aut hospitale, vt contingere facile potest pestilentiæ tempore, sufficiat, semel præscriptas preces recitari. *Resp.* Vel, infirmi sunt intra idem cubiculum, aut locum; vel in diuersis. *Si intra idem cubiculum*, vel eumdem locum, sufficiet, preces semel recitari, quia tunc vnico contextu, & per modum vnius ministrationis ministratur omnibus; vnde etiam in ordinationibus, quamuis plures ordinentur, orationes tamen, quæ pro ordinatione præscribuntur, semel tantum recitantur; imò etiam materia simul pluribus exhibetur, & vnica forma in plurali prolata confertur porestas ordinationis. Si verò sint in diuersis locis, tunc, quia ministratio Extremæ vnctionis non potest se habere per modum vnius, nec preces recitatæ in ordine ad vnum censeri possunt recitatæ in ordine ad alium, ideo necesse erit *eas repetere*.

7 Rursus dubitari potest secundò. An quando preces omittuntur ex aliqua necessitate, & statim post ministratam Extremam Vnctionem recitari non possunt, vt præscribit Rituale, quia videlicet superueniat aliquod impedimentum rationabile, debeant elapso impedimento adhuc recitari. Respond. Considerandum esse impedimentum, an sit tale, quod omnino interrumpat actionem, an verò sinat, quod possit continuari moraliter loquendo cum recitatione precum, vnde est habenda præcipuè ra-

ratio durationis impedimenti. Si enim omnino interrumpit, non erit necesse recitare preces, quia tunc, cum non possint aliquo modo continuari cum ministratione sacramenti, non pertinebunt ad ritum ipsius, vt si sacerdos deberet prius ire ad domum alicuius infirmi ad audiendam confessionem, tunc enim quia interponitur ministratio alterius sacramenti, interrumpitur actio; si verò iret ad domum alterius ob ministrandam Extremam vnctionem, deberet postea recitare; quia cum sit actio eiusdem speciei, non ponit interruptionem: sufficiet tamen, quod recitet in communi. Si verò actio ministrationis non interrumpitur, ita vt possit censeri moraliter durare, adhuc recitandæ erunt tanquam nondum completo ritu sacramenti.

8 Ex his colligitur. Quod pestilentiæ tempore, dum Sacerdos it ad ministrandam Extremam vnctionem, quia habet rationabilem causam omittendi preces, dum ministrat, ne diutius immorando peste corripiatur, poterit, vt notant plures auctores antequam discedat ab Ecclesia recitare præces, quæ præponuntur Extremæ vnctioni, & postquam reuersus est recitare, quæ subsequuntur. Quod etiam habebit locum, licèt ministret etiam alia sacramenta aliis infirmis; quia cum nondum reportauerit ad suum locum Oleum infirmorum, censetur durare eadem actio, licèt intermixta cum alijs.

An possit ministrari Extrema vnctio sine vestibus sacris. *Quæst.* 444.

S V M M A.

1 *Vestes sacræ cum quibus ministranda Extrema Vnctio.* Pasqualig.

2 *Prima sententia absolutè negans.*

3 *Secunda affirmans explicata.*

4 *Potest ministrari absque sacris vestibus in necessitate.*

4 *Qualis debeat esse hæc necessitas.*

5 *Fundamentum oppositæ sententiæ refellitur.*

---

1 Vestes Sacræ, cum quibus est ministranda Extrema vnctio, sunt superpelliceum, & stola, vt præscribit Rituale Romanum *in Rubr. de Extrem. vnct. ver. Deinde deposito.* Conueniunt autem Doctores, quod nequeat ministrari absque graui peccato sine his vestibus seclusa necessitate, vnde dubium remanet, quando hæ vestes non suppetunt, & alioquin periculum est in mora.

2 Prima sententia putat, non posse ministrari absque graui peccato vrgente quacunque necessitate. Ita Suarez. *3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 2. in fine.* Bonac. *disp. 7. de sacram. quæst. vn. pun. vlt. in fine.* Naldus *verbo. Extrema vnctio, numer. 10. ver. Instante autem.* Palaus *part. 4. oper. moral. tract. 26. disp. vn. pun. 8. numer. 11.* Bonac. *disp. 8. de sacram. pun. 1. num. 6.* & idem videtur sentire. Amicus *tom. 8. Cursus theol. disp. 19. sect. vlt. numer. 217.* qui tamen excludit casum, in quo infirmus alia sacramenta non posset sumere. Fundamentum est. Quia magis habenda est ratio reuerentiæ sacramenti, quàm vtilitatis infirmi, cum hoc non sit sacramentum necessitatis. Confir. Non licet celebrare cum vestibus Sacris, vt detur viaticum infirmo. Ergo nec ministrare Extremam vnctionem, præsertim cum non sit in præcepto, sicut est viaticum.

3 Secunda sententia asserit posse ministrari, quando aliàs infirmus sine extrema vnctione esset decessurus. Ita Laurentius Cutil. *in Addit. ad Practicam visitandi infir.* Mancini *dub. 11. ad pract. 9.* Posseuin. *de Offic.*

sic. Curat, capit. 15. *quæst.* 12. *numer.* 52. Leander, *tom.* 1. *de sacram. tract.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 23. Quintanaduen *De sacram. singul.* 5. *de Extrema vnct. num.* 4. Quia pia Mater Ecclesia, tacitè censetur dispensare, ne infirmus fructu huius sacramenti tunc maximè necessario priuetur.

4 Dicendum. Extremam vnctionem vrgente necessitate ministrari posse absque superpelliceo, & stola; hæc autem necessitas debet esse talis, vt aliàs infirmus sit in periculo, quod moriatur absque Extrema vnctione. Ratiò est. Quia habitus sacerdotalis non requiritur, quia sacramentum sit tale, quod non possit ministrari, nisi à sacerdote, nam etiam absolutio sacramentalis non potest impertiri, nisi à sacerdote, & tamen non requiritur aliquis specialis habitus sacerdotalis. Nec quia sacerdos publico modo exerceat munus sacerdotale, vt contingit in Missa, nam Extrema vnctio priuato modo ministratur. Ergo præscriptio Ecclesiæ de superpelliceo, & stola non fundatur in aliqua necessitate actionis, quæ exercetur, sed in solo præcepto Ecclesiæ habita ratione conuenientiæ. Non est autem verisimile, quod Ecclesia velit priuare infirmos tàm salutari præsidio ob solam rationem cuiusdam conuenientiæ, quæ etiam ex sui natura cessat vrgente necessitate, & reddere hic, & nunc impossibile sacramentum, cum potius debeat facilitare, sicut facilitat confessionem, & Eucharistiam tollendo reseruationem, & præceptum ieiunii.

5 Ad fundamentum in oppositum Resp. Nullam irrogari irreuerentiam sacramento, si sine superpelliceo, & Stola ministretur, sicut non irrogatur sacramento penitentiæ, sed solum cum minori reuerentia ministratur, à qua tamen minori reuerentia excusat necessitas. Ad Confir. Neg. Conseq. Nam est dispar ratio, quia celebratio est actus publicus muneris sacerdotalis, & publico modo fit ex sui natura, & ideo ex natura actionis requiritur solemnitas ornatus sacerdotalis. Imò, sicut non potest consecrari stante quacunque necessitate, nisi cum præuiis precibus præscriptis, ita possumus è contra arguere, quod sicut in Extrema vnctione possunt ex necessitate omitti preces, ita poterunt omitti superpelliceum, & stola, licet non possint vestes omitti in Missa.

An Extrema vnctio ministrari possit in Ecclesia, in campo, in platea, &c. Quæst. 445.

S V M M A.

1 *Ex natura Sacramenti Extrema Vnctio ministratur decumbentibus in lecto.*
1 *Si posset ministrari in Ecclesia, esset decentius.*
2 *Extrema Vnctio potest ministrari in quouis loco.*
3 *Minister non tenetur ministrare Extremam Vnctionem nolenti adire locum salubriorem tempore pestis.*
4 *Furioso, & Phrenetico quomodo ministranda Extrema Vnctio.*
5 *Minister vt possit peccare mortaliter volens seruare ritus, & recitare preces.*

1 Qvod Extrema vnctio ministretur decumbentibus in lecto, prouenit ex natura sacramenti, quod est institutum pro Extremo vitæ, in quo regulariter infirmi decumbunt; vnde si posset ministrari in Ecclesia, esset cum maiori decentia sacramenti; Et proinde est ex indulgentia stante natura sacramenti, quod ministretur decumbenti-

tibus, vt contingit etiam in viatico.

2 Dicendum est. Extremam vnctionem ministrari posse in campo, in platea, & in quouis alio loco, prout necessitas tulerit, vt facile contingere potest tempore pestilentiæ. Ita Gabr. *in 4. dist. 23. artic. 3. dub. 2.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 11. numer. 12.* Capeauil. *De administrat. sacramen. &c. quæst. 15. de Extrem. vnc.* Ratio est; quia neque id est illicitum ex natura rei, neque ex aliquo præcepto: imò in praxi seruatur tempore pestilentiæ.

3 Ex his colligitur cum Capeauil. *Quæst. 16. de Extrem. vnct.* Quod si peste infectus nollet, si posset, accedere ad locum salubriorem, vt minister vitaret periculum infectionis, non teneretur ministrare accedendo ad locum periculosum. Tum quia hoc imputaretur infirmo, qui iniuste vellet, ministrum exponi maiori periculo, tum quia non tenetur minister cum tanto incommodo ministrare, præsertim quando incommodo obuiari potest.

4 Colligitur 2. Quod si infirmus corriperetur aliquo furore, aut phrænesi, vt facile contingit peste infectis, non deberet ipsi ministrari Extrema vnctio, nisi adessent, qui obuiarent periculo, quod infirmus male haberet sacerdotem percutiendo, aut quid aliud irreuerentiæ in ipsum committendo, quia tunc irreuerentia esset grauior, nam esset contra sacerdotem, vt ministrum sacramenti, atque adeo esset contra Ecclesiam, & publicam auctoritatem, & ideo vtilitati infirmi præferenda esset conseruatio debitæ reuerentiæ erga Ecclesiam, & eius ministros.

5 Colligitur 3. Ministrum peccare posse mortaliter, dum vult seruare omnes ritus, & præmittere preces in ministranda Extrema vnctione, vt notat etiam Capeauil. *de administr. sacram. quæst. 22. de Extrem. vnct.* Quando videlicet, exponeret periculo infirmum, quod superueniente morte careret Extrema vnctione; sicut enim tenetur ex officio ministrare, ita etiam tenetur adhibere media necessaria pro effectuatione ministrationis, quale est omittere preces, quando instat mors.

De Sacramento Matrimonij.

Quoniam interdum ob fines à textibus, & Doctoribus adductos solet in praxi à constitutis in periculo mortis contrhai Matrimonium, vt vltimam huic operi imponamus manum, breuiter nonnulla dubia, de huiusmodi Matrimonio dilucidabimus.

An *Matrimonium in articulo mortis desperata iam salute contractum valeat. Quæst.* 446.

S V M M A.

1 *Sententia negans, & eius probationes, & num. 2. & 3.*
3 *Sententia affirmans, & eius probationes, & num. 6. & 7.*
8 *Soluuntur fundamenta sententiæ negantis, & num. sequentibus.*

---

1 Prima sententia negat. Baldus *l. sed est quæsitum in fine ff. de liber. & posth.* & cum eo viditur consentire, licèt dubius, Cyn. *l. Nuper in fine C. de natural. liber.* fundamenta huius sententiæ sunt.

2 Primò Quia actus incipere non potest, vbi finiri debet, & ideo vsufructus inutiliter legatur in tempus mortis vsufructuarij, in quo est terminandus vsufructus *l. Titio cùm moritur ff. de vsufructu* vbi habetur, *Titio cùm moritur inutiliter vsufru-*

ctus legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo à persona discedere incipit. Et ratio est, quia idem momentum nequit esse causa libertatis, & obligationis, nam contrarios effectus produceret, quod ex Platone *lib. 4. de Repub.* pugnat cum ipsa natura rei. At in hoc casu Mattimonium debet morte dissolui; ergo non potest incipere.

2 Secundò; quia tunc copula non est possibilis. Nec initur ad vitandam fornicationem, cùm constitutus in articulo mortis hoc periculo careat, & dato quod huic subesset, nec sibi, nec compari satisfacere posset copula habita; ergo tale Matrimonium tanquam duplici suo fine destitutum est irritum.

4 Secunda sententia affirmat ita. Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 105. num. 3* & communiter Doctores.

Probatur primò; quia hoc constat ex vsu Ecclesiæ, qui habet, vt in articulo mortis constitutus valdè affectus ergà concubinam, cui diù adhæserat, illam ducat, nè spiritualis eius salus ob concubinæ affectum desperetur, ob defectam propositi recedendi ab illa.

5 Secundò, quia potentia generandi adhuc perseuerat, quamuis vsus illius futurus minimè sit ob impedimentum extrinsecum.

6 Tertiò, quia nec propositum non concipiendæ prolis, nec debiti non reddendi irritat matrimonium, quando id in pactum non deducitur *cap. fin. de condit. appos.* & constat in contrhaente animo ingrediendi Religionem ante consumationem, quod in hoc casu non deducitur in pactum. Adde *Gloss. l. Gallus in princ. verb. in decem mensibus ff. de liber. & posth.* videtur sentire posse concipi prolem in ipsa mortis die, dicens in numero mensium, quibus proles naturaliter edi postea, computandam mortis diem.

7 Quartò, quia si in mortis articulo potest contrhai matrimonium spirituale profitendo *cap. sicut tenor de regular.* Cur ergo non poterit contrahi matrimonium carnale.

8 Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur; nam ad primum dicitur aliud esse differre matrimonium in tempus mortis, idest vt a tempore mortis valere incipiat, & aliud id inire mortis tempore. Prius enim fieri nequit, vt pote quod est contra vinculi coniugalis naturam morte ipsa dissoluendi. Et hoc est, quod deciditur in *l. Titio cum morietur in eo argumento allegato*. At posterius fieri optimè potest, cùm contrahatur tempore habili, ac pro tempore habili. Nec idem tunc producit diuersos, & contrarios effectus; sed consensus efficit matrimonium valere, quod postea mors dirimit. Ex quibus patet responsio ad primum fundamentum oppositæ sententiæ.

9 Ad secundum verò respondetur Matrimonium non potest contrahi ab eo, qui ex *naturali*, & propria virtute generare non potest, secus quando potest, atque ad id habitum habet, quamuis eius exercitium sit ad tempus morbo suspensum; cùm is habitus possit quandoque ad exercitium reduci.

An per tale Matrimonium proles legitimetur. Quæst. 447.

S V M M A.

1 *Opinio Baldi, & eius rationes.*
2 *Sententia affirmans stabilitur, & probatur, num. 3.*
4 *Satisfit rationibus oppositis, & num. 5.*
6 *Ampliatur doctrina etiam quoad præiudicium substituti.*

Bal-

1 BAldus *l. eam, quam num.* 27. C. *de fideicommis*, quamuis fateatur tale matrimonium valere, negat tamen esse efficax ad reddendam prolem ante habitam legitimam. Rationes, quibus mouetur, sunt. Quia *l. nuper C. de natural. liber.* deciditur Matrimonium habere vim legitimandæ prolis, quando spe sobolis initur, quod in tali Matrimonio minime reperitur. Tum quia tunc non potest constitui dos oneribus Matrimonii substinendis deseruiens, quod requiritur ad legitimandam prolem *lege Iuliam ff. de iure dot.*

2 Dicendum est tale Matrimonium habere vim legitimandi prolem ante susceptam. Ita Ioann. Andr. *regul. sine culpa dub.* 1. *de reg. iur. in* 6. *& cap. Tanta num.* 2. *qui filii sint legit*, & ibi Anton. *num.* 14. Ancharan. *num.* 4 *notab.* 2. Card. *numer.* 6. Præpos. *num.* 6. Alex. de Neuo *numer.* 4. Henric. *num* 5. idem Alex. de Neuo *capit. commissum numer.* 7. *de sponsal. & capit.* 2. *num.* 5. *de coniug. leprof.* Abbas eo *capit. Commissum num.* 3. *& eo capit.* 2. *numer.* 4. vbi idem Prep. *num.* 3. Cyn. *l. Nuper num. vn. C. de natur. liber.* Salyc. *ibid.* Bald. *capit. innotuit numer.* 11. *versic. ex prædictis de elect.* Aberic. *l. cum quis num.* 5. *C. de mater. liber.* Aretin. *l. sed est quæsitum in fin. ff. de liber. & posth.* Angel. *Authent. quibus modis naturales legit. effic. in princip. num.* 2. Imola *l. Si quis posthumos in fin. princip. ff. de liber. & posthum. & l. cum tale §. Meuia in fin. ff. de condit. & demonstrat.* Mayner *l. quoties num.* 22. *ff. de reg. iur.* Ludou. de Sardis *de natur. lib.* 2. *part.* 1. *de legitim. per ver. matrim. quæst.* 2. *numer.* 3. Martin. Laudens. *tract. de legit. numer.* 159. Anton. Canet. *in exerauag. Volentes Federici II. Regis Siciliæ §. Sed an constitutus in mortis articulo numer.* 8. & alii quos citat & sequitur Sanchez *l. 7. de impedim. Matrim. disp.* 105. *num.* 5.

3 Probatur. Generaliter virtus legitimandi vero matrimonio tribuitur *capit. Tanta qui filii sint legit.* Ergo tali matrimonio non est denegandа. Non enim coheret matrimonium esse validum, & non efficere prolem naturalem ante susceptam legitimam, vt ipsemet Baldus sibi non constans aduertit *l. nuper statim. in princip. C. de natur. liber.* Et hoc esse verum matrimonium patet ex dictis *quæst. præc.*

4 Nec obstat prima ratio oppositæ sententiæ. Quia respondent idem Bald. *capit. innotuit num.* 11. *de elect.* Couar. 4. *decr.* 2. *part. capit.* 8. §. 2. *numer.* 10. & fere omnes DD. citati, dici id Matrimonium spe prolis initum, ex eo quod ineatur ad suscipiendam prolem legitimam ratione matrimonii, quæ ex illegitimo concubitu suscepta fuerat, atque ideo proles illa cum ea noua qualitate est effectus ex hoc matrimonio consurgen, & quasi noua proles dicitur.

5 Neque etiam obstat secunda ratio. Quia ad prolis legitimationem dotis constitutio attento iure Canonico minime desideratur.

6 Hinc amplia cum Sanchez loco citato *num.* 8. *& sequent.* hoc verum esse, etiam si vergeret in præiudicium substituti deficiente prole legitima, ob rationes, quas ipse iuxta DD. sententias fusè adducit, et explicat.

An

An metus in hoc casu habere possit vim irritandi. Quæst. 448.

S V M M A.

1 *Recolenda, quæ de metu docentur ab Auctoribus.*
2 *Metu naufragij promissum matrimonium tenet.*
3 *Contrahens, dum ducitur ad patibulum, reus, valide contrahit.*
4 *Idem non dicendum de eo, qui nolens ducere vxorem ducitur ob id ad patibulum.*
5 *Item de eo, qui inuentus in delicto habet optionem mortis, aut contrahendi ibidem.*
5 *Inuentus in delicto offerens se ad contrahendum valide contrahit.*
6 *Quid dicendum de Patre cogente filios per metum.*
7 *Quid dicendum de Rege quoad Reum mortis, & an possit dare huiusmodi impunitatem.*
8 *Quid de iudice promittente reo liberationem, si filiam ducat in vxorem.*
9 *Quid de medico, qui minatur deserere infirmum nisi tale, vel tale contrahatur matrimonium, quando ex iustitia mederi tenetur.*
10 *Quid vero quando non tenetur ex iustitia. ibid.*

1 FAcillimè quæstionis huiusmodi resolutio patebit, si ea quæ apud auctores notantur de metu, reuocantur in mentem, & precipuè ex Sanchez *l.* 4. *disp.* 1. Viuald. *in Candelab. tit.* 17. Pontio *l.* 4. *capit.* 19. & aliis, quamobrem nonnul a obiter hic apponemus.

2 Dico primo. Si quis metu naufragii promittat aliquam pauperculam ducere in vxorem, & de facto titulo Charitatis cum illa contrahat, erit verum Matrimonium, qnia non ab alio, sed à se ipso inducitur, ita cum aliis Viuald. *loco citato.*

3 Dico secundo idem afferendum de illo, qui ducitur ad paribulum ob aliquod delictum, & dum portatur, dicit se velle Matrimonium contrahere cum aliqua meretrice, vt mortem euitet, vt multis in regionibus practicatur, quia verum Matrimonium contrahit. Nam metus ille non est causa, sed occasio Matrimonii.

4 Dico tertio centratium iudicandum esse, Primo, si quis duceretur ad patibulum, quia non vult cum aliqua contrahere. Secundo. Si quis inuentus in aliquo delicto carnali haberet optionem, aut fœminam ducendi in vxorem. aut mortem patiendi. Ita Viuald. *cit.*

5 Dico quarto. Si quis inuentus in delicto ad mortem vitandam se offerret ad ducendam fœminam in vxorem, teneret Matrimonium.

6 Dico quinto. Pater metu mortis cogens filios ad contrahendum irritat Matrimonium, quia est metus cadens in constantem virum, & ab extrinseco illatus, & per consequens irritatiuus contractus, vt per DD. communiter.

6 Dico sexto. Si Rex deprehenso in homicidio, vel alio *crimine*, propter quod iustè posset *occidere* minetur mortem, & per se tantum intendat pro crimine suplicium sumere, ille verò, vt mortem euadat, fęminam poscat in vxorem, quamuis sciat non aliter poenam esse condonandam, Matrimonium valere. Ita Pontius *loco citato*, Rebell. 2. *part. l.* 2. *de Matrim. quæst.* 11. *sect.* 2. *numer.* 14. *in fine*, & alii, & idem dicendum est de eo, qui plectendus est capite, & promittitur ei impunitas, si ducat vxorem, aut filiam occisi, quia vt habet Pontius *cit.* licet iudici compellere etiam ad compositionem iustam, magistratus enim non infert vim,

vim. Vnde Nauarrus, quem refert Sanchez *l. 4. disp. 13. numer. 12.* scribit, solere Pontifices sub eadem conditione, aut ingrediendi Religionem, poenas remittere debitas.

8 Dico septimo. Si Iudex inuitet reum morte damnatum, vt filiam ducat in vxorem, vt liberetur, Matrimonium non valere Rebell. *dicta quæst. 11. sect. 2. numer. 14. & 15.* contra Sanchez *l. 4. disp. 12. numer. 10.* Egid. *disp. 28. dub. 1. concl. 3. numer. 10.* & Pontius *cit. num. 13.*

9 Dico Vltimo. Si Medicus, qui ex iustitia curare tenetur, minetur alicui foeminæ se illam desertutum, nisi cum ipso, vel altero ab ipso eligendo contrahat, non valere Matrimonium, quia contra bonos mores metus illatus est, atque adeo iniuste. Ita Pontius *cit. num. 15.* Egid. *loco citato num. 11. & 12.* Rebell. *ubi supra num. 16.* Qui tamen, sentit aliter dicendum esse, quando Medicus non tenetur ex iustitia mederi, sed petit Matrimonium illud in pretium curationis, quod non placet Pontio *l. 4. capit. 18.* Et hæc de metu.

De necessitate præsentiæ Parochi, Testium, & denunciationum.

Quæstio vltima.

SVMMA.

1 *Necessitas* Parochi, *& testium, & probatur, num. 2.*
3 *Dictio* Omninò *quid importet.*
4 *Obiectionibus satisfit, & num. sequentibus.*
12 *Qui veniat nomine* Parochi.
13 *Quot, & qui debeant esse testes.*
14 *Omittenda denuntiationes.*

1 Tenendum tanquam certum est, esse irritum matrimonium in articulo mortis contractum absque Parocho, & testibus.

2 Probatur, quia vbi in dispositione dicitur, aliter fieri non posse, inducitur forma, vt cum aliis tradit Felin. *capit. Cum dilecta de rescript. num. 6. signo 7.* & idem quando ponitur decretum annullans, vt docet Felin. *numer. 9. signo 5.* Sed in Tridentino *sess. 24. de matrim. capit. 1.* dicitur aliter fieri non posse Matrimonium, quàm præsente Parocho, & duplici teste, & aliter contractum redditur irritum; Ergo inducitur forma; & proinde in nullo euentu absque ea solemnitate initum erit validum; res enim sine sua forma nunquam subsistere potest.

3 Confirm. quia ibi redduntur omnino inhabiles contrahentes. Vbi ponderanda est dictio. *Omninò*, quæ significat in omni euentu sine vlla exceptione, sine remedio, ac dispensatione, vt notauit Sanchez *lib. 1. disp. 32. numer. 6.* Ponderandum etiam est reddere inhabiles, nam inhabilitatem materiæ Sacramenti, nullus necessitatis casus potest supplere, vt in nulla necessitate possunt consanguinei matrimonio copulari, eo quod materia est inhabilis, vt benè tradunt Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 6. artic. 4. ad finem corporis* Medina *1. 2. quæst. 96. artic. 4. argument. 2. iuncta eius solutione* Enriquez *l. 12. de matrimon. capit. 1. ad fin.* Philiarcus *de offic. Sacer. tomo 1. part. 1. l. 4. capit. 15.* Et ratiò est non ratione legis Ecclesiasticæ, quasi obliget in tanta necessitate, sed ratione legis naturalis, & Diuinæ ibi inclusæ dictantis nunquam licere accedere ad non suam, at eo ipso quod Ecclesia inhabilitat materiam ad Matrimonium, non potest eum illa consistere, & ita esset accessus ad non suam. Item quia ibi est inclusa lex Diuina, vt Sacramentum constet ex

ma-

materia apta, & forma. Ecclesia autem potest in Matrimonio hanc ineptitudinem materiæ constituere. Vnde Ecclesia reddente materiam ineptam lex Diuina est, vt non consistat Matrimonium; Ergo nulla necessitas potest supplere hunc defectum. Ita docent Nauar. *l.* 4. *Consil. in* 1. *edit. tit. de sponsal. Consil.* 44. *& in* 2. *titul. de clandest. desponsconsil.* 6. Sarmiento *lib.* 1. *select. capit.* 6. *numer.* 7. ex Spino *speculo testam. glos.* 15: *num.* 44.45., & Segura *directorio Iudicum* 2. *part. capit.* 15. *numer.* 44. Enriquez *l.* 11. *de matrimon. cap.* 3. *numer.* 6. *&* 8. Bartholom. Ledesma *dub.* 21. *de matrim.* Ludou. Lop. *capit.* 1. *instructorii capit.* 86. Manuel. 1. *tom. sum. capit.* 219. *numer.* 17. Petrus de Ledesma *de Matrim. quæstion.* 45. *artic.* 5. *circa* 3. *punctum dub.* 3. §. *ex dictis sequitur* Apud Sanchez. *l.* 3. *disp.* 17.

4 Obijcies primo. Leges Diuinæ recipiunt interpretationem de bono, & æquo, & ex Epicheia, vt quæ pro Charitate inducta sunt, ipsi non aduersentur, sicut *Ioann.* 1. habetur neminem absque baptismo saluari posse, & tamen deficiente ministri, vel aquæ copia satis esset baptismus in voto. Ergo à fortiori leges humanæ recipiunt eamdem Epicheiam. Sed si in hoc casu Matrimonium absque Parocho, & testibus initum, esset nullum aduersaretur Charitati, quia proles per Matrimonium illud legitimanda destituta remaneret, & sepè morti proximi valde affecti erga concubinam salus periclitaretur spiritualis non contracto matrimonio, quo huic prauæ affectioni consulat, ergo decretum Tridentini, &c. Confirm. quia quoties casus euenit iis vestitus circumstantiis, quibus non ita expresse decisus est, attendendum est, quid in eo casu legislator consultus responderet, idque sequendum est, vt tradunt communiter Theologi 1.2. *quæst.* 96. *artic.* 6. Pontifex autem de hac extrema necessitate consultus absque dubio responderet posse in ea absque Parocho, & testibus contrahi. Ergo.

5 Respondetur Argumentum procedere, quoad legem merè præceptiuam, & inducentem contractui solemnitatem extrinsecam, non autem quoad inducentem solemnitatem substantialem, & inhabilitantem materiam. Nec hoc aduersatur Charitati, valde enim bono communi expedit huiusmodi rigore legem esse latam, nec in hoc casu aliter Pontificem responsurum tenendum est, per quæ patet solutio confirmationis.

6 Obijcies secundo Præceptum Ecclesiasticum non obligat eo rigore, vt in magna necessitate non liceat contrauenire, vt patet in præcepto Missæ, Ieiunij, &c. Ergo.

7 Respondetur hoc verum esse de simplici præcepto Ecclesiastico, non autem de eo, in quo concurrit ius naturale, & Diuinum, vt est in casu nostro.

8 Neque dicas potest in tali casu contrahi absque denunciationibus præuiis, ergo, & absque præsentia Parochi, & testium. Nam respondetur denuntiationes pertinere ad solemnitatem accidentalem, horum autem presentiam ad substantialem.

9 Obijcis tertio. *In hoc* casu cessant inconuenientia, quibus obuiare voluit Tridentinum. ergo.

Respondetur neg. anteced. vt patet ex ipsius Concilii verbis apud Sanch. *loc. cit. num.* 3.

10 Neque dicas sufficere licentiam præsumptam Parochi, aut ratihabitionem de futuro, vt docet cum communi Sanchez *l.* 3. *disp.* 35.

11 Neque dicas secundo potest cum tali licentia ministrari à simplici Sacerdote Eucharistia, & pænitentia: ergo. Nam respõdetur id licere, quia illa sacramenta sunt necessi-

tatis

tatis. Matrimonium autem est voluntarium.


Instabis, potest cum tali licentia ministrari à Sacerdote extrema vnctio, ergo. Respondetur posse, quia est preceptum merè Ecclesiasticum, non autem huiusmodi est hoc, vt dictum est supra.


12 Qui autem veniat nomine Parochi vide supra de Sacramento Viatici, & Extremæ vnctionis.

13 Petes, quot, & quales debeant esse testes. Respondetur duo ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *capit.* 1. *de Matrimonio*, in quibus non debet connumerari Parochus, & ratio est, quia vt ait Felin. *capit. ex litteris num.* 10. *de probat. versic. modo aduerte* quando statutum requirit ad certū actū duo genera personarū, persona vnius generis non potest vicem vtriusque gerere. Testes autem possunt esse omnes vsum rationis habentes, & phisice cum Parocho præsentes, quamuis sint vi, aut dolo detenti, & casu transeuntes, & intelligere consensum etiam per interpretem, vt fusè Sanchez *l.* 3. *disp.* 41. *cum aliis*.

14 Quoad denunciationes verò, quas præcipit Concil. Tridentin. *loco citato capit.* 1. Tenendum est, vt tradunt Sanchez cum aliis ab eo citati *lib.* 3. *disp.* 9. *numer.* 19. & Pontius *lib.* 5. *capit.* 31. posse, & debere omitti ob rationes ibi adductas, & hæc in præsenti praxi dicta sufficiant.

L A V S D E O.





INDEX
RERVM, ET VERBORVM
quæ in hoc opere continentur.

A

ab

B

Non

D

Episcopus

An

F

Forma

I

Infi-

vitandas

Iu-

Ius

M

R

S

T

Viati.

Com-



FINIS.



præ-

T

Viati.

Com-



